348.71

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionumiur0004iose

INSTITUTIONUM
IURIS CANONICI
COMMUNIS ET NEAPOLITANI

AUCTORE

CAROLO GAGLIARDO

OLIM IN REGIO ARCHI-GYMNASIO NEAPOLITANO

PROFESSORE IN CATHEDRA DECRETI

DEIN EPISCOPO MURANO

LIBER IV.

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE ACCESSERUNT

ANIMADVERSIONES ET ADDITIONES

IOSEPHI ROMANI

EPISCOPI S. ANGELI LOMBARDORUM ET BISACCIEN

TOMUS IV.

ALMA COLLEGE
348.71
LIBRARY
G 121
Alma, California

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORÆ

MDCCCXLVIII

3892

INSTITUTIONUM

IURIS CANONICI

LIBER IV.

TIT. I.

De iudiciis criminalibus.

I. Ordinem legitimum, et canonicum maxime postulant iudicia criminalia.
II. Novis scilicet legibus, et moribus constitutum, prisco extra ordinem, quem antiquae leges invexerant, abolito.
III. Extraordinarium in caussis fidei, sanctionibus pontificiis imperatum hoc etiam in regno olim vigebat.
IV. Quod regia rescripta precibus Neapolitanae Civitatis edita inhibuerunt omnimodis.
V. Forma hinc ordinaria tantum in utriusque fori iudiciis criminalibus in reos quoslibet adhibenda est.
VI. Eam tres praecipuae partes componunt: informatio, convalidatio, defensio.

I. Quo civilibus criminalia sunt iudicia graviora, non rerum externarum, pecuniaeve iacturam inferentia, sed poenas plerumque acerbiores, quae ipsam hominibus vitam in Ecclesiae foro spiritualem, in profano corpoream vel adimunt, vel infelicitant: in his eo plus oportet ordinem legitimum, et canonicum servare. Effatum illud Apostoli: *tu quis es, qui iudicas alienum servum? suo Domino stat, aut cadit* (1), ad

(1) *Ep.* ad Romanos *cap. 14. vers. 4.*

rem nostram apte S. Augustinus explicans (1), *noluit Dominus*, ait, *hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis: sed potius ex lege Dei secundum* ordinem *Ecclesiae sive ultro confessum, sive accusatum, atque convictum. Alioquin illud cur dixit Apostolus?* Si quis frater *nominatur* in vobis, aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi ne quidem cibum sumere (2)*: nisi quia eam* nominationem *intelligi voluit, quae fit in quemquam, quum sententia* ordine iudiciario, *atque integritate profertur. Nam si* nominatio *sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes: quia saepe falso in quoquam crimina nominantur.* Huc usque S. Doctor.

II. Ordinem exercendi capitalia iudicia exolevisse in Romano Imperio, et *extra ordinem* crimina probari, tradit Paullus iureconsulus (3). Prisco nimirum ordine posthabito novum leges posteriores, moresque ordinem invexerunt in iudiciis criminalibus omnino servandum.

III. In caussis contra haereticos, ut *procedi possit simpliciter, et de plano, et absque advocatorum, ac iudiciorum strepitu, et figura*, ne publicatis quidem testium nominibus, quoties aliquod isti periculum sibi timerent ex consueta in ordinariis iudiciis publicatione, instituit Bonifacius VII., statuta praedecessorum suorum Innocentii III., Alexandri IV., et Clementis IV., declarans, et amplians (4). Quoad Regibus nostris Andegavensibus Carolo I., et II., et subsequutis ad Carolum V. usque Imperatorem Principibus placuit, ut Inquisitores apostolici Ordinis Praedicatorum hoc in regno mandatam sibi a Romanis Pontificibus iurisdictionem sine ullo exercerent impedimento in quoslibet fidei reos quum laicos, tum ecclesiasticos, iisque suum Barones, et Magistratus auxilium, brachiumque saeculare impertirentur (5): in caussis eiusmodi ecclesiasticis forma viguit extraordinaria *processus*, ut aiunt, *non aperti*, quae suppressis omnino testium fiscalium nominibus, et reo numquam citato ad videndum eos iurare, adimebat idcirco reis infelicibus remedium repulsae, idoneosque ad testificandum habebat nedum ipsos denunciatores, verum etiam socios criminis, et excommunicatos (6).

(1) S. Aug. in *can. multi 18. C. 2. qu. 1.* Consonat Innoc. III. in *cap. qualiter, et quando 17. de accusationibus.* Permultos canones iudiciarium ordinem in rebus criminalibus moderantes more suo Gratianus collegit eadem *Causa 2, et seqq. usque ad 6., et C. 15*, quibus non integram iudicii formam, sed plures ipsius articulos, eo que dissolutos exhibet. Decretalium vero liber V. totus est in criminum speciebus, eorumque poenis, et censuris exponendis: prima si excipiatur generalis rubrica *de accusationibus, denunciationibus, et inquisitionibus*, vix initium iudicii delibans: et altera *de purgatione canonica*, quae ab aula iamdudum recessit.

(2) *Ep. 1.* ad Corinthios *cap. 5. vers. 11.*

(3) Paullus in *l. ordo 8. D. de publicis iudiciis* haec ait: Ordo *exercendorum publicorum capitalium in usu esse desit: durante tamen poena legum, cum* extra ordinem *crimina probantur.* Hoc in textu Dion. Gothofredus antiquum in publicis iudiciis ordinem describit ex Tullio, Tacito, Svetonio, et Plinio.

(4) Bonif. VIII. in *cap. statuta 20., et ult. de haeret. in VI.*

(5) Apud B. Chioccarell. *to. 8. arch. reg. iurisd.*

(6) Alex. IV. in *cap. in fidei 5. de haereticis in VI.*

IV. Enixis at precibus Neapolitanae Civitatis fidelissimae, quas ea suo ad Regem catholicum legato P. D. Paulo de Aretio mandaverat, annuens Philippus II. rescripsit binis litteris ad Proregem Alcalensium Ducem, ipsamque Civitatem datis die 10. Martii 1561, ut iudicia Inquisitionis fidei agerentur via tantum ordinaria (1). Eo abhinc tempore passi amplius numquam sunt Regni mores, ac leges aliam in Curiis ecclesiasticis formam procedendi, nisi communem, et ordinariam. Id quod Rex Carolus quam maxime firmavit ad Deputatos S. Officii Neapolitanos Equites rescribens die 29. Decembris 1746., ut in fidei causis Episcopi locorum Ordinarii semel ante reorum capturam, iterumque ante promulgationem sententiae processum transmittant ad Regiam ipsius Maiestatem, inspecturam, an ii formam iudicii ordinariam servent secundum Regni leges, gratiasque Neapolitanis largitas (2). Regiis etiam tribus rescriptis ad Marchionem Fraggiannium datis sub Rege nostro Ferd. IV. Pupillo, die 29. Novem. 1760, 2. Maii, et 5. Iunii 1761. imperatum est, ut aboleretur omnino decretum ex informata conscientia sine actis iudiciariis, aliisque per viam scrutinii, quod protulerat P. Elias Giuffredus Carmelitarum visitator, et Commissarius generalis, dum ab officio Prioris abdicandos, deponendosque censuit Priores Carmelitas Andriae, Martinae, Brundusii, Carvigni, Licii, et Ostuni.

V. Hanc ipsam criminalis processus ordinariam formam, quae una fere in omnibus causis, eademque galeata in utroque huiusce Regni foro est, tam si de privatis agatur delictis, quam de criminibus publicis quum ecclesiasticis, tum profanis, et communibus (quemadmodum proposui) nunc describam. In ducendis autem huiusce delineamentis nonnullos extraordinariae formae articulos ab ea discrepantes intersignare satagam, quos varie inflectit vel natura criminis notorii, ac manifesti, vel specialis delegatio de criminibus enormibus extra ordinem coercendis mandata rescripto Regis, aut lege Pragmaticarum Regiis Auditoriis, et M. C. Vicariae.

VI. Tribus constare partibus praecipuis quodlibet criminale iudicium aiunt forenses : *praeparatoria* nimirum *informatione*, *convalidatione informationis*, *et defensionibus*. Ad primam pertinent reorum delatio, mox informatio delatum quum in genere, tum in specie crimen ostensura, citatio, captura, et examen reorum : ad secundam litis contestatio, testiumque fiscalium repetitio, dein publicatio: ad postremam defensiones, et sententia diffinitiva. Singulas eiusmodi partes accuratius, et divisim, dein species criminum, poenas, et censuras edisseram titulis posterioribus.

(1) B. Chioccarell. *loc. cit.*

(2) *Per vedere così nella prima, come nella seconda volta*, Rex in eo rescripto ait, *se siano stati tali atti formati per la* via ordinaria *secondo le leggi del regno, e le grazie concedute a questa Città.*

TIT. II.

De reorum delatione.

I. Legitimum de quovis crimine iudicium inchoat accusatio, vel denunciatio. Nomen actionis, et legis veteres accusatores edebant in primo libello.

II. Malefactum quomodocumque expositum libello, vel ore suo nunc deferunt accusatores nostri quum laici, tum clerici, et generatim postulant in reos poenis legitimis, vel canonicis animadverti.

III. Nisi accusatio praecesserit, reos humanum subire iudicium leges omnes vetant.

IV. Frequens vero silentium privati accusatoris perniciosum reipublicae est.

V. Minister hinc fiscalis in utroque foro suffectus merito est ad gerendum ex officio personam publici accusatoris.

VI. Huius regni iure cautum, ut regii fisci patronus, vel promotor in quoslibet reos agat vel solus, vel inhaerens privatis accusationibus per sese, aut in Curiis baronalibus per coadiutorem fiscalem.

VII. In Curiis etiam ecclesiasticis, patronus, et promotor fiscalis ex officio agit in reos vel denunciatos, vel diffamatos.

VIII. Excipitur crimen adulterii, de quo inquiri leges vetant sine accusatione viri, aut consanguinei proximioris.

IX. Officium, et iudicis, et ministri fiscalis denunciatione saepius excitatur.

X. Per calumniam accusans, vel denuncians arbitrio iudicis puniendus est.

XI. At libellum suum inscribit accusator, spondendo delatum crimen sese probaturum, denuncians non item.

I. Initium iudicio criminali dat libellus, aut privati accusatoris, seu querela partis offensae, aut denunciatio famulorum Curiae, vel cuiuslibet privati hominis, aut instans postulatio ministri Fiscalis modo sola, modo inhaerens libello tam accusatoris, quam denunciantis. Antiquam accusationis formulam hanc tradit Paullus iureconsultus (1). *Consul, et dies. Apud illum Praetorem, vel Proconsulem Lucius Titius professus est, se Meviam* lege Iulia, de adulteriis *ream deferre, quod dicat eam cum G. Seio in civitate illa, domo illius, mense illo, Consulibus illis, adulterium commisisse.* Diem, et horam admissi sceleris, iereconsultus ipse admonet, invitus nemo cogebatur exprimere in libello. Itaque nomen actionis, et legis in delatum crimen sancitae olim oportebat in libello accusatoris speciatim exprimere.

II. Nunc vero satis est post expositam qualicumque modo qualitatem

(1) Paull. in *l. libellorum 3. D. de accusat*, et Gratianus *Caussa 2. quaest. ult.* in fine.

criminis implorare iudicis officium, ut reus damnetur ad poenas generatim promeritas secundum leges, et statuta (1), in hunc fere modum, aut latino, aut italo sermone. *Comparet in ea Curia eiusdem Fisci Promotor*, aut *Patronus*, aut *Coadiutor Fiscalis*, vel *N.* sive querelans, sive denunciator, *et exponit hoc, illudve crimen, aut delictum a Titio patratum cum adiunctis loci praesertim, ac temporis. Instat propterea procedi ad iuridicam informationem, reum in carcerem detrudi, servatisque servandis,* et audito in omnibus, comparente *damnari ad poenas legibus sancitas, et condignas, salvo iure agendi civiliter ad refectionem damnorum : ut de sua ipse iniquitate ne glorietur impunis, sed Reipublicae simul, ac parti offensae congruam rependat satisfactionem, aliosque improbos in odio scelerum contineat formido poenae acerbioris :* aut si denunciator id agat, *ut discat a similibus perpetrandis ipse Titius abstinere in posterum, ad melioremque frugem severitate iudicii reducatur* (2), *non solum isto, sed omni meliori modo.* Et ubi suam clericus, vel suorum iniuriam ulturus prosiliat in foro laico ad accusationem, seu querelam criminis capitalis : superaddet protestationem, sese agere postulando publicam, legitimamque vindictam *citra poenam sanguinis* (3). Quoties autem privata sit accusatoris, aut denunciantis persona, alterutrius libello etiam *Fiscus inhaeret* (4).

III. Sine legitima accusatoris persona reum, quamvis deprehensum in crimine manifesto iudicandum esse neminem, lex evangelica ostendit. *Mulier, ubi sunt qui te accusabant?* Iesus ream interrogans ait, *nemo te condemnavit? Nemo Domine,* quum illa respondisset, eam ipse continuo dimisit, inquiens: *nec ego te condemnabo, vade in pace* (5).

(1) Ut recte monent Gothofredus ad eamdem *l. 3. D. de accusat. num. 40*, et Iulius Clarus *5. sent. cap. ult. qu. 12.*

(2) Innoc. III. in *cap. super his 16. de accusat. ad depositionem*, ait, *instituitur accusatio : sed ad correctionem est denunciatio facienda.*

(3) Bonifacius VIII. in *cap. Praelatis 2. de homicidio in VI.* declarat clericos rerum capitalium accusatores in foro laico, quoties protestentur agere *citra poenam sanguinis*, exemptos ab omni metu irregularitatis canonicae, quamvis ultimum supplicium accusati exinde ferrent. Eamque ipsam protestationem probat nostra Concordatorum lex *cap. 2. num. 24.*, iubens, ut ecclesiastici Superiores laico magistratui reos ad asylum Ecclesiae confugas in casibus exceptis, praemissa tali protestatione contradant.

(4) Antiqua iura vetabant, ne quem ab alio delatum alius insuper accusaret, *can. prohibentur 14. C. 2. qu. 1. Si plures existant, qui reum in publicis iudiciis accusare volunt : iudex eligere debet eum, qui accuset, causa cognita*, ait Ulp. in *l. si plures 16. D. de accusat.* In eo tota idcirco fuit M. Tullii Cic. *divinatio in Verrem*, ut ipse posthabito Q. Caecilio Nigro personam accusatoris in Verrem induceret, pro qua uterque contendebant.

(5) Ioannis *cap. 8. vers. 11.* Hinc S. Ambrosius in *can. si quis potestatem 31. C. 23. qu. 4.* ad rem apte nostram ait : *Iudicis non est sine accusatore damnare : quia et Dominus Iudam, cum fur esset, quia non est accusatus, minime abiecit.* Eumque locum laudat Stephanus V. Leoni Episcopo Theanensi rescribens in *can. de manifesta 17. C. 2. qu. 1.* Id vero quod de Apostolo Paullo insidiis Iudaeorum ad necem petito dixisse Festum Romanum in Iudaea Prae-

Humanae quoque leges quum civiles (1), tum canonicae (2) necessariam accusatoris legitimi personam ad instruendum quodlibet criminale iudicium esse consentiunt. *Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit, et accusator, et iudex?* inquam cum S. Augustino (3).

IV. Quam cuique de populo dant leges, et canones licentiam accusandi quoslibet publicorum criminum reos (4), personisque iniuria, vel damno affectis deferendi privata quoque delicta, eam satis non esse coercendis malefactoribus, quod plurimos ipsorum dimittere dudum suevit silentium accusatoris, longa docuit experientia (5). Nam viri ad accusandum idonei, et omni exceptione maiores quum ab honesti, probique civis officio alienum fere putent miserandis, et periclitantibus reis non patrocinium, sed perniciem adstruere, exosam accusatoris personam induere ipsi plerumque abhorrent, non secus, quam vituperatum Societatis hostem (6); alii reorum audacium potentiam formidant.

sidem ferunt acta Apostolorum *cap. 25. vers. 5. Qui ergo in vobis potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum:* ad humanam imperii legem Iuri naturali consentaneam spectat. *Nocentem, nisi fuerit accusatus, damnari non posse*, M. Tullius asseveravit *orat. pro Roscio Amerino.* S. Ambrosius *ep. ad Siagrium, si leges publicas interrogemus*, ait, *accusatorem exigunt.*

(1) *Si accusator decesserit, aliave causa ei impedierit, quominus accusare possit, et si quid simile: nomen rei aboletur, postulante reo, idque et lege Iulia* de vi, *et Senatusconsulto cautum est*, Paullus tradit in *l. libellorum 3. §. 4. D. de accusat. Sic et Imp. Pius, et alii Principes rescripserunt*, Marciano teste, ut de adnotatis requirendis reis *non quasi pro damnatis, sed quasi re integra quaeratur, si quis erit, qui eum arguat*, seu accuset, *l. divus Hadrianus 6. §. 1. D. de custodia, et exhibit. reor.* Ulpianus in *l. rescripto divorum fratrum 6. §. 2. D. de muneribus, et honorib.* addit: *Si quis accusatorem non habeat, non debeat honoribus prohiberi: quemadmodum non debet is, cuius accusator destiterit.* Plinius iunior Bithyniae Proconsul quum Christianos falsis criminibus accusari novisset, idque Traiano retulisset, rescripsit Imperator: *conquirendi non sunt: si deferantur, et arguantur, puniendi sunt*, liquet ex Plinii *ep. 98. lib. 10.*, *Tertull. apologet. cap. 2.*, Euseb. *lib. 3. hist. cap. 27.*

(2) Plures idipsum probantes canones partim genuinos habet Gratianus *C. 3. qu. 9*, insuper *can. nihil 4. C. 2. q. 1.*, ex apocripha Eleutherii epistola, alios alibi sparsim: nec non textus decretalium in *cap. 1., et seqq. de accusationibus.*

(3) S. Aug. in *cit. can. multi corriguntur 18. C. 2. qu. 1.* Consonat Innoc. III. in Conc. Lateran. IV. *cap. qualiter, et quando 24. de accusat.*

(4) *Publica* de criminibus *iudicio* ideo dicta monet Iustinianus Imp. *quod cuivis ex populo executio eorum plerumque datur §. 1.* Inst. *lib. 4. tit. 18. de publicis iudiciis.* Macer iureconsultus, *qui accusari possunt, intelligemus, si scierimus, qui non possunt*, ait in *l. qui accusare 8. D. de accusationibus.* M-Tullius *or. pro Sexto Roscio Amerino*, accusatores *canibus* aequiparat praedones latratu, morsuque terrentibus, inquiens: *nihil mali est, canes ibi quamplurimos esse, ubi permulti observandi, multaque servanda sunt.*

(5) *Poenam praeteriti delicti, si nondum reus postulatus est, remittimus*, rescripsisse Impp. Fratres feruntur a Papiniano in *l. si adulterium 38. §. 6. D. ad leg. Iul. de adult.* Idemque iureconsultus in *seq. §. 7. incestum excusari solet*, ait, *facilius, si nemo reum postulaverit.*

(6) *Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis*

Ceteri ad accusandum proni, et impudentes, quos vel ineptos ingenium, vel indignos reddit calumniae suspicio, ipso etiam iure coguntur, ut sileant; praesertim infames, damnati, servi, libertini, pauperes, natu minores, mulieres, ubi suam, suorumque iniuriam non persequantur (1): aliis praeterea vel senatoria dignitas, vel magistratus, vel sacramentum militiae, vel officium tutelae, aut curae, gestorumve negotiorum facultatem adimit accusandi (2).

V. Hinc salutem publicam tuendi necessitas, spretamque legum maiestatem ulciscendi ratio fecit, ut in utroque foro publici accusatoris personam sustineant ministri tantum Fiscales, qui suo *ex officio* cuncta persequantur crimina, tam si reos nemo, quam si privatus quisque offensus, et querelans, vel denunciator in ius deferat, ipsum iudicis *officium* extimulantes, et sustinentes (3). Romanae Pandectarum leges cuiusque *officio Praesidis* mandant vigilem curam, *inquirendi*, plectendique sacrilegos, latrones, plagiarios, fures, eorumque receptores (4). Rerumque capitalium *Quaestores* quum creare populus Romanus consuevisset, ita dictos ab *officio* in criminosos *inquirendi* (5), reservata Consulibus, populique comitiis potestate iudicandi de capite civis: primam ii speciem Fiscalis Promotoris, Advocatique in reos

inferre multis. Id enim cum periculosum ipsis est, tum etiam sordidum ad famam committere, ut accusator nominetur, quod contigit M. Bruto, ait Cicero *lib. 2. de officiis.* Textus decretalium ex Burchardo in *cap. accusasti aliquem 8. de accusationibus* canonicae poenitentiae obnoxios, secuto supplicio facit accusatores capitalium criminum, *nisi pro pace* reos detulerint. Videsis commentarium Emm. Gonzalez ad istud *cap. 8.*, plura edisserens hinc de honestate, hinc de improbitate accusatorum.

(1) Pomponius in *l. 1.*, Papinianus in *l. ceteris 2.* Ulpian. in *l. si cui 7. §. 2.*, Macer in *l. qui accusare 11.*, Venuleius in *l. hos accusare 12. D. de accusationibus*, Marcianus in *l. deferre 18. D. de iure Fisci.* Multos id etiam firmantes canones habet Gratianus partim genuinos, partim apocryphos in *Causa 2. q. 4., et 5. per tot., et can. prohibentur 14. C. 2. qu. 1.*

(2) Ex Macro in *cit. l. qui accusare 8. D. de accusat.*

(3) Id a priscis Graeciae moribus desumptum videtur, apud quos νομεφυλακες creabantur, puta XII. viri Athenis *legum custodes*, speciatim inter alia cognituri, quid in magistratu gessissent, qui magistratu abierant, *constitutis publice accusatoribus:* ut Cicero tradit *lib. 3. de legibus circa fin.*, dolens Romanos eiusmodi *legum custodiam* non habere, quum Censores morum sine accusatore munus obirent.

(4) *Congruit bono, et gravi Praesidi cura, ut pacata, atque quieta provincia sit, quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque* conquirat: *nam et sacrilegos, latrones, plagiarios, fures* conquirere *debet: et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere: receptoresque eorum coercere, sine quibus latro diutius latere non potest,* Ulpianus ait in *l. congruit 12. D. de offic. Praesidis.* Consonat Marcianus in *l. lege Iulia 4. §. 2. D. ad legem Iuliam peculatus.*

(5) Pomponius in *l. necessarium 2. §. 23. D. de origine iuris. Et quia de capite civis Romani iniussu populi non erat lege permissum Consulibus ius dicere: propterea Quaestores*, ait, *constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent..... quorum etiam meminit lex XII. tabularum.* Idemque iureconsultus paullo ante monet Quaestores pecuniae publicae dictos *ab eo, quod inquirendae, et conservandae pecuniae caussa* crearentur.

criminum videntur praesetulisse. Fisci ius primigenium in publico Principis aerario curando, tuendoque versari, exploratissima res est (1). Mos vero vetustissimus confiscandi bona damnatorum ansam praebuit, ut Romanae leges curatoribus Fisci etiam concederent reos confiscationi obnoxios deferre, partesque delatorum tueri ad vitandas aerarii fraudes (2). At *Fisci advocatus poenas metuens caveat, ne fiscalia commoda occultet, neve Fisci nomine privatis audeat calumnias commovere*, sanxit Constantinus Imperator (3). Huic interea, aliisque Imperatoribus placuit patrocinium causarum fiscalium demandare non perpetuum, ubi quoad viveret, sed temporaneum alicui ex collegio advocatorum (4).

VI. Huius autem Regni mores, ac vetustae constitutiones, XII. iam inde saeculo, quum regnaret Fridericus II. Imperator, patefaciunt procuratoribus, advocatisque Fisci mandatum quoque munus postulandi reos de criminibus ex officio inquirendis (5). Regiis deinde Pragmaticis cautum, ut caussae omnes criminales, tam si corporea poena, quam si mulcta pecuniaria sint rei coercendi, audito Fisco tracten-

(1) Ex rubrica Digestorum, et Codicis *de iure fisci*. Cicero *lib. 3. in Verrem, quaternos LLS*, ait, *quos mihi Senatus decrevit, et ex aerario dedit, ego habebo, et in cistam transferam ex fisco*. Unum, idemque nimirum sonat *fiscus, et aerarium*.

(2) Teste Marciano, *communem caussam sibi cum* Fisco *quivis deferre potest: hoc est vindicare: nec per hoc famosus est, licet in caussa sua non obtinuerit, l. deferre 18. §. 7. D. de iure fisci*. Callistratus in *l. ex quibusdam 2. D. eod.* addit eius delatoris famam non laedi, qui non praemii consequendi sed *nomine reipublicae suae exequitur caussas*. Gordianus Imp. in *l. monente 2. C. de delatoribus* Eutichemo rescribens, *monente officii sollicitudine*, ait, *quinimo iussu* procuratoris, *ut causam ab alio delatam convenienti diligentia instrueres, non ipsum voluntarium delatoris munus suscepisse te actorum lectio, quae precibus intexta sunt, manifesto declarat*.

(3) Constantin. in *l. fisci C. de advocatis fisci*.

(4) Liquet ex Antonini *l. 1., et 2. C. de advocatis Fisci*, et Iustiniani in *l. per hanc legem 7. C. de advocat. divers. iudic.*, qui ne octoginta viros clarissimos excederet collegium advocatorum, insimul imperavit.

(5) In Curia Iustitiarii regium Ministrum Fiscalem, qui iudicia criminalia rite institueret, a Friderico Imp. creatum adfuisse, liquet ex regni *const., Praeses Provinciae*. Exinde consueverunt iudices nostri *ex officio* procedere, ubi privati sileant accusatores, nonnisi Fisco instante ad inquirendum, plectendumque reos capitalium criminum, promerentes mortem, qua naturalem, qua civilem, vel abscissionem membrorum ex pluribus regni capitulis, videlicet *cap. ab illo inchoandum 140., cap. ut delatus 235., cap. si temporum alternata conditio 237., et cap. ne tuorum 248.*, ad vindicandas, praeterea iniurias personis ecclesiasticis irrogatas ex *cap. pridem per diversas, et Cap. de iniuriis 149*. Et quoniam leges quum communes, tum municipales, poenam capitis, aut corpoream relegatione maiorem sanxerunt in furtum, rapinam, atroces iniurias, alia id genus malefacta, de quibus perinde ac de privatis delictis, actiones tantum privatas dabant olim Romanae leges: in his etiam caussis publica idcirco evaserunt iudicia criminalia, adeo, ut nequeant sine ministro fiscali nunc instrui, nec definiri. Adde crimen usurae, quod ex officio iudicis coercendum iubent regni *const. usurariorum nequitia*, Pragm. 2. *de usurariis*, et regia constitutio *die 9. Octobr. 1736*.

tur (1) : utque accusationes, querelasve criminum in iudicio inscribere non aliis liceat, nisi qui suam, suorumque propinquorum iniuriam persequantur (2). Regis autem est quum Procuratorem, tum Advocatum Fiscalem creare singulos in M. C. V., et singulis regiis Audientiis (3), qui suas possunt, quoties velint, partes agere in criminalibus caussis ad inferiores etiam Curias Regni quum regias, tum baronales delatis (4). Cumque Baronibus Fiscus non sit nec civilis, neque criminalis (5) : coadiutorem ii fiscalem suis in Curiis adhibent, qui publici accusatoris, Regiique Fisci absentis vices gerat (6).

VII. Ad ecclesiasticas etiam Curias Ius Decretalium propagavit consuetudinem procedendi *ex officio* in malefactores publica *fama* delatos (7), adhibendique in criminalibus iudiciis promotorem, advocatumque fiscalem (8). *Evidentia patrati sceleris*, monet S. Augustinus (9), *non indiget clamore accusatoris*. Nam denuncians fama instar clamantis accusatoris est (10). *Undecumque clamerint* crimina, reos etiam confiteri no-

(1) *Pragm. 3, et 39. de officio Magistri Iustitiarii.*

(2) Pragm. 8. *de compositionibus*, et Ritus M. C. V. sub tit. *item admittitur aliquis, tamquam unus de populo ad accusandum.* Plures quoque Ritus M. C. Vicariae id firmantes collaudat Petrus Follerius in *fragm. ad prax. crimin. num. 153., et seqq.*

(3) Ex *Pragm. 4. de officiis ad Reg. Maiestat.* Reg. de Ponte *de pot. Proregis de provis. fieri soli. §. 4. num. 65.*

(4) Ex *Pragm. 6. §. 30 de officio Mag. Iustitiarii.*

(5) Ex *l. 1. C. de bonis vacantibus*, quae ius vindicandi bona vacantia Fisco imperiali, civitatibus omnino exclusis, esse declarat. Criminalis vero Fisci creationem Regi reservavit *cit. Pragm. 4.*

(6) Capiblanc. *ad Pragm. 8. de Baronib. par. 1. num. 24.*, Ant. Police *de praeeminent. Reg. Audient. par. 1. cap. 17.*, Novar. *de grav. 159. num. 3.*, Vivius *dec. 378.*

(7) Innoc. III. in *cap. inter sollicitudines 10. de purgat. canonica* Senensi Archiepiscopo rescribens, *nec illud improbamus*, ait, *quod licet contra eum nullus accusator legitimus appareret*, ex officio *tuo tamen* fama publica *deferente voluisti plenius inquirere veritatem.* Idem at Pontifex in *cap. inquisitionis 21. de accusat.* respondit, *nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat* infamia, *seu* clamosa *insinuatio non praecesserit; propter dicta huiusmodi puniendum, quinimmo super hoc depositiones contra eum recipi non debere: quum inquisitio fieri debeat solummodo super iis, de quibus clamores aliqui praecesserunt.* Consonat alia eiusdem decretalis in *cap. cum oportet 19. de accusat.* ibi: nisi *super praedictis* famam *ipsius laesam esse noveritis: vos ad inquisitionem illorum non subito procedatis.* Formam inquisitionis ecclesiasticae tradit Car. Pellegrinus in *prax. Vicarior. crim. par. 4. sect. 2. num. 72. ad 76.*

(8) S. Carolus in actis Eccl. Mediol. *part. 4. tit. de offic. Promot. Fisci, et substitut.* eos commonet, ut *meminerint se esse procuratores veritatis, et non debere sub eius clypeo innocentes opprimere, vel alias esse in caussa, ut quis calumniis fatigetur.*

(9) S. Aug. in *cap. evidentia 9. de accusat.* Concinit S. Ambrosius in *can. manifesta 15. C. 2. qu. 1.*

(10) Conc. Lateran. sub Innoc. III. in *cit. cap. qualiter, et quando 24. de accusat.*, et idem Papa in *cap. licet Heli 31. de simonia*, auctoritatibus novi, et veteris Testamenti censuit manifeste probari, quod perinde in subditos, ac

lentes, ut curent salubriter ecclesiastica censura Episcopi, monet S. Prosper (1). Confessione autem sua proditos, quamvis ante inquisitionem non diffamatos, iure merito puniri Bonifacius VIII. (2) definit. Idemque rescripsit ex omissa infamiae inquisitione non vitiari acta, quae iudex inquirens in reum praesentem, nec reclamantem gesserit (3).

VIII. Omnia generatim crimina, quamvis pateant officio fiscalis delationis, tamen adulterium solummodo vetant leges communes, et municipales, ut olim cuivis de populo, ita ministris nunc fiscalibus deferre in iudicium, ne matrimonia turbentur, facultatem accusandi reservantes innoxio primum coniugi, tum proximioribus dumtaxat consanguineis ad suam ulciscendam iniuriam (4).

IX. Iudicis, ac ministri fiscalis officium saepenumero excitat in utroque foro sacro, et profano *denunciatio* vel famulorum Curiae, vel cuiuslibet privati hominis. Eam Imperii Romani leges mandarunt *stationariis* militibus (5), quos et *curiosos*, et *irenarchas* appellabant; cunctis vero fidelibus Lex evangelica fraternam correctionem imperat, salutemque proximi sui cuique commendat cum onere peccantem pertinacem denunciandi Ecclesiae Praelato, postquam eum ipse clam semel, iterumque adhibitis testibus corripuerit (6).

Praelatos delinquentes inquiri ex officio posse, *si per clamorem, et famam ad aures Superioris pervenerit* notitia criminis . . . *non tamquam idem sit accusator, et iudex, sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore* officii *sui debitum exequatur.*

(1) S. Prosper in *can. ecce autem 18. C. 24. qu. 3.*

(2) S. Bonif. VIII. in *cap. 1. de accusat. in VI.*

(3) Idem in *cap. si is 2. eod. tit. in VI.*

(4) Ex Constantini Imp. *l. quamvis 30. C. ad legem Iuliam de adulteriis.* Hoc autem in Regno regia Pragmatica, quam die 21. Iulii 1731. Prorex Comes de Harrach promulgavit, sancitum est, ne in *stupri, et adulterii* causis procedatur *ex officio*, nec ad quemlibet iudicii actum sine partis offensae querela. Regens de Rosa in *pr. crim. cap. 1. num. 61.* negat aliis etiam consanguineis, nisi vir primum accusaverit, accusandae adulterae libertatem. Vix ubi notorium, et mali exempli fuerit adulterium, locum obtinet fiscalis accusatio ex rebus iudicatis apud Grammatic. *dec. 3. num. 7.*, quemadmodum et ubi suum vir coniugium lenocinio, et turpi quaestu foedaverit, *l. 2. § lenocinii D. eod. tit. et l. 2. C. eodem.* Permittenti enim vel dissimulanti viro scelestam uxoris libidinem ius accusandi eam amplius non esse Rex Rogerius edixit in regni *const. qui coram se.* Praeterea Romani iamdudum Imp. in *l. si ea 22. Cod. ad leg. Iul. de adult.* rescripserant cessare in ea *adulterii crimen*, quae *venalem formam* exhibuit: videlicet conscio, ut praesumitur, viro. Aliter ex Ulpiani sententia *et in ea uxore potest maritus adulterium vindicare, quae vulgaris fuerit, l. si uxore 13. §. sed et in ea D. ad leg. Iul. de adult.* quae nimirum se viro inscio, aut reluctante prostituerit.

(5) Ulp. in *l. omnia 1. §. quies 12. D. de officio Praefecti urbis* ad Praefecturam Urbis omnia omnino crimina, quae intra urbem admitterentur, coercenda pertinere tradens, *debet etiam*, ait, *dispositos milites*, stationarios *habere* Praefectus Urbi *ad tuendam popularium quietem, et ad* referendum *sibi, quod in urbe agatur.* Eos rescriptum Pii *Irenarchas* appellat in *l. divus Hadrianus 6. D. de cust., et exhib. reorum.* Munus eorumdem exponit Imp. Constantius in *l. 1. C. de curiosis, et stationariis*, ibique Gothofredus.

(6) Matthaei *cap. 18. vers. 15., et 17.* Innoc. III. in *cap. novit illa 13. de*

X. Ut accusatorem (1), ita denunciantem ad delata crimina probandum obstrinxerunt antiquae leges quum civiles (2), tum ecclesiasticae (3), quae utrumque in probationibus necessariis deficientem poenis legitimis, et canonicis obnoxium iuxta voluere (4), simul et mu-

iudiciis. Idemque in Conc. Lateran. IV. *cap. qualiter 24. de accusat.* haec habet: *Sicut accusationem legitima debet praecedere inscriptio, sic et* denunciationem *charitativa* monitio, *et inquisitionem clamosa insinuatio praevenire.* Haec ipsa verba rescripsit idem Pontifex in *cap. licet Heli 31. de simonia.* Nihil moror apocryphas apud Gratianum epistolas huc spectantes, alteram Anacleti ad Episcopos Italiae in *can. accusatio 15. §. ult. C. 2. qu. 7.*, alteram Alexandri in *seq. can. si quis erga Episcopum, vel actores Ecclesiae 16. ead. C. et qu.* Prior haec habet: *Si quis adversus eos* (Episcopos) *commotus fuerit, aut caussas habuerit, prius ad eos recurrat charitatis studio, ut familiari colloquio commoniti ea sanent, quae sananda sunt, et charitative emendent, quae iuste emendanda agnoverint. Si autem aliqui eos, priusquam hoc egerint, lacerare, accusare, aut infectare praesumpserint, excommunicentur.* In eumdem sensum conspirant verba Alexandro supposita. Alia eiusdem furfuris pseudo-Isidoriani epistolam Felicis Papae habet Decretalium textus in *cap. haec sunt 2. de accusationibus*, ita conceptam: *Si quis Episcopus ab illis accusatoribus, qui recipiendi sunt, fuerit accusatus*, postquam *ipse ab eis* charitative *conventus fuerit, ut ipse caussam emendare debeat, et eam corrigere noluerit... ad summos Primates caussa eius canonice deferatur.* Quum abnormi sententiae de non accusandis ante correctionem evangelicam Episcopis nullum addant momentum tres eiusmodi epistolae ante-Siricianae: eam conciliare cum legitimo accusandi arbitrio frustra collaborant Interpretes cum Emm. Gonzalez in *cit. cap. haec sunt 2. de accusat.*

(1) Ulp. in *l. si cui crimen 7. D. de accusat.* Honor., et Theod. in *l. accusationis ordinem ult. C. eod. tit. l. ult. C. de probat.* Consonant canones apud Gratianum *C. 2. q. 3.*

(2) Pius Imp. *sub edicto proposuit*, *ut* irenarchae, *cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis, et receptatoribus, et interrogationes litteri-inclusas, atque obsignatas cognitionem magistratus mittant. Igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi sunt... si quid maligne interrogasse* irenarchen, *aut non dicta retulisse pro dictis eum compererit, ut vindicet in exemplum, ne quid et aliud postea tale facere moliatur*, tradit Marcianus in *l. divus Hadrianus 6. D. de custodia, et exhibit. reor.* Tum Imp. Constantius; *curiosi, et stationarii*, ait, *vel quicumque funguntur hoc munere, crimina iudicibus nuncianda meminerint, et sibi necessitatem probationis incumbere, nec citra periculum sui, si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit: cesset ergo prava consuetudo, per quam carceri aliquos immittebant, l. 1. C. de curiosis, et stationariis.*

(3) S. Augustinus, *plerumque boni viri*, ait, *propterea sufferunt aliorum peccata, et tacent, quia saepe deferuntur publicis documentis, quibus ea, quae ipsi sciunt, iudicibus probare non possunt, can. plerumque 27. C. 2. qu. 7.* Haec sancti Doctoris verba denunciantem non minus, quam accusatorem spectant. *Quia iuxta canonicas Patrum sententias*, S. Gregorius M. inquit in *can. quia 3. C. 5. q. 6., qui calumniam illatam non probat, poenam debet incurrere, quam, si probasset, reus utique sustineret... non est mirum, quod obiecit, dum probare non sufficit, si corporali infamiae, quemadmodum laicus, ex Iuris similitudine subiugatur.*

(4) Apud Quirites ex Senatusconsulto Turpiliano puniri calumniatores, praevaricantes, ac tergiversantes, frontemque speciatim calumniatoribus ex lege Remnia inuri tradit Marcianus iureconsultus in *l. 1. §. 2. D. ad Sen. Cons.*

nicipales huius Regni constitutiones (1). At mos adhuc vigens arbitrio iudicum puniendos calumniatores relinquit pro qualitate rei, et personarum conditionibus (2). Istumque potius probasse, quam infirmasse videtur novissima Regis Caroli Pragmatica (3), dum mulieres tantum stupri delatrices iussit sub custodia vel carceris, vel domus honestae detinendas, usque ad exitum causae, poenam subituras legitimam, quoties ipsarum calumnia delegatur.

XI. Vetustus autem ritus accusationes *inscribendi* (4) adhuc perdu-

Turpilian. Senatusconsulto poenam quinque librarum auri statutam in desistentes ab accusatione publica, tradit Macer iureconsultus in *l. praevaricationis 3. in fine D. de praevaricatione. Quid* autem *de eo fiet, sive privato iudicio, sive publico praevaricatus sit, hoc est prodiderit causam? hic extra ordinem solet puniri*, ait Ulpianus in *l. praevaricator 1. in fine C. eodem.* Tum *infamis erit*, ex Marci textu in *l. si iis 4. D. eodem*, et *eadem poena adficiantur, qua tenerentur, si ipsi in legem commisissent, qua reus praevaricationem absolutus est*, ex rescripto Imperatoris addit Paulus in *l. ab Imperatore nostro 4. D. eodem.* Langobardorum lex 40. solidis mulctavit desistentes ab accusatione, ex *gl. in can. siquidem 8. C. 2 qu. 3. verb. legibus.* In eosdem poenas canonicas, et censuras, et infamiam sancitas ab Hadriano, S. Greg. M. Synodo VIII., Synodis etiam Eliberitana, et Agathensi fert Gratianus in *can. 1. usque ad 8., et ult. C. 5. qu. 6.* tum etiam in *can. 3. 6. et 7. C. 2. qu. 3.* ut silcam apocryphas decretales Gaii, Damasi, et Fabiani in *can. 1. 2., et 5. ibidem.* Idemque in fine *C. 2. qu. 3.* docet eum *calumniari*, qui falsa crimina intendit, *praevaricari*, qui vera crimina abscondit colludens cum reo, eumque varicando adiuvans; *tergiversari*, qui ab accusatione desistit.

(1) Friderici Imp. Novella, seu regni *const. praesenti lege* sub tit. *de prohibita officialium accusat.* iussit, nec denunciantes, neque accusatores fore ad iudicium admittendos, nisi delationem criminum ante subscripsissent, ut ii promeritas luerent poenas, vel prodita calumnia, vel ubi causam deseruissent. Idemque Imp. in alia *const. accusatorum temeritatem de desistentib. ab accusat.* mulctandum iussit accusatorem, condicto die non comparentem, contumacemque ante litem contestatam, sexta bonorum mobilium parte Fisco vindicanda ultra expensas accusato reficiendas, tertia post contestatam. Pertinacem insuper in contumacia centum augustalibus, *in const. accusatorem tit. de accusatore post lit. contest. publice non comparente.* Calumniatores tandem talionis poenae obnoxios voluit, ideoque ad accusationem antea subscribendam compelli, in *const. poenam calumniae tit. de poena calumn.* Ritus etiam M. C. Vic. *de desistentibus etc.*, ut accusatores ante contestationem litis desistentes tarenis sex, postea tarenis duodecim mulctarentur, edixit. Aliusque Ritus sub tit. *non recipitur denunciatio absque obligatione* etc. servari tunc in ipsa M. Curia V. non recipere denunciationem aliquam, nisi denuncians se obliget ad certam poenam de probando ipsam denunciationem, et non concordari cum denunciatio sine licentia Curiae.

(2) Poenas eiusmodi priscis constitutionibus, et legibus sancitas iamdiu ab aula recessisse, tradit duobus abhinc saeculis Petrus Follerius in *prax. crim.* in *fragm. num. 147.*, nec nostro etiam aevo servari monet Greg. Grimaldus *to. 2. hist. leg., et magistrat. Regni Neap. lib. 8. num. 51., et lib. 9. num. 12, et 13.*, addens suo iudices arbitrio uti rarissime in deficientes criminum delatores, hos ne ipsi a querelis, et denunciationibus deterreant.

(3) Pragm. 1738. *§. 6. num. 9.*

(4) Ad *inscriptionem*, *et subscriptionem* coactos accusatores fuisse Romanis legibus, tradunt Paullus in *l. libellorum 3.*, et Ulpianus in *l. si cui 7. D. de accusat. et inscript.* Ipsamet accusatio in scripturam redacta *inscriptio* diceba-

rat in Curiis nostris utriusque fori. Romanis quidem legibus consueverunt singuli accusatores cavere delatum crimen sese plene probaturos, et perseveraturos in iudicio, usque ad sententiam sub poena talionis, illius nempe supplicii, quod subire convictus reus deberet (1). Nunc praetermissa eiusmodi cautione (2) privatus quisque querelans, vel denunciator in iudicio debet se sistere in primis, tam si libello antea scripto, quam si oretenus absque libello reum criminis detulerit, ut rite interrogatus coram iudice suam criminis delationem ore proprio repetat, et ratam habeat, eamque in scriptis ab actuario instar depositionis redactam *subscribat* manu sua, vel signo Crucis ignarus scribendi obfirmet (3). Interroganti autem iudici, an delator ipse intendat in reum querelam, seu accusationem agere? accusator, et querelans affirmate respondet, denuncians vero negat. Inde fit, ut suo functus officio denuncians nullum subire onus probandi adigatur: querelans vero secus, quem idcirco in singulis iudicii actis citari, et audiri oportet, data per eum cautione reficiendi expensas litis parti adversae, is ubi succubuerit (4). Sed minister Fiscalis nullam dat cautionem.

tur, *subscriptio* autem approbatio eorum, quae inscriptione continerentur, uti observat Gothofredus in *cit. l. si cui 7.* verb. *subscriptio*. Quaerens Gratianus *Causa 2. qu. 8.*, quomodo fieri accusatio debeat, scripto ne, an sine scripto? quatuor apocryphas decretales profert inter sese pugnantes. Videlicet S. Callixti *can. 1.*, S. Euthychiani *can. 3.*, et Xysti III. *can. 4.*, tres una adstruentes necessitatem scripturae secundum canones in accusationibus: et aliam S. Stephani P. et m. *can. 5.*, *et ult.*, quae reum in iudicio praesentem voce accusatoris, non scripto accusandum disponit. Eas mox conciliaturus ait Stephanum prohibuisse, ne quem absens per epistolam accusaret, Callixtum cum aliis iussisse, ut accusator in reum praesentem iudici scriptum accusationis libellum offerret, suaque inde voce libellum recitaret.

(1) Ex *cit. l. ab Imperatore nostro 4. D. de praevaricatione. Cavent itaque singuli, quod crimen obliciant, et propterea perseveraturos se in crimine usque ad sententiam*, Ulpianus ait in *l. si cui crimen 7. §. 1. D. de accusat. Quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei indicet, vinculum* inscriptionis *arripiat, custodiae similitudinem* (*habita tamen dignitatis aestimatione*) *patiatur*: *nec impunitam fore noverit licentiam mentiendi, quum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii*, rescripsere ad Consules, Praetores, Tribunos plebis, et Senatum Honorius, et Theodosius in *l. accusatoris ordinem ult. C. eod. tit.* Antoninus Imp. *custodiae similitudinem* cautione, vel fideiussoria, vel iuratoria exhiberi sat innuit in *l. si cautiones 2. C. de his, qui accusare non possint.* Veram at custodiam mulieris de stupro querelantis Rex Carolus iussit in Pragm. *an. 1738. §. 6. num. 9.*, quam paulo ante memoravi.

(2) Cautionem subeundi poenam talionis dudum exolevisse in hodiernis accusationibus, et querelis, testantur Ferrariensis in *form. inquisitionis cap. 52. num. 1.*, et Iulius Clarus *5. sent. §. ult. qu. 12.*

(3) Iul. Clar. in *prax. crimen. §. fin. qu. 10.* vers. *scias autem*, Car. Pellegrin. in *prax. Vicarior. crim. par. 4. sect. 3. num. 95.*

(4) Car. Ant. de Rosa in fine *prax. crimin. in formularii complem. num. 5.*, *et 6.*

*

TIT. III.

De informatione criminali.

I. Delati criminis informationem in primis iudex decernit, audito Fisco, capiendam, citationemque testium.

II. Caussam ipsam, qua de agitur, litterae citatoriae debent laicis tantum testibus aperire in foro ecclesiastico ex regio rescripto anni 1746.

III. Testes citatos ad veritatem deponendam cogi leges, et canones indulgent: nonnullis exceptis, qui non coguntur inviti.

IV. Censuris tantum spiritalibus in foro sacro compelluntur laici ad testificandum. Clericis autem in fori laici caussis criminalibus vetant canones testificari.

V. Testes quisque iudicum per sese, quoad poterit, non per alium examinare sedulo studeat.

VI. Eoque secreto interroget coram uno tantum actuario eorum dicta scripturo: in caussis fidei duos insimul viros praesentes admittat, ignaros patrii sermonis examinans tunc duos adhibeat interpretes.

VII. Singuli ut iuramentum praestent, in primis curet, exceptis impuberibus: inimicos reorum, et quomodolibet suspectos non audiat, nisi aliis omnino deficientibus.

§. I. *De delicto in genere.*

VIII. Quod crimen, et quis patraverit haec duo generatim, et speciatim debet informatio criminalis eliquare.

IX. Nisi plena pateat probatio criminis in genere, nullus fere locus erit puniendo reo etiam confesso.

X. Genus autem criminis duplex est, permanens unum, et alterum transiens. Si vestigium criminosum permaneat ex. gr. ex homicidio, vulnere, aliove malefacto, illud iudex cum duobus peritis debet in primis inspicere, vel inspiciendum idoneis personis mandare.

De Informatione criminali.

XI. In Ecclesia, locove immuni si extiterit, laicus etiam iudex, petita ab ecclesiastico Superiore licentia, inspiciet, ex. gr. cadaver occisi, aut res furtivas. Has in monasteriis virginum iubeat monialibus Episcopus extra claustra inspiciendas iudici laico exhibere cum protestatione, quod non intendat in poenam sanguinis concurrere.

XII. Visum, et repertum criminis genus, et vestigium in actis describat actuarius, simul et peritorum testimonia.

XIII. Criminosa eiusmodi vestigia ubi deleverit omnino, vel cela-

verit reorum calliditas, per indicia, quoad fieri possit, coniecturalis, et indirecta fiat eorum probatio.

XIV. Quae ad poenam extraordinariam ordinaria mitiorem saltem proficiet.

XV. Quoties nulla supersint criminis vestigia, ut contingit in contumeliis, minis, blasphemiis, maechia, ceteris id genus, tunc locus eo magis erit coniecturali, atque indirectae probationi.

XVI. Adiuncta insuper crimen gravius efficientia sunt curate comprobanda, ut poenam subeat reus acerbiorem.

§. II. *De speciali probatione in reum convincendum.*

XVII. Genus criminis visum, et repertum, vel coniecturis iudicatum quis ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando patraverit, speciatim iudex debet ex ore testium aptis interrogationibus inquirere.

XVIII. Praeterea causam scientiae, famam, credulitatem, cetera rerum adiuncta scrutetur, et conscribat.

XIX. Suggestionem vero studeat interrogans vitare.

XX. Quidquid testes dixerint, sive contra reum, sive pro illo, proba fide conscribendum in actis est.

XXI. In causa perscrutanda impulsionem simul, et ratiocinationem delinquentis discernat.

§. III. *De probatione plena semiplena et coniecturali.*

XXII. Tres probationis species, plenae, semiplenae, et coniecturalis diversam vim habent.

XXIII. Plenam faciunt probationem duo, vel tres contestes omni exceptione maiores, semiplenam unus.

XXIV. Personales exceptiones, et vitiosa testimonia saepe testium fidem imminuunt, aliunde coadiuvandam.

XXV. Ubi singularia plures testes dixerint singulatim diversa invicem repugnantia, nullam tunc fidem promerentur: ea vero sibi non adversantia si coniungi perinde valeant, ac unius corporis partes dissitae, seque mutuo adminiculentur, plenam adstruunt probationem.

XXVI. Testibus deficientibus, occultos reos detegunt indicia manifesta, et urgentissima seu indubitata.

XXVII. Vehementia, et urgentia quoque indicia si plura cumulentur, semiplenam fere probationem inducunt: singula non prosunt, quemadmodum nec levia, quamvis plura.

XXVIII. Cuncta in reos indicia ex causa delinquendi, ex persona, ex facto ipso profluunt.

XXIX. Rivalitas, et zelotypia orta ex flagranti rivalis amore scientis, et aegreferentis gaudium alterius probat semiplene, atque ad torturam sufficit: alias non.

XXX. Quemadmodum et hostiles minae illius, qui sueverit, potuerit, et voluerit eas omnino exequi.

XXXI. Pariter patefacta inimicitia cum recordatione acceptae iniuriae, ira vehementi, et pertinacia ulciscendi.

XXXII. Ad caussam antecedentem, seu impulsionem pertinent ista indicia. Ad caussam vero finalem, seu ratiocinationem cetera deliberati animi, pravique consilii signa exteriora.

XXXIII. Coniecturas ex persona profluentes inferunt prava indoles, scelesti parentis, vel educatoris mores, habitudo corporis, vel animi ad malum prona, conditio improba, et victus; levia singulatim indicia, coniunctim urgentia.

XXXIV. Ex facto ipso ea desumuntur indicia, quae res male gestas ante, vel post crimen, vel in ipso criminis actu ostendunt.

XXXV. Apta patrando crimini arma, instrumenta, auxilia, consilia, cetera visu facilia solent ante conquiri, et praeparari.

XXXVI. In eodem criminis actu non semel concurrunt sonus armorum, clamor percussi, aut patientis vim, aggressoris, vox reboans, vel umbra, silentium praesentis correi.

XXXVII. Post crimen produnt reum facies rubefacta, vel pallida, titubans lingua, et pes, corpus trepidum.

XXXVIII. Fuga insuper spontanea, latitatio, et confugium in Ecclesia.

XXXIX. Gladius item cruentus, vestis sanguine madefacta, res furtiva a suspecto reo detenta.

XL. Fama publica a probis, et certis personis orta.

LXI. Confessio extra iudicium.

LXII. Nominatio percussi decumbentis percussorem indicans.

LXIII. Praeterea sicuti partus innuptae praeteritum stuprum, et coniugatae post annalem viri absentiam certo adulterium indicat, ita opes cito adcumulatae pariunt suspicionem furti atrocissimam.

XLIV. Singula eiusmodi indicia, nisi plene per duos, pluresve idoneos contestes comprobantur, simul uniri ad perficiendam legitimam probationem ratio non patitur. Perfecta porro bene coniuncta prosunt ad rei damnationem, imperfecta quamvis plura nequaquam.

XLV. Semiplenae hinc duae probationes possunt in unam plenam coalescere, ac poenae saltem extraordinariae locum dare.

I. Visa criminis delatione, iudex protinus decernit, *quod super expositis capiatur informatio, audito Fisco* (1). Tum continuo testes

(1) *Antequam scruteris, ne reprehendas: intellige prius, et tunc increpa*, inquit sacer textus Ecclesiastici *cap. 11. vers. 7., et 8.*, quem recitat S. Damasus in *can. eorum, qui accusantur 76. C. 11. qu. 3. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*, Apostolus ait 1. *ad Timoth. cap. 5. vers. 19.*, cuiusmodi auctoritatem secutus est Xystus II. ad Episcopos Hispaniae rescribens in *can. accusatio 19. C. 2. qu. 7.* B. Gregorius M. ad Ioannem Episc. Panormit. scribens in *can. si quid vero 23. dist.*

citari iubet a delatore nominatos, ut primo die post peractam citationem, aliisque subsequentibus diebus peremptorie comparent in ea Curia, vel domo specialim designanda, testimonium veritatis dicturi, atque ad interrogata responsuri, sub poena tot unciarum auri Fisco applicanda, aliisve arbitrariis in foro laico, aut excommunicationis in foro ecclesiastico.

II. Caussam, scilicet speciem criminis, reumque delatum in citatoriis eiusmodi litteris omnino reticere utrique iudices quum sacri, tum profani consueverunt, ne ansam reis praebeant seducendi, subornandique testes. Regio autem rescripto ad S. Officii Deputatos equites dato die 29. Decembris 1749. Rex Carolus iussit, ut in cunctis ecclesiastici fori citationibus specialis causa criminis, qua de agitur, patefiat, quoties laici testes in ius vocentur (1). Quod vero ad citationes testium clericorum, nil novavit.

III. Citatorum si quis testium contumax adire citantem iudicem contempserit, aut praesens celaverit interroganti ea, quorum conscius ipse videatur ex vicinia loci (2), aut familiaritate, contuberniove cum reo iam suspicioso, vel studeat mendaciis veritatem contegere, ut poenis tunc indictis ad ferendum testimonium compellatur, quum leges (3),

86., si quid vero, ait, *de quocumque clerico ad aures tuas pervenerit, quod te iuste possit offendere, facile non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita: sed praesentibus senioribus Ecclesiae tuae diligenter est veritas perscrutanda: et tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis.* Pragm. *39. de off. Mag. Iust.* an. 1576. speciatim imperat in omnibus caussis criminalibus esse Fisci advocatum audiendum, earumque singulis actis, et decretis: ubi definit multas ea de re controversias inter M. C. V. Iudices, et Fisci patronum. Tum sequens Pragm. 40. §. 2., advocato etiam fiscali auctoritatem largitur exequendi decreta, et provisiones M. C., quae ad suum pertinent officium. Alia vero Pragm. 43. §. 4. *eod. tit.* advocatis, et procuratoribus fiscalibus Regiarium Audientiarum iubet, ut certiorem faciant Adv. Fisc. M. C. V. de iis omnibus, quae ad regia iura tuenda pertinent.

(1) En verba rescripti: *Che in tutte le citazioni da farsi tanto per le cause di fede, quanto per qualsivoglia altra causa ordinaria così di rei principali ecclesiastici, o laici, come de' soli testimonii laici debba la menzionata Curia Arcivescovile esprimere la causa specifica del delitto, per la quale siensi spedite le dette citazioni.*

(2) *Latere in vicino non potuit, quod ad nos in longinquo pervenit* S. Gregorius ait in *cap. quanto 8. de praesumpt.*

(3) *In criminibus eruendis quaestio adhiberi solet... non esse a tormentis incipiendum Augustus constituit...* sed ex epistola Hadriani. . . *ad tormenta servorum ita demum veniri oportet, cum suspectus est reus, et aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio servorum deesse videatur*, Ulpianus docet in *l. in criminibus 1. D. de quaestionibus.* Ex Callistrati sententia, *ex libero homine pro testimonio non vacillante quaestionem haberi non oportet, l. ex libero 15. D. eodem* Paullus commonet, quod *testes torquendi non sunt, convincendi mendacii, aut veritatis gratia: nisi quum facto interve. nisse dicuntur, l. unius 18. §. testes 3. eodem.* Iustinianus demum *Nov. 90. cap. 3. in fin. in criminalibus enim*, ait, *in quibus de magnis est periculum, omnibus modis apud iudices praesentari testes, et quae sunt eis cognita edocere: ubi et tormentorum forsan erit opus, et aliis omnibus observationibus.*

tum canones indulgent (1). Cui enim reos incumbit in criminali iudicio rite convincere, ut ne impunes evadant; is habeat necessum est potestatem in eos conquirendi testimonia, invitosque testes vi etiam publica, ubi opus erit, adigere ad eructandam, quam sciant veritatem. Ut porro succum e baccis, vel asperrimis torcular, sic veritas ex perfidorum testium linguis obduratis, et conclusis pressura iudicis exprimit (2). Inviti at non coguntur testimonium dicere in socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrinoque natum, in libertum, eiusque liberos, et vicissim in patronum, et filios, utrumque parentem, virum, uxorem (3): senes quoque valetudinarii, milites, absentes causa reipublicae, impedimento legitimo detenti, publicani, pupilli (4).

IV. Laicos testes in foro ecclesiastico censuris tantum compelli, perinde in civilibus, atque in criminalibus caussis, palam est ex legibus alibi memoratis, receptisque moribus (5). An vero clerici debeant coram laico iudice in laicos testificari in caussis criminalibus, eisque teneatur Episcopus licentiam testificandi concedere, sunt qui adhuc dubitant. Antiqui hac in re canones videntur discrepare (6): lex civilis Episcopos tantum, non alios presbyteros, clericosque a necessariis te-

(1) Ex *tit.* Decretalium *de testibus cogendis.* Cave, ne putes ab Honorio III. in *cap. dilectorum 10. de testibus cogendis* vetitam in criminalibus compulsionem testium, dum inquit: *testes, qui fuerint nominati, praeterquam super* criminibus, *si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam* cogatis *veritati testimonium perhibere.* Posthabitis variantibus interpretum opinionibus, integram Honorii epistolam intuitus apud Innocentium Cironium *in collect. 5.* Decretal. *cap. 2. eod. tit.* aio inde satis liquere, quod Pontifex in causa civili conventionis, et reconventionis inter Episcopum, et Capitulum Vulteranum rescribens Apostolicis delegatis mandaverit, ne testes hinc, et hinc nominatos interrogarent, nec cogerent ad ferendum testimonium super criminibus in ea caussa civili obiectis, ad eamque nil pertinentibus. Nam iura nullum dant locum criminali reconventioni, ex supradictis *lib. III. tit. VI. quibus in caussis clerici num. XII.*

(2) Tullius in *Topica* ad Trebatium *num. 40., et 44. verberibus*, ait, *tormentis, igne fatigati, quae dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere*; *et quae a perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem, et fidem.* Contra ea mox addit *num. 44. Saepe etiam quaestionibus resistendum est, quod et dolorem fugientes multi in tormentis ementiti, persaepe sunt, morique maluerunt falsum fatendo, quam infeciando dolere.* Idcirco aequus, et bonus iudex quos verosimiliter inscios aestimaverit quaesitarum rerum, eos nulla vexabit molestia, ne aquam ipse videatur ab arido pumice postulare.

(3) Ex Paullo in *l. lege Iulia 4. D. de testibus, can. si testes 3. C. 4. q. 2.*

(4) Scevola in *l. inviti 8.*, et Ulpian. *l. 15. De eodem.*

(5) Videsis dicta *lib. III. tit. XV. de ord. pr. civ. n. XXXII.* Ad proregem Alcalensium Ducem Philippus II. rescripsit die 28. Decembris 1561. non esse iudices ecclesiasticos impediendos, quominus ii laicos testes contumaces ad testimonium veritatis proferendum in caussis ecclesiasticis excommunicatione compellant, apud Marc. Ant. Genuens. *prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 10. num. 1.*

(6) Synodus Romana sub S. Sylvestro an. 315. in *can. testimonium 9. C. 11. qu. 1.* fertur ita decrevisse: *testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat:*

stificationibus eximit (1). Ritus 144. M. C. Vicariae statuit clericos fore in caussis dumtaxat civilibus, praevia dioecesani Episcopi licentia, ad testificandum in ea ipsa Curia audiendos, in criminalibus nequaquam. Stylus inde invaluit, quod Episcopi, locorumque Ordinarii licentiam, quoties haec postuletur, indulgeant clericis, ac sacerdotibus perhibendi veritatis testimonium in foro laico hac sub conditione, *dummodo non deponant super articulis continentibus repulsam, infamiam, aut criminalitatem* (2).

V. Ut per sese iudex aptis interrogationibus ex ore testium eruat veritatem, ipsa recte iudicandi necessitas postulat (3). *Namque plurimum in excutienda veritate etiam vox ipsa interrogati, et cognitoris subtilis diligentia adfert: nam et ex sermone, et ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret, vel cuius existimationis quisque in civitate sua est, quaedam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt*, Iureconsultus ait (4). *Eum* porro, *qui iudicat, magis posse scire quanta fides habenda sit testibus*, Hadrianus rescripsit (5), addens: *testimoniis apud me locus non est*; *nam*

nemo enim clericum quemlibet in publico examinare praesumat, nisi in Ecclesia. Sed Baronius ad *an. 315. num. 12., et seq.* suspectam huiusce Synodi auctoritatem habens monumenta ipsius ad nos corrupta pervenisse commonstrat, quamvis eam collaudaverint Hadrianus Papa in *ep. ad Carolum M.*, et Gelasius in *can. sancta Romana 3. vers. item actus Sylvestri dist. 15.* in Synodo Carthagin. V. an. 398., *can. statutum est 38. C. 11., qu. 6*, cautum, ut *nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cuiuslibet persona pulsetur.* At Synodus Romana sub Eugenio II. an. 826., in *can. quamquam 2. C. 14. q. 2.*, in omnibus generatim caussis fori laici testimonia clericorum arbitrio Episcopi permittenda censuit. *Quamquam sacerdotum testimonium*, inquit, *credibilius habeatur, tamen ipsi in saecularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si tamen eventu aliquo caussae interfuerint, et aliquid viderint, vel audierint, ubi nullae idoneae saecularium inveniantur personae, ne veritas occultetur, et manus ut bonus aestimetur, in providentia proprii Episcopi sit, ut aut coram se, et competentibus iudicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant.*

(1) Theodosius Imp. in *l. 7. C. de Episc., et cleric.* quam Gratianus habet post *cit. can. testimonium*, rescripsit Episcopum flagitari ad ferendum testimonium nec honore, nec legibus posse: *nam, et persona dehonoratur*, ait, *et dignitas sacerdotis excepta confunditur.* Inferiores autem presbyteros, et clericos eximere a testificationibus noluit idemmet Imp. in *l. 8. C. eod. tit.* apud Gratianum post *can. 3. C. 5. qu. 6*: *Presbyteri*, ait, *citra iniuriam quaestionis testimonium dicant, ita tamen, ut falsa non simulent. Ceteri vero clerici, qui eorum deinde gradum, et ordinem sequuntur, si ad testimonium dicendum petiti fuerint, prout leges praecipiunt, audiantur: ut salva tamen sit litigatoribus falsi actio.*

(2) Car. Pellegrin. in *prax. Vicarior. par. 4. sect. 5. num. 6.* hinc tenet clericos cogi non posse ad testificandum in caussa criminali, praesertim sanguinis.

(3) *L. 3. §. 1., et 2. D. de testibus, cap. cum oporteat 19. de accusation.*

(4) Arcadius Carisius in *l. de minore 10. §. 5. D. de quaestionibus.*

(5) Teste Callistrato in *cit. l. 3. D. de testibus.* Idipsum rescripsit Innocentius III, in *cap. tua nos 8. de cohabit. clericor.* Quod testes non per scriptu-

ipsos testes interrogare soleo : alia porro est auctoritas praesentium testium , alia testimoniorum , quae recitari solent. Iure hinc merito Rex Carolus iussit , ut ipsimet iudices per sese , quoad fieri possit , non per notarios, et scribas, venalis plerumque fidei, testes interrogent, ac diligenter examinent in caussis, praesertim homicidii , aliorumque pravi exempli criminum , eorumque depositiones inde subscribant, nullum laboris , aut sportulae emolumentum accepturi , quoties in Civitate suam examinandis testibus operam navant (1). Vix ergo longinquitate locorum , negotiis gravioribus , aliisque obstaculis impediti iudices informationem capiendam , et examen testium probo alicui viro , vel actuario inculpate mandant cum necessaria facultate citandi, et compellendi testes (2).

VI. In caussis fidei depositiones testium fore coram duobus religiosis, et discretis personis, aut idoneis viris accipiendas , ab iisque simul subscribendas , constituit Clemens IV (3) : *quia in tam gravi crimine* , ait, *cum multa oportet cautela procedi.* In ceteris autem informationibus criminum singulos testes, amotis arbitris, et secreto debet iudex interrogare , et quidquid responderint , continuo dictare praesenti solum actuario : nisi contigerit ignaros patrii sermonis examinare , puta Anglos , Gallos , aliosve alienigenas. Tunc enim praesentia, et ope duorum interpretum eos ut interroget , audiatque necesse est (4).

VII. *Qui veritatem caussae scire possunt . . . tactis sacrosanctis Evangeliis , praebito etiam legaliter saeramento , quae in veritate rerum noverunt , professione suae testificationis aperiant* , Pelagius rescripsit (5). Impuberes ante decimum quartum aetatis annum non esse ad testimonium admittendos decrevit Concilium Carthaginense VII. (6): quum pueris deferri iuramentum canones, et leges prohibeant (7). Quia nihilominus *ex ore infantium , et lactentium* quoque perficit Deus laudem suam contra inimicos suos (8) : pueros etiam septennio

ram absentes proferre testimonium, sed praesentes dicere quae noverunt debeant , Callixtus Papa rescripsisse ad Episcopos Galliae fertur in *can. testes 15. C. 3. qu. 9.* At ex officina pseudo-Isidori prodivit haec epistola.

(1) Pragm. 14. Martii 1738. §. *6. art. 7.*

(2) Quae vero testes dixerint , integra sine ulla deminutione ut scribantur , cautum est Pragm. *6. de actuariis*, et Pragm. 4. §. 4., et Pragm. 19 §. *8. de off. Mag. Iust.* etiamsi contra Fiscum , inquisito faveant , sub poena falsi , ex Pragm. 27. § 5o. *de off. Mag. Iust.*, et Pragm. 37. §. 28. *eod. tit.*

(3) Clemens IV. ad Inquisitores haereticae pravitatis in *cap. ut officium 11. § verum de haereticis in VI.* Id ab Episcopo etiam in caussis eiusmodi observandum commonet Pegna *par. 3. directorii Inquisit. qu. 63* , et Genuensis in *prax. Cur. Arch. Neap. cap. 84. num. 1.*

(4) Reg. de Rosa in *prax. crim. ad formul. complem. num. 12., et 13.*

(5) Pelagius Decorato patricio in *can. hortamur 20. C. 3. qu. 9.*

(6) Conc. Carth. VII. in *can. testes 1. C. 4. qu. 2.*

(7) *Can. parvuli 14., et can. pueri 15. C. 22. qu. 5,* Ulpian. in *l. videamus 4. D. de in litem iurando.*

(8) *Psalm. 8. vers. 3.* Ad rem Cicero *or. pro Cluentio* inquit: *An ad Stratonem suspicio furti non pertinuit? At is et ex serrula insimulatus, et a puero conscio est indicatus.*

minores absque iuramento consueverunt sagaces iudices percontrari, eorumque dicta redigere in scriptum ad formam *actus*, aiunt nostri, quod nullo puerorum charactere, signove obfirmatum subscribat actuarius tantum (1), aliquod rerum gestarum exinde sumpturi indicium. Quibus vero interdicitur testimonium, fidemque adimunt leges, inimici e domo accusatorum producti, aut aliunde suspecti, infames, criminosi, periuri, vacillantes, ceteri eiusdem furfuris procul a testificando generatim sint, nec ullatenus audiantur (2): nisi quum alia ad eruendam veritatem probatio deficit (3).

§. I. *De delicto in genere.*

VIII. Duo praecipua debet ad liquidum redigere informatio criminalis: in primis *delictum in genere*, ut aiunt pragmatici, seu corpus delicti, quodnam scilicet crimen sit reapse admissum, mox *delictum in specie*, quis nimirum illud patraverit.

IX. Plena, et exacta *criminis in genere* probatio est usque adeo necessaria, ut nullum, eo non probato, locum poenae dent leges in reum quamvis confessum (4). Ratio id naturalis commendat, exemplumque celeberrimum secundi hebraeorum Ducis Iosue, qui Achan furem pallei coccinei, siclorum argenti 200., et regulae aureae, per sortes a Domino indicatum in tribubus Israel, et confessum noluit ad supplicium lapidationis damnare, nisi postquam essent res furtivae in loco per ipsum reum detecto inventae, riteque recognitae (5). Hoc ipso iure Ulpianus respondit, *nisi constet aliquem esse occisum, non haberi de familia quaestionem: liquere igitur debet scelere interemptum, ut Senatusconsulto locus sit* (6). *Si quis* vero *hominem vivum falso confiteatur occidisse . . . hoc solum remittit actori, ne necesse habeat docere eum occidisse: ceterum* occisum *esse* hominem *a quocumque, oportet doceri* (7). *Hoc apertius est*, addit Paullus (8), *circa vulneratum hominem: nam si confessus sit vulnerasse, nec sit vulneratus, aestimationem cuius vulneris faciemus?* Pariter in crimine falsi *prius oportet esse aliquod testamentum, vel non iure*

(1) Ex traditis a Reg. de Rosa *loc. cit. n. 14.*

(2) Ex. *l. 1., 2., 6., et 24. D. de testibus*, Nov. 90., *can. 1., et seqq. C. 3. qu. 5.*

(3) Modestin. in *l. servi 7. D. de testibus.*

(4) *L. 1. §. item illud D. de Sen. Cons. Syll., et Claud. l. si quis legatum D. ad leg. Cornel. de falsis, l. inde Neratius 23. §. ult. D. ad leg. Aquil. l. hoc apertius 24. D. eod.*

(5) Iosue *cap. 7.*

(6) Ulp. in *cit. l. 1. §. item illud D. de senatusc. Syllan. et Claud.* Eo Senatusconsulto cautum, servos usque adeo debere vitam domini sui in discrimine positam defendere, ut qui ei auxilium ferre abstinuissent, propriam dominicae saluti anteponentes, ultimum ferrent supplicium, torturamque ad inquirendam indefensi domini necem.

(7) Idem in *cit. l. inde Neratius 23. §. ult. D. ad leg. Aquil.*

(8) Paull. in *cit. l. hoc apertius 24. D. eodem.*

factum, *ut Senatusconsulto locus sit,* ex Africani sententia (1). Nam probatissimo rerum ordini congruum putat Scaevola, *ut non ante iuris ratio, quam persona quaerenda sit* (2), ex. gr. vulnerata, vel occisa, perinde ac res falsa, vel furtiva. *Quocirca nec accusatio locum habebit*, rescripsit Innocentius III. (3), *cum non esset, quod posset legitime accusari.*

X. Duplex vero *genus* criminosum non abs re forenses distinguunt, *permanens* videlicet, ac *transiens*. Quae post sese patens oculis vestigium crimina relinquunt, sicuti homicidium, vulnus, mutilatio membrorum, contusio, ac livor ex percussione, recens virginis defloratio, falsitas instrumenti pecuniaeve, famosus libellus, fraudulentus cum signatis aleis ludus, furtum, vel rerum repertarum, vel fracta ianuae, aut arcae sera admissum, incendium, depopulatio agri, damnum corporeum, termini amotio, cetera eiusmodi; ea omnino postulant, ut iudex ipse cum actuario, et duobus saltem peritis conspiciat. Quoad res ferat, visitet ex gr. cadaver occisi, aut vulnera percussi, adscitis duobus, vel medicis, vel chirurgis, loca vulnerum, et qualitatem visitaturis, qui mox continuo aestimabunt, quonam ea instrumento inflicta, et an exinde mors necessaria obvenerit, vel proxima timeatur: aut signa ne letifera necis ex propinato veneno, an obscura, et dubia sint mortis naturalis. Vel ad intuendum corruptas seras, fractamque, sive arcam, sive ianuam querelantis furtum passi accedet cum expertis fabris. Vel traducta in locum iudicii madefacta sanguine vestimenta, et arma, plebeios leviter vulneratos, res furtivas, claves adulterinas, obsignatas aleas, cetera eiusmodi curabit coram sese, ut periti recognoscant. Quoties autem personae, ac sexus, aut loci, rerumve qualitates decoram iudicis praesentiam, operamque inde removeant: ocularem tunc inspectionem sufficiet peritis mandare obstetricibus (4), chirurgis, aliis ad rem idoneis.

XI. Et ubi contigerit criminosa corpora, et vestigia in Ecclesia, aliove immuni loco existere, puta occisi cadaver in Ecclesiam elatum, vel inibi sepultum, res furtivas, vel clam fraudato vectigale transvectas in Regularium virorum claustra: iudex tunc laicus ea inquirendi, extrahendique licentiam debet, sicuti lex Concordatorum iubet ante postulare ab Episcopo (5), seu ordinario Praelato eam intra urbem resi-

(1) African. in *cit. l. si quis legatum 6. D. ad leg. Cornel. de falsis*, *et de Senat. Cons. Liboniano.*

(2) Scaevola in *l. quidam referunt 14. D. de iur. codicillor.*

(3) Innoc. III. in *cap. ad dissolvendum 13. §. interloquendo de despensat. impuber. Quia primo debet* (ait glossa ibidem ver. *legitime*) *existere in rerum natura id, de quo agitur; nec ante iuris ratio, quam persona quaerenda est, nec potest dici verum, quod numquam fuit.*

(4) Honor. III. in *cap. causam matrimonii 14. de probat.*

(5) Quum Episcopi nedum ordinaria, sed delegata etiam potestate debeant ecclesiasticam tueri immunitatem, nullumque hac in re verbum Concordata faciant de Superioribus Regularium: licentiam idcirco perquirendi res criminum suspiciosas dare non ad Praelatos regulares, sed ad Episcopum Dioecesanum pertinet.

dente, in aliis vero locis a Vicario foraneo, vel quovis alio ecclesiastico Superiore. Eamque non adeptus celeriter, satis erit petiisse, ut valeat exinde sine ullo censurarum metu, exsoluta iam religione, cum armata quoque familia in locis immunibus perquirere, ac extrahere. Quinimmo locum specialem, in quo facienda perquisitio sit, indicare, ac patefacere non cogitur petens, ab ecclesiastico laicus veniam, ut ne iis, qui accessum iudicis praesentiant, ansa detur alio res transferendi in latebras asperiores, fraudemque faciendi, ac fucum iudicio saeculari (1). Ipso igitur iure compulsi Praesules ecclesiastici petitam debent licentiam sine mora largiri (praemissa tantum protestatione a Bonifacio VIII. praescripta (2), quod suo non intendant animo umquam concurrere ad poenam sanguinis), ut Curiarum saecularium ministri cum interventu ecclesiastici viri criminosa rerum genera perquirant in locis quum sacris, tum religiosis coenobitarum, atque inventa exin extrahant. Monasteria virginum dumtaxat, et mulierum Conservatoria lex ipsa Concordatorum an. 1741. ab hac excipit regula, vetans omnino laicis ingressum, et perquisitionem. At iuris publici ratio postulat, Episcopum dioecesa num ea ipsa Bonifacii VIII. protestatione ante posita debere, quotiescumque oportebit, sacris virginibus imperare, ut res crimine affectas, et suspiciosas, quae in earum coenobio sint, exhibeant Curiae saeculari et tradant (3).

XII. *Viso*, *et reperto*, ut aiunt genere, criminis, eiusque permanente vestigio, rem, ut gesta ea sit, describit primum actuarius, tum continuo peritorum testimonia et iudicia, et quidquid ii congruis interrogationibus responderint sese vidisse, ac aestimare de qualitatibus, caussis, instrumentis, effectibus, aliisque inspecti corporis indiciis: ad extremum suam subscribet depositionem quisque peritorum, simul et iudicis, et actuarii manu obfirmandam (4). Quantavis peritia, et probitas cuique sit, peritus unus instar, unius testis, quum non plenam in iudicio fidem obtineat (5): saltem duos opertet idcirco adsciscere ad perficiendam probationem criminis in genere in utroque foro ecclesiastico, et laico. Militares caussas tantum excipe: nam regia militum

(1) Concordata *cap. 2. art. 25.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. Praelatis 2. de homicidio in VI.*

(3) Quandoquidem Fisci patronus regiae Audientiae Lyciensis quum postulasset ab Episcopo Lyciensi decretum, quo moniales Monasterii S. Matthaei, et Conservatorii poenitentium adigerentur exhibere mantile, vestemque muliebrem, quia res furtivas, et suspiciose abditas, ad instruendum iudicium in fures: Episcopo id renuente recursum ad Regem habuit. Rex autem, audita consultatione Tribunalis Mixti die 2. Maii 1742., rescripsit commonendum Episcopum fore, ut petitam rerum furtivarum exhibitionem, traditionemque praeciperet monialibus, eamque ut implerent, omnimodis curaret, praevia protestatione, quam Concordata praecipiunt.

(4) Formulas istiusmodi actus, depositionumque peritorum tradunt Carolus Pellegrinus in *prax. crim. Vicarior. par. 4. sect. 1. num. 56.*, *et seq.* Dominicus Moro in *prax. crim.*

(5) Conc. Carthag. VII. in *can. placuit 6. qu. 2.*, *l. iurisiurandi 9. C. de testibus*, *cap. cum a nobis*, *et cap. licet eod. tit.*

statuta quum medico, tum chirurgo militiae in rebus ad suum ipsorum officium pertinentibus plenam dant fidem iure singulari, testisque singularis privilegium.

XIII. Criminosa eiusmodi vestigia si quando ita deleverit, vel celaverit reorum calliditas, ut nulla spes maneat ea subiiciendi fidelibus oculis iudicantium: publica tunc iudiciorum criminalium necessitas probationem *in genere* indirectam per coniecturas, et indicia postulat. Factum hinc homicidium probaturus, ubi cadaver in fornace flammis absumptum fertur, vel a belluis devoratum, vel sub humo latens, vel diu in sepulcro putrefactum, sedulo a testibus pluribus inquiret, quidquid gestum sit ante, ac postquam conspectui gentium subtraheretur is, qui desideratur, homo, undenam, et quorsum, quomodo, et quibuscum, cur, et quando secesserit, quamdiu disperit; quid interea viae comites egerint, deque illo retulerint, an alio se conferre clam potuerit, et alicubi queat vivus nunc latere. Singula nimirum adiuncta quum antecedentia, tum concomitantia, et subsequentia congeret, quae boni, et aequi viri animum impellant, ut probe iudicet eum, de quo inquiritur, necatum revera fuisse. Pariter in furto rerum, quae non reperiantur, locum habet probatio coniecturalis in genere ostensura, eam pecuniae quantitatem, easque res proximo ante furtum die apud Seium *extitisse*, post *defecisse*, quod iste, ut primum novit easdem sibi deficere, *conquestus illico* sit *bona fide*, idemque *honesti*, *et probi* viri non calumniosi, nec mendacis fama patiatur.

XIV. Sunt qui putant huiuscemodi probationem indirectam, et coniecturalem viso, et reperto vestigio permanentis criminis omnino aequipollere, ad poenamque ordinariam infligendam sufficere (1). Alii tutiorem sectando sententiam contendunt coniecturas (secundum naturam dubias, incertas, non raro fallentes), quantumvis urgentes, ac multas numquam tanti momenti fore ut certam oculorum probationem valeant penitus aequare, easque idcirco aestimant, etiamsi reorum confessio supervenerit, non efficaces ad poenam ordinariam, ultimum nempe supplicium, vix ad extraordinariam, puta minorem arbitrio iudicis extenuandam idoneas (2).

XV. Dicendum superest de iis malefactis, quorum signa, et vestigia *transeuntia* fere nulla permanent. Huiusmodi sunt contumeliae, iniuriaeque verbales, minae hostiles, pravum consilium, blasphemia, haeresis oretenus prolata, coniuratio, receptatio rebellium, aut latronum, alapae, ictus inanis gladii, vel balistae igneae incassum explosus in hominem illaesum, osculatio illicita, lenocinium, adulterium, ludus fraudulentus, ac vetitus, usura sine scripto admissa, iterata uno die Missarum celebratio, sacrorum ordinum functiones a laicis suspensis, interdictisve clericis peractas, cetera. Ut isthaec malefacta in ge-

(1) Reg. Salernitan. *dec. 11.*, Sanfelic. *dec. 28. lib. 1.* Reg. de Rosa *par. 1. prax. crimin. cap. 1. num. 20.*

(2) Hinc sententiam comprobat multis Franc. Maradaeus in *tract. crimin. analytico par. 1. cap. 1.* Huc etiam spectant paullo inferius dicenda *num. XXVII. et seq.*

nere constent, quum nulla supersint, quae suis iudex oculis possit inspicere signa certiora: ei necesse magis est probationem conquirere indirectam ex aliorum sensibus, et coniecturis. Propterea maledictum, et quodvis verbale crimen in genere sat probatur duobus primum testibus, qui affirment ea praecisa verba criminosa coram se a Titio prolata eo in loco, et tempore audivisse: quemadmodum et duo deponentes vidisse tunc, et ibi gladium a Titio strictum, vibratumque, vel arma ignea ab eo parata, et explosa in Seium Deo propitio indemnem, aut hos, et illos una ludentes aleis ea ludi specie in ea domo, eaque hora, plenam faciunt probationem transeuntium eiusmodi criminum. At ubi testes nulli adsint, qui talia viderint, vel praesentes audiverint: coniecturalis tunc probatio adhibebitur ex rebus antecedentibus, concomitantibus, et subsequentibus, plerumque infirmior, et defectiva, et ambigua, quam idcirco valent patroni reorum elidere facilius. Si quod vero visendum vestigium ista crimina fortasse reliquerint post sese, aut reliquisse verosimilius putentur: *visum, et repertum* eo ipso ritu, qui solet in priore criminum permanentium genere usurpari, studeat cauti iudices perficere, inspiciendo cum peritis (ex gr. faciem recenti alapa obsignatam, parietem, ostium, aliudve globulo ictus ignei percussum, scripta contumeliosa, vel haeresim, aut rebellionem, aut pravum consilium olentia.

XVI. Si quae adiuncta malefactum nimis aggravant, vel speciem criminis mutant, eamque efficiunt scelestiorem: tunc genus etiam eiusmodi adiunctorum ostendere in actis oportet ad complendam in genere probationem, ut poenae acerbiori detur locus. Itaque in homicidio, ex. gr. cum proditione admisso satagat iudex patefacere occasionem, et caussam, quare sibi occisus non praecaverit ab insidiis proditoris hostis, amicitiam scilicet, aut reconciliationem dolo simulatam. In assassinio mandatum hinc datum, hinc acceptum. In rapina violentiam. In grassatione armis praecinctum latronem, qui aggressus iter facientem in via publica despoliaverit. In furto sacrilego sacram vel loci, vel rei furtivae qualitatem. In adulterio stans moechae uxoris coniugium cum viro suo rite contractum, similiter in ceteris.

§. II. *De speciali probatione in reum convincendum.*

XVII. Post crimen in genere probatum *quis* illud fecerit, speciatim debent acta iudiciaria commonstrare. Idipsum forenses *delictum in specie* nuncupant. Istud ut rite probetur: testes iam citatos iudex auditurus, primum commonebit de gravitate iuramenti, ac poenis periurii, ut veritatem sine fuco sinceram fateantur, mox iuratos (1) examinabit seorsim, et sigillatim, remotis arbitris, praesente solum ministro fiscali, ubi adesse hic volet, reo nil citato ad videndum eos iurare, et penitus inaudito. Nimirum interrogabit in primis, cur testis ad eum

(1) *Iurisiurandi religione testes, prius quam perhibeant testimonium, arctari praecipimus*, Constantinus Imp. ait in *l. iurisiurandi 9. C. de testibus*, et in *can. testes 3. C. 4 qu. 3.*

ipsum iudicii locum accesserit? An sciat, vel coniiciat caussam suae citationis, et scopum imminentis examinis? Hanc ignorare si responderit, continuo sciscitabitur, an sciat, ex. gr. homicidium aliquod, vel furtum, vel illud aliud, quo de agitur, crimen patratum, a quo et in quem, coram quibus, ubi, quibus auxiliis, et instrumentis, quomodo, quando, et quam ob caussam? Qui vero ob speciale crimen, de quo inquiritur, sese citatum ad examen iam dixerit; ei tunc iubebit, ut mox factum, sicuti novit, enarret distincte, una cum singulis adiunctis rerum, seu circumstantibus speciebus. Dein pro diversis casuum rationibus, ubi oportebit brevem, vel deminutam, vel obscuram testis narrationem fieri explicatiorem, quaeret ex. gr., an reum ab ipso teste nominatum ipsemet viderit eo temporis momento, quo deliquit, vel percutientem, vel furantem, an ab aliis eum deliquisse audiverit, et a quibus nominatim? An alii, et quinam praesentes adfuerint una cum ipso, id malefactum vidente, vel audiente? Quid ea de re palam in vicinia ferant, vel opinentur alii? Quid ipse de ignoto criminis auctore suspicetur? Quaenam sibi ipsi caussa (1), et occasio fuerit id sciendi quod testificatur? Quinam contestes idipsum valeant deponere? Congruas ita interrogationes modo plures, modo pauciores accommodare varianti-bus caussarum conditionibus operae pretium est ex inopinatis praesertim testium responsis.

XVIII. Fidem testimoniis quum deminuant omissae, ac defectivae, aut ineptae interrogationes: quisquis eris iudex, *testes diligenter examinare procures, et de singulis circumstantiis prudenter inquirens, de caussis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama et certitudine, cuncta plene conscribas*, ut commonet Innocentius III. (2).

XIX. Suggestio vero interrogantis, prorsus testimonia enervat. *Qui questionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit? sed generaliter, quis id fecerit? alterum enim magis* suggerentis, *quam requirentis videtur* Ulpiano (3): *et ita Traianus rescripsit.* Nam ea suggestionis natura est, ut fallacibus eiusmodi, et captiosis interrogationibus testes circumventi, ac decepti per fraudem impellantur ea dictata fateri, ac deponere, quae nesciunt, praesertim rudes, ac pavidi, animoque titubantes, aut a seductoribus tradita mendacia, falsasque criminationes in memoriam revocari

(1) Ex *l. sola testatione 4. C. de testibus.* Ubi haec, adnotat Gothofredi glossa: *Testis legitimis adminiculis caussam non approbat, qui dicti sui caussam non reddit.*

(2) Innoc. III. in *cap. cum caussam 37. de testibus.* Ibidem glossa *verb. tempore* his metris claudit, quae sunt in testibus examinandis adiuncta necessaria. *Auditus, visus, persona, scientia, caussa, fama, locus tempus, ac certum, credulitasque, Dum testes recipit iudex, haec cuncta notabit.* Addit praeterea in *cap. 2. eod. tit. verb. vilissimi: Conditio, sexus, aetas, discretio, fama, et fortuna, fides, in testibus ista requiret.*

(3) Ulpian. in *l. 1. §. qui quaestionem 21. D. de quaestionibus.* Regens de Rosa *prax. crim. in formul. supplem. num. 15.* hinc putat extortas per suggestionem depositiones testium nihil probare tamquam invalidas.

suam obliviosi venales. Ipse praeterea iudex videtur primus omnium suggestione sua reum testibus ignotum praeiudicare, infamemque facere per iniuriam (1). Quoadusque igitur testis ipse generatim interrogatus non dixerit speciem criminis, et proprium rei nomen, de quo inquiritur: iudici nefas est interrogare specialim, an Seium Titius percusserit, ac necaverit? an Seio is centum aureos, vel eam vestem, aut rem sit furatus? quid de Titio istius furti, aut homicidii reo loquatur vicinia, et publica fama? an cadaver istud sit Seii occisi? an res haec sit Seii furtum passi, eaque ipsa, quam Titius abstulerit? At licebit, quoties opus erit, testem interrogare obliviosum, et non suspectum, quodnam sit reo nomen? Maevius ne, an Gaius, an Seius, an Titius, an Sempronius vocetur? Vel cuiusnam sit cadaver illud fortasse ignotum? plurium simul etiam nomina commemorando. Vel rem furtivam inter alias multas consimiles positam, et commixtam, ut testis indicit, suaque manu tangat, quaenam fuerit Seio ablata, ad eumque pertineat? Compendiariis verbis huiusmodi, *ad opportunam interrogationem sibi legitime factam* testis ita respondit, palliatam celari suggestionem nonnulli suspicantur (2): alii negant rectius (3), quia unusquisque bonus iure praesumitur, suoque munere iudex in testibus interrogandis probe functus, nisi malus aliunde ostendatur palam suggessisse.

XX. Quidquid vero testes responderint sive nocivum reo, sive proficuum: id omne curabit examinator, ut adamussim, et sincere, et fideliter apud acta in cuiusque depositionibus conscribatur (4). *Pura, et simplex testimonii series enarranda est. Plerumque testis, dum aliquid ad seriem gestorum ex suo adiicit, totam testimonii fidem partis mendacio decolorat. Nihil igitur, vel quod bonum videtur, addendum est,* monet S. Ambrosius (5). Testis ex Hadriani rescripto, *si dum quaestio habetur, amplius dixerit: rei fuerit indicium, non interrogationis culpa* (6).

XXI. Inter alia, quae iam dixi, adiuncta debet examinator providus perscrutari *caussam* delinquendi, usque adeo necessariam, ut ea non probata reus non deliquisse praesumatur. *Nam nihil factum esse,* Tullius arguit iure meritissimo, *nisi aliquid, quare factum sit, ostenditur. Accusator proinde demonstrabit, si poterit, alii nemini, quam inquisito* caussam *fuisse faciendi crimen, vel saltem si tantam, aut tam idoneam nemini. Sin fuisse aliis quoque* caussa *faciendi videbitur, aut potestas aliis defuisse demonstranda est, aut facultas, aut voluntas* (7). Eamque bipartiens *impulsionem, et ratiocinationem* edisserit, duo ipsius causae genera. *Impulsio est,* ait, *quae sine cogitatione per quamdam affectionem animi facere aliquid hortatur:* ut amor iracun-

(1) Id quod iura vetant in *cap. 19., 21., et 24 de accusationibus.*
(2) Cum Guazziano *defens. 19. cap. 12.*
(3) Cum Reg. de Rosa in *cit. formul. supplem. num. 17.*
(4) Ex *Pragmatica 6. de actuariis.*
(5) S. Ambros. in *can. pura 17. C. 111. qu. 9.*
(6) Ulpian. in *cit. l. 1. §. 22. D. de quaestionibus.*
(7) Cicero *lib. de inventione num. 7.*

dia , aegritudo , vinolentia , *et omnino omnia , in quibus animus ita videtur affectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio, et cura non potuerit, et id, quod fecit, impetu quodam animi potius , quam cogitatione fecerit.* Ratiocinatio *autem est diligens , et considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio, ut si* amicitiae *quid causa factum dicetur, si* inimici *ulciscendi, si* metus, *si* gloriae, *si* pecuniae, *si denique, ut omnia generatim amplectamur, alicuius retinendi, augendi, adipiscendive commodi, aut contra reiiciendi, deminuendi, devitandive incommodi caussa.*

§. III. *De probatione plena semiplena et coniecturali.*

XXII. Id unum peritos rerum criminalium iudices callere sapienter oportet , quanta sit cuique informationi vis, et probandi crimen in genere, et in reum speciatim urgeat. Hinc etenim pendet tota deliberandi ratio, utrum ordinaria reus, an extraordinaria poena sit plectendus, intereaque is debeat intra carceres, an extra iudicio sisti, suasque proferre defensiones. Operae idcirco pretium est varias ponderare vires probationis *plenae, semiplenae, et coniecturalis.*

XXIII. *Plenam* in primis probationem duo , vel tres idonei contestes , qui sint omni exceptione maiores, fere concludunt: *semiplenam*, unus integrae quoque fidei. *In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur: nemo occidatur uno contra se dicente testimonium*, divina lex ait (1), quam ex communi sententia usurpant canones, et leges, et mores.

XXIV. Si quid vero vel personas, vel testificationes ipsorum suspectas efficiat : probatio *tunc* eatenus attenuatur , ut nisi ea testium numero maiori (2) , atque indiciis legitimis adminiculetur , convincendo reo satis non sit. *Si testes omnes eiusdem honestatis , et existimationis sint,* monet Charisius iureconsultus (3), *et negotii qualitas, ac iu-*

(1) Deuteronomii *cap. 17 vers. 6. , et seq.* Tum Numer. *cap. 35. vers. 30.* Dominus etiam ait : *Ad unius testimonium nullus condemnabitur. Canonica, et civilia iura* sequutus Innocentius III. rescripsit *duorum , vel trium testium bonorum testimonia praevalere* in *cap. cum a nobis 28. de testibus.* Et *ubi numerus testium non adicitur , etiam duo sufficient* , ex Ulpiani sententia in *l. ubi numerus 12 D. de testibus.* Constantinus Imp. *sanximus* , inquit, *ut unius testimonium nemo iudicum in quacumque caussa facile patiatur admitti : et nunc manifeste sancimus , ut unius omnino testis responsio non audiatur , etiamsi praeclarae Curiae honore praefulgeat, l. iurisiurandi 9. C. de testibus.* Huic legi consonant *can. testes 3. §. unius C. 4. qu. 3., can. placuit C. 6. qu. 2, cap. cum a nobis 26., et cap. licet 47. de testibus.*

(2) Quod aliquando *numerus testium confirmat rei, de qua quaeritur, fidem*, ab Hadriano rescriptum fert Callistratus in *l. testium fides 3. §. 2. D. de testibus.* Pragm. 3. de furtis an. 551., edixit nocturnos fures, qui scalis admotis, vel effractis ianuis , aut seris , aut parietibus diripiunt in urbe Neap., vel suburbiis , plenissime convictos fieri testimoniis in tortura firmatis trium consociorum de singularibus etiam , et diversis furtis deponentium.

(3) Charisius in *l. ob carmen 21. §. 3. D. de testibus* , et apud Gratianum in *can. si testes 3. C. 4. qu. 3.*

dicis motus cum his concurrit, sequenda sunt omnia testimonia. Si vero ex his quidam aliud dixerint, licet impari numero, credendum est: sed quod naturae negotii convenit, et quod inimicitiae, aut gratiae suspicione caret, confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis, et testimoniis, et quae rei aptiora, et vero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, et testimonia, quibus potius lux veritatis adsistit. Iure hinc meritissimo Imperatorum legibus cautum, quod *soli testes ad probationem non sufficiunt* (1), et *sola testatione prolatam, nec aliis legitimis adminiculis caussam adprobatam nullius esse momenti* (2). Quoniam imminuunt assidue fidem testium, et saepe abrogant omnino quum personales exceptiones (3), tum defectiva, et vitiosa testimonia: quae scilicet non concordant, sed pugnant inter sese in adiunctis loci, ac temporis, aliarumque rerum (4); aut vacillantia, et inverisimilia sunt, aut, ubi credula malis rumoribus turba dixerit non ea, quae suis quisque oculis vderit, sed audita ex aliis, et opinamenta sua temere concepta, aut plures unum, eumdemque praemeditatum sermonem recitaverint (5).

XXV. *Singularia* singuli ubi testes dixerint, non satis probant (6), dum scilicet alii alia facta singulatim adfirmant, quae naturaliter possunt insimul consistere. Ex. gr. unus testis quod viderit Titium Seio furari decem primo die, totidem secundo alter, totidemque, aut plus minusve tertio alius testificentur: non plenam hi tres probationem furti, qua reus convincatur, constituunt, sed vix semiplenam, quia singulares, non contestes. Idipsum aestimato, si homicidii reum aliquis testium viderit euntem cum armis ad locum patratae necis, paulo post alius inibi rixantem, aliusque inde mox redeuntem trepido vultu, et pallido. Isthaec vero *singularium* testimoniorum *diversitas non repugnans*, et contraria non adstruens procul dubio admittit adminicula ex coniecturis rite conquirenda, ut plena ex utrisque simul iunctis probatio emergat Et quandoque satis probare putantur eae singularium testium *di-*

(1) Alexander Imp. in *l. si tibi 2. C. de testibus.*

(2) Imp. Carus, Carinus, et Numerianus in *l. sola testatione 4. C. eodem*, Interpretes autem, quid heic *sola testatio* sonet, multum dissentiunt.

(3) Eas item innui superiori *tit. III. num. VII. in fine*, exhibetque Gratianus in *can. si testes 3. C. 4. qu. 3.*

(4) Nihil apertius calumniam, fallaciamque testium, quam sua ipsorum discordia detegit. Per hanc duos, qui Susannam incorruptam calumniabantur, senes scelestiores convicit Daniel, quum ii sapienter interrogati ambo respondissent castissimam mulierem vidisse cum adolescente moechatam sub schino unus, alter sub pino, Danielis *cap. 13.* Huc spectant *can. testes 15., et can. nihilominus 16. C. 3. qu. 9., et cap. licet caussam 19. §. quamquam de probat.*

(5) Ex *can. pura, et simplex 17. C. 3. qu. 9., et cit. can. si testes 3. C. 4. qu. 3.*

(6) Innoc. III. in *cap. cum dilectus 32. de elect. esset probatio insufficiens*, ait, *eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares.* Idipsum is censuit in *cap. bonae memoriae 23. eod. tit.*

versitates invicem sese *adminiculantes*, quae conspirant ad unum, idemque factum pluribus partibus continuis, momentisque temporis transeuntibus constans (1). Secus est in singularibus testimoniis mutuo sibi *adversantibus*, *et repugnantibus*, quae ubi nequeant in concordiam redigi, totam penitus fidem amittunt, et auctoritatem, nullis adminiculis redintegrandam (2).

XXVI. Testis, ubi nullus est, qui reos latebrosos in crimine deprehenderit, vel proxime conspexerit, clam omnimodis consummato: solis adhuc *coniecturis*, quas *indicia*, *et argumenta*, *et praesumptiones*, *et signa* promiscue appellant, vim eos in iudicio manifestandi contribuunt ratio naturalis, leges, et mores (3). Ream necati pueri occultam Salomoni sagacissimo non alius patefecit, nisi duo indicia urgentiora hinc impotens verae matris *amor*, quae suum filium tradi aemulae maluit, quam sectione crudelissima necari, hinc *aemulatio* fictae matris ab ea, non sui nati caede nil abhorrentis (4). Quoties *manifestum*, *et urgentissimum* erit indicium: plena ex eo, et tuta probatio eruitur, latentem veritatem dilucidans, reique dubiae fidem adstruens certam, et exploratam. Delata crimina hinc *certis indiciis* demonstrari, S. Augustinus commonet (5), *indubitatis*, *et luce clarioribus* Imperatores rescribunt (6) et leges municipales consentiunt (7).

XXVII. Quae non certa, neque indubitata sint indicia, sed aliquam in animo iudicis dubitationem relinquant, ea quantumvis *vehementia*, et *urgentia* non satis damnando reo de criminibus praesertim gravio-

(1) Videsis ad rem hanc Franc., Maradaeum in *tract. crimin. analit. cap. 3.*

(2) Ex *cit. cap. licet caussam 19. §. quamquam de probation.* cum concord. *Quidquid repugnat*, *id eiusmodi est*, *ut cohaerere numquam possit*, Cicero monet *in topica num. 35.*

(3) *Cap. afferte mihi gladium 2. de praesumptionibus*, *cap. litteris 12.*, *et cap. tertio loco 13. eod. tit. can. quamvis 75. C. XI. qu. 3.*, *et l. fin. C. de probationibus.*

(4) Regum *3. cap. 3.*, *et cit. cap. afferte mihi gladium 2. de praesumpt.* Inter duos pariter contendentes equum sibi vindicare, quum parem ambo probationem testium proferrent; eum Iureconsultus perspicacior inter alios equos procul a pabulo retentum, dein soluto capistro in fugam verbere adactum, nulloque ductore ad stabulum consuetum sponte regressum, recte iudicavit ex hoc indicio urgentissimo ad stabuli dominum pertinere. Istam ingenii argutiam ab Imp. Sulpitio Galba adhibitam fert Svetonius in *Galba cap. 7.*

(5) S. Aug. in *can. quamvis 75. C. XI. qu. 3. Et quamvis vera sint quaedam*, ait, *non tamen iudici sunt credenda*, *nisi* certis indiciis *demonstrentur.* Nam *ubi est signum insolubile*, quod indubitatum, et necessarium appellatur. *ibi ne quidem lis est*, Quintilianus ait *lib. 5. Instit. Orator. cap. 9. de signis.*

(6) Grat. Valent., et Theod. in *l. fin. C. de probationibus*, ibi: *Accusatio*, *quae munita sit vel idoneis testibus*, *vel instructa apertissimis documentis*, *vel* indiciis *ad probationem* indubitatis, et luce clarioribus *expedita.*

(7) *Pragm. 12. de offic. iudic.* indulgens Regiis Tribunalibus ad Collegii formam institutis dumtaxat facultatem eos poena mortis naturalis damnandi, quos indicia *indubitata* urgent in iudicio, addit: *dichiarando quell'* indicii indubitati, *che sono tali*, *che provati legittimamente inducono la mente del giudice a credere fermamente il delitto esser commesso dall' inquisito*, *quietando il suo intelletto in questa ferma credenza.*

ribus iure putantur (1) : nisi plura simul cumulentur. Nam quae non prosunt singula , unita fere iuvant ad iudicis animum ita commovendum, ut omni deposita haesitatione firmam, plenamque iis fidem adhibeat (2). Et ubi *levia* , nec *urgentia* putaverit singula vir aequus, et bonus : multo plura tunc oportet simul congerere. Hinc triplex indiciorum genus , *urgentissimorum* , *urgentium* , et *levium*. Prima aequipollent probationi certae, ac plenae, secunda incertae, ac semiplenae, quae sufficit ad torturam (3) , tertia minoris momenti sunt. Propriam vero vim huiusmodi non obtinent, nisi pateant singula indicia pluribus idoneis contestibus plene , ac rite comprobata in actis , aut perspicuis monimentis ostensa.

XXVIII. Coniecturas omnes, atque indicia in reos derivari ex *causa delinquendi* , ex *persona* , ex *facto ipso* , Tullius docet (4). I. In *caussa* sunt potissimum aut amor , odium , iracundia , aegritudo, vinolentia , ceterae naturales animi affectiones ad malum impellentes, aut deliberatio animi appetentis commodum , vel incommodum vitantis (5) : quae probabile tunc indicium iure faciunt , quum liqueat aliquam ex hisce caussis nedum extitisse , verum etiam reo , et potestatem , et facultatem, seu occasionem , et voluntatem fuisse delinquendi (6). II. Ex *persona* inquisiti coniecturam profert ipsius indoles , et natura improba , consuetudo vitae cum facinorosis , infima fortuna , pravus habitus animi , et corporis , corrupti mores, et sermones, praecedentia opera, et studia. III. Ex *facto ipso* apparatus suspiciosus, con-

(1) Quintilianus *loc. cit. alia sunt signa non necessaria*, inquit, *quae etiamsi ad tollendam dubitationem sola non sufficiunt , tamen adiuncta ceteris plurimum valent. Signum vocant, quamquam id quidem indicium quidam* vestigium *nominaverunt , per quod res intelligitur , ut per sanguinem caedes. At quia sanguis , vel ex hostia respersisse vestem potest , vel e naribus profluxisse : non utique qui vestem cruentam habuerit , homicidium fecerit. Sed ut per se non sufficit , ita ceteris adiunctum testimonii loco ducitur, si inimicus, si ante minatus, si eodem loco fuit. Quibus signum cum accessit , efficit, ut quae suspecta erant , certa videantur.*

(2) *Propter solam suspicionem* , *quamvis* vehementem , *nolumus illum de tam gravi crimine haeresis condemnari* , Innocentius III. rescripsit in *cap. litteras 14. de praesumpt.*

(3) *Ad tormenta servorum ita demum veniri oportet* , *quum* suspectus *est reus* , *et* aliis argumentis *ita probatione admovetur, ut sola confessio reorum deesse videatur* , docet Ulpianus in *l. 1. D. de quaestionibus.* Carolus II. Andegavensis in regni *cap. ad tormenta 5. de tormentis*, pariter edixit reos fore torquendos ob crimina poenae ultra relegationem obnoxia , dummodo praecesserint *legitima indicia* , *et suspiciones* contra eos ipsos urgeant. Hinc orta consuetudo concordibus Doctorum sententiis comprobata , quod indicia urgentia pondus habeant semiplenae probationis ad torturam sufficientis, non secus, quam integrae fidei testis unus de visu.

(4) Cic. *lib. 2. de inventione.*

(5) Videas paullo superius dicta *num. XXI.*

(6) Suspectos in Caesaris nece correos purgans Cicero *Philippica 2*, ad rem distinguit , quid inter *suasorem facti* , *et probatorem* intersit , mox ait: *Caesarem occiderunt, aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit , voluntas nemini.*

silium , colloquia , minae , conventicula , convivia , occasio , loci , ac temporis opportunitas , contubernium, cetera factum *antecedentia*, mox *concomitantia* , fragor armorum reboans , rixantium strepitus , exclamantis vox , aut flentis , corporum umbrae , et si quid eiusmodi , tum *consequentia* , rubor , pallor , trepidatio corporis , animi conturbatio , fuga , latitatio , confugium, gladius cruentus, explosa balista , et fumigans , rumor , et fama , eructatio , vel confessio gloriantis de malefacto , aut amice colloquentis , cetera signa , quae movent suspicionem. Ex his nonnulla praestat curatius edisserere.

XXIX. In primo eorumdem genere coniecturali *rivalitas* , *et zelotypia* semiplenam probationem , indiciumque ad torturam sufficiens proferre putatur , quoties tria haec simul concurrant ; flagrans rivalium *amor* unam , eamdemque , vel personam , vel rem summopere appetentium, *scientia*, vel suspicio quod eam ipsam alter etiam , vel solus potiatur, et *aegritudo* irati aemulatoris (1). *Quia fortis est, ut mors dilectio : dira sicut infernus aemulatio* (2). Ob aemulationem invidiamque *iratus Cain vehementer* , quod Dominus respexisset ad Abelis munera , *concidit vultus eius , foras eduxit fratrem suum , et interfecit* (3). *Si spiritus zelotypiae concitaverit virum contra uxorem suam , quae vel polluta est , vel falsa suspicione appetitur:* divina lex mosayca suspectam mulierem compellit ad sacrificium zelotypiae , et bibendum aquas maledictionis femur putrefacturas (4). Ea si defecerint in rivalitate conditiones , indicii pondus extenuatur , et fit levius.

XXX. *Minae* pariter hostiles (quae futurum crimen , sicuti fulgur, et tonitrua imbrem antecedunt , et praeindicant) ad torturam non sufficiunt , nisi constet quod minitans consueverit , et potuerit , et voluerit eas firmato animo exequi (5) , illudque ipsum in specie crimen sese patraturum iactaverit : et ubi conditionali sermone iratus fortasse dixerit , *illum necabo* , *si ad eam is domum accesserit* , conditionem hanc impletam oportet simul ostendi (6). Praeterea ubi de mandata

(1) Farinac. *cons. 193. num 46.* , *et seq.* Thor. *vol. 18. num. 34.* , Laur. Matthen *de re criminali controv. 23. num. 32.*

(2) Canticor. *cap. 8. vers. 6.*

(3) Genesis *cap. 4. vers. 5.*, *et seq.* Ita Clodius etiam necesse Milonem in petendo Consulatu rivalem arguitur a Tullio.

(4) Numeror *cap. 5. vers. 12. ad 31.*, *et ult. Spiritum zelotypiae furorem, et iram* appellat B. Hieronymus *in cap. 1. Ezechiel*

(5) Ex Triphonini textu in *l. fugitivus 325. D de verb. signif Fugitivus est* (iurec. ait) *non is, qui solum consilium fugiendi a domino suscepit , licet id se facturum* iactaverit : *sed ipso facto fugae initium mente deduxerit. Nam et furem , adulterum , aleatorem , quamquam aliqua significatione ex animi propositione cuiusque sola quis dicere posset... si modo eius mentis sit , ut occasione data id commissurus sit : tamen oportere eadem haec crimina assumto actu intelligi.*

(6) Farinac. *quaest. 30. num. 11.*, *et 30.*, Grammatic. *cons. 13.*, *et 69.* Bertrand. *cons. 51.* , *et 137. par. 2.*, Follerius *in prax. crim. par. 1. par. 2. rubr. item quod sororem venenavit num. 23.*

caede agatur, quod minis adiunxerit mandans familiaritatem, et colloquium cum mandatario (1): vel ratum habuerit, quod gestum est (2). Nam *quidquid in calore iracundiae, vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit iudicium animi fuisse*, ex Paulli regula (3).

XXXI. Ut *inimicitiae* indicium urgeat, simul requiruntur, et acceptae iniuriae recordatio, et ira vehemens, et ulciscendi pertinacia, externis signis patefacta. *Fecerunt Palestini vindictam*, sacer textus habet (4), *et ulti sunt toto animo, interficientes, et implentes inimicitias veteres.* A Tullio *inimicitia* definitur, quod sit *ira ulciscendi tempus observans*, odium *ira inveterata*, et discordia *ira acerbior intimo odio, et corde concepta* (5). *Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est* (6). *Vir iracundus provocat rixas* (7). *Non est* autem *ira super iram mulieris* (8). Irati ergo inimici vel atrae insidiae, sicut fumus ad flammam, erumpunt ad vindictam, vel tamquam procella repente irruit furor amarulentam bilem in nasum conciens. Quum vero acceptae iniuriae vel certa cognitio, vel opinio animum ictu naturali percutiens iram necessario impetu moveat: palam hinc est, cur iracundiae caussa ostendenda iudici primum sit ex dolore offensionis vel certae, vel opinatae (9). 2. Patentia irae indomitae signa, quae vultum laesi hominis efficit plerumque asperum, et acrem, nunc pallentem, nunc rubicundum, et cruento similem, eiusque oculos igne micantes nunc trepidos, et exilientes, nunc humo defixos, dentes atterit instar aprorum frendentium, spu-

(1) Rynald. *to. 1. observ. crimin. §. 2., ol. 4., num. 58., et 59.*

(2) Ulp. in *l. semper 60. D. de reg. Iur.* Quia ratihabito retrotrahitur, et mandato comparatur, ex *cap. ratihabitionem 10. de reg. Iur. in VI.*

(3) Paull. in *l. quidquid 48. D. de reg. Iur.* Huc spectat consilium Rebeccae matris ad Iacob filium suum sic allocutae: *Ecce Esau frater tuus* minatur, *ut occidat te... fuge ad Laban fratrem meum in Haran... habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, et cesset indignatio eius, obliviscaturque eorum, quae fecisti in eum*, Genes. *cap. 27. vers. 32, et seq.* Uti cessavit indignatio Esau in Iacob, non ita quievit odium fratrum ex invidia conceptum in Ioseph, dum subsecuta somnia, et sermones *invidiae, et odii fomitem ministrarunt*, adeout eum necare aggressi, mox vendidissent, Genes. *cap. 37.*

(4) Ezechiel. *cap. 25. vers. 16.* — (5) Cic. *lib. 4. Tusculan. quaest.*

(6) Salomon inquit Proverb. *cap. 12. vers. 16.*, quod *pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania* valeant veritatem occultam detegere, eique inveniendae facem non raro praetulerint. Idipsum exemplis firmat Cicero in *topica ad Trebat. num. 40.*

(7) Proverb. *cap. 15. vers. 18.*, tum *cap. 10. vers. 12.*, *et cap. 17. vers. 19.*

(8) Ecclesiastici *cap. 25. vers. 23.*

(9) Ad Lucilium Seneca scribens *ep. 18.*, cum Epicuro docet, quod *immodica ira gignat insaniam*, mox addit: *In omnes personas hic exardescit affectus: tam ex amore nascitur, quam ex odio, non minus inter seria, quam inter iocos. Nec interest ex magna caussa nascatur, sed in qualem perveniat animum. Sic ignis non refert quam magnus, sed quo incidat. Nam etiam maximum solida non receperunt: rursus arida scintillam quoque fovent, usque in incendium.*

mas ex ore, velut canis rabidi elicit, mox anhelitus crebros, et gemitus, et fluctuantia verba clamoribus, et minis commixta; tumentia labra vel mordet, vel totum denique corpus instabile, et quassata quaquaversus membra exagitat (1). 3. Quia maximum irae remedium est mora ulciscendi, quae sedat saepius primum aestuantis fervorem, et caliginem mentis dissipat (2): ubi aliquod ab offensione intervallum temporis ad vindictam usque decurrerit, ostendi simul oportet causam irae, aut numquam animo insani, et furentis Orestis interea excidisse, aut veterem iram nova causa, vel proiecto iterum dissidii pomo resumptam. 4. Demum ulciscendi cupiditas commonstranda etiam est, sine qua nullum offensori malum inferre voluntas offensi deliberat (3). Hinc Tullius pro Milone agens, et conceptam pro Consulatu invidiam, et minas Clodii lethales, et sicarios ab eo adscitos ad illas exequendum, et praeoccupatum insidiis iter simul ostendit, ut fidem suae coniecturae conciliaret.

XXXII. Ad *impulsionem* hactenus dicta pertinent, quam non abs re possumus *caussam antecedentem* appellare, ipsam ut distinguamus a *ratiocinatione*, quae non aliud sonat ex recitatis M. Tullii verbis, nisi *caussam finalem*, seu *supervenientem*. Nam *propositum, propter quod homo ad faciendum aliquid accedit, caussa est non efficiens, sed superveniens*, inquit Seneca (4). Animus diu deliberans, quod semel est patraturus, diligenti, et considerata excogitatione, fixo nimirum, et immoto consilio statuens, ex. gr. furari, vel necare pecuniosum hominem, cuius inhiat spolia, seu hereditatem, vel aemulum suum e medio tollere, ut commodum exinde futurum adipiscatur, evadat incommoda, studet sese abscondere. At nocens latendi fortunam aliquando habet, nullam vero fiduciam, et securitatem umquam obtinebit: quum nulla vehemens intra cogitatio fere sit, quae nil exeat in lucem per signa exteriora. Nonnumquam in vino, tamquam animi speculo veritas repraesentata inspicitur (5). Somnus obversantes vigili cordi species prodit quum lingua, tum gesticulatione. Lapsu etiam lin-

(1) Seneca *de ira lib. 3. cap. 4. Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum*, Salomon ait Proverb. *cap. 16. vers. 30.*

(2) Seneca *eod. lib. 3. cap. 12.*

(3) Duo simul concurrere ad pariendam iram Seneca innuit *lib. 2. cap. 1*, necessarium naturae *impetum* ex dolore iniuriae, et voluntarium animi *adsensum* de capienda ultione, vel subitaneum, praecipitemque, vel obduratum diuturno proposito. *Nam speciem*, ait, *capere acceptae iniuriae, et ultionem eius concupiscere, et utrumque coniungere (nec laedi se debuisse, et vindicari debere) non est eius impetus, qui sine voluntate nostra concitetur. Ille* simplex *est*, *hic* compositus, *et plura continens. Intellexit aliquid, indignatus est, damnavit, ulciscitur: haec non possunt fieri, nisi animus eius, qui tangebatur, assensus est.* Ut intelligas apertius, quomodo naturalis affectus concurrat cum libera voluntate operantis, videsis iam dicta superius *lib. II. tit. VIII. de Sacram. Poenit. num. LXI.*

(4) Seneca *ep. 65.*

(5) *Nullum secretum est, ubi regnat ebrietas*, Proverb. *cap. 31. v. 5.*

guae improviso arcana pectoris foras erumpunt, modo per imprudentiam, modo per insaniam (1). Sternutant plerumque amores.

XXXIII. Secundae classis indicia dat ipsa rei suspecti *persona*, in primisque *natura* eius improba, et *indoles* ad malum aut prona, aut praeceps, quam adolescentiae mores detegunt. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*, proverbium est Litteris divinis probatum (2). Hinc ea Iuris regula: *semel malus semper praesumitur malus* (3) in eadem specie mali (4). Hoc iure *Cretenses semper mendaces* ab Apostolo ita dicti, ut a Romanis *nusquam tuta fides Graeca* vel *Punica*, et Ulysses iam senex instar vulpis mutasse vestem, non ingenium fertur. 2. Quum patrum in filios transeant cum semine mores, malae, infamisve stirpis filius iure praesumitur criminosus, quemadmodum et bonus vicissim, bonis ortus parentibus (5) ob gentilitiam, et domesticam in hoc virtutem, in illo malitiam. 3. Pravi educatoris disciplina (6), infamiumque sociorum familiaritas bonam quoque indolem torquens, et mores corrumpens addit malis gangraenam serpentem (7): simul et consuetudo vitae (8): ac loci natura (9). In robustos petulantiae, apertaeque violentiae, in debiles insi-

(1) Nam *hominis est animum praeparare: et Domini gubernare linguam*, Proverb. *cap. 16. vers. 1. Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos... Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia eius in concilio*, Proverb. *cap. 26. vers. 24. et 26. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, si corda hominum manifesta sunt prudentibus*, Prov. *cap. 27. vers. 19.*

(2) Proverb. *cap. 22. vers. 6.* Perraro accidit, ut leo leporem agat aliquando. At rem illud Euripidis: *Deus in genere singulis naturam unam dedit, cuncti leones praediti sunt robore, formidinis pleni omnes sunt lepusculi.*

(3) *Cap. semel malus 8. de reg. Iur. in VI.* Nec pardus maculas, nec suum Æthiops colorem deponit. *Sicut canis, qui revertitur ad vomitum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam*, Proverb. *cap. 26. vers. 11.*

(4) *Ex prius datis, et neglectis apparet, quod has negligent*, S. Hier. in *cap. scribam 9. de praesumpt.*

(5) *Fortes creantur fortibus, et bonis: Est in iuvencis, est in equis, patrum Virtus: nec imbellem feroces progenerant aquilae columbam*, canit Horatius *lib. 4. carminum ode 4.* At divini Hippocratis filios indoctos, vecordes, stupidos, degeneres comici passim derident.

(6) Non secus rota figuli vasa consimilia, quam educatoris unius disciplina procreat conformes adolescentium mores.

(7) *Amicus stultorum similis efficietur*, Proverb. *cap. 13. vers. 20., et cap. 22. vers. 24., et 25.* Nam sicuti *ferrum ferro exacuitur*, Proverb. *cap. 27. vers. 17*: et botrus integer marcido botro adhaerens marcescit, et ovis morbida totum ovile corrumpit, Origen. in *can. sed et illud 17. dist. 45.*, S. Hyeronym. in *can. resecandae 16. C. 24. qu. 3.*, et S. August. in *can. quisquis 5. C. 23. qu. 4*, S. Gregor. in *can. pervenit 59. C. 2. qu. 7.*, et Conc. Tolet., in *can. saepe malorum consortia 12. C. 28. qu. 1.*

(8) *Ex transacta in te vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua praesumamus*, rescripsit S. Gregorius in *can. mandata 6. de praesumpt.*

(9) Cic. *or. 16. de lege agraria contra Rullum* ait: *Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis, ac seminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci, et a vitae consuetudine suppeditantur, quibus alimur, et vivimus. Carthaginenses fraudulenti, et mendaces non genere, sed natura*

diarum, et fraudis, in ephebos amoris, in senes avaritiae, in iuvenes temeritatis argumenta sumuntur ex *habitu corporis*, in melancholicos ultionis, et crudelitatis (1), in iucundos ganeones impudicitiae signa ex *animi habitu*. *Fortuna* in suspicionem furti pauperes (2), praepotentiae opulentos urget. *Conditio* famulos, ignobiles, peregrinos, agrestes, tam suscepti mandati, quam praestitae ad malefacta operae, lenones insidiarum, grassatores alacritatis ad viatores praedandum, magos praestigiarum, parasitos temulentiae, novercam in privignos odii, satellites audaciae ad percutiendum, agasones, caprarios, opiliones, aurigas inhumanae brutaeque feritatis (3). *Victus* non frugalis, sed immodice delicatior, et luxu diffluens curatores, institutoresque fraudatae pecuniae redarguit (4). Haec indicia quidem levia singulatim, dum uniuntur, coniecturalem probationem nonnihil suffulgiunt.

XXXIV. Quae tandem ex *facto ipso* fluunt, quo propius ad rem accedunt in quaestione positam, eo sunt graviora. Nam videntur cum ipsa re necessario cohaerere, quid *ante*, quid *una simul*, quid *post* eam acciderit. In primis *ante rem* quaeruntur, Tullio duce (5), apparatus, colloquia, locus, constitutum convivium. *Cum re* pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbrae. *Post rem* rubor, pallor, titubatio, et si qua alia signa conturbationis, et conscientiae, restinctus ignis: gladius cruentus, cetera, quae suspicionem movent.

XXXV. Ad *apparatum ante rem* plurimum conferunt arma, et instrumenta, auxilia, et consilia ad patrandum crimen conquisita. *Qui ferramenta sciens commodaverit ad effringendum ostium, vel armarium, vel scalam sciens commodaverit ad ascendendum, licet nullum eius consilium principaliter ad furtum faciendum intervenerit: tamen furti actione tenetur*, Caius respondit (6). Eoque magis admisisse furtum praesumitur, qui ea instrumenta acceperit. Delatio quoque armorum insolita percussorem redarguit (7), tametsi *qui telum*

loci, quod propter portus suos multis, et variis mercatorum, et alvenarum, sermonibus ad studium fallendi studio quaestus vocabantur. Sic *Beotum in crasso aere natum* iudicio hebetem, crassumque describit Horatius *lib. 2. ep. 1. ad Augustum*.

(1) *Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior*. Proverb. *cap. 29. vers. 2*.

(2) *Aegestate compulsus* furatur et peierat, Proverb. *cap. 30. vers. 9*. Egestas ad furtiva, et rapinas audaciam plerumque parit.

(3) *Fera quaedam sodalitas, et plane pastoritia, atque agrestis germanorum Lupercorum: quorum coitio illa silvestris ante est instituta, quam humanitas, atque leges*, ait Cicero *or. pro M. Coelio*.

(4) *Sumptuosus fuit, patrimonium exhausit, turpiter vixit*, ait Quintil. *instit. orat. lib. 5. cap. 10*.

(5) Tullius ad Trebatium *in topica num. 34*. Videsis Christophorum Crusium in *tract. de indiciis*, et Aegid. Bossium in *prax., et qu. crim. tit. de indiciis, et consider. ante torturam*.

(6) Caius in *l. si pignore 54. §. 4. D. de furtis*.

(7) *Lege Cornelia de sicariis tenetur, qui hominis occidendi, furtive faciendi caussa cum telo ambulaverit*, Marcianus ait in *l. 1. D. ad leg. Cornel. de*

tutandae salutis suae caussa gerunt, non videntur hominis occidendi caussa portare, ex Paulli sententia (1). Raram semitam ingressus, quae ad opportunum crimini locum per occultos calles ducat vel iuxta sepes frondosas latens, et collocatus insidiator, vel praetereuntis vestigia festinanter insecutus, vel nocturnus viam obambulans armis praecinctus maiorem in se movet iuremerito suspicionem deliberatae necis: quemadmodum et suspectum iter faciens in tenebris, et caligine (2). Solum esse cum sola canones idcirco vetant, quia valde suspiciosum (3). Rem quisquis vetitam gerit, dolo, et culpa non carere putatur (4). Quae occulte item geruntur, improbitatis suspicione minime vacant (5). Ex colloquiis, et destinato facinoris loco, et tempore, paratisque insidiis coniectare auctorem criminis occultum praeterea consuevimus (6).

sicariis. Et qui arma, tela domi suae, agrove in villa, praeter usum venationis vel itineris, vel navigationis coegerit, cum lege Iulia de vi publica teneri docet idem Ictus in *l. 1. D. ad legem Iuliam de vi publica.* Item *is, cuius familia sciente eo arma sumpserit*, ex Marciano in *l. eiusdem 3. §. 4. D. ad legem Corneliam de sicariis.* Iustinian. *Nov. 85. cap. 3 Licentia penitus nulli dabitur*, ait, *neque civitates inhabitantibus privatis, neque villas incolentibus rusticis armis uti adversus alterutros, necesque praesumere, et ex hoc plurimos homines occidi.* Consonat *l. un. C., ut armorum usus inscio Principe interdictus sit.* Huc, quae Tullius *orat. pro Milone* inquit scitissime, spectant: *Comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat: extorta est confitenti sica de manibus.*

(1) Paullus in *l. hi, qui 11. D. ad legem Iuliam de vi publica.* Quintilian. *loc. cit. Ex instrumento aliquando etiam signa nascuntur, ut spiculum in corpore inventum.*

(2) *De fenestra domus meae*, Salomon inquit, *per cancellos prospexi, et considero vecordem iuvenem, qui transit per plateam iuxta angulum, et prope viam domus illius graditur in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris et caligine. . . . quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec trasfingat sagitta iecur eius: velut si avis festinet ad laqueum*, Proverb. *cap. 7. vers. 6., et seq. ad 22.*,

(3) S. Greg. in *can oportet secerdotes 23. dist. 81.*, Synodus VII. in *can. in omnibus 26. ead. dist.*

(4) *Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit*, Iavolen. in *l. non post 199. D. de reg. Iur. Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet*, ex *cap. non est 19. de reg. iur. in 6. Natura contumax est humanus animus, et in contrarium, atque arduum nitens*, ait Seneca *lib. 1. de clementia cap. 23.* Quum omnium rerum cupido languescat, ubi facilis occasio est: *nitimur in vetitum*, canit Horatius.

(5) Modus rei gestae ad coniectores refertur a Quintil. *loc. cit. Bona mente factum, ideoque palam: mala, ideoque ex insidiis, noctu, in solitudine.* Consonant Innocentii III. decretales in *cap. consulit 24. de offic., et pot. iud. deleg. cap., ut nostrum 1. ut ecclesiast. benef. sine diminut. conferantur*, Innoc. II. in *can. perniciosam 25. C. 18. qu. 2. Quia omnis, qui male agit, odit lucem*, Ioan. *cap. 3. vers. 20. Contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas. Sic semitae omnis avari animas possidentium rapiunt*, Proverb. *cap. 1. vers. 18., et 19.*

(6) Huiusmodi coniecturam more suo acriter urget in Clodium Cicero *pro* Milone, sic orans: *Servos agrestes, et barbaros, quibus silvas publicas depo-*

XXXVI. Cohaerent *cum ipsa re* sonus armorum, dum ea vibrarentur, auditus clamor percussi, vel vim patientis, aggressoris, vel umbra conspecta, vel vox reboans (1), vel silentium eius, qui opitulari praesens potuisset occiso, et auxilium vicinorum clamoribus advocare, eiusque caedem prodere imminentem (2). Utrumque urgentissimum indicium *clamoris*, et *silentii* cum ipsa re coniuncti probat lex Mosayca. *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur: puella, quia* non clamavit, *quum esset in civitate, vir, quia humiliavit uxorem proximi sui, et auferes malum de medio tui. Sin autem in agro repererit vir puellam, quae desponsata est, et apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus; puella nihil patietur*, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam eius, ita et puella perpessa est, *sola erat in agro*, clamavit, *et nullus affuit, qui liberaret eam.* Hactenus lex Domini (3).

pulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis... palam dictitabat Consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse....Interim cum sciret Clodius iter sollemne legitimum, necessarium, ante diem 13. kal, Febr. Miloni esse Lanuvium.... Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum Miloni insidias collocaret... concionem turbulentam... nisi obire facinoris locum, tempusque voluisset, nunquam reliquisset. Hanc ipsam Ciceronis coniectoram M. Fab. Quintil. *instit. orator. lib. 5. cap. 10.* breviter exponit, inquiens: *Insidiatus est Clodius Miloni, non Milo Clodio, ille cum servis robustis, hic cum mulierum comitatu, ille expeditus, hic penula irretitus.* Hoc aliud argumentum *ex antecedentibus* profert in exemplum: *Mortem minatus es, noctu existi, proficiscentem antecessisti.* Et rursus *de parricidii reo luxurioso* qui dixerat patri: *non me amplius obiurgabis*, rationem huic dicto praeviam expendens, ait: *nec hic, quia sic erat locutus, occidit; sed quia erat occisurus, sic locutus est.*

(1) Exemplum hoc inter alia M. Tullius habet *or. pro A. Cluentio*, inquiens: *Oppianicus homo sceleratissimus uxori suae Cluentiae cum ipse poculum dedisset, subito illa in media potione exclamavit, se maximo cum dolore mori, nec diutius vixit quam locuta est: nam ipso sermone hoc, et vociferatione mortua est.... Postea fratrem aggressus est, qui sero iam exhausto illo poculo mortis, cum et de suo, et de uxoris interitu clamaret, testamentumque mutare cuperet, in ipsa significatione huius voluntatis est mortuus.* Ulp. in *l. sit quis 3. §. 1. D. ad Sen. Cons. Silan.*, et *Claud. si quis* (ait) *moriens dixisset, a servo vim mortis allatam esse sibi.*

(2) In *l. excipiuntur 14. D. ad Sen. Cons. Silanian.*, et *Claudian.* Marcianus haec habet: *Trebius etiam de impubere sumi iussit supplicium non sine ratione; nam is puer nec multum a puberi aetate aberat, et ad pedes domini cubuerat, cum occideretur, nec postea caedem eius prodiderat: ut enim opem ferre eum non potuisse constabat, ita* silentium *praestitisse etiam postea certum erat.* Modestinus in *l. cum dominus 19. D. eodem* docet: *Cum dominus occiditur, auxilium ei familia ferre debet, et armis, et manu, et* clamoribus, *et obiecto corporis. Quod si cum posset, non tulerit: merito de ea supplicium sumitur.* Ulpianus in *l. rescripsit 1. §. 28. D. eodem*, fert ab Hadriano rescriptum, *potuisse ancillam, quae in eodem conclavi cum domina sua fuerat, auxilium ei ferre, si non corpore suo, at certe* voce *plorantem, ut hi, qui in domo fuerant, aut vicini audirent.*

(3) Deuteronomii *cap. 22. avers. 23. ad 28. His vocibus, et querelis exauditis*

XXXVII. *Post* crimen plura *facta* adiunguntur, quae indicando reo plerumque nimis conducunt. *Conscientia crimen prodit, dum animum ipsa verberat*, Cicero ait (1). Sicuti frondium fragor pavidos lepusculos, ita formidolosos reos territat cuiusvis vel umbra, vel vox procul audita, eosque vultus rubefactus, aut pallidus, titubans lingua, et pes corpusque trepidum revelat saepius (2).

XXXVIII. *Fugam* hinc appellat Cicero *sceleris, et conscientiae testem* (3). Nam *fugit impius, nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit* (4). Idcirco dolum ex fuga leges arguunt (5): simul ex latitatione, aut confugio ad Ecclesiae asylum (6). Istud fugae indicium ad torturam sufficere tunc putant Doctores, quotics ante accusationem, inquisitionemque sponte sua quispiam aufugerit in latebras, vel asylum (7); secus si post institutam accusationem, caeptamve inquisitionem, aut post malos in se rumores a malevolis vulgatos quis praecavere sibi imminens periculum studuerit: tunc enim fuga non intimo suae conscientiae timori, sed externo tribuitur (8).

XXXIX. Quemadmodum gladio cruento, aut veste madefacta sanguine percussor, et homicida urgetur ad iudicium, et poenam (9): ita fures etiam rebus apud se furtivis coarguuntur (10), simul et furti par-

indicia de vi recte colliguntur, Gothofredus observat ad *l. 1. §. 28. verb. auxilium rei D. ad Sen. Cons. Silan., et Claud.*

(1) Cic. *or. pro Roscio Amerino*. Spectra, et larvas reus formidans, velut conspecto Gorgonis capite monstruoso fit repente attonitus, metuque percellitur. *Quem enim* (S. Gregorius ait in *can. in cunctis 52. C. 11. qu. 3.*) *conscientia defendit, et inter accusationes liber est: at liber, vel sine accusatione esse non potest, si sola, quae interius audit, conscientia accusat.*

(2) Charisius iurec. in *l. de minore 10. D. de quaestion. Plurimum quoque* (ait) *in excutienda veritate etiam vox ipsa, et cognitionis subtilis diligentia adfert: nam et ex sermone, et ex eo qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret, vel cuius existimationis quisque in civitate sua est, quaedam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt.*

(3) Cicero *or. pro A. Cluentio.*

(4) Proverbior. *cap. 26 vers. 1.*

(5) *L. vis eius 15. C. de probationibus. Illum vero* (si quidem *administrator sit*) *iubere omnimodo exhiberi reum tanquam periturum, et pene sui accusatorem per fugam*, Iustinianus edixit *Novell. 53. cap. 4.* Cum Bonifacio Papa nullus *dubitat, quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum, ut absolvatur, qui est innocens, quaerit, cap. nullus 4. de praesumpt.*

(6) *Si qui enim mala conscientia stimulati, vel clam aufugerint, vel ad sacras aedes decurrerint*, qui *magistratu obierint ante syndicatum: substantia excident, secundum legem pro modo admissorum inter iniuria affectos dividenda* sanxit Iustinianus *Nov. 161. cap. 1.*

(7) Farinac. *qu. 98. num. 27.*, Clar. *qu. 21. num. 22.*, Reverter. *dec. 44.*, ibique de Marinis *num. 4.*

(8) Regens de Rosa in *prax. crim. cap. 8. num. 23.* Turbinem vir prudens prospectat, opportune pericula prospicit.

(9) Huc spectat M. Fabii Quintiliani *declamatio 1.* de gladio coeci filii defixo in vulnere patris necati.

(10) Fur enim manifestus iudicatur, qui rem furtivam ferens alicubi a quolibet deprehenditur, et non ubi furtum fecit, ex Ulpiano in *l. fur. est 3. D. de furtis.* Si eo rem ipsam transtulerit, quo destinavit, tametsi deprehendatur

ticipes, rerumque furtivarum emptores (1). Hinc sola furtivae rei repertio detentorem malae famae suspiciosum, cui eam celandi animus fuerit, ad torturam pertrahit ex Doctorum sententia (2).

XL. *Fama publica* quum sit *quoddam multitudinis testimonium* (3), instar unius testis de visu semiplenam fere probationem iure merito parit: quotiescumque plures eam contestes adfirmaverint ortam, vulgatamque, non a paucis, neque ab inimicis, et malevolis, incertisque hominibus, sed a probis, et nominatim certis ad maiorem loci, et viciniae partem sine fraude propagatam (4), nec diffusam temere, aut levi corde, sed ex caussa verosimili, et consensu opinionum una conspirantium, antequam diffamatus in iudicium deferretur (5). Huiusmodi qualitatum defectus aequo vicissim pondere famam extenuat (6).

XLI. *Extra iudicium confessio* criminis aperta, et pura, quam plures ab ipso reo contestes audiverint, semiplenam quoque adstruit probationem (7). Quamvis enim in iure confessus pro iudicato est, sua-

cum re furtiva, non est manifestus fur ex Ulpiani sententia in *l. sive igitur 5. D. eodem:* sed indicio urgenti detectus et animo praesumptus. *Apud quem unus, aut alter fuerit, fugitivus inventus, . . . hunc suppressorem non iure quis dixerit* cum Hadriano, et Callistrato in *l. non statim 6. D. de lege Fabia de plagiariis.*

(1) Communis praeda ex communi facinore obvenit. Qui servum alienum, vel servam *invito, vel insciente domino celaverit, emerit, sciens dolo malo, quive in ea re socius erit;* eum poena legis Fabiae teneri censuit Callistratus *in cit. l. 6. in fine.* A *transeunte, et ignoto te emisse dicere non convenit volenti evitare alienam a bono viro suspicionem*, Alex. Imp. in *l. civile 5. C. de furtis.* Hinc poenis furti obnoxios generatim declarat emptores furtivarum rerum lex municipalis in *Pragm. 11. de furtis.*

(2) Ant. Faber *de furtis defin. 4*, Vivius *dec. 14.*, addentes ad Gizzarelli *dec. 89.*

(3) Ex definitione Ciceronis in *topica num. 40.* Quod *consentiens fama confirmat rei, de qua quaeritur, fidem*, rescripsit Hadrianus a Callistrato laudatus in *l. testium 3. §. eiusdem 2. D. de testibus.* Si fidem confirmat, sola ergo fidem non facit, ex Gothofredi glossa. Simul et *communi opinione*, et quinquennali silentio omnem de ingenuo defunctorum statu quaestionem repelli, censuerunt Impp. Valer., et Gallien. in *l. si mater tua 6. C. ne de statu defunctorum post quinquennium quaeratur.* Concilium Herdense in *can. presbyter 13. C. 2. qu. 4.*, presbyterum a plebe *mala opinione* infamatum, id si legitimi testes nequeunt comprobare, suspendendum fore usque ad dignam satisfactionem decrevit, quo ad scilicet sese iureiurando cum septem collegis purgaverit. Coelestinus III. in *cap. praeterea 27. de testibus* rescripsit, si testimonio de visu vel auditu *praesumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia legitima adminicula suffragentur*: standum esse testimoniis eiusmodi.

(4) Innoc. III. in *cap. inquisitionis 21. in fine de accusat.* respondit, *quod propter famam, et deponentium credulitatem dumtaxat, non erit ad depositionis sententiam procedendum, sed infamato canonica poterit indici purgatio secundum arbitrium iudicantis: qui propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet, cuius apud bonos, et graves laesa opinio non existit.*

(5) Abbas in *cap. veniens de testibus*, et Grammatic. *vol. 34. n. 3, et 14.*

(6) Foller. *par. 1. par. 1. prax. crim. rubr. dentur capitula num. 18.*

(7) Ex communi Doctorum sententia Farinac. *qu. 82. num. 23.*, Clar. *qu. 21., et 55.* Innocentius III. hinc diaconum de adulterio gloriantem, qui suum non erubuit scelus publice confiteri, ab officio, et beneficio suspendit, *cap.*

que sententia quodammodo damnatus (1) : tamen Alexander III. rescripsit Salernitano Archiepiscopo non licere clericos coram saeculari iudice confessos de criminibus damnare , nisi postquam ii suo coram Episcopo essent ea in iure confessi , vel probatione legitima convicti (2). Et Scaevola respondit *ab his , qui in iure non interrogassent , ex responso suo conveniri non posse* confitentem (3). Ambigua , et obscura per imprudentiam, vel fortuito loculi aliquando suspicionem ore suo in se movent. Ita latrones, qui necarant in solitudine Ibycum Rheginum , poetam lyricum , supervolantes grues obtestatum , quum in foro sedentes , gruibus illac praetereuntibus , ioco invicem susurrassent : *en Ibyci ultores* , mox interrogati , quosnam ii conspicerent Ibycum ulturos ? post varia, et absurda responsa, tandem tormentis adacti suum ipsi facinus in iure manifestarunt. Quia incertum in Iure , confessus pro iudicato non est ex Ulpiani sententia (4): idcirco extra iudicium sermocinatus aliquid ambiguum, et incertum, coniecturam suggerit semiplena probatione leviorem , eoque plus ambiguam.

XLII. Offensus, lethali puta vulnere affectus, ore non semel suo percussorem, ex intervallo nominat, et indicat. *Si quis*, Ulpianus ait (5), *moriens dixisset, a servo vim mortis allatam esse sibi: dicendum est esse credendum domino , nisi potuerit, et probari.* Ex coniunctionis particula, et probe coniicitur Iureconsultum nonnullam , quamvis non integram morienti fidem adhibuisse, quam aliae in iudicio probationes adminiculentur, et impleant. At quo leviorem pagani iudices habebant vocem eiusmodi morientis percussorem suum indicantis; eo ponderosior est apud christicolas , praesertim ea si fuerit iureiurando firmata. Profecto *neminem divini timoris contemnendo iusiurandum arbitramur immemorem: ut saluti propriae ullum commodum anteponat* , ex lege Theodosii, et Valentiniani (6): eoque magis ut mendacio, et periurio velit aeternas ipse poenas certo luere, dum in temporarias, et corporeas impellere per calumniam studet inimicum suum. Hinc sola morientis vox aliunde non suspecta reum nuncupans sufficere non modo ad capturam, sed torturam quoque Doctoribus visa iure merito est (7). At vero quaerelantis, cui nullus mortis timor immineat, indicatio nullum

quam sit grave 9. de excess. Praelator., poena scilicet extraordinaria mitiori eum coercuit , quia non convictum , neque confessum in Iure : sed suo ipsius ore , indicioque urgenti detectum.

(1) Paull. in *l. 1. D. de confessis* , et Ulp. in *l. certum 6. D. eodem*, et Innoc. III. in *cap. cum super 2. eod. tit.*

(2) Alex. III. in *cap. at si clerici 4. de iudiciis.* Ulpianus in *l. certum 6. §. 7. D. de confessis* dubitans quaerit *: si quis absente adversario confessus sit , numquid non debeat pro iudicato haberi ?* nec solvit Iurec. quaestionem.

(3) Scaevola in *l. procuratore Caesaris 22. D. de interrogationibus in Iure faciendis.*

(4) Ulp. in *l. certum 6. D. de confessis.*

(5) Ulp. in *l. si quis 3. §. 1. D. ad Sen. Cons. Silan.*

(6) Theod., et Valent. in *l. sancimus 6., et ult. D. ad legem Iuliam repetundarum.*

(7) Reverter. *dec. 46*, Farinac. *qu. 46. num. 1., et 57.*, Marsil. in *prax. crim. §. diligenter num. 128.* , Foller in *cit. prax. par. 1. par. 2. rubr., item quod*

omnino gradum probationis coniecturalis facit, quum iura non patiantur, ut unus, idemque sit accusator, et testis (1).

XLIII. *Effectus* praeteriti criminis quoque indicium praesefert modo certum, et indubitatum, veluti partus innuptam necessario ream stupri ostendit, et uxorem adulteram, quae post annalem viri sui absentiam pepererit, modo incertum, sed urgens, et probabile, sicuti adulterae signum est eam in balneo lavari cum viris, aut convivere cum suspectis adolescentibus, aut familiariter alicuius amicitia uti (2). Furti coniecturam ex lucri magnitudine, opibusque cito adcumulatis oriri, et eiusmodi *suspicione atrocissima* Verrem urgeri Tullius asseveravit (3): nam repentinas divitias, dum non pateat iusti dominii origo legitima, nullus est, qui male partas non aestimet.

XLIV. Per coniecturas iam expositas probatio *artificialis* a Quintiliano appellatur (4): quia tota est in arte conquirendi ea indicia, quae latitantes reos, et occulta crimina e tenebris proferant in lucem iudicii, ut deludatur eorum ars, qui scelera consueverunt occultius conari, et cautius efficere. Istius liberalis artis praecepta praecipua in eo versantur, ut unumquodque indicium plene, ac rite probetur, et plura simul accumulentur, quae animum aequi, et boni viri necessitate cogant id credere, ut verum, seu potius verosimile, quod is iure dubius abnuere narrantibus alioquin soleat, a credula in vitium turba dissimillimus. *Imperfecta* indicia, quae nimirum probata nec rite, nec plene sint, artificiosus respuit iudex, tamquam inania, et inepta. Ut porro mutila singulatim membra nequeunt quomodolibet compacta in corpus integrum exsurgere, sic defectiva indiciorum singula invicem glutinari non possunt ad perficiendam integre probationem legitimam.

XLV. Hinc patet, quonam pacto concilientur discordes Doctorum opiniones in ea quaestione (5), quam saepe forus audit, an semiplenae duae probationes eatenus iungantur, ut plenam exhibeant probationem? In criminalibus quippe iudiciis affirmantem sententiam suprema tribunalia probe sequuntur ex consuetudine (6), inferiora secus (7); eam-

sororem venenavit num. 27.; contra Bertrand. *cons. 137. par. 2.*, et Grammatic. *cons. 57. num. 15.*, aliter sentientes, et morientis offensi vocem acquantes quaerelae accusatoris.

(1) Id quod affatim ostendit Gratianus *Causa 5. qu. 4., et can. 4., et 5. C. 5. qu. 5.*

(2) Quintilian. *cit. lib. 5. inst. orat. cap. 9.*

(3) Cic. *orat. 3. in Verrem.* Eamque ob rem *Philipp. 2., modo egens, repente dives* M. Antonius ab ipso oratorum principe redargutus est.

(4) Quintil. *lib. 5. cap. 8. de probatione artificiali.*

(5) Hanc pertractat Iulius Clarus *lib. 5. §. fin. qu. 53.*, Ant. Matthaeus *ad lib. 48. D. tit. 15. de probat. cap. 6. in fine.* Th. Xav. Caravita *instit. crimin. lib. 2. §. 3. cap. un. num. 8., et seq.*

(6) Id in S. R. C. Neap. decisum fert Grammatic. *dec. 12.*, in Senatu Mediolani Farinac. *lib. 4. qu. 86. num. 82.*, Clarus *loc. cit.* Hanc sententiam probat hoc in regno *Pragm. 13. de offic. iudic.* vetans Curiis Baronum, et regiis etiam inferioribus arbitrium reos poena ordinaria plectendi ex indiciis indubitatis, quod Regiis Audientiis, et Collegiis iudicum, et M. C. Vicariae solum largitur.

(7) Farinac. *ibidem num. 113.*, Carrerius in *prax. tract. 3. de homicidio n.*

que in foro ecclesiastico pro censuris infligendis sunt qui speciatim probant (1), alii tandem in caussis civilibus, et pecuniariis generatim consentiunt, in criminalibus negant poenae tantum ordinariae, non extraordinariae locum esse (2).

TIT. IV.

De citatione et custodia reorum

I. Visa informatione, minister Fiscalis instabit reum vel citari, et capi, vel dumtaxat citari ad informandum, aut deponendum, aut dicendam caussam quare, prout caussa postulaverit.

II. Iudex inde hanc, vel illam citationis speciem decernit pro qualitate indiciorum plus, minusve urgentium, et meritis caussae.

III. In carceribus ad custodiam, et iudicii securitatem, non ad poenam detruduntur saepe rei enormium criminum ex indiciis ad capturam idoneis.

IV. Confugientes ad Ecclesiam, si delata crimina eos asylo indignos proclamaverint, et indicia ex processu laico pateant ad capturam sufficientia, Episcopus dioecesanus iudici laico petitam non debet licentiam denegare illos abducendi ad carceres iure Concordatorum.

V. Citatione personali ad informandum in ius ii vocantur, et simul rapiuntur ad carceres, in quos urget semiplena probatio criminis capitalis, aut plena probatio criminis citra relegationem coercendi.

VI. Laicos in haeresim lapsos, seu errantes in fide nunc prohibentur Episcopi sine Regis permissu in ius vocare, aut ad carceres trahere. Quemadmodum et iudex laicus accusatum de stupro sine vi admisso, nisi correa prius in custodia publica, vel claustro, vel honesta domo se sistat.

VII. Ad deponendum, tamquam principalis citatur ex levibus in-

6., Bossius *tit. de conviction. num. 34., et seq.* contra Felinum aliter sentientem.

(1) Cum M. Ant. Genuense in *prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 23. num. 18.*

(2) Cum Iulio Claro *loc. cit.* Gabriel *concl. 1. de probationibus num. 52.* exinde arguit, ubi statuto vetitus fuerit accessus ab uno ad alterum locum, et certa ob id poena indicta, non sufficere huiusmodi poenae infligendae iunctam ex duabus probationem: si duo nimirum contestes Titium viderint ingressum procedere usque ad dimidiam viae partem, eumque plures alii contestentur reliquum iter exinde fecisse. Non absimilis dubitatio, an reum iteratae uno die celebrationis Missarum plene convincant, ut poenam subeat ordinariam, vel dioecesana Synodo, vel episcopali edicto sancitam, duo pluresve testes Missam unam, et totidem alii alteram uno, eodemque die dissitis in locis, et horis celebrari coram sese conspexerint.

diciis ad torturam non sufficientibus inquisitus de capitali crimine, aut ob levius crimen semiplene probatum.

VIII. Citatio ad deponendum simpliciter locum habet, quoties ambigua, et illiquida erit informatio.

IX. Alia vero ad dicendam caussam quare, usuvenit in foro laico, ubi agitur de poena tantum pecuniaria, vel de crimine laesae Maiestatis, et in foro ecclesiastico, ubi censurae sint infligendae.

X. Citatoriae litterae exprimere, palam debent citantis iudicis nomen, locum iudicii, peremptorium terminum, et specialem criminis caussam.

XI. Exemplum videsis in galeata forma citationis.

XII. Citandum servientes Curiae, vel ducunt ad carceres, id si iudex imperaverit, vel citatorias litteras eius persona ostendunt, copiamque earum tradunt, vel eo latitante, aut absente ista domi traditur alicui consanguineo, aut domestico, aut citatur per edictum in locis publicis adfigendum.

XIII. Citatus personam suam debet omnino sistere in iudicio: quamvis liceat cuilibet contumaciam eius ex iustis caussis excusare.

XIV. Illustres autem personae, universitates, et collegia possunt per procuratorem comparere, suaque iura, et defensiones proferre.

XV. Post litem contestatam peracto examine fas est cuilibet reo praesenti suas agere defensiones per procuratorem.

XVI. Qui suum quoque iudicem uti suspectum recusaverit, citatus debet personaliter comparere, suspicionis caussas rite coram arbitris probaturus.

§. I. De contumacia.

XVII. Citato intra peremptorium terminum semel, et iterum incusatur contumacia, simulque declaratur contumax poenae contumaciae incurrisse.

XVIII. Communi iure in absentes contumaces potest pecuniaria mulcta, vel poena usque ad relegationem irrogari.

XIX. Pecuniaria contumacium poena in foro laico variis Regni constitutionibus, et ritibus indicta, nunc arbitrio iudicum in regiis tribunalibus exigitur.

XX. In foro ecclesiastico citatus ad dicendam caussam quare, in contumaciam eadem censura coercetur, quam canones in delatum crimen sanxerunt.

XXI. Capitalium criminum reos post annum contumaciae forus

laicus plectit confiscatione bonorum omnium, et proscriptione, quam nostri foriudicationem appellant.

XXII. Et quoties M. C. Vicariae, vel Regiae Audientiae delegato iure procedunt in scelestiores facinorum reos, annum contumaciae ad menses breviant Regiis Pragmaticis pro sceleris qualitate statutos.

§. II. De reo in iudicium veniente, vel exhibito.

XXIII. Qui sponte sua non citatus in iudicium venerit, mos est eum relaxare cum mandato extra carceres, nisi enormitas criminis, et conquisita indicia aliter postulaverint.

XXIV. Idipsum obtinet obediens citationi ad deponendum, atque ad informandum quoque, nisi aliud iudex arbitrabitur pro meritis caussae.

XXV. Terminus ad comparendum quandoque prorogatur ex legitimis caussis per excusatorem expositis, audito querelante, ac Fisco.

XXVI. Citando, atque ad carceres ducendo sine vexationibus debent satellites Curiae mandatum de capiendo legitimum ostendere, si postuletur.

XXVII. Deprehensos tantum in ipso flagrante crimine fas est nedum satellibus, verum privatis etiam hominibus capere, statimque suo iudici exhibere, ne crimen privati carceris incurrant.

XXVIII. Clericos etiam, et religiosos viros, et exemptos quoslibet ita deprehensos licet utique etiam laico mancipare vinculis, et coram proprio eorum iudice sistere.

XXIX. Dubitans iudex laicus de statu clericali, vel vitae clericalis desertione captum, nonnisi re cognita remittit ad forum eius una cum actis.

XXX. Res fraudato vectigali obnoxias, aut arma regiis Pragmaticis vetita clerici secum si deferant, eas laici satellites dimissa persona sibi retinent.

I. Post absolutam informationem Fisci promotor, vel advocatus, vel coadiutor, visis actis (1), instabit pro indiciorum copia, et criminis qualitate, reum in utroque foro *citari*, vel *ad informandum*, *et capi*, vel *ad informandum* simpliciter, vel *ad deponendum, tamquam principalis*, vel *ad deponendum* sempliciter, vel *ad dicendam caus-*

(1) Idcirco statutum est Pragm. 27. §. 13 *de off. Mag. Iust.*, ut Scribae fiscales captam informationem cito nuncient, ac referant Fisci patrono, et Iudicibus sua exinde munera obituris.

sam, *quare damnari non debeat ad solvendam poenam* tot ducatorum, vel in foro tantum ecclesiastico *ad dicendam caussam*, *quare non debeat excommunicari*, seu *suspendi*, seu *interdici*, aut *declarari non debeat incidisse in excommunicationem*, seu *suspensionem*, seu *interdictum* in eo canone, seu constitutione contentam.

II. A iudice mox decernitur, quanam forma sit reus citandus, et an oporteat insimul eum in carceres detrudi. Nam id imperandi potestatem leges communes (1), et municipales (2) iudici tantum caussae cognitori largiuntur, eaque Fisci patronos, et ministros etiam expertes perhibent (3).

III. In carcerem includi neminem, nisi quos legitima indicia suspectos admissi criminis, aut fugae fecerint, leges iubent (4), una et canones (5):

(1) Impp. Valent. Theod., et Arcad. in *l. neminem 3.*, *et fin. C. de exhibendis*, *et transmittendis reis*, aperte prohibent *neminem in iudicio exhibendum esse*, *nisi de cuius exhibitione iudex pronunciaverit*. Ex Graeca etiam constitutione Iustiniani, quam ex Basilicorum libris Gothofredus in *l. neminem 6. C. de custodia reorum* exscripsit, *neminem oportet iniici custodiae absque iussione magnorum magistratuum*, *aut locorum defensorum*. Qui vero aliquem auctoritate privata adprehenderent, et ubicumque in custodia detinerent, ultimo afficiendos supplicio sanxit Zeno in *l. un. C. de privatis carceribus inhibendis*.

(2) Carolus I. Andegavensis in regni *const. contra effraenatos*, capitali quoque supplicio subiectos voluit, qui sine Superiorum mandato personam aliquam vel bona capere, vel detinere, et custodire audent.

(3) Fisci advocatis coram Imperatore vindicantibus caducam Valerii nepotis hereditatem ob inducta heredum nomina in rescisso testamento, Antoninus Augustus dixisse: *vos habetis iudices vestros*, fertur a Marcello in *l. proxime 3. D. de his*, *quae in testamento delentur*: propterea quod nulla esset officio Fisci adnexa iurisdictio. Tum Alexander *procuratores meos*, ait, vel *rationales multae indicendae ius non habere*, *saepe rescriptum est*, *l. procuratores 2. C. de modo mulctarum*, *quae a iudicibus infliguntur*. Quemadmodum et reipublicae curatoribus mulctandi ius non esse, Gordianus rescripsit in *l. curator 3. C. eodem*. Hoc in regno Carolus V. Imp. inter alias Civitati Neapolitanae largitas gratias Ratisbonae an. 1572.; *art. 23.*, speciatim inhibuit Fisci Patronis facultatem coniiciendi reos in carcerem. Id quod etiam iussit Pragm. 37 §. 24. *de Offic. Mag. Iust.*, *an. 1567*. Hinc officio fiscali ius postulandi tantum, et instandi, non iubendi reorum detrusionem legibus, moribusque concessum ferunt Cavalcan. *de brachio Regis par. 4. num. 325.*, Guazzin. *defens. 5 cap. 1. n. 4.*, Ant. Police *de praeeminent. Reg. Audient. cap. 17. num. 17.*

(4) *Nullus in carcerem*, *priusquam convincatur*, *omnino vinciatur*, Grat. Valent., et Theod. rescripsere in *l. nullus 2. C. de exhiben.*, *et transmitten. reis*. Ulpianus, *de custodia reorum*, ait, *Proconsul aestimare solet*, *utrum in carcerem recipienda sit persona*, *an militi tradenda*, *vel fideiussoribus committenda*, *vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis*, *quod obiicitur*, *qualitate*, *vel propter honorem*, *aut propter amplissimas facultates*, *vel pro innocentia personae*, *vel pro dignitate eius*, *qui accusatur*, *facere solet*, *l. 1. D. de custodia*, *et exhibit. reorum*. Utque mandatum de capiendo, nonnisi post visam informationem valeat relaxari, cautum est Pragm. 5. §. 6. *de offic. Mag. Iust.*, quemadmodum et citationes alias criminales, ex *Pragm. 37. §. 1. eod. tit.*

(5) Filius hebraeae mulieris de viro Ægypto conceptus quum nomen Domini blasphemasset iurgatus in castris cum viro Israelita; *adductus ad Moysen*: *miserunt eum in carcerem*, donec nossent quid iuberet Dominus, Levitici *cap. 24. vers. 12.* S. August. in *Ioann. Receptiones in custodiam*, inquit *pro me-*

ut custodiantur incolumes ad exitum usque iudicii (1), non, ut inibi torqueantur ad interitum, et macerentur inedia, vel acerbitatibus (2). In caussis capitalibus generatim, ubi agitur de poena ultra relegationem infligenda, ius regni etiam imperat inquisitos in suspicionem adductos vinculis mancipari (3): mores autem comprobant ad capturam

ritis caussarum adhibentur: alios iubentur custodire lictores humano, et mili officio, atque civili, alii traduntur optionibus, puta ministris centurionum, *alii mittuntur in carcerem, et in ipso carcere non omnes, sed pro meritis caussarum in ima carceris detruduntur.* Bonifacius VIII. in *cap. si clericos 15. de sent. excomm. in VI.* constituit accusatos clericos, ne fugiant, in carcere ad custodiam includendos: at fideiussoriam dantes cautionem de parendo iuri dimittendos tunc esse, nisi enormitas criminis, aliave ratio detineri eos inibi suaserit: Paulus III. in *const. ad onus 44. §. 5.* haec habet: *iudices praedicti sine legitimis indiciis praecedentibus neminem capi mandent, nisi Gubernatori ex legitima caussa aliter visum fuerit... verum si infra biduum indicia non supervenerint, relaxetur.* Videsis Scanarol. *lib. 2. de visit. Carcer. ad §. 5. cit. const.*

(1) *Solent enim iudices in carcere continendos damnare, aut in vinculis contineantur, sed id eos facere non oportet: carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet*, Ulp. in *l. aut damnum 8. §. solent 9. D. de poenis.* Idemque iurecon. verum esse commonet *eum, qui in carcere clausus est, non videri neque vinctum, neque in vinculis esse: nisi corpori eius vincula sint adhibita, l. verum est 215. D. de verb. sign.* Nam *vinculorum appellatione, vel privata, vel publica vincula significari, custodia vero tantum publicam custodiam*, Venuleius tradit in *l. vinculorum 224. D. eodem.*

(2) Constantinus in *l. 1. C. de custodia reorum* inquit: *reum exhibitum non per ferreas manicas, et inhaerentes ossibus mitti oportet, sed prolixiores catenas (si criminis qualitas etiam catenarum acerbitatem postulaverit), ut et cruciatus desit, et permaneat sub* fida custodia. Nec vero *sedis intimae tenebras pati debebit inclusus, sed usurpata luce vegetari, ac sublevari: et ubi nox geminaverit custodiam in vestibulis carcerum, et salubribus locis recipi: ac revertente iterum die ad primum solis ortum illico ad publicum lumen educi, ne poenis carceris, perimatur: quod innocentibus miserum, noxiis non satis severum esse dignoscitur.* Fridericus II. Imp. in *const. humanitatem, squallore carceris*, ait, *macerari non volumus accusatum.* Nullus ut aditus sit ad horridos, et asperiores carceres regiis Pragmaticis nostris omnino vetitos: Rex Carolus constitutione, quam edidit 14. Martii 1738. §. *ult. num. 3., et 4*, iussit eos, ut quisque Praefectus aulae regiarum Audientiarum bis quotannis visitent, atque ad praescriptam regiis Pragmaticis formam construi, aut reduci satagant. Et §. 8. *num. 12.* praeterea sanxit, *che i carcerati non si possano tenere con cannale, ceppi, e manetti senz'ordine in iscritto del Commessario: ed in caso di controvenzione debba essere il carceriere severamente punito. Pragm. 6. de Off. Mag. Iust.*, propterea imperat visitationem captivorum singulis sabathi diebus ab uno Iudicum M. C. V. peragendam, et aliam quolibet mense extra careceres obeundam. §. 2.

(3) Carolus II. Andegavensis in *cap. ab illo inchoandum 1. de inquisitionibus* cavit reos fore in carceribus detrudendos, statim ac iudici constiterit crimen morte vel naturali, vel civili, vel alicuius membri abscissione coercendum, priusquam publicetur informatio, et ante defensiones. Tum edixit Iohanna II. in M. C. V. *ritu 41.* incip. *item si accusetur aliquis*, de quovis crimine inquisitum, ubi testis unus de visu, aliique de publica fama in eum testimonia tulerint, posse in vincula tradi, *in quibus* scilicet *ipsa Curia consuevit ponere in torturam reum.* Pragm. 1. *de custodia reor.* proscriptis abusibus iubet, *constitu-*

indicia leviora, quam ad torturam sufficere, ut providus iudex, antequam informationis testimonia scribantur, ubi crimen in genere pateat, et suppetant in aliquem argumenta criminosa, eum rapi cito studeat in iustodiam publicam, si fuga poterit iudicium praevertere (1).

IV. Ad Ecclesiam ubi reus confugerit, cui nullum ecclesiasticae emmunitatis beneficium indulgeat lex Concordatorum an. 1741. ob delati criminis enormitatem: laicus iudex ab Episcopo, aliove loci ecclesiastico Superiore licentiam extrahendi eum postulabit, cum solis ad capturam indiciis praestita in scriptis obligatione ipsum loco Ecclesiae suis in carceribus detinendi, ac restituendi Ecclesiae, statim ac declaratum rite fuerit eumdem asylo gaudere; tum Praelato vel permittente, vel dissentiente confugam, ut armata familia abducat inde ad carceres omni amoto scrupulo mandabit (2): ne templum Dei, quae domus orationis est, fiat spelunca latronum, et homicidarum. Idcirco Praesul ecclesiasticus, ut primum rogatus noverit ex titulo inquisitionis indignam asylo speciem criminis, nulla interiecta mora petitam largietur licentiam abducendi confugam (3) hoc pacto, ut insimul adsit vir ecclesiasticus modo dictam in scriptis obligationem ab laicis extrahentibus accepturus. At quoties crimen confugae illatum eiusmodi non erit: nec laico magistratui petere, nec Praelato loci ordinario indulgere tunc licebit extractionem illius sub poena violatae immunitatis, nimirum excommunicationis latae sententiae. Si vero dubium sit crimen, puta si vulnus letbale quis intulerit, unde secutura vulnerati mors timeatur probabiliter: consuevit Archiepiscopalis Curia Neapolitana adhuc assentiri, ut ab asylo Ecclesiae ad laicos Magnae Curiae Viciariae carceres confugae transferrentur ea lege, ut percusso exinsanitati restituto ad Ecclesiam redirent, eoque mortem obeunte in eisdem remanerent carceribus. Idipsum permittere sicubi renuissent lo-

tiones, et capitula regni providentia, quod antequam incipiat constare de malefitio, idonee cavens de persona non detineatur; inviolabiliter observari. Pragm. 6. *de meretricib.* item cavet, *che non abbiano da carcerare nessun suddito di fatto, se non* iuris ordine servato, *precedente debita citazione* ad informandum *: però occorrendo alcun omicidio, aborto, o altro delitto grave, ove fosse perieolo in mora, lo debbano fare.* Pragm. 4. *de visitand. carcerat.* commonet, reos non esse in vincula conficiendos, quoties inde ii erunt *cum mandato per palatium* relaxandi.

(1) Eiusmodi morem quum antiqui, tum recentiores tradunt, praecipue Sebastianus de Neapoli, et Io. Ant. de Nigris in *comment. ad cit. cap. 2. Caroli II.*, Caravita, et Petra *ad M. C. rit. 41.*, Reg. de Ponte *de pot. Prereg. tit. 1. num. 19*, et Reg. de Rosa in *prax. crim. cap. 3. num. 11.* At cautius erit antea summatim duo saltem testimonia suscipere de suspicione fugae, ad formam M. C. V. ritus 170, ex traditis a Petra *ibidem num. 9.*, et Rosa *in cit. prax. cap. 9. num. 4.*

(2) Id Concordata praescribunt *cap. 2. art. 1, et 2.*

(3) Ben. XIV. in *const. officii nostri 29. §. 12. to. 3.* Bullarii, Episcopos commonet, ut cito inspectis indiciis ad capturam assentiantur confugas, aut ad episcopales, aut laicos carceres traduci. Et quoties extra provinciam, seu territorium delicti reus ad Ecclesiam confugerit, indicia conquisita, ut Episcopus loci, in quo delictum acciderit, et iudicatur, ad Episcopum confugii dioecesanum, cuius erit extractionem indulgere, transmittat.

corum Ordinarii: satellites ad custodiendum extrinsecus locum immunem, quo se receperat inquisitus, censuit laica Potestas circum collocare, extractionem differre coacta, quoad usque mors, quae timebatur, obvenisset. Ad amovendam hanc ab Ecclesiis obsidionem Benedictus XIV. consulto indulsit, ut vulnerantes proximum ad mortem e locis immunibus extrahantur, illuc restituendi, ubi mors intra tempus lege praefinitum non sequatur, *si chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti, grave vitae periculum adesse retulerint* (1).

V. Quod reus *citetur ad informandum, et capiatur*, tunc recte decernunt primum iudices nostri, quum in reum urget semiplena saltem probatio; seu indicia ad torturam sufficiunt, eritque poena criminis corporea relegationem excessura (2): dein quoties in caussis leviorum criminum plena probatio, indiciave indubitata concurrunt ad reum satis convincendum (3). Hanc ideo citationem forenses *personalem* appellant, quod ipsamet persona cogatur iudicio sisti, atque ad carceris custodiam vi publica pertrahatur. Arbitrio autem suo in hisce casibus possunt iudices aequi, et boni quum saeculares, tum ecclesiastici reos citare *ad informandum* simpliciter, ut saepe fit, non suspectos fugae, nec poenis capitalibus obnoxios, eorumque capturam quoad volent differre (4).

VI. At inquisitos fidei tam laicos, quam clericos, necnon in ceteris fori ecclesiastici caussis criminalibus (5) laicos tantum nunc prohibentur iudices ecclesiastici quum citare, tum detrudere in carceribus: nisi postquam dederint ad Regem acta informationis originalia, regiumque inde placitum obtinuerint procedendi ad citationem iuridicam, et capturam, atque ad ulteriora, sicuti Rex Carolus rescripsit die 29. Decembris 1746. (6). Accusatos praeterea de stupro non esse in carcerem coniiciendos in foro laico, nisi et mulier stupri sine vi admissi cor-

(1) Idem Pontifex *ibidem* §. *11.*

(2) Ex Pragm. *37. de offic. Magistri Iustitiarii*, ibi: *Citationes ad informandum non expediantur, nisi existentibus legitimis iudiciis*, h. e. ad torturam sufficientibus, uti exponunt Laganarius in *comm. eiusd. Pragm.* Vivius *fec.* 121., de Rosa *in cit. prax. cap.* 9. *num. 12.*

(3) Reg. de Rosa *loc. cit.*

(4) Reg. de Marinis *lib. 3. alleg. 139. num. 3.* Cuiusmodi arbitrium comprobant iura paullo superius adducta *hoc tit. num. III.*

(5) Quas iam recensui superiori *lib.* III. tit. XII. num. III. ad X. ex Concordatis *cap. 6.*

(6) Regium istud rescriptum, superius memoratum *tit. 1. num. IV.*, haec habet: *Che per quel, che riguarda gli ecclesiastici secolari, o regolari inquisiti di eresia, ovver di leggiero, o veemente sospetto della medesima, come pure rispetto a laici nel solo delitto dell' eresia, o di altro delitto del privato conoscimento della sola Potestà ecclesiastica sopra di essi laici, a tenore del capo 6. del Concordato: la detta Curia Ordinaria Arcivescovile* (di Napoli ed ogn' altra del Regno) *non debba procedere a citazione nè carcerazione: se non esibisca prima a S. M. il processo informativo, e non abbia indi ottenuto il regal permesso di poter eseguire la citazione, e la carcerazione, e di procedere avanti nella causa.* Quod firmavit etiam Rex Ferdinandus noster novissimo rescripto ad equites in S. Officii tribunal Deputatos datum die 8. Augusti 1761.

rea, et accusatrix in custodia publica continetur, si ea ignobilis erit, aut in honesta domo, vel monasterio loco carceris, usque ad iudicii exitum, Rex idem sanxit (1).

VII. Citationi *ad deponendum*, *tamquam principalis* locus primum est, in capitalium quoque criminum inquisitione, quoties ita levia erunt indicia, ut non sufficere ad torturam putentur. Si tamen citatus *ad deponendum* intra constitutos dies non comparuerit, post incusatas rite contumacias decerni tunc solet, *quod citetur ad informandum*, *ex quo contumax ad deponendum* (2). Indiciis porro defectivis pondus non modicum addit contumacia formidantis, et fugientis iudicium (3). II. isthaec *ad deponendum tamquam principalis* citatio usurpatur in leviori bus crimi nibus, et delictis, non plene, sed semiplene probatis, quantumlibet satis ad torturam urgeant indicia (4).

VIII. *Ad deponendum* simpliciter, sine clausula *tamquam principalis*, tunc citatur inquisitus, ubi factum ita illiquidum et ambiguum exhibeat informatio, ut aequa probabilitate dubitetur; innoxium ne illud sit, an criminosum, praesertim fama si bona citandus fruatur, vel mala saltem non laboret. Ex. gr. dum aliquis de fraude, ac dolo in aliena pecunia, vel accepta, vel retenta accusatus fuerit, in eumque nullum constiterit fraudis, vel doli consilium, sed sola pecuniae acceptio, aut retentio: iustus rerum aestimator ipsum tunc interrogare ante debet, ac perscrutari, quonam is animo eam acceperit, ac retineat, quam in dubio dolosum, et fraudulentum praesumere (5). Pariter in querela de vi privata si dubitetur, an factum violentum, et manifestum sua quis auctoritate per iniuriam, an iure suo utens, vel conscio magistratu gesserit, non est interea ei crimen temere imponendum (6). Praeterquam quod nonnulla sunt malefacta, quae nullam in iudicio poenam promerentur secundum leges (7).

(1) Pragm. *an. 1738. § 6. art. ult.*

(2) Addentes ad Rovit. *super Pragm 37. de offic. Mag. Iustit. ver. adnotare.*

(3) Ex supradictis *tit. III. num. XXXVIII.* Nam *non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit*, inquam cum Avoleno in *l. potest 199. D. de reg. Iur.*

(4) Reg. de Rosa in *cit. cap. 9. num. 11.*

(5) Nam *fraudis interpretatio non ex eventu dumtaxat, sed ex consilio quoque desideratur*, Papinianus docet in *l. fraudis 79. D. de reg. Iur.* Concinit Paullus aiens: *nihil dolo creditor facit, qui suum recipit, l. nihil 129. D. eodem.*

(6) Paullo enim Iurec. *non videtur vim facere, qui iure suo utitur, l. factum 155. D. eodem*, et Gaio in *l. nullus 55. D. eodem.* Similiter *is damnum dat, qui iubet dare: eius vero nulla culpa est, cui parere necesse sit*, idem iurec. ait in *l. is damnum 169. D. eodem.* Et nemo *damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet, l. nemo 151. D. eodem.*

(7) Ulpianus in *l. etsi quis § divus D. religios. et sumpt. funer.* tradit heredem, qui prohibet funerari ab eo, quem testator elegit, non recte facere: poenam tamen in eum statutam non esse. Idemque in *l. 3. § divus D. de sepulcro violato*, censuit nullam eos poenam meruisse, qui corpus defuncti in itinere per vicos, aut oppida transvexerint: quamvis talia sine permissu eorum, quibus permittendi ius est, fieri non debeat. Alphenus in *l. heres 12. D. de usuf. legat.* respondit heredem impune demoliri villam in fundo positam,

IX. Postrema forma citationis *ad dicendam caussam quare* usuvenit in tribus caussarum generibus. I, in malefacti poenam dumtaxat pecuniariam inferentibus; puta damnis datis, aut spreto iudicis mandato, mos est reum citari *ad dicendam caussam, quare solvere non debeat poenam ducatorum* tot in eo loci statuto, vel iudicis mandato contentam. II, rebelles in Principem, supremamque Potestatem citantur ad dicendam caussam, quare declarari non debeant incidisse in crimen laesae Maiestatis, et poenas ob id sancitas (1). III, in foro ecclesiastico, dum agitur de aliqua infligenda censura spirituali, *reus citatur ad dicendam caussam, quare* (2) *non debeat excommunicari*, aut *suspendi*, aut *interdici a divinis*, ubi ferendae sit sententiae censura. Si latae vero sententiae ea fuerit: *quare declarari non debeat incidisse in excommunicationem*, ex gr. *contentam in can. si quis suadente C. XVII. qu. 4*: aut *in suspensionem ipso iure inflictam a Conc. Trid. sess. 23. de ref. cap. 10*: aut *in interdictum ipso facto latum in cap., Episcoporum de privilegiis in VI.* (3).

X. In citatoriis litteris plura sunt exprimenda, ut eae valeant citatum iure cogere ad parendum: quae illum, ubi fuerint silentio praetermissa, a contumacia excusant, immunemque faciunt. *Caussa*, videlicet crimen, propter quod in ius quisque vocetur, patefiat potissimum oportet (4): simul et *nomen* citantis iudicis, *locus* iudicii ad comparendum condictus, *terminus* dierum congruus, et *peremptorius* (5).

cuius usufructus ad alterum pertinet, antequam prohibuerit usufructuarius. Huc etiam spectat illud Modestini: *semper in coniunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed et quid honestum sit, l. semper 42. D. de ritu nuptiar. et l. semper 197. D. de reg. Iur.* Simul Paullus ait: *non omne, quod licet, honestum est, l. non omne 144. D. de reg. Iur.*

(1) Ex traditis a Capic. Latr. *dec. 167. lib. 2.*, et Reg. de Rosa in *prax. crim. cap. 10. num. 29.*

(2) M. A. Genuens. in *prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 29. num. 16.* post Glossa in Clementina *praesenti de censibus*, verb. *constiterit.*

(3) Hanc citandi formam videntur maiores accepisse a libro *constitutionum* vulgo *Apostolicarum*, unde Gratianus exscripsit hocce fragmentum in *can. nemo Episcopus II. C. 2. qu. 1. Nemo Episcopus, nemo presbyter* excommunicet *aliquem*, *antequam* caussa *probetur*, propter quam *ecclesiastici canones hoc fieri iubent.*

(4) *In citatione talia sint expressa, per quae plene possit instrui citatus, super quibus in iudicio conveniatur*, ex Clementina 2., *ut lite pendente.* Consonat Ius civile in *l. aut qui aliter 5. §. 1. D. quod vi, aut clam.* Regio simul rescripto 29. Decembris 1746., quod pluries memoravi, cautum specialiter est *che in tutte le citazioni da farsi tanto per le cause di fede, quanto per qualsivoglia altra causa ordinaria così di rei principali ecclesiastici, o laici, come de' soli testimoni laici, debba la menzionata Curia Arcivescovile esprimere la* causa *specifica del* delitto, *per la quale siensi spedite le dette citazioni.* Abolita hinc est forma extraordinaria citandi reos haeresis, quae caussam reticebat specialem nempe errorem, aut suspicionem in fide in ipsos delatum reticebat de stylo supremae Inquisitionis S. Officii, quem innuit M. A. Genuensis in *cit. prax. cap. 84. num. 2.*

(5) *Debebit et diem, et horam*, Ulpianus monet, *denunciatione complecti, et ubi, et quod opus futurum sit, neque perfunctorie, aut obscure dicere, aut de-*

XI. Propterea citationis formam propriis hisce lineamentis absolutam sic exprimunt periti: *De mandato Archiepiscopalis Curiae Neap.*, aut *M. C. Vicariae, instante parte querelantis, ac Fisco a servientibus eiusdem Curiae citetur N. N , quatenus intra dies tres post notificationem continuo numerandos, quorum primus pro primo, secundus pro secundo, tertius pro tertio, et postremo termino indicitur, praecise, et peremptorie compareat personaliter in ea ipsa Curia ad eam informandum,* vel *ad deponendum etc. super informatione contra eum ipsum capta de* eo *furto* , vel *homicidio* , aliove crimine *patrato in personam* illius: *alias procedatur in contumaciam.* Vel *ad dicendam caussam , quare declarari non debeat incidisse in censuram excommunicationis contentam in can. si quis suadente diabolo XVII. q. 4. eo quod pravo spiritu concitatus clericum N. percusserit, vel necacaverit, prout ex actis: alias etc.*

XII Quem iudex decreverit *citari ad informandum, et capi,* eum personaliter apprehendere curabunt satellites Curiae, atque ad carcerem ducere, ut praesens iudicio sistatur: eorumque manus, ubi fugiens, aut latitans evaserit, litteras citatorias ab iudice subscriptas , et sigillo Curiae obsignatas curialis famulus in ea domo, quam consuevit inquisitus inhabitare , tradet coram duobus saltem testibus alicui consanguineo , vel familiari habitationis consocio, eas quam primum curaturo ad ipsum reum nunciare (1). Si nullum vero is vagabundus fixum habeat domicilium , vel non tutus ex paratis insidiis famulo sit accessus ad domum eius, tunc citatio fiet , vel alta voce praeconis (2) vel per edictum in locis publicis, ac domicilio finitimis, ab eoque ipso frequentatis adfigendum (3). Citationem sine captura quoque mandatam serviens primum satagat ipsimet reo nunciare , ostendens ei litteras citatorias , earumque exemplum relinquens, quum lex communis, et municipalis, nonnisi latitantes, ac fugatos indulgeat domi , aut per edictum citari (4).

XIII. Mox citatus necesse omnino habet semetipsum, non procuratorem suum in iudicio sistere, capitibus inquisitionis primo responsurus, mox sua defensionis capita praesens probaturus: tam si de capitali, quam

nunciare , neque tam arctare adversarium , ut intra diem occurrere ad respondendum non possit, l. aut qui aliter 5. §. 1. D. quod vi , aut clam Regni *const. edictorum* in citationibus debere *dilucide contineri ,* ait, *coram, quo, et a quo , et de qua re.* Gratianus insuper *Caussa 5. qu. 2.* multos promit canones , quibus praecipitur quemlibet debere non semel , sed bis , et tertio citari , mox per congrua dierum intervalla expectari , ut canonica sit citatio , suamque vim obtineat. At invaluit in utroque foro stylus adhibendi unam pro trina peremptoriam citationem.

(1) Ex *l., aut qui aliter 5. §. 2., et 3. D. quod vi , aut clam, et l. 1. D. de libris agnoscendis* , et regni *const. citationis litterae, et Pragm. 2. de ord. iudic.*

(2) Ex *l. divus 7. D. de in integrum restit. et l. 1. §. item eum ex edicto D. quae sententia sine appell. rescind.*

(3) Ex *Clementina 1. de iudiciis.*

(4) Grammatic. *cons. crim. 71. num. 6.,* Borrell. in *summa decis. tit. 44. de citat. num. 22* , Reg. de Rosa in *prax. crim. cap. 9. num. 30., et 31.*

si de crimine leviori agatur (1), si velit contumaciae poenas evadere, etiamsi de pecuniaria tantum poena spreti mandati agatur (2). Nihilominus cuilibet etiam sine mandato defensionem absentis leges indulgent (3), non modo ad excusandam contumaciam ex caussa, ex. gr. legitimae absentiae, infirmitatis, captivitatis, brevis termini, citationis circumductae, itineris non tuti (4), id genus cetera: sed etiam ad ostendendam innocentiam ex iisdem actis in contumaciam congestis, et provocandum a sententia damnationis (5).

XIV. Illustribus tantum personis caussam *iniuriarum* criminaliter quum movere, tum suscipere, seu defendere per procuratorem primus indulsit Zeno Imperator (6). Roberto dein Regi Neapolitano placuit, ubi plures, quam decem in ius de uno, eodemque crimine deferrentur, eos posse impune mittere procuratorem pro se ipsis responsurum, qui absentium caussam ab initio sumat, et peragat, excepto dumtaxat crimine haeresis, et laesae maiestatis (7). Pariter Fridericus II. Imperator Uni-

(1) Papinianus in *l accusatore 13.*, *et penult. D. de public. iudic.* ait: *Ad crimen iudicii publici persequendum frustra procurator intervenit, multoque magis ad defendendum: sed excusationes absentium ex SC. iudicibus allegantur: et si iustam rationem habeant, sententia differtur.* Eiusdem Papiniani sententia *ea, quae inter reas adulterii recepta esset, absens defendi non potest, l. miles 11. §. 2. D. ad leg. Iuliam de adulter.* Si autem in ecclesiastico foro agatur de adulterio ad solam separationem thori coniugalis, licebit agere per procuratorem, Inn. III. in *cap. tuae 5. de procuratoribus.* Ex Hadriano Papa in *can. criminalibus caussis 2. C. 5. qu. 3., in criminalibus caussis nec accusator, nisi per se aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defendere permittitur.* Tum in *can. si quando 40. C. 2. qu. 6. Si quando*, ait insuper Hadrianus, *in caussa capitali, vel caussa status interpellatum fuerit, non per exploratores, sed per seipsos est agendum.* Praeterea apocrypham Felicis Papae epistolam in *can. absens 17. C. 3. qu. 9.*, qua simul fertur *absens per alium accusari, aut accusare non posse.*

(2) Ex traditis a Sanfelicio *dec. 237. num. 6.* et Reg. de Rosa *resol. 13. num. 13.*

(3) Ulp. in *l. servum 33. §. 2. D. de procuratoribus*, *publice utile est*, inquit: *absentes a quibuscumque defendi: nam et in capitalibus iudiciis defensio datur. Ubicumque itaque absens quis damnari potest, ibi quemvis verba pro eo facientem, et innocentiam excusantem audiri aequum est, et ordinarium admittere: quod ex rescripto Imperatoris nostri apparet.* Imper. Alexander in *reos l. 3. C. de accusationibus* ita rescripsit: *reos capitalium criminum absentes etiam per procuratorem defendi leges publicorum iudiciorum permittunt.* Et idem Ulp. in *l. non tantum 6. D. de appellat.* censuit ius provocandi a sententia, et impediendi supplicium indulgeri cuilibet sine mandato ratione humanitatis, etiamsi reus perire festinans adquiescit sententiae.

(4) Ex M. C. V. ritu 269., et synodico Decreto Hadriani Papae in *can. 1. Causs. 5. qu. 3.*, ubi: *Si aegrotans fuerit Episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad Synodum mittat, nec a communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad caussam suam dicendam electorum iudicium die statuto litteris evocatus minime occurrerit.* Fusius Ulpianus in *l. si maritus 15. D ad leg. Iul. de adult. coercend. §. 1. ad 4*

(5) Ex *cit. l. servum 33. D. de procurat.*

(6) Zeno Imp. in *l. si quando 11.*, *et ult. C. de iniuriis.*

(7) Robert. in *const. eodem studio 5. tit. quod in caussis criminalibus, et cap. item quod iustitiarii de cetero*, de qua Follerius in *fragment. num. 175.*

versitatibus indulsit facultatem respondendi per syndicum, seu procuratorem actionibus criminalibus in eas motis, suasque defensiones agendi (1). Et Innocentius III. idipsum pro collegio scholarium Parisiensium rescripsit (2). Huiusmodi exceptiones illustrium personarum, et Universitatum, collegiorumque firmant magis regulam in contrarium.

XV. Post litem vero contestatam fas, et ius est reo cuilibet praesenti agere defensiones per advocatum, et procuratorem (3). Si qua vero sit antinomia inter Papinianum et Ulpianum, legesque imperiales, et canonicas de absentium reorum defensionibus, eam vel conciliat, vel omnino submovet communis utriusque fori consuetudo (4):quae nullo pacto sinit reos ad criminale iudicium vocatos umquam audiri, nisi respondeant ore primum suo interrogationibus iudicis examinatoris, dein ad suas rite instituendas exceptiones, ac defensiones opera procuratoris, et advocati patrocinio utantur (5), dummodo a iudicii loco interea non discesserint, morantes vel intra, vel extra carceres, aut domi suae, aut in palatio, aut intra urbis fines pro mandantis iudicis arbitrio. Hinc illae interlocutionum formae libellis exceptionum pro reo citato, vel citando exhiberi consuetis: *Comparente* illo *personaliter, et iniuncto mandato detineri per palatium, vel domum loco carceris, et praestita cautione parendi ordinibus Curiae recipiatur eius comparitio, et intimetur parti, et Fisco, ad finem providendi.*

XVI. Si reus iudicem ordinarium, puta Episcopum, eiusque Curiam recusaverit uti suspectum, caussamque suspicionis rite probaverit praesens in iudicio, poterit Episcopus negotium integrum alicui non suspecto, invitis etiam partibus, delegare, aut ad iudicem superiorem remittere (6). Delegatus autem recusatus probata suspicionis caussa, vices suas alteri delegare nequit (7). Uterque tamen sive ordinarius, sive delegatus recusantem, eiusque adversarium in primis adigit ad eligendum arbitros de suspicionis caussa indicaturos, infra terminum, quem ipsi arbitri condixerint, probanda (8). Suspicionis capitibus non probatis in eo termino, vel ubi arbitri eam non militare pronunciaverint: sua utitur iurisdictione quum ordinarius, tum delegatus ad ulteriora procedens, remota penitus appellatione ab arbitrorum iudicio (9). Quaevis autem recusatio citatum non eximit ab officio suam sistendi perso-

(1) Frid. II. in *const. generalia iura.*

(2) Innoc. III. in *cap. in caussis 7. de procurator.*

(3) Papin. in *l. inter 10. D. de public. iudic. inter accusatorem, et reum*, ait, *cognitione suscepta, excusatio pro absente iustis rationibus admittitur.*

(4) Ex traditis a Sanfelicio *dec. 237. num. 6.*

(5) Ex M. C. V. *ritu 269.*, ibi : *In quibuscumque caussis criminalibus per quascunque personas in dicta Curia pro tempore movendis nulla exceptio admittatur pro parte citati, vel citandi per procuratorem... nisi fuerit exceptio* infirmitatis, *vel* absentiae, *aut* captivitatis.

(6) Innoc. III. in *cap. cum speciali 61. de appellat.*

(7) Sicuti observat glossa in *cap. secundo requiris 41. de appellat. verb. coram eodem.*

(8) Ex Coelestini III. textu in *cap. secundo requiris 41. §. tertio postulas de appellat.*, et Inn. III. *in cap. cum speciali 61. eod. tit.*

(9) Ex citatis decretalibus Coelestini, et Innocentii.

nam in iudicio, et iudici suo obtemperandi, sicuti pluries ad multos rescripsit Episcopos Delegatus Regalis Iurisdictionis: ne moroso recusationis impedimento detur ansa reis eludendi legitima in eos instructa iudicia, vel contemnendi Potestates a Deo institutas.

§. I. *De contumacia.*

XVII. Si venire in iudicium citatus intra condictos a iudice dies, vel tumidus contempserit, vel pavidus defugerit: postremo ipso peremptorii termini die, non feriato, vel primo post iuridico die incusatur prima contumacia ex officio per actuarium caussae (1); tum triduo saltem dilapso intra mensem, in ipso iudicii loco facta si citatio fuerit, vel intra bimestrem, si alibi extra urbem sit ea secuta (2), secunda, et ultima incusatur apud iudicem ipsum pro tribunali sedentem, sine intervallo temporis mox continuo decreturum, quod *contumax declaratur, et contumaciae poenas iam incurrerit.* Neglecta opportunis diebus contumaciarum incusatio reum eximit penitus a poenis contumaciae, et inanem efficit anteactam citationem, quae iteranda idcirco est (3). Suum at reditum e longinquo citationis loco si fortasse protraxerit nuncius, et litteras citatorias post peremptorium iam elapsum reproduxerit: prior contumaciae incusatio rite facta opportuno tempore tunc praesumitur (4), ubi eam ex officio impleverit actuarius (5).

XVIII. *Absentem in criminibus damnari non debere Traianus rescripsit. . . adversus contumaces vero*, addit Ulpianus (6), *qui neque denunciationibus, neque dictis Praesidum obtemperassent, etiam ab-*

(1) Eadem in criminalibus caussis, quae in civilibus, est forma incusandi duas contumacias, quam exposui *lib. III. tit. XV. num. VIII.* Ad priorem quod attinet M. C. Vicariae *ritus 123. de contum. accusand.* haec habet: *Si die primo Augusti citetur quis, ut decimo post citationem compareat: die undecima eiusdem mensis debeat accusari prima contumacia: alias expirat citatio.* Alter *ritus 225.* haec alia: *ideo debet accusari prima contumacia: die termini, qui non est feriatus, licet Curia non regatur, alias expirat citatio: hinc si erit festivus, accusatur die sequenti, et fit mentio, quod ille dies fuit festivus.* Hinc patet prioris contumaciae diem incidere in postremum peremptorii non feriatum, aut in primum diem, qui post advenerit iuridicus, differri. Rex autem Carolus ad regias Audientias rescripsit die 25. Maii 1738., ut prima reorum contumacia, qui citati peremptorie fuerint ad comparendum *prima die iuris post notificationem*, ne incusaretur in eo ipso die iuridico subsequenti citationi proximo, sed altero subsequenti. Id quod antea praemonuerat Agnellus Sarno in *prax. crim. form. 26.*, et observat Thomas Brigant. *pract. criminal. delle Corti Regie, e Baronali del regno tit. 4. §. 2. n. 13.*

(2) Ex M. C. Vic. *rit. 118.*, *et 123.*, Caravita *ibidem*, Pragm. 3. *de ord. iudic.* Foller. *in rub. et accusentur contumaciae.*

(3) Regens de Rosa in *prax. civ. decret. cap. 11. num. 42.* Propterea iussit Pragm. 26. *de off. Mag. Iust. §. 4.*, ut accusator contumaciarum assidue adsit in M. C. V. a mane, usque ad vesperam, et horis consuetis.

(4) Ex *Pragm. 6. de citationibus.*

(5) Ex traditis a Reg. Capic. latr. *dec. 69.*, Caravita in *ritu 123. num. 5.*, Petra *ibidem num. 38.*, de Rosa *loc. cit.*

(6) Ulp. in *l. absentem 5. D. de poenis.*

sentes pronunciari oportet secundum morem privatorum iudiciorum... in absentes pecuniarias quidem poenas, vel eas, quae existimationem contingunt, si saepius admoniti per contumaciam desint, statui posse , et usque ad relegationem procedi: verum si quid gravius irrogandum fuisset, puta in metallo, vel capitis poenam, non esse absentibus irrogandam. Communi hoc iure utuntur iudices ecclesiastici in contumaces reos criminum poena corporea afficiendos.

XIX. Pro laicis tribunalibus Regni constitutio poenam novem unciarum in contumaces in caussis civilibus indixit (1), quae in desuetudinem abiit; in criminalibus tertia mobilium partem Fisco vindicandam (2). Haec autem, quoties purgetur contumacia reo in iudicium veniente, vel sese per alium excusante, in regnicolas opulentos aestimationem sexdecim tarenorum non excedit ex M. C. V. ritibus usu vigentibus (3), in cives autem Neapolitanos ad quinque tarenos redigitur ex peculiaribus privilegiis (4); pauperiores vel minus, vel fere nil exsolvunt, dum mobilium pars tertia tarenis antedictis minor fuerit (5). Purgantibus per excusatores contumaciam ex causa infirmitatis, alteriusve impedimenti, ubi solverint poenam contumacialem, praefigitur peremptorius terminus dierum viginti ad comparendum personaliter, alias firma remanet poena contumaciae solutis tarenis maior (6). Hinc ea decernendi forma super libello excusatoris, vel absentis citati: *Comparente* eo *personaliter infra tot dies , et iniuncto ei mandato domi , aut per palatium etc. recipiatur eius comparitio , et intimetur parti, et Fisco ad finem providendi , alias dicto termino elapso , remaneat contumax.* Hoc iure utuntur iudices nostri saeculares, dum citatos contumaces ad solvendam poenam pecuniariam litteris citatoriis indictam damnant in dies. Attamen M. C. V. peculiaribus innixa rescriptis regiis, tum regiae Audientiae arbitrio utuntur augendi mulctam pecuniariam pro conditione , et opibus contumacium (7), perinde eam in bonis absentium, ac a sero venientibus in iudicium exigentes. Verum ea excedere quinque ducatos non debet, uti periti forenses tradunt. Quapropter consueta in citatoriis litteris fori laici mulcta vigintiquinque unciarum auri , quae maior est , aestimationem solet , reductam admittere ad rationem unius tareni pro qualibet uncia: pauperes ab ea sunt omnino eximendi.

XX. In curiis vero ecclesiasticis, ubi censura, et poena tantum spi-

(1) Regni *const. poenam novem unciarum.* At hodie in laic's, et regiis tribunalibus contumacialis mulcta asses duodecim non excedit, quos dum taxat solvere iamdiu consueverunt citati suam purgantes contumaciam , ubi ex decreto iudicis in quavis parte iudicii *refectis expensis* audiuntur, Ricc. *ad Sarnum in prax. civ. §. 18. num. 21.*

(2) Regni *const. grandis utilitas.*

(3) Rit. M. C. 135., et 211., ibi: *solvat ius banni, scilicet tarenos sexdecim* , Reg. Capic. latr. *dec. 77. num. 225.*

(4) Ex traditis a Riccio ad Sarni *prax. crim. cap. 38. num. 2.*

(5) Torus in *compend. dec. to. 2. par 2. ver. poena contumaciarum.*

(6) Ex iteratis Regii Coll. Consilii provisionibus an. 1582., et 1619., quas refert Novarius *gravam. 160. tom. 2.*, Reg. de Rosa in *pr. crim. cap. 4. n. 14.*

(7) Scoppa ad Sarni *prax. crim. cap. 26. num. 4.*

rituali coercendum crimen erit : contumax *ad dicendam caussam quare* citatus, ex. gr. in caussa fidei, excommunicatur (1), quemadmodum et in ceteris fori ecclesiastici caussis (2). *Nec a communioni suspendatur , cui crimen intenditur , nisi ad caussam suam dicendam electorum iudicum die statuto litteris evocatus minime occurrerit*, ex decreto Concilii Carthaginensis III. (3).

XXI. Reos capitalium criminum contumaces in foro laico adnotatos, et edictis requisitos post annum fore bonorum omnium confiscatione damnandos , iubet lex communis (4). Sed Ius regni, quod usu viget , confiscationi superaddit, et capitis poenam sententia *foriudicationis* , quam latini *proscriptionem* appellare consueverunt , post annum contumaciae rite indicendam hoc pacto , ut cuivis liceat *foriudicatum*, veluti hostem publicum occidere impune (5) , ad eumque occidendum alliciantur alii quum indulgentia , et abolitione criminum , aut suorum, aut personae nominandae (6) , tum proemio pecuniae (7). Hoc iure nostro post incusatas in capitali caussa contumacias fisco vindicatur in primis pecuniaria poena litteris citatoriis sancita , vel tertia pars bonorum mobilium citati absentis , et omnia insuper bona stabilia cum reliquis duabus mobilium partibus adnotantur ad cautelam futurae confiscationis. Dein elapso fere anno (nisi termino breviori , Regiis Pragmaticis constituto, in reos aliquos scelestiores procedatur) contumax ipse iterum peremptorie citatur *ad informandum* , *et capitula* inquisitionis

(1) Alexander IV. in *cap. cum contumacia 7. de haereticis in VI.*

(2) M. A. Genuensis in *praxi Cur. Arch. Neap. cap. 29. num. 19.* morem tradit excommunicandi contumaces pro caussa etiam principali, quum deficientem in eos probationem suppleat contumacia , et quae ad torquendum praesentem sufficiunt indicia , satis ad condemnandum contumacem putent Doctores cum Io. Dom. Raynaldo *to. 1. observ. crim cap. 7 §. 2., et 4.* Hinc absentes per contumaciam instar praesentium damnari , observat Gratianus noster post *can. absens 13. C. 3. qu. 9.* Gregorius IX. praeterea *in cap. quia nonnulli 43., et ult. de rescriptis* constituit , quod citatus ob caussam , quamvis civilem apostolicarum litterarum, *dum non comparuerit, excommunicetur, quasi contumax*, a sua intentione repellatur, earundem litterarum commodo careat, expensasque reficiat adversariis.

(3) Conc. Carthag. III. in *can. quisquis, C. 4. qu. 5.*

(4) Marcianus in *l. 1. D. de requirendis , vel absent. damn.* , rescriptum a Severo , et Antonino tradit, ut *Praesides provinciarum circa requirendos* capitalium criminum inquisitos , *quos adnotaverint , edictis adesse iubeant : ut possit innotescere eis , qui adnotati sunt... Et ex hoc annus computatur ad se purgandos.* Addit mox Papiniani sententiam circa requirendum adnotatum : *si provinciae Praesidem intra annum adierit, et satis obtulerit : non esse locum mandatis , ut bona fisco vindicentur.*

(5) Ex regni *const. poenam reorum, et cap. si quis sit forbannitus* , Gothefredus in *cit. l. 1. D. de requirendis , etc.* verbo *si capitalem* , commonet hodie multas apud gentes eam Romanorum legem pro absentibus non servari : quum in Italia , Gallia , Hispania , et Germania contumax pro confesso , et convicto criminis habeatur , et damnari consueverit: quamvis post latam quoque sententiam possit ab extraneo etiam eius innocentia purgari. *In reos porro maiestatis,et publicos hostes omnis homo miles est*, Tertull. ait in *apolog. cap. 2.*

(6) *Pragm. 5. de exulibus.*

(7) *Pragm. 9. eod. tit.*

inserta litteris citatoriis agnoscendum, et *ad foriudicandum*, ut certior inde factus probationum, indiciorumque fiscalium (1) sese valeat, si poterit, ab iis purgare (2). Eodemque tempore simul citantur eiusdem agnati, consanguinei, adfines, vicini, amicique generatim *ad dicendum caussam, quare is foriudicari non debeat* (3). Mox elapso citationis termino peremptorio, incusatisque binis denuo contumaciis, discutiuntur nullitates actorum, si quas pro eo quispiam obiecerit (4): ad extremum, si iure nil obstiterit, decernitur in M. C. Vicariae, Regiisque Audientiis, quod *contumax* ille pro eo crimine *foriudicetur* (5). Post latam huiusmodi sententiam, alius nemo auditur pro absente ita damnato, et quasi mortuo: Fiscus cuncta, quae supersint, eius bona, sibi vindicat, vel solus, deficientibus consanguineis, vel dividet pro virili cum proximioribus consanguineis, non ultra tertium gradum (6). At ubi contigerit damnatum incolumem ad carceres trahi: postquam rite agnitus is fuerit, citari eum oportet *ad dicendam caussam, quare sententia foriudicationis contra eum lata exequi non debeat*: dein discuti, si quas ipse obiecerit, nullitates actorum, vel obiectas a consanguineis iterum, id si postulaverit, revideri: quae si pateant, et iure obstent, iudicium via ordinaria instruitur ex integro, perinde ac nullam, si reus contumaciam contraxerit: si vero non obstare nullitates videantur, ea ipsa sententia executioni demandabitur (7).

XXII. Quoties in M. C. Vicariae, regiisve Audientiis delegato iure extra ordinem procedatur vel speciali Regis rescripto, vel generali statuto regiarum Pragmaticarum, et regni, annus contumaciae ad foriudicandum breviatur pro vario enormium scelerum genere. Nimirum in raptu mulierum libidinoso, ad sex menses coarctatur (8), in osculo vi honestae mulieri dato, ad tres menses (9), in caede, ac in truci offensa innoxii pro noxio ulciscendo, ad triginta dies (10), in homicidio, vel vulnere armis igneis patrato ex animi deliberatione ad quindecim dies (11). Istos reos citari *ad informandum, et capitula* exci-

(1) *Pragm. 37. de offic. Mag. Iustit.*

(2) Ex *cit. l. 1. D. de requirendis, vel damnandis absentibus.*

(3) Singulos foriudicandi consanguineos ad quartum usque gradum mos est citari personaliter, aut domi, quos propterea syndicus loci nominabit sigillatim, amicos, et vicinos per edictum.

(4) Earum nonnullas edisserunt Regens de Rosa in *prax. crim. cap. 10.* Sarnus in *prax. cap. 14. num. 16., et seqq.* ceteri. An, et quando exceptio clericatus valeat sententiam foriudicationis impedire, disputat Consil. Io. Maria Campana *resol. 4.*, ibique Carolus Orilia in *suis observat.*

(5) Ex traditis a Reg. de Rosa *loc. cit.*, et Consil. Angelo Scialoya in *praxi, foriudicatoria*, cum *addit.* Io. Dom. Albarellae.

(6) Merlin. *lib. 2. controv. 21.* At reus intra anni curriculum si comparuerit, ius integrum ei esse recuperandi cuncta immobilia una cum duabus mobilium partibus, monet. Scialoya *loc. cit. cap. 9. num. 22.*

(7) Reg. de Rosa *cit. cap. 10. prax. crim*, et Sarnus *cit. cap. 14.*

(8) Ex regni *const. sine mortalis peccati discrimine.*

(9) Ex *Pragm. 1. de osculantibus mulieres.*

(10) *Pragm. 1. de offendentibus etc.*

(11) *Pragm. 1., et 3. de ictu scopictae, et Pragm. 32. de armis.* In huius-

pienda inquisitionis, addita clausula: *cum delegatione, abbreviatione, et poena servata forma regiae pragmaticae*, palam est ex usitato stylo (1). Itidem qui turmatim per agros armati excurrunt, et circumcursant, vel praedones ad diripiendum, et depopulandum, vel facinorosi ad interneciones, et scelera perpetranda, terminus eis brevior decem dierum unica citatione praefigitur (2). Qui exulibus comites ad crimen aliquod faciendum sese adiunxerint, quatuor solum dies indulgentur (3), totidemque iis, qui *recaptum*, ut aiunt, admiserint (4), h. e. hominem ubivis captum detineant ab eo pecuniam sic extorquentes, aut nummos, aliamve rem ab aliquo per nuncium, seu litteras flagitaverint, gravia secus mala personae, bonisve ipsius imminentia simul comminantes. Quin ipso facto, ipsoque iure in poenam foriudicationis etiam incident sine intervallo temporis, qui vel fruges combusserint, vel animantia occiderint, pecuniam extorquendi studio (5).

§. II. *De reo in iudicium veniente vel exhibito.*

XXIII. Antequam citentur, sponte sua se nonnunquam in iudicio sistunt fidenti animo, qui nullum subire vitae periculum ex delatis criminibus timeant, dum sperant sese ab iis purgaturos (6), vel studeant suspicionibus adversariorum indiciisque fiscalibus nullum externo timore, aut fuga pondus addere. Itaque praesentiens inquisitionem supplici libello, in primis eam dicit motam ab inimicis per calumniam, sibique conscius quod inquiritur non admisisse crimen, ultro ad iudicium veniens postulat, ut nulla sibi exinde iniuria, vel molestia inferatur. Iudex tunc causae cognitor decernit, quod *comparente ipso personaliter relaxetur cum mandato domi*, vel *per civitatem*, vel *per palatium*, vel *praestita cautione de se repraesentando ad omnem ordinem*, aut, quod *stante spontanea comparitione, recipiatur eius depo-*

sce facinoris reos potestatem procedendi cum termino breviato Curiis quibuslibet, etiam baronalibus largita est eadem *Pragm. 3. de ictu scopictae*: quemadmodum et recaptus *Pragm. 10. § 2. de exulibus*. At regiam delegationem, quae appellationis beneficium adimit, aeque baronalibus, ac Regiis sine collegio Curiis non datam, scite observat Dominicus Moro *prax. crim. lib. 2. cap. 5. num. 11.*

(1) Ex traditis a Reg. de Rosa in *prax. crim. cap. 9.*, et Thoma Brigante *nella prat. crim. delle Corti regie, e baronali tit. 4. § 4. num. 7. et 8.*

(2) *Prag. 1., 6., 9., et 11. de exulibus.*

(3) *Pragm. 22. §. 6. eodem tit.*

(4) *Prag. 10. eod. tit., et Pragm. 10. de offic. iudic.* At quatuor dies ad decem protraxit posterior *Pragm. 26. de exulibus.*

(5) *Pragm. 13., et 14., de exulibus.* Morigerum huic legi tribunal deberet, ni fallor, incendiarios eiusmodi, et noxales reos semel citare peremptorie ad *dicendam caussam*, *quare* non debeant declarari incidisse in poenas foriudicationis etc.

(6) *Non enim in malis sperare bonum, nisi innocens solet, bona conscientia prodire vult, et conspici, ipsas nequitia tenebras timet* Seneca *ep. 97.* M. Tullius *pro Milone*, *se numquam profecto tradidisset*, ait, *nisi caussae*

sitio, *et relaxetur cum mandato* (1), nisi ob criminis enormitatem, conditionemque personae ex urgentibus indiciis iam conquisitis censeat eum fore in carcerum custodia detinendum (2).

XXIV. Citatus *ad deponendum*, ubi compareat ultro intra condictos dies, suoque ore ad interrogata respondens probationem fiscalem non gravaverit : solet etiam detineri *cum mandato domi*, vel *per urbem*, vel *per palatium* usque ad iudicii exitum, et quoad usque id bonum iudici, et aequum videbitur : vel *visa eius depositione* decernitur, quod *consignetur tutae personae*, *cum obligatione de illo exhibendo ad omnem ordinem*, vel *remota criminalitate agatur civiliter ;* vel *non molestetur*, aut *dimittatur* (3). Citatus vero *ad informandum* et sponte comparens arbitrio iudicis, vel ad carceres mittitur (4) ; vel itidem mandato relaxatur extra carceres audiendus (5).

XXV. Prorogationem termini ad se praesentandum postulant non raro, et obtinent personaliter citati, vel propter distantiam locorum, vel ob intemperiem aestivam, aut hiemalem itinerantibus perniciosam, vel infirmitatis caussa (6), aliusve quod pateat obstaculi, quoties tergiversandi animum praeseferant non habere. Praesentibus vero domi, vel per edictum citatis solet quispiam ex consanguineis, amicisve absentiam non comparentis excusare, postulans terminum longiorem ad denunciandum, quo impeditur executio contumaciarum. Cuiusmodi terminus arbitrio iudicis, audito querelante, ac fiscali ministro, non ultra mensem intra regnum commoranti, vel bimestrem saltem, si extra degat, conceditur hac sub conditione, *dummodo nec visus*, *nec captus interea sit*, ut simulatae absentiae fraus nullum sortiatur patrocinium. His autem conceptis verbis decretum fit, super obiecta post

suae confideret.... magna vis est conscientiae, et magna in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent qui peccarint.

(1) Hasce decretorum formas tradit Reg. de Rosa *cit. prax. crim. cap. 4.*

(2) Ex recitatis Ulpiani sententiis in *l. 1.*, *et 3. D. de custodia*, *et exhibit. reor.* Regia vero Pragmatica, quam die 30. Octobris 1726. edidit Prorex Card. de Althan, sancitum est reos sponte comparentes in caussis homicidiorum nunquam fore cum mandato aliquo relaxandos, sed in carcerem statim detrudendos.

(3) Ex Reg. de Rosa *loc. cit. cap. 3.*, *4.*, *et 9.*, et Riccio ad Sarnum *part. 2. form. 25.*

(4) Grammatic. *cons. 62. num. 4.*, ubi ad informandum citatus quidam, qui sponte obtemperans M. Curiam Vicariae adiverat, *iussus ire ad carceres patienter toleravit.*

(5) Agn. Sarno *par. 2. prax. crim. form. 26. num. 5.* In caussis vero poenam ultra relegationem inferentibus non licet citatos inquisitos Iudici Commissario in M. C. V. relaxare cum mandato eiusmodi, nisi de sententia ipsius Tribunalis post rem in aula cognitam audito Fisci Patrono, ex Pragm. 6. §. *5. de off. Mag. Iust.* etiam ex caussa infirmitatis.

(6) Ob infirmitatem quoque uxoris, parentum, et filiorum citato ob crimen non capitale infra relegationem debere dilationem ad comparendum indulgeri, monet Regens de Rosa in *cit. prax. crim. cap. 9. num. 76.*

decursum citationis terminum exceptione legitimae absentiae : *quod condemnetur ille ad poenam in citatione contentam , et ponatur in libro condemnatorum : verum si comparuerit intra mensem deleatur a libro praedicto , dummodo non fuerit neque visus, neque captus* (1). Quod si constiterit citatum non abesse quidem , sed visum eo in loco fuisse : decernitur , *ipsum , ex quo visus non gaudere petita dilatione* (2). Et ubi exceptio absentiae obiecta fraudulenter contumaciis mox incusandis , vel iam incusatis erit : decernitur , *quod absentia allegata non obstante incusentur contumaciae* , vel *remaneat contumax* (3). Posthaec si novus absenti datus terminus decurrerit , isque interea in iudicio non comparuerit : decernitur, *quod stante lapsu termini remaneat contumax , et exequatur pro poena in citatione comminata realiter , et personaliter* (4).

XXVI. Quos vero citari , eodemque tempore capi iudex decreverit ; eos familia Curiae remotis omnino partibus offensis armata manu prehensos , at nullis acerbitatibus vexandos , ad carcerem sub fida custodia ducit , et iudicio exhibet , ostensura resistentibus , et contra obtinentibus (id si postulent), *mandatum de capiendo* legitimum rituque sollemni expeditum , ne sibi quis vim vi repellendi licentiam arroget (5).

XXVII. Deprehensos in ipso delinquendi actu , et flagrante (6) crimine fas est non publicis modo servientibus Curiarum et satellitibus , verum privatis etiam quibusque hominibus mancipare , suoque iudici statim exhibere , praesertim fures manifestos , qui furtum abripiant ,

(1) Gizzarell. *dec. 42.*

(2) Praes. de Franch. *dec. 127* , de Rosa *loc. cit. cap. 9. num. 72.*

(3) De Franchis *dec.* 327., et 589. de Rosa *ibidem.* A decretis huiusmodi , aliisque id genus interlocutoriis , quae vim diffinitivi non habeant , ne appellandi locus detur , cautum est regio rescripto ad Regias Audientias dato die 25. Aprilis 1751.

(4) Reg. de Rosa *loc. cit. num. 73.*

(5) Quum leges iniussu legitimae Potestatis prohibeant quemquam vi ad iudicium pertrahi ex antedictis *num. II.*, patet, cur *mandatum de capiendo* valeat quispiam inspicere , antequam sese dedat satellitibus agniturus necessitatem , aut obtemperandi Potestati legitimae, aut sese ab iniuriis , et violentiis defendendi.

(6) *Flagrans* , *et fragrans* crimen utravis littera recte scribitur. Eae speciatim res *flagare* a latinis dicuntur , quae per sese , naturaque sua ardent. *Faex vini exsiccata recipit ignes , ac sine alimento per se flagrat* , Plinius scribit *lib. 14. cap. 20.* Tum etiam, uti observat apposite Ausonius Popma *lib. 2. de different. verb.*, quoties incendium significatur , quod *flatu* alitur , iuxta illud Virgilii *lib. 12. Æneid. vers. 171. Admovitque pecus* flagrantibus *aeris.* Ex Ovidii *fastor. 6.* Flagrabant *sancti sceleratis ignibus ignes.* Quoniam insita scelerum *flamma* vitiosa in corde latens foras erumpit, ea dum patrantur, quam ipsa gravi operis actio alit , et sufflat , non abs re *flagrantia* crimina fortus audit. Quemadmodum et *fragantia* ab odore gravi , quem excitat , effunditque repentina instantis operis manifestatio, tanquam *fracta* res odorifera, iuxta illud Virgilii , *redolentque thymo* fragantia *mella.*

vel palam ferant (1). Raptores quoque virginum, vel viduarum, vel diaconissarum, eisque praestantes auxilium a parentibus, consanguineis, tutoribus, et curatoribus, *ubi inventi fuerint in ipsa rapina, et adhuc flagrante crimine deprehensi*, ad iudicem trahi, speciatim indulsit Iustinianus (2). *Defensores civitatum oblatos sibi reos in ipso latrocinio, vel congressu violentiae, aut perpetrato homicidio, aut stupro, vel raptu, vel adulterio deprehensos, et actis publicis sibi traditos expresso crimine cum his, a quibus fuerint accusati, mox sub idonea prosecutione, ut ad iudicium dirigant*, generatim sanxerunt Imperatores (3). Maleficos quoque magicis artibus alicui nocentes, eodem iure licet cuique ad publicum iudicium pertrahere (4). Ex rescripto Constantini *cuncti cognoscant necessitatem sibi incumbere monetarios, qui adulterinam monetam exercent, inquirendi, ut investigati tradantur iudici* (5). Excepto flagrantiae casu qui aliquem audeant sine iudicis iussu prehendere captumque detinere in crimen privati carceris ruunt, poenasque gravissimas (6).

XXVIII. Si quem in flagranti captum privilegio fori gaudere iudex loci agnoverit, eum debet ad proprium ipsius forum cito remittere una cum elogio, nimirum litteris eius crimen, et capturam, et interrogationes nunciantibus (7). Eodem iure notorius clericus, a familia iudicis laici deprehensus in flagrantia criminis enormis, debet coram ecclesiastico ipsius iudice ordinario sisti (8), quemadmodum et monachus coram suo Regulari Superiore, aut in Apostolici Nuntii foro (9).

XXIX. Quoties autem dubitetur, an initiatus clericali ordine sit,

(1) *Parvi refert*, Ulpianus ait, *a quo deprehendatur, utrum ab eo, cuius res fuit, an ab alio, l. fur est manifestus 3. § 1. D. de furtis.*

(2) Iustin. in *l. raptores virginum 54. D. de Episc., et cleric.*

(3) Arcad., Honor., et Theod. in *l. defensores 7. C. de defensor. civitat.* iidemque *opprimendarum desertorum facultatem provincialibus iure* permiserunt: *cuncti etenim adversus latrones publicos, desertoresque militiae ius sibi sciant pro quiete, communi exercendae publicae ultionis indultum, l. opprimendorum 2., et ult. C. quando liceat unicuique sine iudice se vindicare, vel publicam denotionem.* Et Caius iurec. *eos, qui arbores, et maxime vites ceciderint, etiam tamquam latrones puniri, l. sciendum est 2. D. arborum furtim caesarum.*

(4) Valent. Theod. et Arcad. in *l. quicunque 9., et ult. C. de maleficis, et mathematicis: quicumque maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupaverit, illico ad publicum pertrahat, et iudicum oculis communis hostem salutis ostendat.*

(5) Constantin. in *l. 1. C. de falsa moneta.*

(6) *L. 1., et 2. C. de privatis carceribus inhibendis.*

(7) Ex *l. divus Hadrianus 6. D. de custodia, et exhibit. reor.* ubi Marcianus fert edictum a Pio, *ut irenarchae cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis et receptatoribus, et interrogationes litteris inclusas atque obligatas ad cognitionem magistratus mittant. Igitur qui cum elogio mittuntur*, subdit iurec. *ex integro audiendi sunt.* Venuleius Saturninus *de militibus ita servari* tradidit, *ut ad eum remittantur, si quid deliquerint, sub quo militabunt, l. de militibus 9. D. eodem, et l. 4. §. 5, et 6. D. de re militari.*

(8) Foller. in *prax. crim. par. 1. par. 2. rubr. item quod fuit captus in flagranti crimine num. 6.*

(9) Ex supradictis *lib. III. tit. XII. num. XXXVII. XXXIX. et seqq.*

vel an suum fori privilegium amiserit ex desertione vestis, ac vitae clericalis, nonnisi post probatum in foro laico statum, et vitam clericalem ad formam ritus M. Curiae Vicariae, eum una cum actis coram iudice laico gestis transmitti ad Curiam ecclesiasticam, permittunt huius regni leges, ac mores (1).

XXX. At clericos, qui res fraudato vectigali contra banna regia exportent, lex Concordatorum an. 1741. prohibet laicis detinere quamvis captos in flagranti, sed bona ipsa vectigali obnoxia indulget intercipere, regioque fisco, vel publicano redemptori vindicare (2). Asportantes vero arma regiis pragmaticis vetita, quemadmodum et rixantes quoslibet quum clericos, tum laicos ius nostrum usu firmatum prehendere iudicio sistendos permittit solis competentium iudicum famulis, praeterea nemini privatorum hominum (3).

TIT. V.

De constituto et examine reorum.

I. Constitutus coram iudice reus, vel sub mandato detentus examinatur in primis iuridice, aufugiens spreto mandato, poenas contumaciae incurrit.

II. Examinandus in M. C. Vicariae capitalis criminis reus ante scribitur in libro reorum, in aliis Curiis non item.

III. Negans reus crimen urgentibus indiciis detectum interrogandus est cum particula monitus.

IV. Praevio iuramento rei in utroque foro examinantur, praeterquam in dioecesibus, et locis Romanae Provinciae.

V. Forma examinis reorum traditur summatim.

VI. Aptas vero interrogationes multifarias periti examinatoris est ad rem concipere.

VII. Tum in acta referre singulas reorum responsiones, varias etiam, et vacillantes, nec non vocem, si contigerit, tremulam, coloremque mutatum, ac trepidationem.

VIII. Negans constanter monendus est, ut veritatem fateatur exprobatione, ac recensione indiciorum singulatim.

IX. Tacens, vel ambiguus, et obscurus post trinam monitionem contumax habetur pro confesso, vel mulctatur.

X. Sat ubi non erit absolvendo examini unum eiusdem diei mane, aut vespere, licebit illud, quoties opus erit, resumere.

XI. Absoluto examine fit contestatio litis.

XII. Quidquid leges, et canones iusserint, generalis consuetudo non alios, nisi ministros fiscales adesse reorum examini concedit.

(1) De quibus dictum satis *lib. III. tit. VI. num. XXIII.*
(2) Concordata *cap. 3. art. 4.*
(3) Regens de Rosa *prax. crim. cap. 2. num. 5.*

I. Sistentem in iudicio reum in primis oportet iuridicum examen subire, suoque iudici iure interroganti respondere super capitibus informationis: quum leges iudicari neminem de quovis vel manifesto crimine sinant, nisi ab ipso reo iudex ante audierit, et cognoverit quid, et cur fecisset (1). In conspectum iudicis qui primum sponte, vel citatus venisset, mox dimissus, detentusve cum mandato esset: consuevit ad examen vocari praevio decreto, *quod ille sub mandato detentus reducatur in provisionem*, nulla unquam appellatione suspendendo (2). Fugitivus hinc deserto vadimonio in ius ter vocatur alta voce praeconis in iuridico die, eoque non respondente in banco iuris, statim decernitur, *quod incusetur poena spreti mandati ducatorum* tot *contra* eum *vocatum*, *relatum*, *et non comparentem*, *ac proinde exequatur poena praedicta* (3).

II. Mancipatus vinculis ob crimen capitale, quod poenam relegatione acerbiorem ferat, in M. C. Vicariae ad examen obeundum e carceribus non evocatur, nisi decretum antea sit, *quod scribatur*, (4): hoc est in reorum libro adnotatus constituatur in aula, et coram iudice iam iam rite interrogandus, tamquam reus indiciis ad torturam sufficientibus plane detectus. In aliis vero Curiis quum saecularibus, tum ecclesiasticis decretum istud non usuvenit: nam simul ac reus coram suo iudice post captam informationem *personaliter constitutus* interrogatur iuridice de admisso quolibet crimine, iam *reus factus est*, *et purgare se debet*, ex Ulpiani sententia (5).

III. Ministris tantum fiscalibus datur antea postulare, ut inquisitus examinetur cum particula *monitus*, ubi ex actis urgeant ad torturam indicia: secus huic particulae nullus erit locus (6). Scilicet si reus ne-

(1) Ex *l. divus Hadrianus 6. D. de custodia*, *et exhibit. reor.* Consonant canones ecclesiastici. *Eorum*, *qui accusantur*, *caussas discutere non licet*, *priusquam canonice vocati ad Synodum veniant*, *et praesens per praesentem agnoscat veraciter*, *et intelligat*, *quae ei obiiciuntur*, inquit S. Damasus Papa in *can. eorum 76. C. 11. qu. 3.* Id quod pluribus firmat Gratianus, *C. 11. qu. 9.* Innocentius III. in *cap. pastoralis 14. de iudiciis* rescripsit, ut principales personae generatim non per advocatos, sed per semetipsos factum proponant.

(2) Ex regia pragm. an. 1738. §. *6. art. 8.*

(3) Sarnus in *cit. prax. crim. par. 2. form. 26. num. 7.*

(4) Ex traditis a Reg. de Rosa *loc. cit.* Cuiusmodi verbum is putat acceptum ex *psalm. 68. vers. 29. Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur.*

(5) Ulp. in *l. qui reus 5. D. de publicis iudiciis.*

(6) Urbanus II. in Conc. Melphiense ita decrevit: *Episcopi eos*, puta incestuosos coniuges *per baptismum*, *per fidem*, *per iudicium Christi in vera obedientia obtestentur*, *quatenus palam faciant*, *utrum se*, *sicut est fama*, *consanguineos recognoscant*, *can. si duo vel tres 4. C. 35. qu. 6.* Glossa heic *verb. sicut est fama* recte monet, sine fama eos non iuridice interrogari ad coniugium dissolvendum. Episcopum, et Canonicos Agathenses de multis, proclamante fama inquisitos Innocentius III. rescripsit non teneri ex debito iuramenti, *nisi ad quaesita super inquisitionis capitibus solummodo respondere* apostolicis legatis, *cap. cum dilecti 18. de accusationibus.*

gaverit sese crimen delatum perpetrasse, ut ipse tunc certior fiat de singulis in eum urgentibus indiciis, et testimoniis reapse congestis, quae ipsum et mendacii, et periurii redarguant (1), ideoque moneatur sese divino, et humano iure obstrictum fateri veritatem iudici suo iuridice interroganti (2). Quoad enim reo non innotescant iudiciariae probationes ad eum convincendum, vel torquendum idoneae: suam ipse famam adhuc integram tuiturus nullo iure cogitur sese prodere, occultumque fateri crimen (3): eoque magis, ubi noverit indicia legitima, et probationes deficere, iudicemque idcirco non iuridice interrogare (4). Nam leges vetant initium probationum e domo rei sumere (5).

IV. Hac ipsa ratione abusivum, sunt qui putant iuramentum, quod initio examinis passim deferri quibuscumque reis in utroque foro consuevit, quamvis legitima ad torturam indicia deficiant: quum tortura spiritualis bonarum mentium esse iusiurandum Doctoribus videatur (6), legesque item prohibeant in eruendis criminibus incipere a tormentis (7). Prisca utinam fides, ac religio nunc esset iurantibus (8). Ad

(1) Ratio id naturalis, et auctoritas divina suadet. Nam Deus O. M. quum Cain parricidam interrogasset: *ubi est Abel frater tuus?* suamque is iniquitatem abscondere studens respondisset: *nescio, numquid custos fratris mei sum ego?* ut ipsum aperta ratione coniunctum Dominus ad fatendam veritatem adigeret, vestigia adhuc fragrantia fraternae caedis ei exprobavit, inquiens: *quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

(2) Reum Achan (superius memoratum *tit. III. num. IX.*) indicio divinae sortis urgentissimo delatum Iosue iuridice interrogans, *fili mi*, ait, *da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas, responditque Achan Iosue, et dixit ei: vero ego peccavi Domino Deo Israel, et sic, et sic feci*, Iosue *cap. 7. vers. 19., et seq.* Divino etiam oraculo Salomon ait: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum*, Eccles. *cap. 4. vers.* Hinc S. Augustinus ad Casulanum scribens, inquit: *quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat: quia magis timet hominem, quam Deum, can. quisquis 80. C. 11. qu. 3.* His potissimum auctoritatibus innixi Doctores cum S. Thoma *2. 3. qu. 69. art. 1.* consentiunt, eum peccare mortaliter, qui suo iudici iuridice interroganti mendax negaverit crimen patrasse. Huc etiam spectat *quaestio 3. C. 23.* apud Gratianum, an licet clericis denegari Episcopo consuetam obedientiam?

(3) Ex B. Thomae sententia *loc. cit. art. 2.*, cui adstipulatur B. Io. Chrysostomus in *can. quis aliquando 87. §. ita illud de poenit. dist. 1.*, inquiens: *tibi dico, ut te non prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetae dicenti:* revela Domino viam tuam. *Ante Deum ergo tua confitere peccata.*

(4) Innoc. III. in *cap. cum oporteat 16., et cap. inquisitionis 21. de accusat.* rescripsit non licere in aliquem publico iudicio inquirere, nisi laesam delati rei famam iudex antea senserit. Severus autem Imp. in *l. in criminibus 1. § 17. D. de quaestionibus* ad rem aptius censuit, *confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat.*

(5) *L. de minore 10. §. nec debet 4. D. de quaestionibus.*

(6) Abb. Panormit. in *cap. per tuas 18. de probation. circa fin.* Lessius *lib. 2. de iust. et iur. cap. 3.*

(7) *Cit. l. in criminibus 1., et l. maritus 20. de quaestionibus.*

(8) Quantam vim apud Romanos olim obtinuisset iurisiurandi religio, palam

ima prolapsis moribus frequentissima nunc periuria religionem iuramenti sanctiorem plerumque labefactant, qui satagunt iudices terrae mendaciis fallere (1). Hanc ob rem in Concilio Romano sanxit Benedictus XIII, ne cui reorum examinando, ut principali deferatur iuramentum: sed unusquisque sine iureiurando interrogetur in quavis Curia quum ecclesiastica, tum saeculari de suae inquisitionis capitibus; alias irrita sic fore acta fiscalia, ut nulla exinde probatio in reum desumatur (2). Nonnulli istud synodicum Romanae Provinciae decretum expendentes, censuerunt pontificiam auctoritatem in variandis fori ecclesiastici ritibus in dubium nullatenus vocare (3): at extendendam non esse ad forum laicum legibus dumtaxat regiis obtemperaturum, qui suum observat stylum examinandi reos, praevio iuramento. Quod si reus decem, et octo annis minor sit: ei tunc solet coram speciale ipsius curatore ad hunc actum dando iuramentum deferri, antequam interrogetur (4).

V. Forma examinis reorum ita fere concipitur. Eo die mensis, et anni in ea Curia coram illo iudice *personaliter constitutus* Titius *principalis inquisitus* illius loci oriundus, vel incola, aetatis suae annorum tot, illius conditionis, et fortunae, vel eam artem exercens, delato sibi iuramento de veritate dicenda, tactis Scripturis iuravit, praesente Promotore, vel Advocato fiscali eiusdem Curiae (5). Tum continuo *interrogatus, quare in carceribus, vel sub mandato detineatur*, aut *sese in ipsa Curia praesentaverit?* an *sciat, vel coniicere possit caussam suae inquisitionis. Respondit* hoc, vel illud. *Interrogatus*

est ex legibus XII. tabularum, ex foederum iure cum hostibus inviolato, ex Censorum severis animadversionibus in periuros infamia numquam expianda notatos, A. Gell. *lib. 7. noct. Attic. cap. 18.*

(1) At Clemens XI. in Bulla *unigenitus* inter proscriptas P. Quesnellii propositiones 101., ex libro *reflexionum moralium in novum Testamentum* exceptas, hanc postremo loco habet. *Nil magis adversum spiritui Dei, et doctrinae Iesu Christi, quam communia efficere iuramenta: quippe quae multiplicarent periuriis occasiones*, laqueos traderent infirmis, et idiotis, *et in caussa essent ut Dei nomen, et veritas consiliis malorum inserviret.*

(2) Bened. XIII. in Conc. Rom. an. 1725. *tit. 13. de iureiur. cap. 2.* ibi: *alias examen, sive constitutum, et acta omnia nulla sint eo ipso, et irrita, omnique careant contra eos effectu.* Huc spectat Gratiani *qu. 1. Caussa 22., an iuramentum sit praestandum?*

(3) Itaque in iis duntaxat dioecesibus, et locis, quae ad Romanam pertinent Provinciam hoc etiam in Regno, libro primo harum Institutionum *tit. XVI. num. VI., et VII.* indicatis vim habet suam nova Romanae Synodi sanctio, vetans iuramentum in reorum examine: aliis in locis non item.

(4) Ex traditis a Reg. de Rosa in *prax. crim. ad formular. complem. n. 32.*

(5) Pragm. *4.* §. *2. de Off. Mag. Iust.* an. 1519. Prorex D. Raymundus de Cardona edixit, ut Iudex, actorumque magister examinandos quum reos principales, tum testes Fisci, et partium interrogarent, eo interrogandi munere Advocatis Fisci vetito: *verum se l'Avvocato, e Procurator Fiscale*, ait, *ci vogliono esser presenti, ci possono essere.* At eos in tortura constitutos potest Fisci patronus interrogare, ex rescripto 5. Sept. 1577., quod laudatur ad marginem eiusdem Pragm. *4.* §. *2. de off. Mag. Iust.*

deinde , *ubinam is ea die, vel hora commorabatur*, qua nimirum crimen fertur patratum. *An Seium* , de cuius homicidio ex. gr. inquiritur , *noverit , et qua occasione ? Ubinam Seius ille nunc sit ? An post ipsum constitutum , illumque hominem amicitia , vel inimicitia intercesserit , et qua occasione ? An sit cum eo ipso aliquando rixatus ? An aliqua offensa , iniuriave sit ab eo affectus ? An post rediverit in eius gratiam , et se mutuo salutaverit aliaque amicorum officia impleverint? an audiverit illum fuisse necatum, ubi, quo die , et hora , quibus armis, a quo, et quare?* Tandem *an illum ipse constitutus occiderit?* Quidquid vero ad singula responderit constitutus , sine intervallo temporis actuarius dictante iudice describit vulgari sermone : tametsi pro examinatoris libito interrogationes , aut latinis, aut vulgaribus verbis in scripturam rediguntur.

VI. Ceteras id genus interrogationes peritus , et callidus examinator improviso aptabit adiunctis rerum, personarum, locorum, statim ac ea in sermonem inciderint, ex ore ipsius constituti : nonnullas etiam interiiciet ex indiciis iam probatis ita concipiendas, ut reus fere non sentiat, quorsum evadant. Quandoquidem oportet reum vera negantem , et fucata mendacia fabulantem ratione expugnare , ac refellere inopinatis , et variis quaesitis , quatenus ipse in absurda , et secum pugnantia responsa prolapsus , suisque erroribus irretitus perturbato animo, volens, nolens eructare veritatem cogatur , ex. gr. si amicum sibi antea, mox inimicum Seium fuisse Titius negaverit, a se homicidii suspicionem aversurus : interrogabitur , *an is cum illo sit umquam collocutus*, vel *quidquam familiariter egerit ? an ambo simul ad prandium, vel coenam alicubi fuerint ? an itineris , aut hospitii comites ? an gladium is, aut arma ignea ex empto, vel commodato sibi comparaverit ? an eadem arma eo die secum detulerit ? an venatum eo ipso die iverit? an ad eas nuptias, aut rem illam adipiscendam contenderit ? an eas , vel hanc Seius etiam concupiverit? an eo die, illisque horis domo, vel patria is abfuerit ? quibuscum sit eisdem horis commoratus ? an domum rediverit cum gladio maculato? an cum tunc fugientem quis insequeretur ?*

VII. Interea si reus animo deficiens indicium timoris aliquod exerat voce , titubatione , colore , trepidatione : notarius iudicis iussu tunc scribat , ubi acciderit , *constitutum heic mutato colore erubuisse* , aut *palluisse*, aut *perplexum conticuisse* , aut *voce tremula vacillantem* , vel *vario sermone ita respondisse* (1). Quisquis enim contraria sibi ,

(1) Si quidem ex Charisii sententia in *l. de minore 10. §. 5. D. de quaestionibus, plurimum quoque in excutienda veritate etiam vox ipsa , et cognitionis subtilis diligentia adfert : nam ex sermone , et ex eo , qua quis constantia , qua trepidatione quid diceret , vel cuius existimationis quisque in sua civitate sua est , quaedam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt.* Vel inviti huiusmodi mutationes ipsa natura cogente patimur , quoties repentinus instantis periculi nuncius , et inopinata formido animos quoque sapientum commovet , motuque rapido officium mentis, ac rationem perturbat. A. Gellius *noct. Attic. lib. 19. cap. 1.* Ambiguum vero , et fallax indicium inde oriri , et in utramque partem detorqueri , satis monet Cicero *lib. 2. ad Herenn. num-*

et absurda, et repugnantia imprudens responderit, quum in errore palam deprehensus, ipsaque ratione convictus nequeat sibi constare animo, ac sermone, indicia criminis eo plura in se congerit, quo studet magis ea diluere: non secus, ac stupidus pituitam a naribus allio, et caepa detergens. Huc spectat illud Salomonis proverbium, mors et vita in manu linguae (1).

VIII. Dum constanti animo negaverit constitutus delati criminis se conscium esse, in eumque urgeant indicia ad torturam sufficientia: monendus tunc est recensione quum generali probationum fiscalium, tum speciali exprobatione singulorum indiciorum, hoc modo: *Et monitus dicere veritatem, quia ex informatione capta, pluribusque testimoniis fide dignis* (testium nomina reticentur) *iam satis constat crimen istud ab ipso constituto ea die, et hora ob illam caussam cum illis armis, et auxiliis patratum revera fuisse:* respondit ex. gr. *veritatem ego hactenus dixi, falsa testes deposuere, crimen in me delatum non admisi.* Verbis tum gravioribus, vultuque severiori iudex monitor inquiet. *Quanam fronte audeat is peierare crimen a se admissum negando, dum haec, et illa criminis vestigia in eius domo, vel armis, vel vestibus, vel persona sint reapse reperta, et recognita? Ita ne impudens, et pertinax in mendaciis perseverare non dubitet contra fidem testium omni exceptione maiorem? Cur ergo tremens, ac pallidus eo ex loco tunc rediit? cur latitavit,* vel *fugam arripuit,* vel *ad Ecclesiam ultro confugit, nemine persequente, nisi conscientia patrati criminis ad id eum impulisset? Quare suo ipso iudici iuridice interroganti negare id audet, quod sponte sua ipsemet coram illo, et illo confessus iam sit extra iudicium? Quomodo patens celare odium suum poterit, ac deliberatum occidendi Seii animum, cui mortem non semel minitatus fuerit coram illis testibus, insidiasque ad necem struxerit? Iterum proinde monitus, ut veritatem sincere fateatur, tot mendaciis, et repugnantibus responsis labefactatam, et abstineat crimina sua obstinato periurio efficere graviora: respondit sic, et sic.*

IX. Interroganti iuridice, si quando reus conticescens renuat respondere, ter monendus est, ut respondeat, vel declaret apertius ambigua, et obscura, et aequivoca responsa: alias in contumaci silentio pertinax pro confesso, vel ad poenam pecuniariam, quae indicta ei a monente iudice sit, damnabitur. Nam *qui omnino non respondit, contumax est* Ulpianus ait (2): *contumaciae autem poenam hanc ferre*

g., haec docens. Accusator *dicat, si poterit, adversarium, quum ad eum ventum sit, erubuisse, expalluisse,* titubasse, inconstanter locutum esse, concidisse, pollicitum *esse aliquid: quae signa conscientiae sunt: Si reus horum nihil fecerit,* accusator *dicet, eum usque adeo praemeditatum fuisse, quid sibi esset usu venturum, ut confidentissime resistens responderet: quae signa confidentiae, non innocentiae sint.* Defensor, *si pertimuerit, magnitudine periculi, non conscientia peccati se commotum esse dicet. Si non pertimuerit, fretus innocentia negabit esse commotum.*

(1) Proverbiorum *cap. 18. vers. 22.*

(2) Ulp. in *l. de aetate 11. §. 4., et 5. D. de interrog. action.*

debet, quia praetorem contemnere videtur.... et nihil interest, neget quis, an taceat interrogatus, an obscure respondeat, ut incertum dimittat interrogatorem.

X. Uno, eodemque mane, aut vespere quoties non absolvatur examen, iterum, aut pluries idcirco resumendum: interruptionem signaturus notarius, ita scribet: *His peractis* D. examinator *ob tarditatem horae, vel ad graviora negotia revocatus examen dimisit continuandi animo, acceptatis interea pro Fisco acceptandis: constitutus autem accepto calamo se subscripsit,* vel *signum Crucis obsignavit.* Intermissi dein examinis resumptio sub eodem praestito iuramento, quod numquam iteratur ita fit: *Eo die, in eo loco, et coram eodem iterum constitutus personaliter Titius, in primisque interrogatus, an pronus, paratusque nunc sit veritatem rectius fateri, quam antea fecit?* Vel *an quidquam aliud iis, quae alias iam deposuit, addere, aut detrahere, aut mutare nunc intendat?* Vel *an rata nunc habeat, quae iam hesterno die confessus est?* Mox alia, prout res postulaverit, apposite sciscitabitur examinator, incoeptas prosequendo interrogationes, et congrua ex indiciis monita, ut veritatem eliciat, quoad poterit, ex ore negantis, vafri, et versipellis.

XI. Tandem absolutis interrogationibus, et monitis examen concluditur solemni litis contestatione inter Fiscum, et reum: scilicet coram iudice, quod reus negaverit, ac neget crimen admisisse, id Fiscus ex adverso asseveret (1), ambo simul contendentes, quasi consertis in iure manibus (2); mox idipsum una cum interlocutione iudicis in acta sic redigitur: *His omnibus auditis, Fiscus praesens acceptando depositionem huc usque gestam in partibus pro se facientibus in ceteris autem sibi adversis contradicendo, et non aliter, institit*

(1) *Lis enim tunc contestata videtur*, cum *iudex per narrationem negotii caussam audire coeperit*, ex Severi, et Antonini textu in *l. 1. C. de litis contestatione.* Gregorius IX. in *cap. un. eod. tit.* de causa iniuriarum, et sententiis excommunicationum rescribens, *quia litis contestationem*, ait, *non invenimus esse factam, cum non per positiones, et responsiones ad eas, sed per petitionem in iure propositam, et responsionem secutam litis contestatio fiat, processum ipsorum de fratrum nostrorum consilio irritum duximus nunciandum. Qui enim*, idem Pontifex alibi rescripsit, *ponit aliquod dictum, vel factum, nihil petit ab adversario, nec etiam ostendit se per hoc velle agere: cap. dudum 54. §. licet de electione.*

(2) Leges XII. tabularum hoc habent: *Si qui in iure manum conserunt.* Hinc Tullius *lib. 1. de oratore num. 10: aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses.* Idemque pro *L. Muraena* antiquam contestandae litis formam tradit aiens: *eum ego* fundum, qui Sabinus vocatur, *meum esse aio.... inde ego te ex iure manu consertum voco.... unde tu me iure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco. Praetor interea .... utriusque superstitibus, praesentibus: istam viam dico, ite viam.* A. Gellius *lib. 20. cap. 10.* pluribus priscum illum contestandae litis ritum edisserit, quo actor simul, et reus in controversum agrum profecti, unam inde glebam, aliamve rem in ius ad Praetorem deferebant, mox in ea gleba pro toto agro vindicationem reipsa agebant mutuo manuum conflictu. Ea tum specie cito exoleta, contestatio litis, ut verbis dumtaxat fieret, Romanae leges indulserunt.

ad ulteriora procedi. Vel *pro parte Fisci* absentis actuarius ex officio adnotat in calce depositionis eam fuisse cum huiusmodi limitatione acceptatam: *Dominus iudex tunc pro tribunali sedens, Fisco instante*, vel *ex officio litem contestaturus mandavit, ut coram ipso constituto, et Fisco* (si adsit) *legeretur depositio integra cum suis interrogationibus, et singulis constituti responsionibus: eaque per me infrascriptum notarium continuo lecta ab initio usque ad finem, iterum is monuit constitutum de veritate dicenda super suae inquisitionis capitibus, eoque in suis dictis persistente,* vel *se ad illa, quae iam deposuit, omnino remittente, litem habuit pro contestata* (1).

XII. Iuridico reorum examini, ut praesentes insimul adsint accusatores, quum leges, tum canones iubent (2). At consuetudo generalis, quae hoc in Regno etiam viget, nullius privati accusatoris praesentiam (3), sed ministri tantum fiscalis requirit, dum reus in iudicio rite interrogandus constituitur.

TIT. VI.

De confugii exceptione.

I. Cursum iudicii criminalis post rei examen a sacro asylo extracti impedit confugii exceptio, quoad ea definiatur.

II. Intra menses quatuor debet iudex laicus acta originalia infor-

(1) Ex traditis a Reg. Rosa in *prax. crim. cap. 8. num. 45*, Guazzino *defensa 20. cap. 18.*, Capic. latr. *dec. 221. lib. 2.* Hanc utique formam expressam contestandae litis in criminalibus tantum iudiciis usurpant huius regni Curiae quum sacrae, tum profanae, in civilibus per aequipollens, ac tacite fieri consentiunt. Litis porro civilis contestationem incoeptam putant nostri, statim ac reus citatus accepto adversarii actoris libello suas obiecerit exceptiones: perfectam vero, simul ac terminus ad probandum super hinc inde praetensis datus erit interlocutione Iudicis.

(2) Festus Romanus Iudaeorum Praeses damnationem Apostoli postulantibus Iudaeis respondit: *non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Cum ergo hunc convenissent sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali iussi duci virum: de quo cum stetissent accusatores, nullam caussam deferebant, de quibus ego suspicabar malum,* Actorum *cap. 25. vers. 16. ad 18.* Nicolaus Papa Hincmaro Rhemensi Archiep. rescripsit, *secundum sacrarum Scripturarum documenta, ac secundum iustitiae tramitem, et accusatum, et accusatorem simul adesse, can. necesse est 21., et ult. C. 3. q. 9.* Alios eadem *C. et qu.* canones ad id firmandum promit Gratianus partim ex commentitiis epistolis Telesphori, Callisti, Cornelii, Marcelli, et Felicis in *can. 1., 3., 4., 5., et 18.*, partim ex genuinis Damasi in *can. 6., 7., et 8.*, et Toletana VI. Synodo in *can. 9. Custodias* (hoc est inquisitos in custodia carcerum detentos) *auditurum tam clarissimos viros, quam patronos caussarum, si omnes in civitate provinciae, quam regit, agunt, adhiberi debere, et feriatis diebus custodias audire posse rescriptum est: ita ut innoxios dimittat, et nocentes, qui duriore animadversione indigent, differat,* Marcellinus tradit in *l. custodias 12. D. de publicis iudiciis.*

(3) Ut recte observat Gothofredus in *cit. l. custodias.*

mationis criminalis contra reum ab Ecclesia extractum dioecesano Episcopo exhibere, intra mensem inde declaraturo, an reus ecclesiastica immunitate gaudeat, nec ne.

III. Elapso mense, aut Fisco laico ab episcopali sententia recurrente, ad Tribunal Mixtum devolvitur declaratio confugii.

IV. In priori casu Tribunal istud, visis actis eisdem, declarat confugam gaudere, vel non gaudere, in posteriori deferendum, vel non esse petito recursui: aut quod processus impinguetur, decernit.

V. In quaestione confugii discutienda utrumque Fiscum laicum, et ecclesiasticum audit, praeterea neminem.

VI. Reo recursum denegat lex Concordatorum an. 1741: stylus vero Tribunalis Mixti Fiscum audit recurrentem a sententia officio fiscali adversa tantum.

VII. Post lapsos etiam decem dies Iure communi concessos ad recurrendum.

VIII. Lapso quadrimestre, si laicus iudex neglexerit Episcopo dioecesano processum exhibere, Episcopus restitutionem confugae ad Ecclesiam ab eo recte postulabit. Fraus porro cuiusque collusionis, aut negligentiae nec Episcopo, nec regio Fisco ius adimit obeundi officium suum lapsis mensibus iure Concordatorum statutis.

§. I. De sacro asyli iure.

IX. Vetustissimam sacri asyli religionem instituit lex Mosayca in sex Urbibus Leviticis.

X. Simul et Ius gentium in idolorum templis, simulacris, et aris, atque in heroum sepulcris.

XI. Nullum de asylo ecclesiastico verbum habet Lex evangelica.

XII. At decurso martyrum aevo post pacatam Ecclesiam, continuo mores fidelium populorum, sententiae Patrum, legesque imperiales tutelam indulserunt confugientibus ad sacras aedes.

XIII. Concilium Sardicense anno 347. ius intercessionis ecclesiasticae apud Principem pro confugis constituit.

XIV. Theodosius M., Arcadius, et Honorius Imperatores nonnullos ecclesiastico asylo indignos pronunciarunt specialim, ceteros non item.

XV. Honorius idem auditis mox Patribus Africanis rescripsit, ne privilegia Ecclesiae violarentur.

XVI. Saeculo V. leges Honorii, Theodosii II, Valentiniani, et Leonis admodum faverunt confugientibus ad Ecclesias, et loca interiacentia.

XVII. Simul et Gothorum Principes.

XVIII. Exinde S. Augustinus, aliique Patres in violatores ecclesiastici asyli animadvertere censuris aggressi sunt.

XIX. Mox in Synodis plura pro confugis decreta ediderunt.

XX. Pluresque decretales dedit Gelasius Papa.

XXI. Iustinianus homicidis, adulteris, et virginum raptoribus, Carolus M. etiam homicidis, omnibusque mortis reis tutelam sacri asyli denegarunt, aliis non item.

XXII. Subsecutis inde saeculis non intermissum in tuenda confugarum immunitate sacra studium Patrum, et Pontificum constat ex Canonici Iuris voluminibus.

XXIII. Multisque Conciliorum decretis apud Gratianum.

XXIV. Innocentius III. publicos latrones, et nocturnos agrorum depopulatores tantum asylo sacro indignos censuit.

XXV. Gregorius IX. addidit patrantes in ipsis Ecclesiis, et coemeteriis homicidia, et mutilationes membrorum.

XXVI. Innocentius VIII. homicidas quoque, incendiarios, agrorumque depopulatores. S. Pius V. vero, et Xystus V. reorum extractionem ab Ecclesia pluries indulserunt in casibus Iure non permissis.

XXVII. Honorius IV. cum Carolo I. Andegavensi firmavit hoc in Regno privilegium asyli ecclesiastici per communia iura indulto, vetans confugas extrahi, praeterquam in casibus iure permissis. Xystus V. regiis officialibus extrahere undelibet bannitos, et delinquentes indulsit.

XXVIII. Gregorius XIV. Episcopis, eorumque officialibus tantum ius tribuit ab Ecclesia ad episcopales carceres abducendi confugas, eosque (ubi reos novissent grassationis, depopulationis agrorum, mutilationis, aut homicidii in loco immuni, vel cum proditione admissi, assassinii, haeresis, laesaeque maiestatis) tradendi Curiae saeculari.

XXIX. Hanc pontificiam constitutionem continuo respuentes Principes nostri, laicique magistratus abrogare, Episcopi ex adverso exequi contenderunt.

XXX. Benedictus XIII. criminibus a Gregorio XIV. exceptis alia superaddidit plaudentibus laicis, episcopalem simul iurisdictionem in eis declarandis, et confugis extrahendis firmavit, laicis magistratibus exosam.

XXXI. Clemens XII. aliam edidit constitutionem de asylo tam laicorum, quam clericorum Status pontificii, amplificans exceptiones criminum.

XXXII. Lex tandem Concordatorum an. 1741. novissime cunctas inter ecclesiasticos, et laicos discordias de sacro asylo pacavit hoc in Regno.

XXXIII. Easque mox in aliis regnis, et provinciis composuit Benedictus XIV., qui plura etiam dubia dissolvit, et alia communi bono statuit de regularibus, et mulieribus confugis, de instrumentis homicidii, et lethalibus vulneribus, deque immunitatis ecclesiasticae violatoribus.

§. II. De criminibus asylum excludentibus.

XXXIV. Nostra Concordatorum lex antedictas Gregorii XIV., Be-

nedicti XIII, et Clementis XII, constitutiones confirmat, exceptis adversantibus eiusdem Concordiae articulis.

XXXV. Quodvis homicidium reos asylo sacro indignos efficit lex ista, nisi casuale omnimodis, aut ad iustam sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae fuerit admissum.

XXXVI. Natu quoque minores hac lege obstrictos bis censuit Tribunali Mixtum.

XXXVII. Casus innoxius in homicidio asylum non adimens duas postulat conditiones, licitam scilicet operam occidentis, adhibitamque in ea diligentem praecautionem.

XXXVIII. Ambas plura exempla sacris canonibus, et decretalibus definita comprobant.

XXXIX. Itaque dans operam rei illicitae quavis adhibita praecautione, aut licitae rei dans operam sine diligenti prudentis viri praecautione, si quem casu necaverit, ob culpam asylo frui nequibit.

XL. Defensio necessaria cum moderamine inculpatae tutelae quatuor simul conditiones postulat.

XLI. Harum prima est aggressio improvisa, quae deficit in eo qui rixam provocat, vel provocatus in certamen procurrit, e loco tuto.

XLII. Secunda, imminens vitae periculum, quod nonnisi morte aggressoris valeat evitari.

XLIII. Tertia, aequalitas armorum, quoad ferat angustia temporis, et loci.

XLIV. Quarta, instantis, non abeuntis oggressoris occisio.

XLV. Qui non suam, sed suorum vitam defendendo iniustos aggressores cum eodem moderamine inculpatae tutelae necaverint, videntur etiam asylo non indigni.

XLVI. Rixam excitans, in eaque necem lacessito inferens cum quibuslibet instrumentis ad occidendum aptis, asylo non gaudet: secus iudicatur de provocato ad rixam, qui provocantem occiderit cum aequo necessariae defensionis moderamine.

XLVII. Vir uxorem in adulterio deprehensam, aut cum ea maechantem interficiens, quamvis homicidii poenas ex legibus evadat, culpam gravem quia contrahit, asylo nec etiam gaudet.

XLVIII. Et qui mandato, consilio, instigatione, ope, aliave quavis opera ad homicidium conspiraverint.

XLIX. Mandata insuper hominis occisio, etiam sine effectu, si vulnus intervenerit, mandantes, et mandatarios, iisque opem, aut consilium dantes asylo excludit.

L. Pariter venenum nocendi animo componentes, vendentes, aut propinantes, quamvis non sumptum illud fuerit.

LI. De reis abortus lex Concordatorum an. 1741. silet.

LII. Quodlibet crimen poena sanguinis, aut triremium iure communi coercitum patrantibus in quovis loco immuni, et confugis etiam crimen eiusmodi extra immunem locum admittentibus nunc adimitur asyli beneficium.

LIII. Poenam triremium in communi iure Pandectarum, Codicis, et Novellarum frustra quaeres, huius Regni Pragmaticis, regiisque constitutionibus sancitam.

LIV. Grassatores, latronesque publici viarum, etiam vicinalium ex primo eiusmodi scelere asylum amittunt, quamvis nullam personis offensam fecerint.

LV. Latrones campestres an inter publicos, et famosos accenseantur, e re nata quaeras.

LVI. Ob unum procul a via latrocinium ab uno, vel pluribus turmalibus commissum confugas ecclesiastica immunitate gaudere Tribunal Mixtum censuit.

LVII. Receptatores ea non gaudent, qui nempe hominem dolo, aut vi abducunt captivum, vel nuncios, aut litteras necem, aut incendium minitantes ad aliquem mittunt, pecuniam extorquentes pro redemptione.

LVIII. Nec depopulatores agrorum, neque incendiarii cuiuslibet domus, vel tugurii, vel agri.

LIX. Qui etiam se ministros Curiae simulando domos noctu ingrediuntur, ibique furantur, aut mulierum honestati vim inferunt.

LX. Fures nocturni falsis clavibus, aliisve instrumentis, aut ianuarum fractura, vel incendio abutentes, aut non per ostium ingressi furtum fecerint capitali poena dignum.

LXI. Furtum puta unius unciae ultimo supplicio puniendum iure municipali.

LXII. Peculatores in his sunt regii Thesaurarii, et generales Provinciarum Perceptores, Capserii, officialesque publicorum Bancorum, Conservatores pignorum, officialesque Montium publicorum, et Capserii Universitatum huius Regni.

LXIII. Qui falsant fiduciarias Bancorum litteras, aut mandata, alienamque inde pecuniam in Bancis depositam exigunt.

LXIV. Mercatores dolosi, qui sese decoctos simulando sua celant bona in fraudem creditorum.

LXV. Conflantes, adulterantes, tondentes liberi usus monetas, easque scienter expendentes : falsantes quoque litteras apostolicas.

LXVI. Haeretici, reique laesae maiestatis in primo, vel secundo capite.

LXVII. Qui confugis vim inferunt, eosque a loco immuni extrahunt. Quique loca immunia obsident, impediendo alimenta confugarum.

LXVIII. Asylo autem abutentes prima etiam vice confugas Episcopi facultatem habent abducendi ad aliam Ecclesiam, eosque interea monendi, quod ob alterum confugii abusum nulla ipsos immunitate amplius fruituros declarabitur.

LXIX. In his postremis quatuor criminibus exceptis vim habet praecipuam confirmatio constitutionum Gregorii XIV, et Benedicti XIII. in Concordatis edita.

§. III. De locis immunibus.

LXX. Ecclesiae omnes, Capellaeque in locis habitatis, parochiales vero ubilibet, monasteria, domusque Regularium dant reis non exceptis asylum in atrio etiam clauso, sualis, et ianuis; muroque anteriori tantum.

LXXI. Non item rurales Ecclesiae extra loca habitationum, nec privatorum, neque arcium Capellae, seu Oratoria, nec turres campanarum a muris Ecclesiarum seiunctae, nec dirutae, profanataeque Ecclesiae, nec earum horti, aliave loca extra clausuram ipsarum, nec domus contiguae aditum extrinsecus habentes, nisi eas ipsimet Parochi, aliive animarum curatores, aut earumdem custodes incolant.

LXXII. Quaestiones de immunis loci qualitate dubio iudices laici sibi definiendas vindicant.

§. IV. De Clericatus exceptione.

LXXIII. Si quis clericorum ob crimen assassinii a iudice laico praeveniente captus declinare huius forum contenderit, quaestionem super qualitate assassinii controversa Tribunal Mixtum antea definiet.

LXXIV. Verba legis Concordatorum hoc in articulo multas, et variat exhibent difficultates.

LXXV. Supremo Utriusque Potestatis oraculo dissolvendas.

LXXVI. Intra quatuor menses acta informationis laicalis contra clericum homicidii reum mandantem, vel mandatarium debet iudex ad Tribunal Mistum dare, ut ex iisdem ferat iudicium, reumque audiat in repetitione ac repulsa testium, eiusque defensionibus.

LXXVII. In ceteris caussis criminalibus, exceptio clericatus fere discutitur, antequam reus a iudice laico vel citatus, vel captus examinetur.

LXXVIII. Ex Ritu M. C. Vicariae si quispiam in ius vocatus, vel captus in foro laico postulaverit caussam remitti ad ecclesiasticum forum, extemplo datur terminus ad probandum clericatum, in quo legitimae producuntur, audito fisco laico probationes.

LXXIX. Iisque visis, et re cognita decernitur, vel processus ad ulteriora in foro laico exceptione clericatus, aut petita remissione non obstante, vel remissio clerici una cum actis ad Curiam ecclesiasticam.

I. Ab Ecclesia, locove immuni ad carceres abductus, ubi reus fuerit petita ab Ordinario loci licentia (1): ad ulteriora nequit post acceptam eius depositionem criminalis caussa procurrere, nisi exceptio asyli eam heic retardans antea discutiatur. Dubitabatur olim, an confugas liceret laico iudici examinare: quum ecclesiastica immunitas eos

(1) De qua superius dictum *tit. IV. num. IV.*

usque adeo subtraheret a potestate iudicum, omnique periculo iudicii, ut religionem violare quilibet videretur ipsos aut in ius vocans, aut iudice interrogans. Nunc omnis amota dubitatio est, ex quo lex Concordatorum an. 1741. constituit confugas nedum fore ad laicos carceres traducendos, ibique nomine Ecclesiae detinendos, quoad incidens quaestio immunitatis ecclesiasticae definiatur; sed etiam ut dioecesanus Episcopus, et Tribunal Mixtum, viso *processu informativo* iudicis laici, declarent ipsos vel gaudere, vel non gaudere immunitatis beneficio (1). Quum vero ad informantem istiusmodi processum, tamquam pars ad totum, pertineat examen principalis inquisiti: praevaluit sententia, Tribunalis Mixti auctoritate usuque iam recepta, ut reus ab Ecclesia extractus rite ab suo iudice interrogetur ad informationem omnibus numeris absolvendum.

II. Quatuor intra menses ab eo die numerandos, quo sit extractio confugae secuta, iudex laicus debet ad Curiam Episcopi dioecesani acta originalia informationis criminalis transmittere: iisque acceptis Episcopus, vel eius generalis Vicarius inde intra mensem omnino declarabit, vel inquisitum *ecclesiastica immunitate non gaudere*, quoties in eum ex illo processu pateant indicia ad torturam sufficientia (2) de admisso enormi crimine, cui nullum Concordata indulgent asylum: vel e contrario *gaudere*, ubi aut crimen eiusmodi non sit, aut indicia satis ad torturam non videantur.

III. Dioecesano Episcopo intra mensem id non declarante, aut si ab episcopali sententia pro confugio Fiscus laicus, contra confugam prolata Fiscus episcopalis recursum postulaverit ad Tribunal Mixtum: utroque casu iudex ipse laicus ad Tribunal istud curabit processum eumdem auctographum transmittere tuto, vel per nuncium certum, vel per publicos veredarios, et cursores: Regiae vero Audientiae, Curiaeque acta sua consueverunt ad Regis aulam dare cautius, ad Ministrum scilicet a secretis de re ecclesiastica rescribentem, a quo deinceps ad hocce Tribunal cum regio rescripto remittuntur in dies.

IV. Ut primum acta huc pervenerint, summarium inde probationum, indiciorumque actuarius conficit, ac singulis distribuit Quinqueviris. Mox horum uno, cui mandatum id negotium sit, referente caussam in aula eiusdem Tribunalis Mixti, re cognita declaratur ex unanimi totius Collegii, vel maioris partis consensu, inquisitum illum *gaudere*, aut *non gaudere beneficio immunitatis ecclesiasticae* simpliciter in gradu devolutionis, ubi nullam videlicet sententiam Episcopus dioecesanus ea de re protulerit. In gradu autem recursus ab episcopali sententia definitur, vel *esse deferendum recursui per Fiscum laicum petito*, *ac*

(1) Concordata an. 1741. *cap. 2. art. 3.* haec habent. *Costituito il reo nelle carceri laicali, si formi dal giudice secolare il processo informativo sopra il delitto, e nel termine di quattro mesi si esibisca alla Curia del Vescovo, e questi dentro il termine di un mese debba dichiarare, se il reo goda, o no.*

(2) Ex iisdem Concordatis *ibidem art. 5. Perchè possa il Vescovo dichiarare, che l' inquisito non goda del beneficio dell' asilo, bastino gl' indizi* ad torturam.

proinde inquisitum illum *non gaudere*, aut e contrario *non esse deferendum recursui*, *ac proinde gaudere*, prout iuris erit. Quoties vero indicia non satis esse ad torturam videantur, sed pinguefieri additis diligentiis possint, aut informatio oscitantis, vel imperiti inquisitoris defectiva sit curatius reficienda, decerni tunc solet, *quod processus impinguetur* (1), latinis licet reclamantibus.

V. In discutienda confugii quaestione reum, eiusque defensorem nil penitus audit quum Episcopus, tum Tribunal Mixtum; sed solos utriusque Fisci laici, et ecclesiastici ministros, aut procuratores ab alterutro, vel utroque destinatos Nam ordo criminalis iudicii non patitur acta informationis, quae nonnisi post datum defensionibus terminum rite publicantur, partibus inquisitis unquam patefieri, aut commodari ad investiganda indiciorum pondera. Lex autem Concordatorum an. 1791., et consuetudo incolumitati reorum satis prospexit, mandata Fisco episcopali provincia tuendi ex officio in Curiis dioecesanis, atque in Tribunali Mixto ecclesiasticam immunitatem. Vix ubi titulus ipse informationis, aut iuridica citatio palam ostenderit speciem delati criminis asylo dignam, reo formidanti forsan suspiciosam in se fidem alicuius ab officio desciscentis, aut collusionem cum adversariis, fas erit sua manifestare iura pro confugio, ut imminentem, vel illatam sibi ea in re iniuriam avertat.

VI. Hinc intelligimus, cur eadem lex Concordatorum nullum reo indulgeat recursum ab episcopali sententia ad Tribunal Mixtum, sed Fisco dumtaxat quum laico, tum ecclesiastico (2): ei puta, qui ea se gravatum senserit. Absurdum porro est, si Fiscus laicus recurrat a sententia beneficium asyli denegante, aut ecclesiasticus ab eo pro confugis lata, favorem recursus lege concessum, retorquens in odium officii quisque sui. Quamobrem Tribunal Mixtum non semel abiecit adiutoris Fiscalis recursum ab episcopali iudicio declarante quosdam ex militibus homicidas non gaudere immunitate ecclesiastica.

VII. Non appellationem, sed recursum Fisco dant leges (3), intra decem dies iure ordinario postulandum (4). Ceterum *caussas*, *in qui-*

(1) *Al Tribunale Misto*, subdunt Concordata *art. 7.*, *sia lecito impinguare, o ordinare nuovo processo, quando così stimi bene.* Haec plane verba indicant id Episcopis non licere, obstrictis proferre suum de asylo iudicium ex processu Curiae saecularis, qualiscumque is erit, unum intra mensem. Tribunal vero mixtum inde arbitrium habet protelandi sententiam suam sine ulla temporis limitatione, praesertim quoties, vel mutila informatio sit necessariis additamentis perficienda, vel depravata restauranda ex integro. Intereaque ad munus istud rectius obeundum suis, aut litteris instruit eam ipsam Curiam, cuius est cognitio criminis, vel regio Provinciae Auditorio id, quod fit saepius, nunciat; vel ubi locus, et res ferat, idipsum per suos actuarios exequitur.

(2) Concord. *cit. cap. 2. art. 7. Dal giudizio del Vescovo non si ammetta al reo alcun ricorso; ma potranno tanto il Fisco laico, che il Fisco ecclesiastico ricorrere al tribunal Misto.*

(3) Ex rescripto Impp. Valentin., et Valentis in *l. nulli 3. C. quorum appellat. non recip. nulli Officialium a sententia proprii iudicis provocatio tribuatur: nisi in negotio civili.* Reg. de Rosa in *prax. crim. cap. 12. num. 16.*

(4) Auth. *hodie C. de appellat.* ex Nov. *23. cap. 1.*

lus contra Fiscum iudicatum est, intra triennium retractari posse, et post id tempus, si praevaricatio arguatur, vel manifesta fraus probetur, Antoninus rescripsit (1). Quum Concordata nullum Fisco spatium temporis ad recurrendum in caussis confugii praefixerint: id iure communi definiendum videntur ea dimisisse. Hinc patet, cur Tribunal Mixtum litteris ad Archiepiscopum Tarentinum datis die 23 Februarii 1743. censuit Fisco Laico licere lapsis etiam decem diebus recurrere adversus archiepiscopalem sententiam, quae declaraverat Nicolaum Fiore Tarentini castri militem tormentarium homicidam asylo Ecclesiae gaudere.

VIII. Isthaec ipsa ratio vitandae quum praevaricationis, tum fraudis officio utriusque Fisci efficit, ut intra quadrimestrem Concordatis indictum si laicus iudex neglexerit suum informationis criminalis processum contra confugam Episcopo dioecesano exhibere; possit, ac debeat Episcopus requirere ab eo restitutionem confugae ad Ecclesiam nulla mora retardandam (2). Lex Concordatorum tametsi nil aperte dixit, quid fieri oporteat, ubi aut requisitus laicus iudex abnuat, vel differat restitutionem confugae, aut regius Fiscus contendat lapsum quadrimestris ex negligentia, vel collusione qua scribarum, qua iudicum incidentem facinorosis confugis patrocinari non debere. At consuetudo obtinuit, ut quemadmodum cuiusvis negligentia, et fraus nequit speciem criminis enormis asylo indignam mutare, publicamque vindictam Fisco regio commendatam eludere: ita Episcopo adimere non valeat potestatem declarandi, utrum reus gaudeat confugio, intra mensem non decursurum, nisi postquam a iudice laico processus erit episcopali Curiae reapse oblatus. Duabus id sententiis Tribunalis mixti praecipue firmatum est, altera contra Franciscum Miniero Neapolitanum homicidam prolata mense Martio 1742. (3), altera dein pro Potito Caputo Tricaricensi latrocinii reo (4).

(1) Antonin. in *l. caussas un. C. de sentent. adv. Fiscum latis retractandis.*

(2) Concordatis *cit. cap. 2. art. 4.* ita cautum: *quando poi il giudice laico fra lo spazio di quattro mesi non esibisca il processo, debba il Vescovo richiederlo per la restituzione del reo alla Chiesa, la qual restituzione non potrà dal giudice laico ritardarsi a forma dell' obbligo fatto nell' atto della consegna. E quando il Vescovo nello spazio prefisso di un mese non avrà dichiarato, s' intenda* eo ipso *devoluto il giudizio al Tribunal Misto.*

(3) M. C. Vicariae proximo a Concordatis anno quum aequo longius protelasset ad Archiep. Curiam Neap. dare acta informationis contra Franciscum Miniero ab Ecclesia rite ob crimen homicidii extractum: Fiscus Archiepiscopalis inde postulavit, ut reus ad Ecclesiam a M. C. illico restitueretur: Fiscus autem Regius reluctans plura obiecit, ut moram excusaret praeter voluntatem, bonaque fide contractam. Curia hinc Archiepiscopalis, ea de re sumpto ab aula Tribunalis Mixti oretenus consilio, processum laicum lapsis iam quatuor mensibus accepit, eoque viso declaravit mense Martio 1742, praefatum *Franciscum non gaudere immunitate ecclesiastica, et proinde M. Curiam ad ulteriora procedere posse, lapsu temporis pro ea tantum vice non obstante.*

(4) Potitum Caputo Tricaricensem de latrocinio, et extortis P. Fulgentio Medici ord. S. Aug. nummis, et tabaco saccularis Curia Tricarici suos ad carceres ab Ecclesia traduxerat, conscio Episcopo, et annuente die 29. Sept.

§. I. *De sacro asyli iure.*

IX. Inviolatam sacri asyli religionem lex Mosayca in primis, et Ius gentium instituit. Sex urbes Leviticae, ut praesidio essent profugis homicidis tam filiis Israel, quam advenis, et peregrinis, qui nolentes fortuito, et sine odio sanguinem fudissent, ibidem commoraturis usque ad mortem Pontificis, eoque defuncto suam in terram exin tuto redituris, Dominus per Moysen imperavit (1). *Si vero quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo avellas eum, ut moriatur*, Deus ipse O. M. iussit (2). Aliis an criminosis, vel obaeratis perfugium apud Iudaeos esset in iisdem urbibus Leviticis, sacra Biblia silet. Rex Demetrius, Ionatha hebraeorum duce, amicitiam cum eo captaturus inter alia suis litteris oblata foederis pacta, *quicumque confugerint in templum*, ait, *quod est hierosolymis, et*

1742. Episcopalis Curia die 29. Febr. 1743. Lucium Natale eius loci iudicem laicum monuit, ut reum tres intra dies peremptorios Ecclesiae restitueret sub poena excommunicationis. Eoque respondente sese processum die 30. Ianuarii exhibuisse iam episcopali Curiae, quae suam exinde sententiam noluit ob diem unum a quadrimestri elapsum proferre: ea illum simul, et ipsius consultorem N. Bronzino, et actuarium Iosephum Rai citavit ad dicendam causam, quare declarari non deberent incidisse in excommunicationem. Reo hinc ad asylum ab iis remisso, Tribunal Mixtum rescripsit Praesidi Provinciae Materanae, confugam fore ad carceres laicos reducendum, inibi mansurum, quoad confugii quaestionem ad se devolutam definiret. Tandem die 4. Decembris 1743. declaravit eum ecclesiastica immunitate gaudere.

(1) Numer. *cap. 35. Praecipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum.... de ipsis autem oppidis sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea, qui fuderit sanguinem... quando transgressi fueritis Iordanem in terram Chanaan, decernite quae urbes esse debeant in praesidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint: in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, et caussa illius iudicetur.... Si per odium quis hominem interfecerit, vel per insidias: aut cum esset inimicus, manu percusserit, et ille mortuus fuerit: percussor homicidii reus erit, cognatus occisi statim, ut invenerit eum iugulabit. Quod si fortuito, et absque odio, et inimicitiis quidquam horum fecerit, et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem, et propinquum sanguinis quaestio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur. Si interfector extra fines urbium, quae exulibus deputatae sunt, fuerit inventus, et percussus, ab eo, qui ultor est sanguinis, absque noxa erit, qui eum occiderit.... postquam ille Pontifex obierit, homicida revertetur in terram suam.* Huiusmodi lex iterata legitur Deuteronomii *cap. 19.*, et Iosue *cap. 20.*

(2) Exodi *cap. 21. vers. 14.* Hinc paterna Davidis monita suprema implens rex Salomon, ut vindicaret sanguinem innocentem Abner, et Amasae fusum a Ioab, hunc qui fugerat in tabernaculum Domini, stantem in cornu altaris, interficiendum inibi iussit, 3. Regnum *cap. 2. vers. 29., et seq.* Philo Iudaeus *lib. de special. legib.* tradit *hominibus nefariis in fano ius asyli non deberi.*

in omnibus finibus eius , obnoxii Regi in omni negotio dimittantur , et universa , quae sunt eis in regno meo , libera habeant (1).

X. Idolorum templa , simulacra , et arae , tum heroum sepulcra communi gentium consensione cunctis perfugis ubique patuere ad tutelam , et vitae securitatem (2). Eos enim ita deorum iudicio , et punitioni relinquebant immunes a quavis hominum potestate, ut sacrilegium, et nefas ducerent ipsos exin abripere ad iudicia publica, vel privatam vindictam. Romae *sunt*, Cicero ait (3) , *loca publica urbis , sunt sacella , quae post restitutam tribunitiam potestatem nemo attigit, quae maiores in urbe partim periculi perfugia esse voluerunt.* De Graecorum asyli plus aequo extensis in fraudem Iuris publici , atque in dies crebrescentibus quum Senatus Romanus Tiberio mandante notionem suscepisset , honorificis ea decretis reformavit (4). Summorum quoque Principum statutis religionem asyli attribuit quum studiosa populorum devotio , tum legum auctoritas (5).

(1) I. Machabeorum *cap. 10. vers. 43.*

(2) De Troiano *Iunonis asylo* agit Virgilius *lib. 2.* Æneid. *vers. 761.* De *ara clementiae , ac templo misericordiae* Athenis erecto ab Herculis nepotibus Statuis *lib. 12. Thebaid.* ita canens : *Huc victi bellis , patriaque a sede fugati Regnorumque inopes , scelerumque errore nocentes Conveniunt, pacemque rogant.* Ut augerentur cives , et incolae in parvis initio urbibus , Thebis, Athenis, Roma, asylum peramplum primi conditores consulto aperuere profugis tum servis , tum criminosis , et obaeratis. Quod Romulus in luco inter Capitolinum et Palatinum statuit , id certe sacrum , scilicet et *Deo asylo* incerti nominis dicatum fuisse liquet ex his Virgilii carminibus Æneid. *lib. 8. vers. 342.*, *et seqq. Hinc lucum ingentem , quem Romulus acer asylum Retulit , et gelida monstrat sub rupe Lupercal, Parrhasio dictum Panos de more Lycaei. Necnon et sacri monstrat nemus Argileti... Hoc nemus , hunc (inquit) frondoso vertice collem (Quis* Deus *incertum est) habitat* Deus. *Arcades ipsum Credunt se vidisse Iovem.*

(3) Cicero *or. 16. de lege agraria contra Rullum.* Idemque *pro domo sua* inquit : *Hic arae sunt , hic Dii penates , hic sacrae religionis coeremoniae continentur, hoc perfugium est ita sanctum omnibus , ut inde abripi neminem fas sit* : Chremetis apud Terentium *Heautont. act. 5. sc. 2. Nec tu aram tibi , neque precatorem pararis.*

(4) Corn. Tacitus *annal. lib. 3. num. 57. Crebrescebat enim* , ait , *Graecas per urbes licentia, atque impunitas asyla statuendi: complebantur templa pessimis servitiorum : eodem subsidio obaerati adversum creditores , suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium coercendis seditionibus populi, flagitia hominum, ut coeremonias Deum protegentis. Igitur placitum, ut mitterent civitates iura, atque legatos. Et quaedam quod falso usurpaverant, sponte omisere : multae vetustis superstitionibus , aut meritis in populum Romanum fidebant.... Senatus ipsorum numinum religionem introspexit , liber ut quondam quid firmaret , mutaretque.... Factaque Senatusconsulta , queis multo cum honore, modus tamen praescribebatur, iussique ipsis in templis figere aera sacrandam ad memoriam , ne specie religionis in ambitionem delaberentur.*

(5) Ex *tit. C. de his , qui ad statuas confugiunt.* Ulpian. in *l. quis sit fugitivus 17. §. 12. D. de aedilitio edicto,* putat, *si quis in asylum confugerit*, eum non esse fugitivum, quum id faciat, quod publice facere licere arbitratur, nec illum, *qui ad statuam Caesaris confugit.* Idem in *l. 1. §. 1. D. de offic. Praef.*

XI. Evangelica lex nullum aperte verbum de asylo fidelium habet. Vendentes, et ementes in templo hierosolymitano, et nummularios dum expulit Christus Dominus flagello funiculorum, *scriptum est*, inquit, *domus mea*, *domus orationis vocabitur*: *vos autem fecistis illam speluncam latronum* (1). Quid haec ad confugas adeuntes aram misericordiae? Falluntur certe, qui ea ipsa Domini verba sic detorquent, ut indidem omnes ab ecclesiastico asylo exclusos opinentur. Tantum abest, ut securitatem confugientibus ad templum ademerit Christus Servator, ut ipse palam exprobarit perfidis hebraeis Zachariam filium Barachiae occisum ab eorum patribus *inter templum*, *et altare* (2). Videtur hinc mobile sacri asyli ius Redemptor noster procurandum Ecclesiae Pastoribus, Principum religiosorum clementiae, populorumque studiis reliquisse.

XII. In primo Ecclesiae statu, quoadusque saeviit in martyres furens infidelium persecutio, vestigia istius iuris frustra quaeretis. An Constantinus M. una cum publico Christianae Religionis cultu ius ecclesiastici asyli constituerit, satis non liquet ex apocryphis actis Sylvestri, quibus fertur is quinto die post amplexam fidem nostram illud sanxisse (3). At constat, quod mores primum fidelium populorum (4), et sententiae Patrum vindicarint continuo: dein leges imperiales sanxerint confugientibus ad sacras aedes tutelam, et securitatem: ut ne minor templis Dei nostri viventis, quam idolorum delubris, et statuis Principum reverentia esset.

XIII. Undecimo post Constantini obitum anno 347. Concilium Sardicense hanc Osii Praesidis sententiam unanimi Patrum *placito* probavit: *quoniam saepe contigit*, *quod ad misericordiam Ecclesiae confugiant*, *qui iniuriam patiuntur*, *et qui peccantes in exilium*, *vel insulas damnantur*, *aut certe quamcumque sententiam suspiciunt: ideo subveniendum est his*, *et sine dubitatione eis est petenda per Ec-*

urb., *et l. in eum 5. D. de extraord. crimin.*, et Callistratus in *l. capitalium 28 §. 7. D. de poenis*. Philostratus *lib. 1. de vita Apoll. Erat apud Aspendios*, ait, *asylum Tiberii*, *et statuae*, *quae sanctiores illis in locis*, *venerabiliores que*, *quam Iovis Olympii habebantur*, *ita ut impietatis damnatus quidam fuerit*, *quod servum suum verberasset*, *qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat.*

(1) Matth. *cap. 21. vers. 12.*, *et 13.*, Ioan. *cap. 2. vers. 14.*

(2) Matthaei *cap. 23. vers. 35.*

(3) Ea laudat, et sequitur Baronius *ad an. 324. num. 61.* Sed explorata res est ex testimonio Socratis *lib. 1. cap. 18.*, quod Constantinus M. *ad Ecclesiam Alexandrinorum cubitum illum transferri praecepit*, mensuram scilicet inundantis Nili, ad Serapidis templum deferri antea consuetam. Cui contestes adsunt Ruffinus *lib. 2. cap. 30.*, et Sozomenus *lib. 1. cap. 8.*

(4) Ammianus Marcellinus *lib. 15.* refert, Constantio imperante an. 355, *Sylvanum Agrippinae extractum aedicula*, *quo examinatus confugerat*, *ad conventiculam ritus christiani tendentem trucidatum.* Idem paganus scriptor *lib. 28.* tradit, quod sub Valentiniano an. 364. *Hilarius auriga magiae convictus*, *et confessus capitali animadversione damnatus*, *laxius retinente carnifice*, *subito lapsus confugit ad ritus christiani sacrarium.*

clesiam indulgentia (1). Canone isto ius intercessionis ecclesiasticae apud Principem pro confugis institutum apparet (2).

XIV. Declinante iam IV. saeculo Theodosius M. quum edixisset publicis debitoribus nil suffragaturum Ecclesiae confugium, nisi aes alienum ab iis, aut clericis eos defendentibus persolveretur (3): plane ostendit consuetudinem sacri asyli tunc vigentem. Eamque apertius comprobarunt paullo post Arcadius, et Honorius an. 397., declarando Iudaeos, vel criminum reos, vel debitis oneratos asylo Christianorum frui non debere (4).

XV. Concilium Africanum anno 399. Carthagine habitum, sub Ana-

(1) Syn. Sardicens. *cap. 8*, apud Gratianum in *can. si vobis 28. C. 23. qu. 8.*

(2) Macedonius *ep. 52. ad S. August.* scribit: *officium Sacerdotis vestri esse dicitis intercedere pro reis, et nisi obtineatis offendi, quasi quod erat officii vestri, minime reportetis.* S. Basilius M. viduam, quae ab exosis nuptiis ad sacram Ponti aram confugerat, maximopere tutatus est a violento iudice ipsam inde abripere invitam ad nuptias adsessoris sui conitente, ex traditis a Nazianzeno *or. 20. de laude Basilii. Illa autem*, ait, *quum nulla ratione hanc vim effugere posset.... ad sacram mensam confugit, Deumque adversus hanc iniuriam propugnatorem sibi adoptat.* Mox addit eam a M. Basilio retentam pro Sacerdotis officio, et acerrime defensam, *ut Dei clementiae, et legi, quae altaribus honorem haberi iubet, manum porrigeret.... Nequaquam, inquit iudex, sed omnes imperio meo cedere, ac Christianos leges suas prodere oportet. Ille igitur supplicem deposcebat, hic omni vi retinebat.* S. Ambrosius (in eius vita narrat S. Paulinus) *obsecravit primum scriptis Imperatorem* Valentinianum iuniorem *misso diacono; postea vero quum directus est Ioannes, tunc tribunus, et notarius, qui nunc praefectus est ad tuitionem eorum, qui ad Ecclesiam confugerant, etiam ipse Aquileiam perrexit, precaturus pro eis.* Addit Cresconium, dum Honorius Imp. Mediolani spectaculum ferarum Lybicarum exhiberet, confugientem ad Ecclesiam, ab Episcopo, et clericis defendentibus circumdatum manu militum Stiliconis Comitis iussu extractum: dein *Stilico poenitentia motus est, ita ut per multos dies*, ait, *satisfaceret Sacerdoti.* Tum ipse Ambrosius *ep. 33.* paratum sese ad vincula, et mortem obtulit arbitrio Imperatoris, *nec altaria tenebo*, ait, *vitam obsecrans, sed pro altaribus gratiis immolabor.*

(3) Theod. M. in *l. 1. C. Th. de his, qui ad Eccles. confug. Publicos debitores*, ait, *si confugiendum ad Ecclesias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos, qui eos occultare probantur, Episcopos exigi... Neminem debitorum posthac a clericis defendendum: aut per eos, eius, quem defendendum esse crediderint, debitum esse solvendum.* Hinc S. Augustinus pro Fastio quodam, qui *ne corporalem pateretur iniuriam, ad auxilium sanctae Ecclesiae convolavit*, debitos ab eo solidos 17. oppignoratoribus persolvisse fatetur *ep. 215.* At Sanctus Doctor *lib. 9. de civ. Dei cap. 26.* Theodosium M. *collaudans, inimicorum suorum filios*, ait, *quos non ipsius iussus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum christianos ad Ecclesiam confugientes, christianos hac occasione fieri voluit, et christiana charitate dilexit: nec privavit rebus, sed auxit honoribus.*

(4) Arcad., et Honor. in *l. 1. C. de his, qui ad Eccles. confug.* ita iubent: *Iudaei, qui reatu aliquo, vel debitis fatigati simulant se Christianae legi velle coniungi, ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum, arceantur, nec ante suscipiantur, quam debita universa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati.*

stasio Papa, Epigonium, et Vincentium Episcopos ad Honorium Imperatorem legatos deputarunt, *ut pro confugientibus ad Ecclesiam quocumque reatu involutis, legem a gloriossimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere* (1). Honorius autem Patres clementer audiens, eodem anno rescripsit ad Sapidianum Africae Vicarium, ne privilegia venerabilis Ecclesiae a quoquam violarentur (2).

XVI. Quinto saeculo immunitas Ecclesiarum adaucta publicis quoque legibus est. Honorius, et Theodosius II. an. 416, *fideli devotaque praeceptione* sanxerunt, *nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere, sub hac videlicet definitione, ut si quisquam contra hanc legem venire tentaverit, sciat se maiestatis crimine esse retinendum* (3). Idemque Theodosius, et Valentinianus an. 431., *nec sola altaria, et oratorium templi circumiectum usque ad extremas fores Ecclesiae confugientibus aram salutis esse* praeceperunt, sed etiam, ut *quidquid fuerit interiacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur . . . . . hanc spatii latitudinem ideo indulgentes, ne in ipso Dei templo, et sacrosanctis altaribus confugientium quemquam mane, vel vespere cubare, vel pernoctare liceat: ipsis hoc clericis religionis caussa vetantibus, ipsis, qui confugiunt, pietatis ratione servantibus* (4). Leo Imperator an. 466. confirmatis, quae praecesserant, legibus addidit, ne ab Episcopis, aut OEconomis umquam ea, quae confugae debeant, exigantur: sed ipsimet debitores servata sacris locis reverentia moneantur sententiis iudicum respondere creditoribus in iudicio civili, aut per se, aut per procuratores, et ubi latitaverint, eos Episcopi, seu oeconomi praesentent monitionibus iuridicis (5).

XVII. Interea Gothorum quoque Principes, aliique Romanum impe-

(1) Ex actis Conc. Africani IV. kal. Maias. *an. 399.* apud Binium *to. 1*, et in Collect. Labbaeana. Occasionem ei legationi dedit Masceail tyranni Gildonis victor, qui posthabito Sanctorum consortio, quorum ope, ac monitu Deo militans vicerat, Ecclesiae immunitatem violare ausus, fugientes ad Ecclesiam ab ea extraxit, at paulo post poenas sacrilego dignas Deo vindici persolvit, ut ferunt Orosius, et Zosimus *lib. 5.*

(2) Honorius ad Sapidianum in *l. 34, C. Th. de Episc., et cleric. 7.* kal. Iulii Brixiae Manlio Theodoro Consule ita rescripsit: *Si Ecclesiae venerabilis privilegia cuiusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri (sicut etiam prius constitutum est) condemnatione plectatur. Si quid igitur contra Ecclesias, vel clericos per obreptionem vel ab haereticis, vel ab huiuscemodi hominibus fuerit contra leges impetratum huius sanctionis auctoritate vacuamus.* Hanc legem habet quoque Baronius ad *an. 399. num. ult.* Sensit fortasse Honorius, ni fallor, antedictam abrogare constitutionem imperialem in *l. 1. C. de his, qui ad Eccl. confug.*, vel alteram ab Arcadio latam Eutropio suadente in *l. 3. C. Th. de his, qui ad Eccl. confug.*, de qua Sozomenus *lib. 8. cap. 7.*, et Socrates *lib. 6. cap. 5.*

(3) Hon., et Theod. in *l. fideli 2. C. de his, qui ad Eccles. confug.*

(4) Theod., et Valentin. in *l. pateant 3. C. eodem.*

(5) Leo in *l. praesenti 6. C. eodem.*

rium invadentes plerumque sacris asylis favere : *Adest Alaricus* (ad an. 410. scribit Orosius), *trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit : dato tamen praecepto prius, ut si qui in sancta loca, praecipueque in SS. Apostolorum Petri, et Pauli basilicas confugissent, hos in primis inviolatos, securosque esse sinerent* (1) : mulierum pudicitiae (2), rebusque inibi custoditis etiam parcens (3). Tum Theodoricus Iovino, qui ob occisum in rixa collegam in Ecclesiae septa refugerat, mitigasse poenam ob sacri templi reverentiam fertur a Cassiodoro (4).

XVIII. Tot moribus, legisbusque freti Ecclesiae Patres adeo sibi demandatam ecclesiasticae immunitatis defensionem, sacrique asyli custodiam putarunt, ut suo ab officio viderentur desciscere, si negligerent canonicis censuris animadvertere in sacrilegos eiusdem violatores. S. Augustinus eam ob rem Comiti Bonifacio communionem interdixit (5). Synesius Ptolemaidis Episcopus Andronicum Pentapolis Praefectum, eiusque socios, quod edicta Ecclesiae foribus adfixisset asylum intercludentia, anathemate confixit, eumque vitandum cunctis fidelibus encyclica epistola ad Episcopos data nunciavit (6). Eutropius eunuchus

(1) Orosius *lib. 7. cap. 39.* Huc spectant quae S. Augustinus proloquitur *lib. 1. de civ. Dei cap. 1. Hodie contra eam linguas non moverent, nisi ferrum hostile fugientes in sacratis eius locis vitam, de qua superbiunt invenirent... Testantur hoc martyrium loca, et basilicae Apostolorum, quae in illa vastatione urbis ad se confugientes suos, alienosque receperunt. Huc usque cruentus saeviebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor.*

(2) B. Hieronymus *ep. 16. ad Principium* scripsit: *Quum et illam, et te ad B. Apostoli Pauli basilicam barbari deduxissent, ut vel salutem vobis ostenderent, vel sepulcrum.* Sozomenus *lib. 9. cap. 10. Quum barbarus adhuc terribilius irruens nihil proficeret, admiratus castitatem mulieris, duxit eam in basilicam Petri Apostoli ; quumque eam tradidisset Ecclesiae custodibus, simulque sex aureos ad victum ei comparandum, ut marito servaretur, praecepit.*

(3) Cassiodor. *variar. lib. 12. cap. 20. Quum rex Alaricus*, ait, *urbis Romae depraedatione satiatus Apostoli Petri vasa sacra deferentibus excepisset, mox ut.... cognovit, sacris liminibus deportari diripientium manibus imperavit.*

(4) Idem *lib. 3. var. cap. 27. Hunc Vulcanae insulae perpetua relegatione damnamus*, rex inquit, *ut et sancto templo reverentiam habuisse videamur, nec vindictam criminosus evadat in totum, qui innocenti non credidit esse parendum.*

(5) S. Aug. *ep. ad Bonifacium* in *can. minor. 8. C. XVII. qu. 4. Miror*, inquit, *quomodo tam subito fidei murum aries ruperit inimici. Novi enim, quod religione semper sis veneratus Ecclesiam, qui instigante facinore hominem de Ecclesia rapuisti.... Ecclesiae igitur illaesum revoca, quem irreligiosissime rapuisti, oblatio vero domus tuae a clericis, ne suscipiatur interdixi, communionemque tibi interdico.* Hanc vero epistolam inter sexdecim breviores epistolas S. Augustini suspectas, et commentitias cum editoribus Benedictinis respuit Wan-Espen *dissert. de asylo templor. cap. 3.*

(6) Synesius *ep. 58. quoniam primus apud nos, et solus*, ait, *factis, verbisque Christo maledixit: factis quidem, ex quo edicta sua ad Ecclesiae valvas adfixit, quibus contra leges a se vexatis aditum, ac supplicationem ad sacrum aram, tamquam asylum intercludebat... sin quisquam velut angustae*

quum legem ab Arcadio latam suasisset de confugientibus ad Ecclesiam extrahendis (1), mox in offensionem Imperatoris prolapsus e palatio ad sacram aram tutelam se contulisset (2); B. Chrysostomus ei quamvis hosti Ecclesiae, sed prostrato, et periculum capitis iam subeunti, retributurus pro malis bona, ecclesiasticam intercessionem eximia oratione censuit non denegandam (3).

XIX. Plura inde synodica decreta prodivere sacri asyli abusus, et violationes coercentia V., et VI. saeculo. Arausicana I. Synodus an. 441. nedum confugientes, *loci sancti reverentia, et intercessione defendit*, sed eos damnat, qui *mancipia clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugientibus* occuparent (4). Agathensis an. 506. ab Ecclesia eum repellit, qui *libertos* ecclesiastico patrocinio fruentes ante audientiam pervaderent, aut expoliarent (5). Aurelianensis I. an. 511. id generatim in primis praecipit observandum, *quod ecclesiastici canones decreverunt, et lex Romana constituit*; dein speciatim cavet de asylo reorum in *Ecclesiae atriis, vel domo Episcopi*, de illis nemini tradendis, nisi data eis cum iuramento securitate *de morte, et debilitate, et omni poenarum genere*, de periuris a communione arcendis, de reis, qui sponte discesserint non requirendis, de servis fugitivis pariter domino iuranti remissionem culpae consignandis (6), de raptoris impunitate, simul ac raptae consentientis (7). Epaonensis an. 517, servos a corporalibus tantum suppliciis ob reatum atrociorem exi-

urbis Ecclesiam contempserit, et ab ea damnatos receperit, quasi pauperi parere nihil necesse sit: noverit is sectam a se Ecclesiam, quam unam esse vult Christus.

(1) Arcad. in *l. 3. C. Th. de his, qui ad Eccl. confug.* Eutropio suasore inquit: *si quis in posterum servus, ancilla, curialis, debitor publicus, procurator, murilegulus, quilibet postremo publicis, privatisque rationibus involutus ad Ecclesiam confugiens, vel clericus ordinatus, vel quocumque modo a clericis fuerit defensatus, nec statim conventione praemissa pristinae conditioni reddatur, decuriones quidem, et omnes, quos solita ad debitum munus functio vocat, vigore, et sollertia iudicantium ad pristinam sortem, velut manu mox iniecta revocentur.*

(2) Socrates *lib. 6. cap. 5. Eutropius eunuchus*, ait, *praepositus imperialis cubiculi, et qui consulatus dignitatem ab Imperatore primus ex omnibus eunuchis acceperat, cum de nonnullis, qui ad Ecclesiam confugerant, poenas sumere vellet, operam dederat, ut lex ab Imp. promulgaretur, iubens, ne quis ad Ecclesias profugeret, sed quicumque ad eas confugisset, inde abstraheretur. Verum Dei vindicta continuo subsecuta est. Vix enim lex proposita erat, quam Eutropius in offensionem veniens Imperatoris, ipse quoque ad Ecclesiam confugit.* Id etiam ferunt Sozomenus *lib. 8. cap. 7.*, *et* Prosper de *praediction. lib. 3. cap. 38.*

(3) B. Chrysostomus *hom. in Eutropium to. 4.*

(4) Arausican. I. in *can. eos, qui 6. dist. 87.*

(5) Agathens. in *can. liberos 7. ead. dist.*

(6) Aurelian. I. in *can. id constituimus 36. C. 17. qu. 4.* Huiusce Synodi acta Rex Clodovaeus auctoritate sua communivit, sicuti patet ex epistola eiusdem Synodi ad Clodovaeum, *tom. 4. Concil. coll. Labb.*

(7) Eadem Synodus in *can. de raptoribus 3. C. 36. qu. 1.*

mit per iusiurandum dominorum (1). Ilerdensis an. 524. clerico suum vel servum, vel discipulum ab Ecclesia extrahenti, aut flagellanti poenitentiam, et segregationem a consortio indicit (2). Aurelianensis IV. an. 541., et V. an. 549. servos profugos iurato domino veniam danti iam tutos dimittuut (3). Matisconensis an. 585. fugitivis etiam vindicat immunitatem (4).

XX. Ad haec accesserunt nonnullae Pontificum decretales. Gelasius I., cuivis intercessionem episcopalem imploranti patrocinium impertitus (5), rescripsit Benenatum, et Maurum Beneventanos municipes, qui suum curialem ab Ecclesiae septis violenter extraxerant, ab Epiphanio Episcopo excommunicatum fore ab omnibus aliarum quoque dioecesum Ecclesiis arcendos (6). Tum servos fugitivos, ut Episcopus praestita veniae securitate invitos dominis redderet (7)., quemadmodum et obnoxios rationibus (8), et Christianum Iudaei servum, qui ad Venafranam Ecclesiam confugerat, nisi eum dominus circumcidisset, afferendum hoc casu in libertatem (9).

XXI. Iustiniano Imperatori placuit (anno 535.) homicidis, adulteris, et

(1) Epaonens. Synod. in *collect. Concil. can. 37. Servus reatu atrociore culpabilis, qui ad Ecclesiam confugerit, a corporalibus tantum suppliciis excusetur: de peccatis vero, vel quocumque opere placuit a dominis iuramenta non exigi.*

(2) Ilerdensis in *can. nullus clericorum 19. C. 17. qu. 4.*

(3) Aurelian. IV. *can. 21. et* V. *can. 23. in collect. Concil.*

(4) Matisconens. *can. 8. Comperimus quosdam pseudo, christianos de sacrosanctis Ecclesiis, suae religionis oblitos, fugitivos subtrahere: ideo censemus ut quicumque culpa compellente, aut potentum importuna non sustinens suae gremium matris Ecclesiae petierit usque ad praesentiam sacerdotis, in eodem loco inconcusse permaneat, nulli permittens quolibet dignitatis gradu functo, fugitivo etiam in locis sacris violentiam inferre.*

(5) Gelasius I., qui sedit ann. 492., Leontio, et Petro rescribens in *can. licet 1. dist. 87, omnibus de nobis sperantibus*, ait, *non debemus, in quantum possumus, nos negare.* Tum addit in *can. quisquis 3. eod. dist. 87*, *quisquis* ait, *in negotiis suis nostri nominis intercessione sperat sibi remedia posse conferri, prona nos convenit animositate praestare.*

(6) Gelas. Victori, Constantino, Martyrio, Felicissimo, Sereno, et Timotheo rescribens in *can. frater 10. C. 17. qu. 4.*: *Ausi* ait, *irruptione temerariae mentis admittere, quod nec Potestatibus, vel Principibus umquam licuit perpetrare, ut hominem in sanctuariis constitutum captata sacerdotis absentia reluctantem, reclamantemque violenter abstraherent. Quos, quantum sua nobis, suggestione patefecit, merito indignos esse sacra communione iudicavit.* Tum Epiphanio idem Gelasius in *can. ad Episcopos 12. eod. C. et qu.* nunciat ad eunctos Episcopos direxisse iussionem, ut *eos, qui Ecclesias violasse perhibentur, accessu earum iudicet esse indignos.* At vero utramque inter Gelasii epistolas non habet Labbaeana collectio Concil. *to. 4.*

(7) Idem Bonifacio Episcopo in *can. metuentes 32. C. 17. qu. 4., metuentes dominos famuli*, ait, *si ad Ecclesiae septa confugerint, intercessiones debent quaerere, non latebras.*

(8) Idem Ioanni Episcopo in *can. uxor. 33. eod. C. et qu.*

(9) Idem Syracusano, Constantino, et Laurentio in *can. Iudas 34. eod. C., et qu.*

virginum raptoribus adimere templorum refugium (1) : non aliis. Carolus M. etiam sacro asylo privavit homicidas, ceterosque mortis reos (2).

XXII. Canones vero posteriores (quorum nonnulli sunt apud Gratianum corrupti, alii vero integri, et sinceri) indicant non intermissum a Pontificibus, Patribusque studium contendendi pro aris, et asylis, reisque opitulandi. S. Gregorio inscriptum habet canonem Gratianus, ut *reos sanguinis defendat Ecclesia*, *ne effusione sanguinis particeps fiat* (3). Alterum Nicolao Papae ita conceptum : *sicut antiquitus a SS. Patribus statutum est*, *statuimus*, *ut maior Ecclesia per circuitum 4o. passus habeat, capellae vero*, *vel minores Ecclesiae 3o. Qui autem confinia earum confringere tentaverit*, *aut personam hominis*, *vel bona eius inde subtraxerit, nisi publicus latro*, *fuerit*, *quousque emendet*, *et quod rapuerit reddat*, *excommunicetur* (4). Amborum auctoritas hac in re fluctuat. Ioannes VIII. violatorem domus Dei privatum communione declarat, quoad legitime satisfaciat multum 3o. librarum argenti (5).

(1) Iustin. *Nov. 17. cap. 7. Neque homicidis*, ait, *neque adulteris*, *neque virginum raptoribus delinquentibus templorum custodies cautelam*, *sed etiam inde extrahes*, *et supplicium eis inferes. Non enim talia delinquentibus parcere competit, sed hoc patientibus, ut non talia a praesumptoribus patiantur. Deinde templorum cautela non nocentibus, sed laesis datur a lege : et non erit possibile utrumque tueri cautela sacrorum locorum et laedentem, et laesum.*

(2) Carol. II. *lib. 1. capitular. cap. 90.*, in *can. reum 9. C. 17. qu. 4. Reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat : neque inde donare ad poenam, vel ad mortem, ut honor Dei, et Sanctorum eius conservetur, sed rectores Ecclesiarum pacem, et vitam, ac membra eius obtinere studeant, tamen legitime componat, quod inique fecit.* Tum *eodem lib. 5. cap. 122.*, constituit *ut homicidae, et ceteri rei, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, non excusentur, neque victus ibidem detur.*

(3) Gregor. in *can. reos 7. C. 23. qu. 5.* At canonem istum a S. Augustino acceptum ferunt Burchardus, et Ivo cum negatione *non defendat*, sicuti notant Romani Correctores.

(4) Nicolaus, qui pontificatum iniit an. 858, in *can. sicut antiquitus 6. C. 17. qu. 4.*, Antonius Augustinus *lib. 2. de emend. Grat. dial. 17.*, et Io. Cochlaeus in *collect. decretor. Nicolai ad calcem epistolarum ipsius to. 8. Concil. gen.* commonent in huiusce Pontificis epistolis nullibi hoc decretum reperiri. At Nicolaus certe *ad consulta* Bulgaror. *cap. 95.* haec rescripsit, *si quisquam ad Ecclesiam confugerit, non illum, nisi sua voluerit sponte, ab ea dicimus educendum. Denique si quondam latrones, et diversorum criminum rei ad asylum templi Romuli fugientes indemnitatem consequebantur : quanto potius ii, qui ad templum Christi confugiunt, sunt delictorum remissionem suorum adepti, debent etiam sibi a suspecto, iuramento praestito, omni pristinae securitati restitui.*

(5) Ioann. VIII. electus Pontifex an. 872., *in can. quisquis 21, C. 17. qu. 4.*, *quisquis*, ait *inventus fuerit reus sacrilegii, Episcopis, vel Abbatibus, sive personis, ad quas querimonia sacrilegii iuste pervenerit, triginta libras examinati argenti purissimi componat.... Si quis domum Dei violaverit.... donec in conventu admonitus legitime satisfaciat, sciat se communione privatum.* Hanc mutatis verbis sententiam Romani Correctores legisse monent in ms. epistola Ioannis VIII. scripta Episcopis, et Abbatibus Narbonensibus, et Hispanis.

XXIII. Libertos Ecclesiae patrocinio commendatos defensione sacerdotali protegendos, *sicut regulae antiquorum Patrum constituerunt*, proculdubio decrevit Concilium Toletanum IV. an. 633 (1). Mox Toletanum XII. an. 681. definivit, *ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde abstrahere ... et esse his ipsis, qui Ecclesias petunt, per omnia licita in triginta passus ab Ecclesiae ianuis progredi: in quibus 30. passibus uniuscuiusque Ecclesiae in toto circuitu reverentia defendatur: sic tamen, ut hi, qui ad eam confugiunt, in extraneis, vel longe separatis ab Ecclesia domibus nullo modo abscedant ... Si quis autem hoc decretum tentaverit violare, et ecclesiasticae excommunicationi subiaceat, et severitatis regiae feriatur sententia* (2). Concilium Rhemense an. 630., sub Honorio Papa, et Dagoberto Rege Galliarum, *si quis fugitivum*, ait, *ab Ecclesia absque sacramento, quod ei iurandum est, ut de vita, tormentis, et truncatione securus exeat, qualicumque occasione abstraxerit, communione privetur. Ille vero, qui beneficio S. Ecclesiae liberatur a morte, non prius egrediendi accipiat libertatem, quam poenitentiam se pro scelere esse facturum promittat, et quod canonice imponitur impleturum* (3). Concilium Triburiense an. 895., quidquid pro emendanda immunitatis violatione sit exolvendum, altari eiusdem violatae Ecclesiae vindicat (4). Alios veteris disciplinae canones quum synodicos, tum pontificios (5) ne sim nimius, lubens praetereo, quum hactenus recitati eam satis, superque patefaciant.

(1) Conc. Tolet. IV. in *can. liberti 8. dist. 87.*

(2) Toletan. XII. in *can. diffinivit 35. C. 17. qu. 4.* Huius Concilii decretis, actisque subscripserunt nedum Episcopi, sed *viri* etiam *illustres Officii palatini*, regiamque auctoritatem, et confirmationem addidit Rex Flavianus Ervigius edicto suo declarans, ut quisquis ea decreta contemnens *excommunicatus a coetu nostro resiliat, et insuper decimam partem rei suae Fisci partibus sociandam amittat*, pauperes *quinquaginta ictibus* verberentur. Id quod liquet ex eiusdem Synodi actis *to. 6. Concil. Labb.*

(3) Conc. Rhemense an. 630. *can. 7.*, ex Flodoardo *lib. 2. cap. 5.* Hoc an. 625. celebratum a Sonnatio Archiepiscopo fert N. Alexander in *hist. saec. 7. cap. 3. art. 3.* Emmanuel Gonzalez *in notis ad cap. inter alia 6. de immun. Eccles. lit. c*, mutilum huiusce Concilii canonem refert ex Conc. Rhemensi sub Hadriano I., qui sedit anno 772.

(4) Triburiense in *can. si quis 7. C. 17. qu. 4*: *Si quis in atrio Ecclesiae*, inquit, *pugnam committit, aut homicidium facit, quidquid pro immunitate violata emendandum est, altario solvatur, cuiuscumque fuerit Ecclesia illa.* Haec in *can. 4., et 5.* Conc. Triburiensis reapse constituta notant Romani correctores, et ostendit Labbaeana Conciliorum collectio. Alius Triburiensis a Gratiano canon fertur in *can. si quis contumax 20. C. 17. qu. 4., fugientem servum suum*, inquit, *vel quem ipse persecutus fuerit, de atrio Ecclesiae, vel de porticibus quolibet modo Ecclesiae adhaerentibus per vim abstraxerit: pro emunitate nongentos solidos Episcopo componat, et ipse publica poenitentia iusto iudicio Episcopi mulctetur.* Sed istum non habet collectio Labbaeana.

(5) Aliquot refert Emm. Gonzalez in *not., et comm. ad cit. cap. inter alia 6. de imm. eccl.* ex Conc. Moguntino sub Rabano Arch. an. 847, Claromontano sub Urbano II. an. 1095., Rhemensi sub Eugenio III., Romano sub Innoc. II., etc. Alios videsis in Labbaeana *collect. Concil.*

XXIV. Ad novam quod spectat disciplinam, et commune Ius decretalium: Innocentius III. cum primis Regi Scotiae, seu Conatiae respondens *iuxta sacrorum statuta canonum, et traditiones legum civilium* distinguit initio liberos e servis ad Ecclesiam confugientibus: *Si liber*, ait, *quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad poenam, sed rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, et vitam. Super hoc tamen, quod inique fecit, est alias legitime puniendus . . . nisi publicus* latro *fuerit; vel nocturnos* depopulator *agrorum, qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis, ab Ecclesia extrahi potest, impunitate non praestita secundum canonicas sanctiones. Si vero servus fuerit, qui confugerit ad Ecclesiam, postquam de impunitate sua dominus eius clericis iuramentum praestiterit, ad servitium domini sui redire compellitur etiam invitus, alioquin a domino poterit occupari* (1). Itaque Innocentius noluit Novellae Iustiniani, quae homicidis, adulteris, virginum raptoribus ademerat asylum, subscribere.

XXV. Gregorius IX. quamlibet Ecclesiam non consecratam, in qua divina mysteria celebrentur, asyli privilegio frui (2): mox eo indignos declaravit, qui fiducia impunitatis abutentes *homicidia, et mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum coemeteriis* commiserint (3).

XXVI. Extra corpus Iuris Canonici Innocentius VIII. an. 1485. nullum censuit asylum suffragari homicidis, incendiariis, depopulatoribus agrorum (4). Dein S. Pius V., et Xystus V., *sancto zelo ducti diversas facultates, et extrahendi etiam in casibus quibusdam a Iure non permissis ex Ecclesiis criminosos, et delinquentes compluribus saecularibus Principibus, eorumque curiis, et magistratibus sub variis modis, et formis concesserunt* (5).

XXVII. Concordatis Honorii IV. cum Carolo I. Andegavensi *anno* 1285. cautum heic erat, *quod Ecclesiae in toto regno gaudeant privilegio eis per communia iura indulto, et illi, qui ad eas confugiunt, ab inde non exrahantur inviti, nisi in casibus a Iure permissis* (6). Cuiusmodi articulum inter alia Ferdinandus I. Aragonius promulgavit (7). Conquerentibus autem S. Pii V. Legatis ad Philippum II. de violatis hoc in Regno asylis, Prorex Cardinalis Granuela Catholico Regi respondens, nunciavit consuetudinem extrahendi facinorosos confugas innixam iam dictis Honorii Concordatis (8). Paullo post

(1) Innoc. III. in *cap. inter alia 6. de immun. eccl.*
(2) Greg. IX. in *cap. Ecclesiae 9. eod. tit.*
(3) Idem in *cap. immunitatem 10., et ult. eod.*
(4) Apud Spondan. in *contin. Baronii ad an. 1485.*, et Bzovium *ad. an. 1487.*
(5) Ex traditis a Gregorio XIV. initio suae constitutionis pro immunitate confugientium.
(6) Ea iam retuli *lib. 1. tit. X. num. III.*
(7) Ferd. I. Arag. in Pragm. *2. de clericis servaticis*, an. 1646.
(8) Ex relatis a Reg. Fallotti *ragionam. 4. pag. 103.*

Xystus V. speciatim indulsit huius regni Neapolitani *Officialibus regiis Ecclesias , monasteria , cellas , seu loca huiusmodi ingredi, ipsosque bannitos , et delinquentes inde extrahere ; et si opus fuerit , ipsas etiam personas ecclesiasticas , et religiosas capere , et carceribus ecclesiasticis dumtaxat mancipare* (1).

XXVIII. Gregorius XIV. an. 1591. varia suorum Praedecessorum indulta ad unam formam redigens , et moderans constituit ecclesiastica immunitate non fruituros laicos grassatores , depopulatores agrorum , occidentes , ac mutilantes in Ecclesiis, et coemeteriis, homicidas , quum proditores , tum assassinos , reosque haeresis , et laesae maiestatis : hac tamen lege, ut Episcopi, eorumque Officiales tantum haberent facultatem eiusmodi reos extrahendi , atque ab locis immunibus ad episcopales carceres abducendi , quas nonnisi *cognito prius per Episcopum , seu ab eo deputatum , an ipsi vere crimina superius expressa commiserint,* Curiae traderent saeculari : alias ipso facto censuras , et poenas violatae immunitatis incurrerent aliter agentes (2).

XXIX. Ut primum innotuit ista Gregorii constitutio , in eam undelibet reclamare Principes , et laici magistratus : nullatenus patientes asyla sacra , nedum latius patere , quam S. Pius V. , et Xystus V. censuerant , tot aliis capitalium criminum reis, verum ius etiam cognoscendi crimina confugientium ad Ecclesias , ut inde ii extraherentur , eosque interea sub custodia , detinendi , transferri ad episcopales Curias. Philippus III. ab eodem Gregorio petiit , ea ut ipsa constitutio ne hoc in Regno promulgarentur , laicam in facinorosos potestatem enervatura (3). Tum suo heic Proregi Lemosentium Comiti rescripsit an. 1600, ut Bullae Gregorianae reformationem a Summo Pontifice tunc Clemente VIII. postularet , intereaque solitum servaretur (4). Hinc turbae , et contentiones inter utramque Potestatem , Episcopis pro ea exequenda Gregorii constitutione , laicis contra eam, pugnantibus (5). Nam Clemens VIII. non aliud postulatis indulsit, nisi ut Cardinalis Florentinus ad Nuntium Pontificium, et Archiepiscopum Neapolitanum tan-

(1) Hanc Xyxti V. bullam , quae incipit *alias felicis* , videsis insertam in Pragm. 7. *de exulibus.* Bina etiam Xysti litteras de criminosis , praesertim proscriptis, et latronibus persequendis, die 19. Iulii 1585., et 14. Maii 1588, promit B. Chiocchiarell. *to. 17. arch. tit. 5. in fine.* Alias praeterea litteras in forma Brevis idem Xystus ad Io. de Zunica Proregem Neap. dedit die 20. Maii 1589 , quibus excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam fulminavit in quoslibet ecclesiasticos saeculares, et regulares , *qui bannitos, et viarum grassatores in monasteria , domos , Ecclesias , capellas , hospitalia , aut quavis alia loca* reciperent, iisve opitularentur, aut victum, aliudve necessarium quomodolibet praestarent. Eas habet Steph. Quaranta in *summa Bullarii ver. bannitorum fautores.*

(2) Gregor. XIV. in *const. cum alias.* edita 9. Kal. Iunii 1591. Hanc Petrus Gambacurta fuso calamo edisserendam , et propugnandam sibi suscepit.

(3) Litteras Phil. III. ad Greg. XIV. memorat Regens Falletti *loc. cit.*

(4) Apud B. Chioccarell. *to. 17. arch. tit. 6. dell' immunità delle Chiese num. 2.*

(5) Prostant exempla penes Chioccarell., et Reg. Falletti *loc. cit.*

tum litteras daret an. 1602, prohibentes monasteriorum superioribus cuiusque ordinis, ne quem in sacris claustris excipierent ex damnatis, et proscriptis latronibus, aliisve criminosis, et decoctis debitoribus officio suo privandi, ubi non parerent (1).

XXX. Benedictus XIII. an. 1725. censuit nedum species criminum a Gregorio exceptorum amplificare, sed alia nonnulla iis quoque addidit, favens laicorum studio: at firmare cum Gregorio maluit episcopalem auctoritatem in cognoscendis eiusmodi criminibus, et confugis interim custodiendis. Sua enim constitutione primum asylo expertes declarat grassatores ob unicam grassationem, occidentes, vel mutilantes quum in Ecclesia, vel coemeterio, tum de illa, vel hoc stantes extrinsecus, nec non extractores asylum violantes, assassinos tam mandatarios, quam mandantes homicidas animo praemeditato, ac deliberato, falsantem litteras apostolicas, furtum, vel falsitatem in telonio, vel banco patrantes, monetarios, tandem rapinas in domibus nomine Curiae simulato agentes cum homicidio, aut mutilatione. Tum Gregorianam bullam confirmans Episcopis, et iudicibus ecclesiasticis attribuit facultatem reos extrahendi cum indiciis ad capturam, quae pateant ex actis ecclesiasticae solum Curiae, ad suosque carceres traducendi, inde cum indiciis ultra torturam tradendi Curiae saeculari cum obligatione ipsum post purgata indicia restituendi ad Ecclesiam (2). Ita exosa, et molesta magistratibus laicis haec pars posterior benedictinae constitutionis, ut bene accepta, et iucunda successit prior altera.

XXXI. Clemens XII. an. 1734. pro locis ad temporalem Papae ditionem pertinentibus declaravit cunctos homicidii reos, vel participes qua laicos, qua clericos natu maiores viginti annis, quamvis in rixa patrati cum armis ad occidendum aptis, non casu inopinato, neque ad necessariam sui defensionem, nullo penitus asylo gavisuros, clericisque primae tonsurae, duobus admissis homicidiis, fori, et canonis privilegium omnino ademptum voluit, quamvis canonica requisita vitae clericalis de cetero servaverint (3).

XXXII. Concordatorum denique lex novissima utriusque supremae Potestatis placito constituta, et promulgata an. 1741. tria discordiarum praecipua genera evulsit radicitus: primum de modo extrahendi reos ab ecclesiastico asylo, et cognoscendi, ac declarandi quaestiones confugii: id quod satis iam explicui (4), alterum de numero, et qualitate criminum exceptorum, tertium de locis asylum habentibus, quae duo mox edisseram *seqq.* §§.

XXXIII. Pacis ecclesiasticae admodum studiosus Benedictus XIV. eadem forma composuit res de asylo controversas cum Rege Sardiniae in Concordatis anno sequenti 1742. cum eo initis. Dein antedictam Clementis XII. constitutionem ad loca Reipublicae Lucanae extendit

(1) Huiusmodi litteras italo sermone conscriptas ferunt Steph. Quaranta, et Regens Falletti *loc. cit.*

(2) Benedict. XIII. in *const. ex quo divina*, 6. Idus Iunii 1725.

(3) Clemens XI. in *const. in supremo iustitiae solio*, 4. kal. Febr. 1734.

(4) Hoc eodem *tit. a num. I. ad VIII.*

anno 1744. in iis, quae pertinent ad immunitatem personalem, et localem (1): eodemque fere exemplo indulta concessit pro aliis aliorum Principum, et Rerumpublicarum ditionibus (2). Praeterea constitutionem edidit saluberrimam anno 1749., plura dissolvens post constitutiones Benedicti XIII., et Clementis XII. exorta dubia, et nonnulla, simul imperans communi bono. Decrevit enim, ac declaravit *Regulares* etiam cuiuscumque ordinis, et militiae ob crimen homicidii ab asylo exclusos, *mulieres* perinde, ac viros aequo iure in criminibus exceptis iudicandas: *homicidium baculo*, aut *saxo* voluntarie in rixa patratum inter crimina excepta recensendum, *vulnerantes* proximum ad mortem, si chirurgi grave vitae periculum adesse retulerint, carceribus mancipandos cum obligatione restituendi, ubi vulneratus supervixerit *ultra tempus a legibus constitutum*, *violatoribus* ecclesiasticae immunitatis eos etiam addendos, qui loca immunia *obsident*, aut confugas *interceptione alimentorum*, aliisve *artibus* ad deditionem adigunt, et ubi contigerit extra territorium, in quo deliquerit, reum ad Ecclesiam confugere, indicia ad capturam ab Episcopo illius loci conquiri, atque ad Episcopum, in cuius dioecesi adsit reus, transmitti debere, ut hic extractionem rite permittat, servatis adamussim constitutionibus, et Concordatis (3). Sacri haec asyli originem, progressum, fata varia, statumque hodiernum praemonstrant.

§. II. *De criminibus asylum excludentibus.*

XXXIV. Quoniam nostra Concordatorum an. 1741. lex post reos ab asylo singulatim exclusos pontificias tres constitutiones Gregorii XIV., Benedicti XIII., et Clementis XII. expresse confirmat in iis omnibus, quae ipsius Concordiae articulis non adversantur (4), nonnulla vero criminum latius explicat, alia superaddit, aliaque silentio praeterit: operae idcirco pretium est huc verba, et constitutionum, et Concordiae conferre in singulis exceptorum criminum articulis, ut integer pateat eorumdem syllabus. Quidquid autem in ambigue dictis huc usque Tribunal Mixtum censuit, quaestiones de confugio ad se delatas definiens, intersignare non omittam.

XXXV. *Homicidium* in primis nunc illud crimen est, quod antiquis

(1) Bened. XIV. in *const. alias fel. rec. 88. §. 7., to. 1.* Bullarii.

(2) Sicuti adnotatum legitur ad calcem eiusdem constitutionis.

(3) Bened. XIV. in *const. officii nostri 29. §. 7., et seqq.* data idibus Martii 1749. *to. 3.* Bullarii.

(4) Concordata *cap. 2. art. 34., et 35.* haec habent: *la bolla della sac. mem. di Clemente XII., che incomincia* in supremo iustitiae solio, *per ciò, che riguarda omicidii rispetto all'immunità locale, avrà luogo nel regno di Napoli nella maniera stessa, che ha luogo nello stato ecclesiastico, in tutto ciò, che non è contrario alla presente disposizione... Siccome ancora dovranno aver luogo nel regno di Napoli la costituzione di Gregorio XIV., che incomincia* cum alias, *e l' altra di Benedetto XIII., che incomincia* ex quo disponente divina clementia *in tutto ciò, che parimente non sarà contrario alla presente disposizione.*

limitationibus, et controversiis amotis, cunctos omnino quum occisores ipsos, tum quomodolibet correos, et participes asyli beneficio privat: quoties non casu mere fortuito, neque ad necessariam defensionem acciderit. Gregorius eos tantum excipiebat, *qui proditorie proximum suum* occiderent. Benedictus *interficientes proximum suum animo praemeditato, ac deliberato.* Clemens, *etiam in rixa cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum (dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem), natuque minores viginti quinque, maiores vero viginti annis tam laicos, quam clericos: atque omnes, et singulos sive laicos, sive clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori praebuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit.* Demum ex Concordatis *art. 34.*, *per tutti gli omicidii cogl'indizii* ad capturam *sieno estratti da qualunque luogo immune, e custoditi nel carcere laicale colla condizione bensì, che se l'omicidio commesso sarà stato affatto casuale*, o ad iustam sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, *l'autore di tale omicidio dovrà subito rimettersi in piena libertà.*

XXXVI. De *natu minoribus* Concordia quum nil dixerit, hos etiam inter omnes homicidii reos hac lege obstrictos bis Tribunal Mixtum iudicavit. Nam die 20. Martii 1743. Ioannem Nigrum annos 20. non excedentem, qui hominem in rixa occiderat, primum definivit ecclesiastica immunitate non gaudere, sententia episcopalis Curiae Theanensis revocata, quae illum gaudere ad formam Clementinae constitutionis declaraverat. Tum die 24. Novembris 1745., Franciscum Raiola Turris octavae quindecim annos natum, homicidii reum asylo itidem non gaudere decrevit in gradu devolutionis (1).

XXXVII. Nodos extricatu difficiliores in caussis homicidiorum exhibent *casus* fortuitus, et necessaria *defensio.* Casum innoxium edisserens Moyses ait (2): *Haec erit lex homicidae fugientis, cuius vita servanda est, qui percusserit proximum suum nesciens, et qui heri, et nudius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur: sed abiisse cum eo simpliciter in sylvam ad ligna caedenda, et in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio, amicum eius percusserit, et occiderit: hic ad unam supradictarum urbium confugiet, et vivet.* Ab hoc uno, ut discantur omnes: duas oportet conditiones in casuali homicidio inquirere, *operam* occidentis *licitam*, in eaque adhibitam *diligentiam*, seu praecautionem, quam solent prudentes adhibere, ne quod inde malum proximo eveniat (3). Ambo si concurrerint conditiones istae, homicidium omnino

(1) Ex Trib. Mixti actis in archivio *num. 14., et 65.*

(2) Deuteronomii *cap. 19. vers. 4.*, *et seq.* Hinc Paullus Ictus in *l. 7. D. ad leg. Corn. de sicariis* respondit: *Si putator ex arbore, cum ramum deiiceret, non proclamaverit, et praetereuntem occiderit: ad legis Corneliae coercitionem non pertinet.* In ea enim lege culpa lata pro dolo non accipitur.

(3) Ex textu Greg. IX. in *cap. si culpa tua fin. de iniuriis, et damno dato. Si culpa tua*, Pontifex ait, *datum est damnum, vel iniuria irrogata, seu aliis*

*

inculpatum, et casuale iure merito putatur: alterutra si defecerit, auctor homicidii, quamvis nullum occidendi animum habuerit, noxius, et culpabilis iudicabitur.

XXXVIII. Itaque si quem improvidum arbor ex caesura proruens contuderit, a lignario eam succidente, ac circumspectante non praevisum in sylva, vel in tempore praemonitum, ut sibi caveret, lignarium tunc omni culpa immunem in ea fortuita nece habent sacri canones ex data rei licitae opera, adhibitaque diligenter circumspectione, ac praemonitione; culpabilem vero, si quid neglexerit imprudentia, vel incuria (1). Concors est Gregorii IX. decretalis pro eo presbytero, qui restaurandae Ecclesiae dum incumberet, quendam operae adiutorem corruens cum laqueari peremit sine culpa: propterea quod *sacerdos ipse dabat operam licitae rei: studuit etiam quam debuit, diligentiam adhibere, circumstantibus, quibus periculum imminebat, ita tempestive, et alta voce praemonitis, quod et intelligere, et fugere potuerunt* (2). Capellanum pariter valetudinis caussa equitantem, quum fracto equus fraeno, puerum suo currens arbitrio, abiectoque procul sessore oppressisset, Innocentius III. adeo innocentem censuit, ut divina celebrare sine scrupulo posset: quia *nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitae rei* (3).

irrogantibus opem forte tulisti, aut haec imperitia tua, sive negligentia evenerunt, iure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti *ex* facto tuo *iniuriam verosimiliter posse contingere, vel iacturam. Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum velis liberare teipsum, quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quae consueverunt nocere, fuissent, et quam* debueras *non curasti* diligentiam *adhibere. Sane licet, qui occasionem damni dant, damnum videntur dedisse: secus est tamen in illo dicendum, qui ne accideret, de contingentibus* nihil *omisit.* Paullus iurec. in *l. si putator 31. D. ad leg. Aquil.* pariter *culpam esse*, ait, quod cum a diligente provideri poterit, non esset provisum: aut dum denuncialum esset, cum periculum evitari non possit. Aristoteles *lib. 3. ethic. cap. 5. de iis, quae in nostra sunt potestate* docet ebrios, non minus, quam alios ignorantia legum, vel quavis negligentia culpabili peccantes iure merito puniri secundum leges: in ipsis enim principium, seu potestas, et caussa est ebrietatis, ignorantiae legum, et negligentiae, quippe quam utique possunt abstinentia, inquisitione, et diligentia effugere.

(1) Nicol. Papa in *can. hi, qui arbores 49.*, Conc. Vormaciense in *can. saepe contingit 50.*, et Conc. Triburiense in *can. si duo fratres 51. dist. 50.* Consonat decretalis Innocentii III. in *cap. ex litteris 14. de homicid. volunt. vel casuali*, de presbytero, qui foenum de curru deponens pertica inde proiecta, postquam circumspexisset solicite, an aliquis circa currum adesset, puerum inscius percussit. Consonat Paulus iurec. in *l. si putator 31. D. ad leg. Aquil.* aiens: *si putator ex arbore ramum cum deiiceret, vel machinarius hominem praetereuntem occidit; ita tenetur, si is in publicum decciderat, nec ille proclamavit, ut casus eius evitari posset.*

(2) Greg. IX. in *cap. ult. hoc eod. tit.*

(3) Innoc. III. in *cap. dilectus 13. de homicidio volunt., vel casuali.* Idipsum ferme rescripisit Paduano Episcopo in *cap. significasti 16. eod tit.* nec non Gelasius in *can. quantum 48. dist. 50.*

Id etiam rescripsit pro monacho subserviente, dum campana e turri deponeretur, motumque ab eo lignum corruens puerum oppressit, et occidit: quia *rem necessariam agebat, et utilem in loco*, ubi adesse neminem crederet (1). Quemadmodum et Honorius III. pro Ioanne sacerdote campanas horis canonicis pulsante, unde fugiens titinnabulum puerum interfecit (2). Tum pro clerico, qui in aetate puerili cum coaevis ludens, in unum ex eis absque animo nocendi, lapide proiecto, caput alterius casu percusserat, hic autem exinde imperitia medicantis, et incuria patris laboribus, et sudoribus expositus interiit (3). Alexander III. quoque rescripsit nullo ad sacros ordines impedimento eum irretitum, quocum clericus lusu colluctans, atque ad terram proiectus cultello, quem is ad latus habebat, fortuito vulneratus occubuit (4).

XXXIX. E contrario Urbanus II. culpabilem, ac poenitentiae obnoxium censuit clericum, qui non licito lapidis iactu necem puero, praeter voluntatem intulerat (5). Sacri ob id canones quinquennalem poenitentiam sanxere pro eluenda homicidii culpa, quod cuiuspiam non voluntate, sed casu noxio ex illicita opera, vel negligentia evenerit (6): tametsi caesareae leges iis poenam legis Corneliae de sicariis remittunt, qui casu potius fortuito, ex. gr. cum calcis ictu occasionem mortis dederint, sine occidendi animo (7). Quidquam hinc armorum faber quum superioris iussu expoliendas ad promptum usum aptaret balistas igneas urbanae militiae custodientis maritimam oram sub regio castro S. M. V. de Carmelo huius civitatis, decima vero balista post alias bene compositas, elasterio ignitabuli manu elapso, ictum ignei globuli fortuito explodisset in caput puellae ex obliquo per viam publicam illac transeuntis ad proximum aquae rivum, quae statim occubit: Tri-

(1) Idem in *cap. ex litteris 15. eod. tit.*

(2) Honor. III. in *cap. Ioannes 23. eod. tit. Dicto sacerdoti*, ait, *nihil potuit imputari, qui dabat operam rei licitae, si casus omnes fortuitos non praevidit.*

(3) Idem in *cap. exhibita 22. eod. tit.* Nam *maleficiis voluntas spectatur*, non *exitus*, ex Hadriani rescripto in *l. divus 14. D. ad leg. Corn. de Sicar.* Tertullianus *de poenit. quid, quod voluntas*, ait, *facti origo est? viderint enim, si qua casui, aut necessitati, aut ignorantiae imputantur: quibus exceptis iam nonnisi voluntate delinquitur.* S. Aug. in *can. si homicidium 41. C. 23. qu. 5., cui forte invito*, ait, *atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt.*

(4) Alex III. in *cap. lator praesentium 9. de homicidio vol., vel cas.*

(5) Urb. II. in *can. clerico 37. dist. 50.* Ex Ulpiani sententia *nihil interest, occidat quis, an causam mortis praebeat, l. nihil interest 15. D ad leg. Corn. de sicariis.* Consonant decretales Alexandri III. in *cap. presbyterum 7, cap. continebatur 8., et cap. de cetero 11. de homicidio*, et Clem. III. in *cap. ad audientiam 12. eod. tit. Lusus quoque noxius in culpa est*, ex Paulli sententia in *l. nam lusus 10. D. ad leg. Aquil.*

(6) Conc. Ancyran. in *can. eos vero 42.*, Eliberitan in *can. si qua 43. Martin. Bracarens.* in *can. si quis voluntarie 44. dist. 50.*

(7) *Can. eum qui 46., et can. frater vester 47. eod. dist. 50.*, ex Antonin. Imp. *l. frater vester 1.*, et Diocl., ac Maxim. *l. cum, qui 5. C. ad leg. Cornel. de sicariis.*

bunal Mixtum censuit eum immunitate ecclesiastica non gaudere, ob culpam non operae sibi certo licitae, sed ipsius incuriae, qui os balistae inclinatum obverterat in viam, quod in mare debebat sursum versus dirigere.

XL. Immunem alteram homicidii speciem efficit necessaria defensio cum moderamine inculpatae tutelae (1), si quatuor simul conditiones adiungantur. 1, nimirum aggressio improvisa. 2, imminens vitae periculum, quod nullo valeat effugio, nisi morte aggressoris evitari. 3, aequalitas armorum, quantum ferat angustia temporis. 4, denique instantis, non abeuntis aggressoris mactatio. Quavis harum conditionum deficiente, homicidium sine iusto moderamine tunc voluntate potius praecipiti, ac violenta, quam defensionis necessitate admissum iure merito praesumitur (2), obnoxium idcirco poenae arbitrio boni iudicis deminuendae, et asylo nunc expers. Nunc singulas paucis edisseram.

XLI. Prima conditio improvisae aggressionis quum in eo deficiat, qui vel rixam provocat, vel provocatus e loco tuto in arenam certaminis periculosam lubens descendit: hic procul dubio incurrit crimen homicidii, ubi ab adversario suo se defendens eum victor necaverit (3).

XLII. Ob alteram imminentis periculi conditionem Clemens V. in Concilio Viennensi impunem illum censuit, nec irregularem fieri, *qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem* (4). *Nam iure hoc evenit,* Florentinus iureconsultus, ait, *ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur, et cum inter nos cognitionem quandam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse* (5). Hinc *furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non potuit*, ex Ulpiani sententia (6). Lex XII. tabularum *furem*

(1) Innoc. III. in *cap. tua nos 19. §. ad ult. de homicidio*, Conc. Vien. in *Clement. un. de homic. volunt., vel casuali.* Diocl., et Maxim. in *l. 1. C. unde vi.*

(2) Conc. Martini Papae in *can. si quis viduam 8. dist. 50.*, *cap. 2.*, *3*, *18.*, *et 24. de homicidio vol. vel cas.* Coelestin. III. in *cap. Henricus 2. de clericis pugnantibus in duello.*

(3) Alex. III. in *cap. 1. de clericis pugnantibus in duello, si clericus alicui*, ait, *sponte duellum obtulerit, vel oblatum susceperit, sive victor, sive victus fuerit, de rigore iuris est merito deponendus.* Marcianus etiam iurec. eum, *qui auctor seditionis fuerit*, poena legis Corneliae de sicariis ex Sen. Consulto puniri tradit in *l. eiusdem 3. §. 4. D. ad leg. Corn. de sicar.* Alfenus *culpam penes eum, qui prior* in rixa *percussit, residere* respondit in *l. si ex plagis 52. §. 1. D. ad legem Aquiliam.* Eadem ratione Q. Mucius distinguendo censuit noxam arietis, vel bovis adgredientis sarciendam, secus illius, qui non provocaverat, Ulp. in *l. 1. §. cum arietes 11. D. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Idem putat, si a liberto *petitus* filius patroni *retorsit in eum crimina*, non debet repelli edicto a bonorum possessione: *ignoscendum est enim ei, qui voluit se ulcisci provocatus, l. quid cum minor 14. §. 6. D. de bonis libertorum.*

(4) Clementin. *un. de homicidio voluntario, vel casuali.* Consonant rescripta Imp. Gordiani in *l. is, qui aggressorem 2.*, *et l. si quis percussorem 3. C. ad leg. Cornel. de sicar.*

(5) Florentin. in *l. ut vim 3. D. iustitia, et iure.*

(6) Ulp. in *l. furem 9. D. ad leg. Corn. de sicariis.*

noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen idipsum cum clamore testificetur, interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si telo se defendat, ut tamen aeque cum clamore testificetur (1).

XLIII. Æquabilitas defensionis paria vicissim arma postulat. *Vim vi, arma armis* repellere cuique licere Ulpianus praemonet (2), nimirum baculum baculo, gladium gladio. Inermem propterea pugilem pugnos impingentem, qui telo percusserit, potens paribus brachiis retundere, ac propulsare, culpa non vacabit: quemadmodum et aggressorum baculo irruentem, si gladio extra modum transfixerit, qui simul habeat in manu baculum: *dum non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio exigit*, eam tunc impunem, ac licitam habet Innocentius III. (3). *Si in ipsa concertatione*, addit Ulpianus, *qui inermes venerant, eo processerunt, ut fustes, aut lapides sumerent,* aut, *qui armati venerunt, et si armis non sunt usi ad deiiciendum, sed deiecerunt, armata vis facta esse videtur. Sufficit enim terror armorum, ut videantur armis deiecisse* (4). Quoties paria, quae tuta sint, arma non suppetant ad propulsandum aggressorem, necessitas magistra iudicii licitum dat usum armorum, quamvis imparium. Nam auribus lupum tenere quis confidat, quo ad arma procul conquirantur?

XLIV. *Eum* tandem, *qui cum armis venit, possumus armis repellere, sed hoc confestim, non ex intervallo*, docet Ulpianus (5). *Si cedentem vulneraverit, erit Aquiliae locus*, idem iureconsultus ait (6). Hinc Alexander III. latrones non iure interemptos respondit, quos a quibusdam fratribus ligatos frater sua sub custodia dimissos, dum se solvere niterentur, occidit (7). Et Innocentius III. officium sacerdotale interdicendum ei censuit, qui sacrilegum furem ornamenta Ecclesiae asportantem ligone repercusserat in capite, eumque mox parochiani gladiis, et fustibus protinus occiderunt. *Quamvis enim*, ait, *vim vi repellere omnes leges, et omnia iura permittant, quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatae tutelae non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam, non videtur idem sacerdos a poena homicidii penitus excusatus* (8). Haec satis ostendunt, cur quaevis, vel minima culpa occidentis aggressorem suum sine iusto moderamine adimat asyli beneficium.

XLV. *Iustam sui defensionem* praeterea quum excipiat speciatim lex Concordatorum, videtur ecclesiasticam immunitatem noluisse iis indul-

(1) Gaius in *l. itaque 4. D. ad legem Aquilam*, et *l. si pignore 54. §. furens 2. D. de furtis.* Consonat S. Augustinus in *cap. si perfodiens 3. de homicidio.*

(2) Ulp. in *l. 1. §. 27. D. quod vi, aut clam.*

(3) Innoc. III. in *cap. ut famae 35. de sent. excomm.*

(4) Ulp. in *l. quod est 3. §. 4.*, et *5. D. de vi*, et *vi armata.*

(5) Idem in *cit. l. 3. §. 9. D. eodem.*

(6) Idem in *l. qua actione 7. §. 4. D. ad legem aquiliam.*

(7) Alex. III. in *cap. suscepimus 10. de homicidio.* Consonat Poenitentiale Romanum in *cap. interfecisti furem 2.*, et S. Augustinus in *cap. si perfodiens 3.*

(8) Innoc. III. in *cap. significasti 18. eod. tit.*

gere, qui non suam, sed suorum vitam defendendo iniustos aggressores iure interficiant (1). At scrupulum iniiciunt leges pro eorum impunitate, qui officio pietatis, et sanguinis vinculo adacti vim suis filiis, parentibus, fratribus, consanguineis illatam, vel imminentem vi repulerint, ac necessaria defensione occiderint aggressorem. Nam *Hadrianus rescripsit eum, qui stuprum sibi, vel* suis *per vim inferentem occidit, dimittendum* (2). *Nihil interest*, Paullus ait, *in se quis veritus sit, an in* liberis suis, *cum pro affectu parentes magis in* liberis *terreantur* (3). *Quis enim talis affectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum* (4)? Praeterquam quod a Moyse *virum AEgyptium percutientem quemdam de Hebraeis fratribus suis* inculpate occisum sacrae Litterae ferunt (5). Hinc quaestionem facti non iuris dubium puto, eamque distinctionis ope resolvendam. Quoties nimirum pater filium, vel filius parentem, vel frater fratrem in summo vitae periculo constitutum defensurus non aliter salvum, et incolumem servare poterit, nisi morte aggressoris necessaria cum moderamine inculpatae tutelae: istum utique occisorem asyli beneficio dignum ideo reor, quia nulla omnino culpa maculatum (6). Secus vero si moderamen iustae defensionis excesserit, et quovis modo potuerit suos a periculo eximere sine aggressoris, vel colluctantis caede, eosque validos ad semetipsos defendendum noverit (7).

(1) Gl. in *Clement. un. de homicidio verb. suum*, exponens canonem Concilii Viennensis pro illo, *qui mortem aliter vitare non valens* suum *occidit, vel mutilat invasorem*, adeo innocenter, ut irregularitatem exinde non incurrat, *secus putat in illo, qui occiderit volentem occidere patrem, filium, coniugem, vel personam coniunctam, quam aliter iuvare non poterat, quod verum puto,* ait, *quasi casus ille non includatur sub necessitate inevitabili, sed evitabili.* Huic sententiae favet interdictus a Petro usus gladii ad Magistri sui defensionem, illis ipsius Domini verbis: *converte gladium tuum in vaginam, omnis enim, qui gladium acceperit, gladio peribit*, Matth. *cap. 26.* Quo spectat *can. cum a Iudaeis 2. C. 23. qu. 8.*

(2) Ex Marciano in *l. 1. § item divus Hadrianus 4. D. ad leg. Corn. de sicar.*

(3) Paull. in *l. isti quidem 8. §. ult. D. quod metus causa gestum erit.* Eadem ratione Ulpianus tradit ius vindicandae libertatis quum filii, et parentis, tum cognati datum parenti, et filio, et cognatis, *l. 1. D. de liberali caussa.* Quoniam *servitus eorum ad dolorem nostrum, iniuriamque nostram porrigitur*, subdit Gaius in *l. 2. D. eodem.* Pariter Ulpianus inquirens de penore *usus sui gratia* parato, accipiendum putat ad usum, *et amicorum eius, et clientium, et universorum, quos circa se habet: non etiam eius familiae, quam neque, circa se, neque circa suos habet, l. qui penum legat 3. §. sed quod diximus 6. D. de penu legata.*

(4) Iustinian. in *l. cum furiosus 7. C. de curatore furiosi, vel prodigi.*

(5) Exodi *cap. 2. vers. 12.*

(6) Hinc S. Pius V. P. Anselmum Petramellarum Cappuccinum, qui septem Turcas navim eius invadentes manu sua necavit ad suam, suorumque vitam libertatemque tuendam, omni culpa, et irregularitate immunem declaravit, ex traditis a Boverio in *annal. Cappucinor. ad an. 1571. num. 6*, et Theop. Raynaldo *de religioso loricato pronunt. 1. §. 2. to. 17.* apud Benedict. XIV., alias Prosp. Card. Lambert. *inst. eccles. 101. num. 11.*

(7) Clerici propterea in communes hostes in obsidione, si arma sumendo sanguinem fuderint, fiunt irregulares, ex Conc. Ilerdensi in *can. de his clericis*

XLVI. Quum *iusta* undelibet esse defensio debeat: ratio patet, cur Clemens XII. declaravit eum, qui homicidium *in rixa* commiserit *cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem* (1), ecclesiastica immunitate indignum. Enimvero qui rixam prior excitaverit, ultro inferens iniuriam, et mox necem lacessito armis certanti; noxius, et culpabilis (2), idemque voluntarii reus homicidii praesumitur ex armis secum ad rixandum delatis (3), et odio ad caedem impellente (4). Secus iudicandum de provocato, qui certaminis improvisi periculum evadere tuto quum non posset, rixantem, qui non propulsaret, sed inferret iniuriam, occiderit (5).

XLVII. Quemadmodum igitur defensio solum *iusta*, et *inculpata* dat locum asylo: sic versa vice adimit quaevis culpa occisoris labefactans quomodolibet iustitiam, suamque cordis innocentiam. Hinc uxorem in adulterio deprehensam, cum eave moechantem occidens, iusto dolore abreptus, quamvis homicidii poenas ex legum indulgentia sit evasurus (6), quia secundum Ecclesiae canones publicae poenitentiae obnoxius est (7) tanquam reus illicitae necis, asylo ecclesiastico non

36. dist. 50., Triburiensi, in *can. quicumque clericis 4. C. 23. qu. 8.*, et Tolet. IV. in *can. clerici 5. eod. C.*, *et qu.* Honorio III. in *cap. petitio tua 24. de homicidio.*

(1) Clem. XII. in *cit. const. in supremo iustitiae solio* §. *13.*, de quo superius *num. XXXV.*

(2) Ex *cap. si vero 3.*, *et cap. perpendimus 23. de sent. excomm.*

(3) Marcianus in *l. 1. D. ad leg. Cornel. de sicariis*, tradit ea lege teneri, *qui hominis occidendi, furtive faciendi caussa, cum telo ambulaverit. Si clavi percussit, aut cucuma in rixa, quamvis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendam poenam eius.* Et Benedictus XIV. in *const. officii nostri 29.* §. *9. tom. 3. Bullarii*, superius memorata *hoc tit. n. XXXIII.*, ei etiam, qui *baculo*, aut *saxo* hominem in rixa nocenter occiderit, asyli beneficium denegat. Nam *arma sunt omnia tela, et fustes, et lapides, non solum gladii, hastae, frameae, idest romphaeae*, docente Ulpiano in *l. quod est 3.* §. *2. D. de vi, et vi armata.*

(4) B. Hieronymus *ep. 39.*, *cum homicidium*, ait, *ex odio saepe nascatur, quicunque odit, etiamsi nondum gladio percusserit, animo tamen homicida est.*

(5) Ex *cit. cap. perpendimus 23. de sent. excom.*

(6) *In eum, qui uxorem deprehensam in adulterio occidit, D. Pius leviorem poenam irrogandam esse scripsit*, Marcellus tradit in *l. 1.* §. *5*, *et ult. D. ad leg. Corn. de sicariis*, et Papinianus in *l. si adulterium 38.* §. *8. D. ad leg. Iul. de adulteris. At marito adulterum uxoris suae occidere* permittunt leges; *sed non quemlibet, ut patri:* solum scilicet *deprehensum domi suae, non etiam soceri eum, qui leno fuerit, quive artem ludricam ante fecerit, in scenam saltandi caussa prodierit; iudiciove publico damnatus; neque in integrum restitutus; quive libertus fuerit*, ex Macri textu in *l. marito 24. D. ad leg. Iul. de adult.*, et Imperatoris Alexandri in *l. Gracchus 4. C. eod tit.*

(7) S. Aug. in *can. si quod 9.*, Nicolaus Papa in *can. interfectores 5.*, *et can. inter haec 6*, Stephanus V. in *can. admonere 8. C. 33. qu. 2.* Sed Alexander III. in *cap. si vero 3. de sent. excomm.* illum ad Sedem Apostolicam venire pro absolutione non compellit, *qui in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia turpiter inventum manus iniecerit violentas.*

gaudet (1). Vicissim adulter, vel moecha, si virum tanta iniuria lacessitum ad vindictam, et arma stringentem interemerit, suam ut ab eo vitam periclitantem defendat : nec etiam immunis erit a noxa dans operam rei scelestae (2). Propterea Concilium Tridentinum censuit eos etiam apostolica dispensatione a contracta irregularitate opus habere, quamvis iure quodammodo largienda, qui homicidium non ex proposito, *sed casu*, puta culpabili, *vel vim vi repellendo*, *ut quis se a morte defenderet*, scilicet sine moderamine inculpatae tutelae, et non sine culpa commiserit (3).

XLVIII. Clausa nedum occisoribus ipsis nunc sunt asyla, verum etiam cunctis, qui ad homicidium conspiraverint mandato, consilio, instigatione, et quavis opera, ex recitatis verbis Clementinae constitutionis. Conscios homicidii aut *facto*, aut *praecepto*, aut *consilio*, aut *assensione*, velut homicidas habet canon Martini Bracarensis (4). *Nihil* enim *interest*, *occidat quis*, *an caussam mortis praebeat*, ex Ulpiani sententia (5). Igitur *se decipiunt*, S. Augustinus ait, *qui existimant eos tantum homicidas esse*, *qui manibus hominem occidunt: et non potius eos*, *per quorum consilium, et fraudem, et exhortationem homines extinguuntur* (6). Et Paullo iureconsulto *necare videtur non tantum, is qui partum perfocat, sed et is, qui abiicit, et qui alimonia denegat, et is, qui publicis locis misericordiae caussa exponit, quam ipse non habet* (7).

XLIX. In homicidio quidem consummato huc usque dicta locum habent : quum *homicidium*, definiente S. Augustino, *non aliud sit, nisi*

(1) Tribunal hinc Mixtum die 16. Augusti 1742. declaravit Berardinum Federico Montisdraconis dioec. Carinolae, qui Olimpiam uxorem suam in adulterio inventam occiderat, ecclesiastica immunitate non gaudere.

(2) Irregularem fieri opinantes illum, qui alium occidit ad sui defensionem, etiamsi culpa sua subiverit necessitatem occidendi invasorem, si tale homicidium praevidere non potuit, veluti si adulter invasus a marito, ipsum occidat, cum hoc periculum praevidere non potuisset (id quod sensit cum Laymanno, Navarra, Gibalino, et Diana Emm. Gonzalez in *comm. ad cap. de cetero 11. de homicid. num. 9.*) : eos falli equidem reor. Nam negari non potest suo illam adulterio caussam homicidio dedisse. Et Alexander III in *cap. de cetero 11. de homicid.* rescripsit Diaconum, qui homicidio caussam dedisset, non esse ad Sacerdotium promovendum. S. Augustinus in *can. cum homo 19. C. 23. qu. 5*, *aliquando*, ait, *qui caussa mortis fuit*, *potius in culpa est*, *quam ille*, *qui occidit : veluti si quispiam decipiat fideiussorem suum, atque ille pro isto legitimum supplicium luat.*

(3) Trid. in *cap. cum etiam 7. sess. 14. de reform.* ibique Io. Gallemart.

(4) Conc. Martini in *can. si quis viduam 8. dist. 50.* Gratianus heic pro *assensione* quum obtrudat verbum *defensione*, a contextu dissentaneum ; a Romanis Correctoribus scite corrigitur. *Opem fert*, *qui ad peccandum adiuvat*, *ac non potius subvertit, atque opprimit*, S. Augustinus docet in *can. si res aliena 1.* § *illud vero C. 14. qu. 6.* Cum Ulpiano ait Marcianus *etiam conscios eadem poena adficiendos*, *l. utrum 6. D. ad leg. Pompeiam de parricid.*

(5) Ulp. in *l. nihil interest 15. D. ad leg. Corn. de sicar.*

(6) S. Aug. in *can. perniciose 23. de poenit. dist. 1.*

(7) Paul. in *l. necare 4. D. de liberis agnoscendis.* Consonant *l. 2., et seq. C. de infantibus expositis*, et decretales in *cap. 1. cum seq. cod. tit.*

corporis peremptio (1). Duas vero species atrociores excipit lex Concordatorum, in quibus tentata etiam sine effectu nex hominis, videlicet ex *mandato*, aut cum *veneno*, confugas ab asylo extrudit. Ad primam quod attinet: *assassinii* reos Gregorius XIV. generatim excluserat: sed Benedictus XIII. censuit, ea lege obstringere *in crimine assassinii non modo mandatarios, sed etiam mandantes, qui certum proemium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo assassinium reipsa patratum fuerit.* Concordata denique latius excludunt *coloro, che fanno assassinare, o che per commissione data loro, assassinano, o che a sudetti scelerati danno aiuto, o consiglio, quantunque non vi sia seguita la morte: purchè però deventum fuerit ad actum proximum, hoc est ad insultum, ita ut intervenerit vulnus* (2). Huc illud ab Hadriano rescriptum attinet: *in maleficiis voluntas spectatur* (3).

L. Veneficos pari iure cum assassinis habet lex Concordatorum an. 1741., aiens: *coloro, che scienter dolo malo, et animo nocendi compongono, vendono, o propinano il veleno, quantunque non sia seguita la morte della persona, che volea avvelenarsi, e nè tampoco abbia la medesima in effetto per qualche fortunato accidente preso il veleno* (4). Lex etiam Cornelia de sicariis, et veneficis eum obstringit, *qui venenum necandi hominis caussa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit* (5). At quamvis ex Senatusconsulto *relegari iussa est ea, quae non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quae acceperat, decesserit* (6): non videtur asylo indigna, quia nocendi animum non habuit, si ex noxia huiusmodi medicamine mors non obvenerit.

LI. Abortum procurans an sicut veneficus homicida sit asylo expers, non immerito dubitatur. Nam lex Mosayca reum abortionis mulcta so-

(1) S. Aug. in *can. homicidium 28. de poenit. dist. 1.* Huc spectant dicta superius hoc §. *num. XXXV., et seq.*

(2) Ex Concord. *cap. 2. art. 13.*

(3) Teste Callistrato in *l. divus Hadrianus 14. D. ad leg. Corn. de sicar.* Consonat Papinian. in *l. fraudis 79. D. de reg. iur.* Tametsi *cogitationis poenam nemo patitur*, ex Ulpiano in *l. cogitationis 18. D. de poenis:* tamen conatus ad malefaciendum, et omnis iniquus motus ad necandum hominem elicit reum homicidii, ex B. Augustini sententia in *can. homicidium 28. de poenit. dist. 1.*, et B. Hieronymi in *can. omnis iniquitas 25. eod. dist.*

(4) Concordata *cap. 2. art. 12.*

(5) Teste Marciano in *l. eiusdem 3. ad leg. Cornel. de sicar.*

(6) Ex Eadem *l. 3. §. 2.* S. Augustinus in *can. aliquando 7. C. 32. qu. 2.*, ideo execratur libidinosam crudelitatem, quae venena sterilitatis procuret, quia *si nihil valuerit, ait, conceptos foetus aliquo modo intra viscera extinguat, ac fundat, volendo suam prolem prius interire quam vivere: aut si in utero iam vivebat, occidi, antequam nascatur.* Consentiunt Patres Conc. Guarmac., seu Wormat. in *cap. si aliquis 5. de homicid.* ibi: *si aliquis explendae libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non posset generare, aut concipere, ut homicida teneatur.*

lum pecuniaria, homicidam ultimo supplicio plectit (1). S. Augustinus informis foetus abortu negat homicidium fieri, secus vero formati (2). At Stephanus V. *homicidam* esse illum indistincte affirmavit, *qui conceptum in utero per abortum deleverit* (3). Romanorum leges abortum generatim, ut crimen publicum extraordinarium exilio coercent (4), et poena quandoque capitali (5). Quum vero nullus de isto crimine verbum faciant Concordata nostra, pontificiaeque constitutiones novissimae, nullamque hactenus Tribunal Mixtum ea in re sententiam tulerit: supremarum Potestatum oraculo videtur hinc esse quaestio definienda.

LII. Ad haec accedit ausa in loco immuni sacrilega hominis percussio. *Qui homicidia, et mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, carumve coemeteriis committere non verentur*, ex bulla Gregorii XIV., *et qui stantes in Ecclesia, vel coemeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel coemeterium, aut ipsis membrum mutilant, nec non*

(1) Exodi *cap. 21. vers. 22. Si percusserit quis mulierem praegnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri iudicaverint. Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima.* S. Augustinus in *can. Moyses 9. C. 32. qu. 2.*, fert a Moyse traditam distinctionem foetus formati, et informis, abortumque foetus formati, non secus, quam homicidium capitali poena coercitum, aiens: *Moyses tradidit* (si quis percusserit mulierem in utero habentem, et abortiverit; si *formatum* fuerit, det animam pro anima; si autem *informatum* fuerit, mulctetur pecunia) *ut probaret non esse animam ante formam... Anima certe quia spiritus est, in sicco habitare non potest; ideo in sanguine fertur habitare. Cum ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, ubi erit anima?* Sed vulgatus Bibliorum textus distinctionem eiusmodi non habet. Videsis notata superiori *lib. II. tit. X. num. CI.*, *et* Inn. III. in *cap. sicut 20. de homicidio.*

(2) S. Aug. in *can. quod vero 7. ead. C. 32. qu. 2. Hic de anima*, inquit, *quaestio solet agitari, utrum quod formatum non est, nec animatum quidem posset intelligi, et ideo non sit homicidium, quia nec examinatum dici potest, si adhuc animam non habebat.* Mox innuit, quod *magna de anima* concepti foetus *quaestio non sit praecipitanda indiscussa temeritate sententiae: ideo lex* Mosayca de abortu *noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viva in corpore, quod sensu caret.*

(3) Steph. V. Humberto Episcop. Moguntino rescribens in *can. consuluisti 20. C. 2. qu. 5.*

(4) Marcianus in *l. divus 4. D. de extraord. crimin.* fert a Severo, et Antonino rescriptum, *eam, quae data opera partum abegit, a Praeside in temporale exilium dandam.* Ulp. in *l. si mulierem 8. D. ad leg. Cornel. de sicar. ut mulierem, ait, visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, constiterit: eum in exilium Praeses Provinciae exiget.*

(5) Ex traditis a Triphonino, in *l. Cicero 39. D. de poenis*, Cicero in or. pro Cluentio Avito *scripsit, Milesiam quandam mulierem, cum esset in Asia, quod ab heredibus secundis accepta pecunia partum sibi medicamentis abegit, rei capitalis esse damnatam. Sed et si qua visceribus suis post divortium, quod praegnans fuit, vim intulerit, ne iam inimico marito filium procrearet, ut temporali exilio coerceatur, ab optimis Imperatoribus rescriptum est.* Huc spectant Ovidii carmina *lib. 2. amor. eleg. 4. Quae prima instituit tenores avellere foetus Malitia fuerat digna perire sua. Vestra quid effoditis subiecta viscera telis? Et nondum natis dira venena datis?*

qui stantes extra Ecclesiam, aut coemeterium occidunt stantes intra Ecclesiam vel coemeterium , aut iis membrum mutilant . . . . . non illius tantum Ecclesiae , quam violarunt , sed cuiuscumque etiam alterius Ecclesiae immunitate gaudere nequaquam posse , Benedictus XIII. edixit. Ex Concordatis vero latius excluduntur *coloro , che tanto nelle Chiese , quanto ne' cimiterii , o in qualunque altro luogo immune commettono omicidii , mutilazioni di membri , o qualsisia altro delitto, per cui* de iure communi intrat poena sanguinis, aut triremium: *come altresi coloro , che usciti dalle suddette Chiese , e luoghi immuni commettono i medesimi delitti* (1).

LIII. Non immerito quaeres , ubinam poena triremium, quam Romanae leges Pandectarum , et Codicis , Novellarumque pro nullo penitus crimine sanxerunt (2), *Iure communi* possit ex recitatis Concordatorum verbis intrare ? Quandoquidem damnatio ad triremes tamquam poena capitalis media , seu minor indicta ea est nostro dumtaxat iure municipali Pragmaticarum in reos criminum ultimo supplicio non obnoxios , quos leges in Corpore Iuris communis contentae damnabant interdicto aquae , et ignis , aut deportatione , aut ad perpetuum vel fodinarum opus , vel carcerem , aut temporaria in insulam relegatione (3). Quidquid vero sit de improprio *communis* Iuris adiuncto in expenso Concordiae articulo , *si prior , atque potior est , quam vox , mens dicentis* , ex sententia Celsi (4) : *nam quorsum sunt nomina , nisi ut demonstrent voluntatem dicentis ?* aio id equidem nostro heic legislatores voluisse, ut quodvis crimen poena quum perpetua, tum temporaria triremium Pragmaticis , regiisve constitutionibus coercitum, quod confugae vel intra , vel extra loca immunia patraverint , sufficiat ad eos omnino privandos beneficio immunitatis ecclesiasticae.

LIV. *Publici latrones , viarumque grassatores , qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur*, a Gregorio XIV. inter scelestos asylo indignos notantur. Benedictus XIII. censuit *unicam tantum grassationem in via publica , aut vicinali admissam sufficere ad hoc , ut quis publicus latro , et grassator dici valeat , dummodo tamen grassati mors , aut membrorum mutilatio sequuta fuerit.* Ex Concordatis demum *i grassatori, e ladri di strade pubbliche , e vicinali anche per la prima volta , che commettessero un tal dèlitto senz' alcuna offesa del dirubato* (5). Si quem

(1) Concord. *cit. cap. 2. art. 22.* Gregorius IX. in *cap. immunitatem 10., et ult. de imm. Eccl.* iamdiu rescripserat Archiep. Toletano, et Compostellano, gaudere immunitatis privilegio non debere , quo se faciunt indignos , qui sub spe immunitatis homicida , et mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis , vel coemeteriis patraverint.

(2) Callistratus in *l. capitalium 28. D. de poenis* varios capitalium poenarum gradus enumerans, opus triremium omnino reticet, quemadmodum et Ulpianus, aliique iurec. *eod. tit. D. de poenis, et tit. de interdictis.*

(3) Ex *Pragm. 1 , 3., 7. de relegatione* , Capic. *dec. 153.* Grammat. *dec. 32.*, de Franchis *dec. 140.*, Capiblanc. in *Pragm. 19. de Baronibus*, Reg. de Rosa *par. 1. prax. crim. cap. ult.*

(4) Cels. in *l. Labeo ait 7. §. id Tubero D. de supellectili legata.*

(5) Concord. *cit. cap. 2. art. 11.*

in via aggressus ad fugam compulerit in agrum, dein abductum procul a via expoliaverit, grassationis, poenam non evadet ex adiuncta incoepto facinori via, et grassandi animo inibi patefacto (1).

LV. De latronibus campestribus, vulgo *scorritori di campagna*, quum sileant pontificiae sanctiones, et Concordata nostra: non frustra quaeres, sint ne ii asylo expertes? Fateor dubitationem oriri ex illis bullae Gregorianae verbis: *publici latrones*, *viarumque grassatores*, quos ordine converso Concordata recensent *grassatori*, *e ladri di strade pubbliche*. Si publici latrones latius patent, quam grassatores viarum: videtur Gregorius XIV. voluisse campestres quoque latrones ab asylo Ecclesiarum extrusos, quoties ii latrocinia manifesta, et palam non semel patraverint in agris, et tuguriis, et domibus, alibique procul a via. Callistratus iureconsultus *grassatores* a *latronibus* ita distinguit, ut speciem a genere (2): idemque *famosos latrones* in his locis, ubi *grassati* sunt, furca figendos ex vetusto lure tradit, mox *famosos* opponit integrae famae hominibus (3). Iustinianus Imperator *fures* vocat, *qui occulte*, *et sine armis* delinquunt: eos vero, *qui violenter aggrediuntur*, aut *cum armis*, aut *sine armis*, *in domibus*, aut *itineribus*, aut *in mari*, poenis legalibus subdit hi *latrones* dicuntur a glossa Gothofredi (4). Varro monet *latrones* ita dictos, qui circa latera ferrum habebant quos etiam a stipatione stipatores appellarunt, qui conducebantur mercede. S. Isydorus vel *a latendo*, vel *a latere* istud ipsum vocabulum deducit, quia latenter, et a latere viae insidiantur viatoribus (5). Difficultatem auget decretalis Innocentii III. in Corpore Iuris Canonici vulgata (6), quae definit, ut *publicus latro*, *vel nocturnus populator agrorum*, *qui dum itinera frequentata*, *vel publicas strata obsidet*, extrahi ab Ecclesia possit. Nam interpretibus hoc in textu decretalium varia opinatis, *publicus latro* aliis dicitur, qui *palam*, *et publice* rapit (7); aliis, qui tria, vel plura furta admiserit, vel consueverit saepe latrocinari aliis, qui viatores in itinere vi cum armis, et sanguine, aliis, qui saepe in via publica, quamvis sine caede, ac sanguine spoliant (8).

(1) Campana *de foriudicat. resol. 16. num. 15. Quamvis enim saepe furtum* (ait Paullus) contrectando fiat, *tamen* initio, *idest faciendi furti tempore constituere visum est*, *manifestus nec*, *ne fur esset*, *l. quamvis 6. D. de furtis.*

(2) Callistratus in *l. capitalium 28. §. 10. D. de poenis. Grassatores*, ait, *qui praedae caussa id faciunt*, *proximi* latronibus *habentur*, *et si cum ferro adgredi*, *et spoliare instituerunt: capite puniuntur*, *utique si saepius*, *atque in itineribus hoc admiserunt: ceteri in metallum dantur*, *vel in insulas relegantur.*

(3) Idem in *cit. l. capitalium §. famosos 15.*, *et seq.* Modestinus *insignes latrones* nuncupat in *l. constitutiones 16. D. de appellat.*

(4) Iustin. *Nov. 134. §. ult.* ibique Gothofredus, unde sumpta est Auth. *sed novo iure D. de servis fugitivis.*—(5) S. Isidor. *lib. 10. origin. etymol. lit. l.*

(6) Innoc. III. in *cap. inter alia 6. de immun. eccles.* de quo superius *hoc tit. num. XXIV.*

(7) Post Abbatem Panormit. Fagnanus in *cit. cap. inter alia num. 22. piratas* exinde publicis accenset latronibus.

(8) DD. apud Gonzalez in notis ad idem *cap. inter alia verb. publicus latro lit. f.*

LVI. His praemissis aio virum armis praecinctum, paratumque ad caedem in patrandis ubilibet rapinis, et furtis, *latronem* revera esse (1), *publicum* vero eum ipsum recte appellari, tam qui grassationem admiserit in via publica, publicove itinere, quam quivis latrocinii semel admissi damnationem in publico iudicio tulerit aut in idem facinus pluries manifesto relapsus evaserit exinde famosus. Hisce casibus latrones campestres ex Gregorii XIV. sententia, perinde ac viarum grassatores asylo exclusos censeo. Unum at latrocinium, quamvis palam in conspectu complurium in locis campestribus, tuguriisve procul a via commissum vel ab uno, vel a pluribus turmalibus, quos tanquam viarum grassatores ultimo supplicio plectit lex municipalis (2), satis non erit adimendo Ecclesiae confugio quum publici, et famosi latronis notam ex primo, eoque uno latrocinio contrahat nemo, nec etiam ex prima plurium furtorum inquisitione (3).

LVII. Ad latronum, et grassantium genus adduntur ex Concordatis *i ricattatori, cioè coloro, i quali conducono, o trasportano violentemente, o dolosamente* de loco ad locum *uomini, e donne, ivi ritenendosi per obbligargli a riscattarsi: come altresì coloro, che per via di ambasciate, o lettere chieggono danaro, o altra cosa con minaccia di ammazzare le persone, o d' incendiare i beni di quei, a' quali son dirette, in caso che non faccian quello, che chieggono* (4).

LVIII. Tum *depopulatores agrorum* ex bulla Gregoriana (5). Ex Concordatis etiam amplius *gl' incendiarii, cioè coloro, che* dolo malo, et data opera *metteranno, o faranno mettere fuoco, o che* scienter

(1) Huc spectat illud Horatii *lib. 1. ep.*, *ut* iugulent *homines, surgunt de nocte* latrones.

(2) *Pragm. 3o. de exulibus* a Prorege Marchione de Carpio edita pridie idus Iunii 1682.

(3) Hanc porro sententiam comprobavit Tribunal Mixtum pro Venantio Pagliuca aliisque Aversanis correis in regio tribunale Campaniae inquisitis de uno, et altero agnorum nocturno latrocinio in ovilibus, quos Episcopalis Curia Aversana primum declaraverat ecclesiastica immunitate gaudere. Tum recurrente Fisco illius regii tribunalis, qui latronum turmalium, et campestrium conditionem cum grassatoribus viarum aequatam *Pragm. 3o. de exulibus* contendebat: Tribunal Mixtum die 8. Ianuarii 1745, decrevit non esse deferendum iam dicto recursui, ac proinde praefatum Venantium gaudere beneficio immunitatis ecclesiasticae: ex *proc. in arch. Trib. Mixti num. 235.*

(4) Ex Concord. *cap. 2. art. 11.*

(5) Nocturnum populatorem agrorum expunxit etiam Innoc. III. in *cit. cap. inter alia 6. de imm. eccl. Depopulatores* nimirum eos appellari, *qui segetes, aliasve fruges depraedantur, diripiunt, vel quoquo modo devastant, tam noctu, quam diu*, interpretes constitutionis Gregorianae consentiunt cum Mario Italia *lib. 1. de immun. cap. 5.* §. 2., et Ambrosino *de immunit. cap. 4.* Nam depopulanti notio quam latissima est, complectens tam eos, qui ferro, igne, gregibus voracibus, vehiculis, pressisque vestigiis segetes, terraeque fructus humo adhuc haerentes proscindunt, inflammant, consumunt, proterunt, quam qui a solo avulsos, et in area congestos, vel in agro acerratim extantes depraedantur, vel devastant. Hoc sensu a Cicerone *pro Fonteio* dicitur *provincia a Thracum depopulatione defensa.* Idemque *de Aruspic. resp.* ait: *qui excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem meis omnibus tectis, atque agris intulerunt.*

paranno aiuto, o consiglio a chi mettesse fuoco a qualunque Chiesa, luogo sagro, o religioso, o a qualunque casa abitabile sita in città, e luoghi abitati, quanto fuori di essi, come altresì a' tugurii costrutti instar domorum *soliti abitarsi da contadini, o pastori o sopra gli armenti e le greggi, alle vigne, seminati, oliveti, selve, o qualunque altro podere alberato, coltivato, e fruttifero* (1).

LIX. Praeterea *qui sub nomine Curiae sese introducunt in alienas domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicuius ex domesticis earumdem aedium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur,* ex bulla Benedicti XIII. Latius vero ex Concordatis *coloro, che in tempo di notte sotto nome di Corte, o con falsi pretesti di esser ministri della giustizia si fanno aprire dagli abitatori le porte delle case, ed ivi entrati rubano, o fanno violenza all' onestà delle donne di detta casa* (2).

LX. Itidem *coloro, che di notte tempo aprono con chiavi false, o adulterine, con grimaldelli, ed altri strumenti le porte delle case, botteghe, fondachi, e magazzini, o pure che rompono, e bruggiano le suddette porte, o che entrano in tali suddetti luoghi per li tetti, o finestre, o per aperture fatte nelle muraglie, e rubano tanta quantità, per la qual cosa meritano secondo le leggi comuni, o municipali la morte* (3). Diurni at fures in quolibet istorum casuum sanctione hac non continentur, quae de nocturnis tantum loquitur.

LXI. Si ad Romanos, et Caesareas tantum leges ius commune sit referendum: iis nullum utique furtum quantumvis enorme (si latrocinium cum sanguinis effusione tantum excipiatur) morte punitur. Decemviralis lex XII. tabularum, tametsi furem nocturnum in crimine deprehensum, diurnumque telo se defendentem, occidi permiserunt, servos e saxo praecipitari (4): ab ea tamen lege discussum est edicto Praetorio, quod in manifestos fures civilem actionem in quadruplum instituit (5), aut extraordinariam criminis animadversionem (6), poe-

(1) Concordata *cit. cap. 2. art. 10.* Consonat epistola Innoc. II. in *can. pessimam 32. C. 23. qu. 8.*

(2) Ex Concord. *cit. cap. 2. art. 16* Huiusmodi rapinae, furtive speciem *per lancem, et licium fieri,* latini dictitabant: quoniam (ut fert A Gellius *lib. 12. noct. Act. cap. 3.*) satellites magistratuum populi Romani transverso *licio* consueverunt se cingere, unde *lictores* dicti sunt: lancem vero secum ideo ferre, ut oculis intuentium obiicerent, ne furantes agnoscerentur; vel ut ostentarent speciem colligendi stipes ad sacrificia. Hac de re videsis Andr. Alciatum *parerg. iur. lib. 5. cap. 8.*, Alex. ab Alexandro *dier. genial. lib. 6. cap. 10.*, ibique Tiraquell.

(3) Concordata *ibidem art. 15.*

(4) A Gellius *lib. 11. noct. Attic. cap. 18.*, *et ult.* tradit, quod Decemviri lege XII. tab. *furem, qui manifesto furto prensus esset, tum demum occidi permiserunt, si aut quum faceret furtum, mox esset, aut interdiu telo se, quum prenderetur, defenderet. Ex ceteris autem manifestis furibus liberos verberari, addicique iusserunt ei, cui factum furtum esset, si modo id luci fecissent, neque se telo defendissent; servos item furti manifesti prensos verberibus affici, et e saxo praecipitari.*

(5) Ex relatis ab eodem A. Gellio *ibidem.*

(6) Ulpian. in *l. meminisse 92.*, *et ult. D. de furtis.*

nam scilicet arbitrariam capite mitiorem. Hinc Ulpianus : *si telo se*, ait, *fures defendunt, vel effractores, vel ceteri his similes, nec cuiquam percusserunt, metalli poena, vel honestiores relegationis adficiendi erunt* (1). Mox Iustinianus rescripsit: *pro furto nec morietur, nec aliquod membrum abscindetur, sed aliter castigabitur* (2). Sola superest constitutio Friderici I. Imperatoris inter communes feudorum consuetudines inserta, quae sanxit furantem quinque solidos, vel amplius laqueo interimendum (3). Lex vero municipalis huius Regni, sanctio nimirum Caroli I. Andegavensis iussit pro furto unius unciae valorem excedente, scilicet sex ducatos regni, vel pro pluribus minutis furtis, eam ipsam quantitatem simul constantibus, ut ignobiles suspendio, nobiles truncatione capitis vitam finirent (4). Mox Pragmaticarum lex quoque nostra eos, qui furantur hac in urbe Neapolitana quamlibet, vel modicam rem, instar grassatorum ultimo supplicio mancipat, nulla valoris habita ratione (5) : quemadmodum et natu quoque minores in furti crimen tertio relapsos (6).

LXII. Latronibus proximi sunt peculatores. Benedictus XIII. sacro extorres asylo fecit *ministros montis pietatis, vel alterius publici telonii, aut banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in praedictis locis committentes, cuius ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut poenae ordinariae locus sit.* Concordata vero: *i regii Tesorieri della città di Napoli, ed i Percettori generali delle Provincie, i quali ritenendo, o ricevendo danaro regio dagli officiali inferiori, o da altri debitori della regia Camera per trasmetterlo alla cassa generale, commettono furto, o falsità in somma, che abbia luogo la pena Ordinaria. Così pure il Cassiere maggiore, e gli altri officiali, e ministri de' pubblici banchi, che rubano da quelli il danaro in tanta quantità, che perciò debbono soggiacere alla stessa pena ordinaria. I conservatori de' pegni, e gli altri officiali, e ministri de' pubblici monti, che rubassero i pegni in tanta quantità, da dover soggiacere alla medesima pena. E per ultimo coloro, i quali essendo pubblici cassieri delle università del Regno, rubano il danaro della cassa pubblica nella stessa notabile, e punibile quantità* (7).

(1) Ulp. in *l. 1. in fin. D. de furibus balneariis*. Consonat Paullus in *l. inter 2. D. de effractoribus, et expilatoribus.*

(2) Iustin. *Nov. 134. cap. ult.*, et Auth. *sed novo iure C. de servis fugitivis.*

(3) Frid. Imp. *lib. 2. feudor. tit. de pace tenenda 27. §. 8.* haec habet: *si quis quinque solidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueo suspendatur : si minus, scopis, et forcipe excorietur, et tondatur.*

(4) Carol. I. Andeg. an. 1269. in Regni *cap. ad quod nostrorum tit. de furtis.* At acerbam eiusmodi sanctionem iamdiu exolevisse in furtis simplicibus, contestes commonent Regens Tappia in *comm. eiusdem cap.*.. Reg. Merlin. *lib. 1. cap. 17.*, Gizzareli *dec. 13*, Sanfelic. *dec. 40.*, ceteri.

(5) Prag. *1. de furtis*, de qua Reg. de Rosa in *prax. crim. cap. 3. n. 21.*

(6) Pragm. 2. *cod. tit.* minores annis 18. pro primo furto fustigatione, pro altero quum fustigatione, tum aurium abscissione fore coercendos imperat, pro tertio tandem extrema capitis poena.

(7) Concord. *cit. cap. 2. art. 19.* Ex hisce verbis notio *peculatus* latior nunc,

Quanta vero pecunia sit peculatorem adductura in periculum capitis, poenam scilicet ordinariam peculatus (1) : nec Romana lex communis , neque municipalis nostra speciatim indixit. Ea igitur statuenda videtur ex iam dictis sanctionibus quum Friderici Imperatoris , tum Caroli I. Andegavensis , et Pragmaticarum.

LXIII. Adduntur ex Concordatis etiam qui fiduciarias litteras alicuius argentariae mensae , aliasve id genus falsant , iisque alienam inde pecuniam accipiunt in fraudem publicae fidei: *i falsificatori di cedole , o siano fedi di credito , o di altre scritture de' pubblici banchi, come altresì coloro , che falsificano ordini, per mezzo de' quali in pregiudizio della pubblica fede esiggono danaro di altri depositato nei pubblici banchi* (2).

LXIV. Simul mercatores cum fraude, ac dolo decoctionem simulantes , qui sua student bona in fraudem creditorum occultare : *i mercadanti fraudolentemente decotti , i quali fingendo di esser falliti , nascondono il loro avere in frode de' loro creditori* (3).

quam olim ex Iure communi est. Nam Labeo *peculatum* definivit *pecuniae publicae, aut sacrae furtum ab eo factum, cuius periculo est: et ideo aedituum in his , quae ei tradita sunt , peculatum non admittere, l. sacrilegi 9. §. 2. D. ad leg. Iul. pecul.* Eiusdem vero pecuniae publicae fraudulentam retentionem, vel suos ad usus conversionem sive in solidum , sive ex parte ab eo factam , qui suo eam periculo custodiendam accepisset , crimen *residuorum* appellabant *ex lege Iulia de residuis* Paulus, et Marcellus in *l. 2., et l. 4. §. 3., et 4. D. ad leg. Iul. peculatus.*

(1) Ex communi iure Pandectarum *peculatus poena aquae , et ignis interdictionem , in quam successit deportatio , continet* : Ulpianus docet in *l. peculatus 3. D. ad leg. Iul. pecul., et de sacrilegis, et de residuis*, cui consentit Marcianus in *l. hac lege 10. D. eodem* Impp. Honorius, Theod., et Arcad. eos *capitali animadversioni* subiecerunt , in *l. un. C. de crimine peculatus.* Iustinianus in § *item lex Iulia 9. Inst. de publ. iudic.* ut iudices peculatores capitali animadversione , alii vero deportatione puniantur , censuit. Eandem poenam capitalem sanxit huius regni *const. officiales reipublicae* , de qua Regens de Marinis *lib. 1. resol. cap. 291* , et Reg. de Cont. *cons. 22.*

(2) Concordata *cap. 2. art. 17.* De argentariae mensae exercitoribus agit Ulpianus in *l. Praeter ait 4 , et sèqq. D. de edendo.*

(3) Concordata *ibidem art. 18.* Huc pertinent iam dicta superius *hoc tit. num. XIV. Qui emolumenta negotiationibus captant* , negotiatores, et mercatores dicuntur , ex *l. negotiatores 1. C. de commerciis, et mercatoribus.* Et qui *nundinas et mercimonia exercent* , ex *l. mercatores 4. C. eodem.* Duplex istorum genus : nam alii pecunias traiectitias accipiunt , et vicissim dant litteras collybi ad mandatarios alibi degentes certam cuique creditori pecuniam exoluturos; alii mercibus , rebusque venalibus emendis vendendis incumbunt , aut exportandis, importandisque ad nundinas, et mercatus, longinquas saepe peragrando regiones , iuxta illud Horatii *lib. 1. carmin.*

Impiger extremos currit mercator ad Indos ,
Per mare pauperiem fugiens , per tela , per ignes.

Hotomannus vero in comm. *verbor. Iuris* verb. *negotiatores* hos a mercatoribus distinguit , aiens : Negotiatores *non iidem sunt, qui* mercatores, *ut vulgo creditur.* Negotiatores *enim dicuntur cives Romani , qui in provinciis sedem , ac*

LXV. Insuper ex Benedicti XIII. bulla excludantur *conflantes, adulterantes, vel tondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, et commercium, vel ipsas monetas conflatas, adulteratas aut detonsas scienter ita expendere, et erogare praesumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint* (1). Simul et *falsificantes litteras apostolicas* (2).

LXVI. *Haeresis* etiam (3), et *laesae maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei*, ex bulla Greg. XIV. (4). Ex Concordatis autem latissime : *tutt' i delinquenti, o rei di delitto di lesa maestà nel primo, e secondo capo* (5). *E nel secondo capo per quello, che appartiene*

domicilium fortunarum suarum habent, neque Romam fere, nisi census tempore, hoc est quinto quoque anno veniebant. At mercatores sunt, qui cum Romae domicilium, familiamque suam habeant, interdum ad aliquot menses in provincias excurrunt mercium exportandarum, atque importandarum caussa. Id quod comprobat ex Cic. *orat. 3.* in Verrem. *Cives*, ait Cicero, *habent propinquam, fructuosamque provinciam, quo facile excurrant, ubi libenter* negotium *gerant : quos illa partim mercibus suppeditandis cum quaestu, compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, ut pascere, ut* negotiari *libeat, ut denique sedes, ac domicilium collocare.*

(1) Eos ultimo supplicio damnant Constantinus Imp. in *l. 1.*, *et 2. C. de falsa moneta*, Grat. Valent., Theod. in *l. universos 3.*, *et ult. C. de veteris numismatis potestate.* Signantes pecuniam forma, vel signatam furantes inter peculatores, non adulterinae monetae reos accenset Ulpianus in *l. sacrilegii 6. §. 1. D. ad leg. Iul. peculatus.* Ioannes XXII. in *cap. prodiens un. de crimine falsi in Extravag.* censuram excomm. sibi reservatam fulminat in falsarios monetarum. Idemque alchimistas falsum argentum, et aurem conflantes declaravit infames, *cap. spondent un. eod. tit. Extravag. com.*

(2) Quot modis falsentur litterae Apostolicae, constat ex Innoc. III. in *cap. licet 5. de crimine falsi.* Idemque degradationem eiusmodi clericorum, traditionemque Potestati saeculari sanxit in *cap. ad falsariorum 7. eod. tit.*, *et cap. novimus 27. de verb. sign.*

(3) Haereticos fore ab Ecclesia extrahendos, tamquam reos laesae maiestatis divinae, antea sancitum a Martino IV., et Ioanne XXII. in Extravag. const. ad Inquisitores Franciae datis, fert Fagnanus in comm. ad *cap. inter alia 7. de imm. Eccl.* mox a Greg. XIV. in *cit. const. cum alias 7. §. 3 Quum longe sit gravius aeternam, quam temporalem laedere maiestatem*, inquit Innoc. III. in *cap. vergentis 10, de haereticis.* Quia nullum de iis verbum expressum habent Concordata : videntur ipsos ea complecti cum reis laesae maiestatis in primo capite.

(4) Tum Innocentius VIII. non modo Regum, sed Regni etiam proditores omni Ecclesiae asylo indignos declaravit, ex relatis a Gambacurta *lib. 5. de immun. Eccl. cap. 44. num. 10.*, et Bobadilla *lib. 2. politic. cap. 14.* Nequit enim Regis, summaeque Potestatis persona incolumis esse, nisi publica Regni salus, et tutela consistat. Videsis dicta superiori *lib. III. tit. IV. num. XXI.*

(5) Perduelles, et coniurantes in Principem supremum, communemque Regni, Reique publicae salutem ad primum legis Iuliae maiestatis caput, in Magistratus regios ad secundum pertinent. Ulpianus definit crimen *maiestatis* illud esse, *quod adversus populum Romanum, vel adversus securitatem eius committitur.* Eoque teneri, qui hostes armatos in rempublicam admiserit, vel homines ad seditionem conciverit, vel arma ferat, vel nuncium, litterasve hostibus miserit,

ad offese personali fatte a' Ministri, ed Officiali per ragione del loro officio, debbano intendersi compresi coloro solamente, i quali facessero offesa personale, e non verbale a quei Ministri, ed a quegli Officiali, che amministrano giustizia, ed esercitano giurisdizione communicata loro immediatamente dal Sovrano, e non già dagli utili padroni, e Baroni de' luoghi (1).

LXVII. Praeterea *qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, et abducunt*, ex bulla Benedicti XIII: *Coloro, che per forza estraggono, e fanno estrarre i rei dalla Chiesa, o da qualsivoglia altro luogo immune*, ex Concordatis (2). Benedictus XIV. denique decrevit *in numero transgressorum huiusmodi eos etiam esse, et censeri, qui in spretum ecclesiasticae auctoritatis, et canonicarum sanctionum praescripto ad Superiores ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias, et loca immunia obsidere praesumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui sacro confugio se tuentur, alimenta deferuntur, sive aliter eosdem in Curiae saecularis potestatem se dedere cogunt:* declaravitque ipsos, *praeter alias poenas, et censuras, omni beneficio, ac privilegio ecclesiastici confugii, et asyli indignos, atque privatos* (3).

LXVIII. Vice versa Concordatis cautum sic est contra confugas asylo abutentes: *Coloro, che si abusano del confugio, anche per la prima volta, si estraggano da quello d' ordine del Vescovo, e d'ordine del medesimo si trasportino in altra Chiesa, nel qual trasporto non possano esser molestati dalla Curia secolare* sub poenis violatae immunitatis: *e s' intimi loro, che abusandosi del confugio la seconda volta, sarà dichiarato dal Vescovo, che non godono più veruna sorte d' immunità ecclesiastica. Ed affinchè da' Vescovi del regno possa farsi speditamente una tal dichiarazione, sarà da Sua Santità conceduta loro una volta per sempre la facoltà, acciocchè non debbano in ciascun caso, che potrà occorrere di doverne far uso, scrivérne in Roma per ottenerla* (4). Cuiusmodi facultatem cunctis huius Regni Episcopis ab ipso Benedicto XIV. Concordiae Legislatore mandatam reapse fuisse, iam liquet ex encyclicis litteris S. Congregationis immunitatis die 29. Septembris 1742.

LXIX. Quatuor hinc summatim reorum genera colliguntur, quos in Concordatis praeteritos quidem silentio saepe dictae constitutiones Gregorii XIV., et Benedicti XIII. asylo privatos maluere videlicet haere-

milites sollicitaverit ad seditionem, ac tumultum, *l. proximum 1. D. ad l. Iuliam maiestatis.* Idemque in *l. 2. ibidem* alios, *et hoc capite primo* legis maiestatis enumerat. Reos autem ex *secundo capite* notant speciatim Impp. Arcadius et Honorius in *l. quisquis 5. C. eod. tit.* conspirantes ad necem *virorum illustrium, qui consiliis, et consistorio,* aiunt, *nostro intersunt*, Senatorum *etiam, nam et ipsi pars corporis nostri sunt, vel cuiuslibet postremo, qui nobis militat.*

(1) Concordata *cap. 2. art. 20.*
(2) Ibidem *art. 21.*
(3) Benedict. XIV. in *cit. const. officii nostri 27. §. 14, to. 3. Bullarii.*
(4) Concordata *dict. cap. 2. art. 23.*

ticos , monetales adulterinos , falsantes litteras apostolicas , agrorumque depopulatores. Propterea non inanis est confirmatio earumdem pontificiarum constitutionum , quam ipsa Concordatorum lex palam edixit.

§. III. *De locis immunibus.*

LXX. Urbanae omnes Ecclesiae , et Capellae in oppidis , locisque cohabitatis erectae , parochiales quum matrices , tum filiales ubilibet sitae , monasteria, collegia, domusque Regularium perfugas (praeterquam scelestiores in casibus iam supra exceptis), nunc tuto receptant non modo suum intra ambitum, sed extrinsecus etiam in atrio parietibus , vel porticibus circumsepto, in scalis, et ianuis etiam lateralibus, muroque prospectus anterioris tantum. Sacri namque asyli privilegium, quod antea multo patebat latius , lex Concordatorum septem locorum generibus ademit.

LXXI. *Per l' avvenire non goderanno* , lex ait (1), *il beneficio dell' immunità i seguenti luoghi.* I. *Le Chiese rurali esistenti fuori delle Città, e luoghi abitati , nelle quali non si conserva il Venerabile, eccettuatene le parocchie, e le chiese filiali delle medesime , nelle quali si esercita la cura delle anime : con dichiarazione, che tanto rispetto alle suddette Chiese rurali riserbate , quanto a riguardo di tutte l' altre Chiese , che sono in Città , ed altri luoghi abitati , non debba il beneficio dell' asilo distendersi quanto all' esteriore ad altro, che all'atrio, quando sia circondato di muro , o portici , scale , e porte tanto anteriori , che laterali , ed alla facciata anteriore solamente.* II. *Le Cappelle , e gli Oratorii esistenti nelle case di particolari , e magnati , quantunque abbiano privilegio di Cappelle pubbliche , e l' adito in istrada pubblica. Così parimente tutte le Cappelle delle fortezze , e castelli chiusi, ancorchè si conservi in esse il Santissimo Sagramento.* III. *I campanili separati dalle Chiese , e dalle muraglie di esso.* IV. *Le Chiese dirute , ed abbandonate colla precedente profanazione , che si ordinerà a' Vescovi, ed Ordinarii de' luoghi rispettivamente di fare.* V. *Gli orti , e giardini, ed altri luoghi di Chiese, o qualsisia altra casa religiosa , i quali non sono circondati da muraglie , e non sono compresi nella clausura.* VI. *Le botteghe, e le case attaccate alle muraglie delle Chiese, o de'monasteri, o di qualsisia altra casa religiosa, quantunque abbiano interna comunicazione colle medesime, purchè non*

(1) Hanc ipsam limitationem firmavit pro capellis arcium , et castrorum Siciliae Benedictus XIV. litteris sub annulo Piscatoris datis die 5. Martii 1753, incipientibus *nihil sane est :* iisque indulgens piae voluntati, ac postulationi utriusque Siciliae Regis Caroli , *antiquam consuetudinem* in Regno Siciliae ultra pharum usu vigentem, *reos nempe militiae addictos ad Ecclesias, sive Capellas in arcibus existentes caussa vitandi poenas sibi infligendas confugium sibi quaerentes nullo frui immunitatis ecclesiasticae privilegio, sive extantem, sive non extantem* confirmavit, eamque inibi fore ita servandam , uti pro regno Neapolis conventum est. Voluit praeterea, *ut in muro cuiuslibet Ecclesiae, seu Capellae in quavis arce,et castello clauso* apponatur lapis inscriptione patefacturus, *eam Ecclesiam, sive Capellam ecclesiastica immunitate non gaudere.*

sieno comprese nella clausura. VII. *Le case, in cui abitano i Sacerdoti, o altri Ecclesiastici, ancorchè abbiano l'ingresso nella Chiesa, eccettuatene però le case, ove abitano Parochi, ed altri Ecclesiastici destinati alla cura, e custodia della Chiesa, purchè bensì tali case si abitino da essi stessi, e non da altri, le quali avendo l'immediata communicazione interiore colla stessa Chiesa, goderanno del sagro asilo, non ostante, che abbiano la porta con uscita in istrada pubblica* (1).

LXXII. Quaestio si qua inciderit super dubia loci qualitate, an scilicet quispiam e loco immuni fuerit, nec ne abductus ad carceres laicos, eam in facto, non iure vertentem ipsi iudices laici, quorum est principalis caussae notio, definiendam sibi vindicant: quum eiusmodi locorum controversias Concordata silentio praetermissas nec Episcoporum, neque Tribunalis Mixti iudicio mandaverint.

§. IV. *De clericatus exceptione.*

LXXIII. Nedum confugii, sed clericatus etiam exceptio consuevit post reorum examen impedire cursum iudicii. Haec autem duplici modo, et forma discutitur, et amovetur. In primis homicidas clericos cum qualitate assassinii, seu mandati foro ecclesiastico privatos ipso iure, quoties iudex laicus ecclesiastico vigilantior, praeveniendo iudicium, eos apprehenderit, suosque in carceres intruserit, iam dictum superius est (2). Ii propterea si declinare forum laicum contenderint, negantes inter alia qualitatem assassinii: Tribunal Mixtum ex actis eiusdem iudicis laici quaestionem tunc definiet *super qualitate assassinii*, ut exinde valeat ipsemet iudex, aut eos remittere ad forum ecclesiasticum, aut ad ulteriora in ipsos procedere usque ad sententiam, et illius executionem, obiecta exceptione clericatus non obstante.

LXXIV. Isthaec autem interlocutiones sint, ne continuo post rei constituti examen faciendae, an retardandae usque ad limen definitivae sententiae post convalidatam informationem, productasque suas a reo defensiones, haud immerito dubitaveris ex ipsa Concordatorum littera, quae ita se habet (3): *Rispetto al delitto dell' assassinio commesso da qualunque chierico, o altra persona ecclesiastica, prevenendo il giudice laico nella cattura dell' inquisito, potrà ritenerlo* nomine Ecclesiae *nelle carceri laicali, e formare il processo, ma prima di procedere alla sentenza, ed all' esecuzione della medesima, dovrà aspettare la declaratoria del Tribunal Misto* super qualitate assassinii, *la quale dovrà darsi dal medesimo, veduto il processo fatto dalla Curia laicale*, servatis servandis, *e sentito il reo nelle sue difese: per qual' effetto dovrà dalla Curia laicale esibirsi il processo al suddetto Tribunal Misto dentro lo spazio di quattro mesi.*

(1) Hinc eruitur episcopalem domum instar, vel parochialis, vel religiosae domus asylo frui.

(2) *Lib. III.* harum Instit. *tit. VI. num. XX.*

(3) Concordata *cap. 3. num. 3.*

LXXV. Haec ipsa huiusce articuli verba ea sunt, quae difficultatem pariunt, partim plus aequo compendiosa, et ambigua, partim adversantia nonnihil inter sese. Probe norunt forenses, quod multa, et oblonga criminalis iudicii acta solemnia oporteat ab informationis processu ad sententiam usque diffinitivam interiicere, ad convalidandam scilicet informationem legitima testium fiscalium repetitione, reumque in repulsa eorumdem, suisque defensionibus audiendum. Ea vero quatuor intra menses rite perfici quomodo poterunt, *servatis servandis*, ut absoluta, et integra inde ad Tribunal Mixtum transmittantur ante lapsum quadrimestris? Istud ipsum *servatis servandis*, in ambiguo est, ad officium, ne iudicis laici processum confecturi debeat, an ad Tribunal Mixtum referri *super qualitate assassinii* decreturum? Adhaec si reum suis in defensionibus audire Tribunal Mixtum debet *servatis servandis*, testes nimirum ab eo producendos rite examinare in termino defensionum: nonne superfluum erit, et inane ante sententiam protrahere iudicis laici processum in excipiendis rei defensionibus? At quonam pacto defensionum testes iure Tribunal Mixtum audiet, nisi fiscales antea testes repetantur citato reo ad videndum eos iurare? Tot nodos hac in re solvere non privati cuiusque iudicii, sed summarum tantummodo Potestatum esse fateor. *Quis* enim, Iustinianus ait (1), *legum aenigmata solvere, et omnibus aperire idoneus esse videbitur, nisi is, cui soli legislatorem esse concesum est?*

LXXVI. Interea non gravabor dicere, quod sentiam. Quo iure informantem solummodo processum contra reos a locis immunibus extractos iudex laicus ad Episcopum dioecesanum intra quatuor menses, vel ad Tribunal Mixtum in gradu, aut devolutionis, aut recursus remittit, se ab ulteriori processu abstinens, quoadusque sententia super controverso confugio, et qualitate criminis excepti feratur: eo itidem videtur obstrictus acta informationis dumtaxat contra clericos homicidii mandantes, vel mandatarios Tribunali Mixto exhibere intra menses quatuor ab reorum captura numerandos pro declaranda ex iisdem actis qualitate assassinii, reoque audiendo quum in repetitione testium fiscalium, eorumque repulsa, tum in eius defensionibus. Nam quemadmodum data eidem Tribunali Mixto est iurisdictio processum informantem in caussis confugii, vel pinguiorem ordinandi, vel novum ex integro instruendi, quoties opus erit: ita praesumuntur ipsimet Concordiae legislatores tacito sensu ei potestatem iuridicam indulsisse, non modo audiendi reum suis in defensionibus, sed repetendi etiam testes fiscalis informationis. Id quod ratio aequitatis postulat, et necessitas quum breviandi cursum iudicii, tum querelas partium submovendi.

LXXVII. Secundo Clericatus exceptio in aliorum criminum caussis ab eo laico iudice, qui clericum prehensum sua sub custodia detineat, vel in ius vocaverit (2), fere discutitur in ipso iudicii limine, ante-

(1) Iustin. in *l. si imperialis 12.*, *et fin. C. de legib.*, *et const. Princ.* Consonant Constantinus Imp. in *l. 1.*, tum Leo, et Zeno in *l. cum de novo iure 11. C. eodem.*

(2) Ex Ritu M. C. V., de quo iam dixi *lib. III. tit. VI. num. XXIII. Si*

quam reus constituatur, et examinetur (1). Nam vetant laicis magistratibus leges, moresque nostri clericum sibi non subditum, a foro laico declinare postulantem iuridice interrogare, atque ad parendum cogere; nisi postquam constiterit, decretumque rite sit suam ipsorum esse caussae notionem (2). Quum praeterea canones, legesque usu vigentes nullo unquam pacto sinant clericos foro suo renunciare, suoque consensu prorogare in semetipsos iurisdictionem iudicis laici in caussis ad forum ecclesiasticum pertinentibus (3): fit exinde, ut clericus valeat in qualibet parte iudicii, quamvis eo vel silente, vel contumace ad litis contestationem ad ulteriora progressis, obiicere declinatoriam fori sibi incompetentis, etiam post latam proscriptionis, seu foriudicationis sententiam (4), quinimmo post conformes tres quoque sententias (5).

LXXVIII. Itaque postulanti reo suae quum personae, tum caussae remissionem ad iudicem ecclesiasticum, *datur terminus ad probandum de clericatu*, ad formam Ritus M. C. V. (6). Mox clericus exhibebit episcopales, quum bullas de suscepta clericali tonsura, vel aliquo minorum Ordinum, tum litteras Concordatorum lege imperatas, quae ipsum declarent in vita, et habitu clericali perseverantem famulatui Ecclesiae suae anno proximo incubuisse, proptereaque nomen eius retentum in publica matricula clericorum, aut idipsum, si huiusmodi litterae fortassis defecerint, testibus, audito Fisco laico, summatim examinandis rite probabit (7), aliisque documentis statum clericalem, possessionemque

quis, Ulpianus ait, *ex aliena iurisdictione ad Praetorem vocetur, debet venire. . . . Praetoris enim est existimare, an sua sit iurisdictio*, *l. si quis ex aliena D. de iudiciis.*

(1) *Praescriptiones fori in principio litis a litigatoribus opponendas esse, legum decrevit auctoritas*, rescripsere Honorius, et Theod. in *l. 13.*, *et ult. C. de exceptionibus, seu praescriptionibus.*

(2) Ex Pauli iurec. sententia, nedum *extra territorium* ius dicenti *impune non paretur:* sed etiam, *si supra iurisdictionem suam velit ius dicere*, *l. extra territorium 20.*, *et ult. D. de iurisdict.* Consonant Impp. in *l. 1.*, *et 4.*, *seu ult. C. si a non competente iudice iudicatum esse dicatur.* Videsis dicta *lib. III. tit. X. num. III.*

(3) Ex traditis ibidem *lib. III. tit. X. num. IV.*, *et seqq.*

(4) Excusatoribus licere pro foriudicato clerico bullas, seu literas authenticas clericatus producere penes acta, iisque exhibitis sententiam proscriptionis, exactionemque poenae impediri, quoad usque definiatur quaestio clericatus, tradunt Praeses de Franchis *dec. 329.*, *et 688.*, Sanfelic. *dec. 227.*, Viries ad M. C. V. Rit. 735. *par. 1.*, Th. Xav. Caravita *Inst. crim. lib. 4. §. 6. cap. 3. num. 62.* Decreti vero formulam, *quod super sedeatur in foriudicatione*, ad rem hanc nostram tradit Regens de Rosa *in prax. civ. decr. par. 1. in pr. inst. ord. iud. cap. 2. num. 9.*

(5) Caravita *loc. cit. lib. 3. §. 3. tit. 2. num. 26.*, post Reg. de Marinis, et Germonium.

(6) Huiusce Ritus 235. verba integra iam exscripsi *lib. III. tit. VI. num. XXIII.*

(7) Praelaudatus Reg. Consil. Caravita *lib. 3. Inst. crim. §. 3. tit. 2. num. 60.*, cum Crispo, Petra, et Scoppa ad Merlinum, tradit in more positum apud nos, probandi testibus quoque clericatum in brevi termino producendis, quoties episcopales bullae, ac litterae deperiverint.

privilegiorum clericalium ostendentibus, puta si descriptum in episcopali codice ordinatorum inveniatur nomen ipsius, eiusve bona, tamquam clericalia in publici census libris aestimata, vel immunitas ei realis fuerit a publicis vectigalibus concessa. Beneficiarius vero clericus bullas vel pontificias, vel episcopales collati sibi ecclesiastici beneficii, proferens adeptam inde possessionem, exactionemque fructuum illius probabit: praetereaque vitam, vestemque clericalem gessisse, instar clericorum nullo beneficio, vel praebenda ecclesiastica fruentium (1). Fiscus laicus e contrario veritatem rei quaesiturus adversa obiicere nunc solet testimonia, et monimenta, si quae suppetant, ad fraudes in probando clericatu elidendas (2).

LXXIX. Posthaec re cognita decernitur, vel *quod procedatur* in M. C. V. ex. gr., aut Regia Audientia, aliave quavis Curia saeculari, *exceptione clericatus opposita non obstante*, si reus eam obiecerit, aut *remissione petita obstante*, quoties Episcopus, locive Ordinarius id postulaverit (3): vel versa vice, *quod clericus N. remittatur una cum actis ad eam Curiam Episcopalem, seu ad Episcopum dioecesanum.* Tum in gradu appellationis, *bene appellatum, et male iudicatum per M. C.: ac proinde praedictus clericus remittatur ad Episcopum dioecesanum* (4).

TIT. VII.

De relaxatione reorum.

I. Intra, an extra carceres post examen sint rei audiendi, saepe dubitatur ex variis legum sententiis.

II. Canonico Iure clerici fideiussionem do parendo iuri dantes non sunt in carceribus detinendi, nisi enormitas criminum, aliave legitima caussa aliter suaserit. In gradu autem appellationis, nonnisi visis actis, auditisque partibus licet eos extra carceres audire.

III. Huius Regni leges municipales cum utroque Iure communi hac in re consonant.

IV. Usu frequentissimo reis poenam capitalem, aut aliam corpus affligentem luituris, ubi saltem ad torturam indicia urgeant, in carceribus ante detrusis, vel post examen detrudendis dantur defensiones intra carceres.

V. At leviora quoties videantur indicia ex aptis responsionibus vel documentis, ii praestita cautione de stando iuri e carceribus dimittuntur:

(1) Ex traditis supra *lib. III. tit. V. num. X.*, vigore novissimi rescripti regii die 7. Septem. 1760.

(2) Usus itaque forensis nunc vigens non patitur clericum *eo ipso, quod datur terminus,* intelligi remissum ex ipsa Ritus 235. M. C. V. littera: sed iudiciariam postulat interlocutionem super obiecta fori declinatoria.

(3) Huiusce formulas tradit, exponitque Regens de Rosa in *prax. civ. decr. par. 1. in 1. inst. ord. iud. cap. 2. num. 37.*

(4) Apud eumdem Reg. de Rosa *loc. cit. num. 71.*

praeterquam scelestiores, praesertim rei laesae maiestatis, homicidae, publicique latrones.

VI. Hinc illae decretorum formae : habilitetur in forma , *vel* cum mandato domi, per palatium, per civitatem. Relaxetur cum mandato ... praestita cautione redeundi ad carceres ad omnem ordinem : *vel* consignetur tutae personae ad omnem ordinem.

VII. Decreta huiusmodi suspendunt processum ulteriorem , quoad nova superveniant indicia. Postulanti autem reo dantur defensiones extra carceres, et facultas producendi eas.

VIII. Infirmi ad salutem curandam extra carceres dimitti fere solent, praestita cautione redeundi cito, postquam convaluerint.

IX. Elisis in termino defensionum indiciis fiscalibus, reus liberatur in forma. *Ob defectivas accusatoris probationes reus nullis, etiam productis defensionibus* habilitatur, *vel* consignatur , *aut ex incompletis defensionibus* liberatur in forma, novis etiam non supervenientibus indiciis.

X. Patefacta rei innocentia ante defensiones , decernitur , quod visa eius depositione, tollatur mandatum, *vel* non molestetur amplius: *aut* remota criminalitate civiliter agatur. *In delictis autem levibus , quod* carcer passus cedat in poenam; per dies tot non visitetur, relaxetur cum mandato de se invicem non offendendo, *vel* stante pace facta, licentietur, *vel* non molestetur.

XI. Novis vero supervenientibus indiciis reus sub mandato detentus decernitur, quod reducatur in provisionem: *nimirum ad carceres, vel ad iudicium rite prosequendum.*

§. I. De visitatione captivorum.

XII. Decreta huiusmodi ad captivos e custodia emittendos usuvenit saepius in carcerem visitationibus, qua generalibus, qua particularibus communi Iure legum Romanarum imperatis.

XIII. Ex huius etiam Regni legibus consueverunt Praefecti aularum S. R. C. duas quotannis generales visitationes captivorum paulo ante festivitates Nativitatis Domini, et Paschatis obire , Iudicesque M. C. V. tam in hebdomada ferias autumnales praecedente, quam semel in singulis hebdomadis, quemadmodum et Regiae Audientiae.

XIV. Episcopalem quoque visitationem captivorum fori ecclesiastici sacri canones commendant, festis praesertim Domini natalitiis, et paschalibus.

XV. In urbe Roma vigent etiam visitationes carcerum ordinariae singulis hebdomadis , extraordinariae singulis mensibus , et gratiosae bis quotannis.

§. II. De compositione et transactione poenarum.

XVI. Reus vel confessus, vel plena fiscali probatione convictus non raro admittitur ad poenam legitimam cum Fisco componendam; aut ad eam transigendum, quoties dubia, et imperfecta erit probatio fiscalis.

XVII. Capitalem poenam vel componere, vel transigere lex Mosayca vetuit, leges Romanorum indulgent, excepto adulterio.

XVIII. Clericos homicidii reos dum Episcopis nostra Concordatorum lex

vetat pecunia mulctare, aut componere, tacito sensu comprobat consuetudinem eos transigendi, et componendi in ceteris fori ecclesiastici caussis criminalibus.

XIX. Prisca huius Regni constitutio Friderici Imperatoris facultatem indulsit accusatoribus concordiam cum accusato ineundi cum nonnullis exceptionibus, et limitationibus.

XX. Robertus, aliique Reges nostri pecuniarias compositiones gravium scelerum fere vetarunt.

XXI. Quatuor simul huiusce Regni capitula, quas nostri litteras arbitrarias nuncupant, edixit Rex Robertus, de arbitraria criminum compositione moderanda.

XXII. Exinde consueverunt M. C. Vicariae, Regiaeque Audientiae de quolibet crimine (excepta haeresi, et laesa maiestate) reos componere, salvo iure partis laesae.

XXIII. Barones etiam, quibus meri, et mixti imperii usus cum quatuor litteris arbitrariis concessus regiis investituris est, arbitrio componendi reos utuntur, novis regiis pragmaticis, et rescriptis limitato.

XXIV. Omnibus Regni Curiis vetant Regiis Pragmaticae reos homicidiorum, et criminum quamvis armorum specie patratorum componere aut ex gratia liberare, necnon sodomiae, lenocinii, raptus, incestuosi adulterii, osculi violenti, exulum, bannitorumque receptationis, latrocinii, assassinii, sacrilegii, falsitatis, relapsus in idem crimen, blasphemiae in Deum, et Deiparam, haeresis, laesaeque maiestatis.

XXV. Rex Carolus tribus rescriptis datis anno 1738. plura edixit de reis componendis, vel transigendis, et facultate Baronum.

XXVI. Tum anno 1744 rescripsit, ut Barones potestate, quam habent ex regiis investituris poenas componendi, et transigendi, sic utantur, ne Regem ex abusu deinceps cogant ad aliter providendum, praevio nimirum iudicis, aut Consultoris voto, Pragmaticas sanctiones non transgressuri.

XXVII. Compositiones, ac transactiones eiusmodi fere non valent, nisi omnes, quorum interest, simul consentiant.

XXVIII. Remissiones vero partium nec fiscum, nec iudicem ad liberandos compositione reos cogunt, sed locum dant aequo eorum arbitrio.

XXIX. Accusato nolenti beneficium compositionis, vel transactionis non datur.

XXX. Compositio plenam criminis probationem, transactio ambiguam, et dubiam postulant.

XXXI. Post sententiam damnationis definitivam iura prohibent compositiones.

XXXII. Ea nisi per appellationem, aut nullitatum remedium erit suspensa.

XXXIII. Baronibus, et Curiis laicis vetant leges nostrae in definitiva sententia reservare sibi, Rege inconsulto, arbitrium componendi, aut abolendi poenam ea inflictam: Curiis episcopalibus non item.

XXXIV. Sine caussa probabili tam compositiones, quam transactiones poenarum ne fiant, ratio postulat.

XXXV. Hinc male gestae compositiones, transactionesque reorum, aliquo, cuius interest, appellante, vel recurrente, consueverunt in tribunalibus Superioribus, vel a Principe abrogari.

§. III. *De abolitionibus et indulgentiis criminum.*

XXXVI. Aut privatim, aut publice abolentur crimina.

XXXVII. Privatam abolitionem indulget iudex competens postulantibus accusatoribus non calumniosis, qua fit, ut in iudicium nequeat sine Principis nutu repeti crimen semel rite abolitum.

XXXVIII. Exculpatio privati accusatoris nec Fisco adimit ius prosequendi iudicium, nec iudicem ad necessariam adigit abolitionem : vix amovet gratiosis visitationibus, gratiisque baronalibus obstaculum.

XXXIX. Publicam abolitionem , seu impunitatem suo tantum arbitrio supremus Princeps quandoque largitur in faustis publicae laetitiae diebus.

XL. Ad eam exequendam , eiusque fines dignoscendos verba ipsius indulti regii sunt attendenda.

XLI. Variae indultorum formae regiis pragmaticis, et edictis promulgatae varias commonstrant caussas impellentes, et species criminum , et tempus reis datum ad se praesentandum, et remissiones partium offensarum.

XLII. Plura etiam indulta Caroli , et Ferdinandi Regum nostrorum aevo nostro extensionem habuere difformem.

XLIII. Hinc iudicibus non licet a proprio, et litterali sensu verborum recedere, quoties declarandum sit hos, illosve singulatim reos indulto gaudere , vel non gaudere: in re dubia favorabilem, non odiosam interpretationem sectaturis.

XLIV. Ob id partis offensae , quae nullam in ius querelam ante indultum detulerit , consensus , vel remissio , quamvis generatim volita , non requiritur.

XLV. Nonnisi praesentes,aut se in iudicio sistentes intra constitutos menses, diesve postulandi, et obtinendi beneficium eiusmodi indultorum ius habent.

XLVI. Si adiecta indulto sit conditio transeundi, vel redeundi ad militarem statum, aut sui Principis obedientiam, impleri eam oportet.

XLVII. Proscriptorum capita obtruncantibus quoque solet abolitio criminum conditionalis indulgeri speciatim.

XLVIII. Iisque interea publica securitas, hanc guidaticum aut Salvum conductum appellant nostri, spondetur.

XLIX. L. LI. LII. LIII. Abusus varios in pubblica eiusmodi securitate largienda Regiae Pragmaticae corrigendo eam pluribus conditionibus submittunt.

LIV. Relegatis, et exulibus ad urbem principem, locumque delicti, patriam suam accedere leges vetant.

LV. Ubi conditionum legitimarum aliqua defecerit, irrita fit data sine regia dispensatione securitas commeatus.

LVI. Plenam insuper indulgentiam quotannis Rex noster feria VI. hebdomadae maioris sine ulla conditione captivis decem reis largitur.

LVII. Criminum leviorum abolitio in antiquis carcerum visitationibus consueta adhuc viget.

I. Post reorum examen dubitari saepe solet , an ii suas producturi defensiones , quoadusque acta ulteriora rite fiant , interea sint in carceribus retinendi , an potius educendi cum cautione de standō iuri, et

mandato detinenti palatium, vel domum suam, vel urbem loco carceris. Iudicis arbitrio remissum id iure communi putant plerique Doctorum ex Ulpiani sententia, qui tradit de custodia reorum existimare Proconsulem solere, *utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fideiussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem* (ait) *vel pro criminis, quod obiicitur, qualitate, vel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personae, vel pro dignitate eius, qui accusatur, facere solet* (1). Idemque Iureconsultus addit a Pio rescriptum *non esse in vincula coniiciendum eum, qui fideiussores dare paratus est, nisi si tam grave scelus admisisse eum constet, ut neque fideiussoribus, neque militibus committi debeat: verum hanc ipsam carceris poenam ante supplicium sustinere* (2). *Si confessus fuerit reus*, commonet Venuleius, *donec de eo pronuncietur, in vincula publica coniiciendus est* (3). Ceteris vero Magistratibus Romanae leges aperte vetant semel inclusos in carcere, seu sub custodia detentos, pendente iudicio, dimittere sine caussa (4). Iustinianus vero iussit, reos liberos, et ingenuos sub custodia detentos, confestim iudicari, aut fideiussoribus committi, vel suae ipsorum iuratoriae cautioni, ubi dilationem triginta diebus maiorem caussa postulaverit (5).

II. De trahendis ad carcerem reis ante examen, tametsi loquuntur expresse leges iam recitatae, cum ceteris mox exponendis: tamen ad eos ipsos post examen etiam in vinculis retinendos Doctores extendunt earum auctoritatem ex tacito sensu, et rationis paritate. Cuiusmodi sententia Canonico Iure firmata videtur: nam Bonifacius VIII. generatim rescripsit sine ullo temporis discrimine *clericos, si de parendo iuri fideiussoriam dederint cautionem*, detinendos in carcere non esse, *nisi excessus enormitas, vel alia caussa rationabilis eos suaserit detinendos* (6). Ad Romanam vero Curiam appellantes, in eaque personaliter constitutos coram A. C., ut non possit iudex appellationis *habilitare per urbem, et extra carceres formales, nisi visis, et discussis actis, et quatenus de iure sit locus habilitationi, audita parte offensa, et Fisco, et facto verbo in plena Congregatione criminali*, iussit Benedictus XIV. (7).

(1) Ulp. in *l. 1. D. de custod., et exhibit. reor.*
(2) Idem in *l. divus Pius D. eod.*
(3) Venul. in *l. si confessus 5. D. eod.*
(4) Venuleius Saturninus in *l. ne quis 10. D. de custod., et exhibit. reor.*: *ne quis*, ait, *receptam custodiam sine caussa dimittat, mandatis ita cavetur si quos ex his, qui in civitatibus sunt celeriter, et sine caussa solutos a Magistratibus cognoveris, vinciri iubebis, et his, qui solverint, multam dices.* Confer huc Ulpianum in *l. solent 6. D. de off. Procons.*
(5) Iustinianus in *l. neminem 6. C. de custod. reor.* ex libris Basilicorum apud Gothofredum. Sanxerant quoque generatim Gratianus, Valent., et Theod. *in l. de his 5. C. eod. tit., ut aut convictos velox poena subducat, aut liberandos custodia diuturna non maceret.*
(6) Bonif. VIII. in *cap. si clericos 15. de sent. excomm. in VI.*
(7) Benedict. XIV. in *const. ad coercenda 26. §. 14. to. 4.* Bull. sui.

III. Iure nostro municipali, de quo nonnulla sunt superius delibata (1), communes eiusmodi regulae, ac limitationes nedum firmantur, sed amplificantur etiam explicatius. Nam Fridericus II. nolens accusatos squalore carceris macerari *in criminalibus, et capitalibus caussis*, sanxit fideiussoribus idoneis tradendos eos fore: *nisi crimen*, ait, *adeo vel confessione sua, vel ipsa flagranti deprehensione sit evidens* (2) Tum Carolus I. Andegavensis Iustitiarios, et iudices eorum consultores, qui *aliquos*, ait, *paratos dare fideiussores in casibus Regni constitutionibus comprehensis* caperent de persona, iussit fore amissuros medietatem gagiorum suorum unius anni, regioque insimul arbitrio puniendos (3). Idemque sanxit, ut incidentes quosque in poenam pecuniariam, et Curiae *carentes idonee* super huiusmodi poena solvenda, nullatenus liceret personaliter detinere (4). Ioanna II. in M. C. V. ritu 41, testem unum de visu cum fama publica sat esse declaravit, ut reus iure detineatur in carceres in iis tamen caussis, in quibus tortura locum habet (5), nimirum capitalibus. Regiis deinde pragmaticis firmatum, innovatumque fuit capitulum Caroli I. (6) In unum eum-

(1) *Tit. IV. huius libri de citat., et custodia reorum num. III.*

(2) Frider. II. in regni *const. humanitate nobis suggerente tit. de his, qui fideiussores dare possunt, ne incarcerentur.*

(3) Carol. I. in *cap. item caveant Iustitiarii, tit. quod non capiantur sine consilio parati dare fideiussores sine mandato regio, et cap. item Iustitiarii tit. quod accusati dantes fideiussores non compellantur in Curia morari.* Hinc iudex renuens reos, quoties id iusta caussa postulaverit, relaxare sub fideiussoribus, obnoxius in syndicatu erit quaerelae carceris indebiti, iniuriarum, et refectionis damnorum, ex traditis a Iosepho de Angelis *de habilitat. reor. cap. 1. num. 3. et 4.*, et Guazzino *defens. 6. cap. 1. num. 35.* Quod firmatur Pragm. 1. *de custodia reorum.*

(4) Car. I. And. in *cap. statuimus tit. ut nullus officialis capiat aliquem de persona incidentem in poenam pecuniariam seu bannum.*

(5) Ioanna II. in *ritu item si accusatur tit. detinetur inquisitus, si incipit constare*, ita edixit: *Item si accusatur aliquis, vel ex officio contra Cum proceditur de aliquo crimine: statim quod constat per unum testem contra eum de visu, et persona alias de fama publica, detinetur: in talibus tamen, in quibus ipsa Curia consuevit ponere ad torturam reum.* Sunt qui scribunt, in his Regens Petra super M. C. V. ritu *item quod si procedatur num. 3*, et M. de Affl. in *cit. constit. humanitate num. 23.*, ritum huiusmodi iamdiu exolevisse, eoque posthabito vigere praedictam Caroli II. constitutionem. At Prosper Caravita super eodem ritu *num. 4., et 5.*, contendit rectius, et verius, hunc ipsum ritum in foro semper observatum, quia nil adversantem iam dicto capitulo Caroli II., monetque iudices, ubi ad torturam non sufficiant indicia, reos debere fideiussoribus committere, cum istos ii nequeant perinde in carcerem detrudere, ac detinere cum indiciis levioribus.

(6) Pragm. 8. §. 5., *et seqq. de offic. Magistri Iustitiarii*, haec habet: *nelle cause criminali, nelle quali si verrà ad imporre pena di morte naturale, o civile, o abscissione di membro, o di galera, o di relegazione, non si possono abilitare gl'inquisiti, che saranno citati... nè per il palazzo, nè per altra parte, tanto a tempo, che compariranno gl'inquisiti, come dopo che saranno comparsi, e carcerati: eccettochè in banca, e proposta la causa dell'abilitazione per lo Commessario, che sarà della causa avanti i Regenti, e Giudici di questa G. C., e inteso l'Avvocato fiscale.*

demque scopum tot, quamvis multiplices constitutiones videntur insimul conspirare cum Iure communi tam Civili, quam Canonico.

IV. Mos exinde in utroque foro inolevit quotidiano usu probatissimus, ut in carceribus detineantur ad exitum usque iudicii, atque in vinculis rei cogantur suas proferre defensiones: quoties in caussis capitalibus, aliisque inferentibus poenam, quae corpus affligat, indicia post examen iuridicum adhuc integra in eos urgeant ad torturam, eaque datis a reo responsionibus nihil sint enervata, nec diluta, nec obscurata, vel crimen ex probationibus plenis, aut partis confessione, aut facti evidentia pateat. Hisce casibus reus e carcere ad examen coram iudice adductus, expleto examine cum particula *monitus*, factaque litis contestatione, redire ad carcerem cogitur, indidem se defensurus. Dum vero is mansisset, antequam examinaretur, extra carceres: post examen, ac litis contestationem tum decernitur, quod *dentur ei defensiones intra carceres.* (1) Intra quos exinde libertas ei tribuitur colloquendi cum suis advocatis, et procuratoribus, cum iisque suas adstruendi defensiones; ante examen plerumque coercita vel adempta, ut consilia celandi veritatem fraudulenta ne caperet.

V. Versa vice quotiescumque indicia informationis reus vel idoneis responsionibus, vel documentis in contienenti prolatis purgaverit, vel effecerit leviora, aut si ea in capitali caussa adeo non sufficiant ad torturam, ut reus fuerit absque particùla *monitus* ab suo iudice interrogatus; idque pateat ex publicata iam informatione fisci: tunc relaxandus omnino est e carceribus cum cautione aliqua de stando iuri. Quinimmo solam de innocentia rei dubitationem sufficere, ut cogatur iudex eum fideiussoribus committere, Doctores commonent (2). At excipiuntur ab hac regula rei laesae maiestatis (3), homicidae (4), publici latrones (5), ceteri scelestiores, beneficio habilitationis expertes, atque

(1) Ex traditis a Reg. de Rosa *in prax. crim. cap. 6.*

(2) Paul. Ghirlandus *de relaxat. carcerat. tit. de fideiuss. reor. qu. 2. n. 2.*

(3) Ex cit. Regni *const. humanitate*, et Regis Caroli I. *cap. nuper apud Tranum tit. de poena, et vindicta proditorum, et quod nullus officialis liberet carceratum pro crimine laesae maiestatis.*

(4) Ex Clem. PP. XII. *const. in supremo iustitiae solio §. 3.*, quam acceptarunt Concordata nostra *cap. 2. art. 34.*, et ex Pragm. Card. de Althan proregis edita die 30. Octobris 1725., ibi: *ordinamo perciò, e comandamo, che agl'inquisiti d' omicidio non si concedano più da verun giudice, o Corte, o da qualunque Tribunale, ancorchè collegiato le solite provisioni, che comparendo personalmente sieno rilasciati col mandato* per palatium, o per civitatem; *e molto meno essi presentandosi sieno ammessi, e detenuti con la sola cautela di tal mandato: volendo, e chiaramente ordinando, che tali inquisiti non ostante la loro spontanea presentazione, sieno subito ristretti nelle carceri formali.... e per coloro che si ritroveranno già presentati per inquisizioni d' omicidi e rilasciati col mandato, ordinamo, che si debba colla maggior brevità possibile procedere al disbrigo delle cause delle loro inquisizioni.*

(5) Ex regni *cap. provisa iuris sanctio*, ubi Rex Robertus discreto arbitrio Iustitiarii remisit facultatem relaxandi publicos latrones, et alios maiorum scelerum labe notatos, ubi scilicet defectivae sint probationes.

indigni : quemadmodum et confessi, et capti in flagranti ex supradictis.

VI. His propterea casibus consuevit in utroque foro profano, et sacro decerni, quod reus *habilitetur in forma* (1) : scilicet dimittatur e carceribus, praestita cautione unciarum tot auri de stando iuri: vel *habilitetur cum mandato domi*, aut per *palatium*, aut *per civitatem*. Vel *relaxetur cum mandato ducatorum tot, praestita cautione redeundi ad carceres ad omnem ordinem*. Vel *consignetur tutae personae ad omnem ordinem* (2). Ut nullus appellandi locus detur ab eiusmodi decretis habilitationis, Regis Caroli rescripto imperatum est die 24 Aprilis 1751.

VII. Huiusce decreti vim praecipuam esse, ut litis contestatio simul et processus ad ulteriora suspendatur, quoadusque nova in reum indicia intra biennium (3) producantur urgentiora, tradit Regens de Rosa (4). Quae reapse, ubi superveniant, vim praeteritorum indiciorum defectivam complebunt ad unam insimul conflandam probationem, dum praeteritis, quae sola non proderant, uniuntur. Verum si accusatus maluerit ad ulteriora progredi innocentiam suam patefaciendi studio, eo instante decernitur, quod ei *dentur defensiones extra carceres*. Hinc facile intelligitur, cur habilitatio reorum consueverit ante terminum defensionum indulgeri.

VIII. Infirmos autem in carceribus clausos necesse est in qualibet parte iudicii foras ad salutem curandam emittere, praestita cautione cito redeundi ad carceres, *postquam convaluerint*, quotiescumque pateat ex probati medici testimonio periculosa infirmitas, aerem postulans salubriorem, et aegrotantes obnoxii non sint capitalibus criminibus, poena scilicet ultra relegationem coercendis. Harum conditionum si qua

(1) Hocce verbum invitis latinis derivatum ab italicis verbis *abilitare, et abilitazione*, quibus usa primum est, ni fallor, modo dicta *Pragm. 8. de off. magistri Iustitiarii*.

(2) Aliam decreti formam exoticam, *quod licentietur* exhibet Pragm. *4. de visit. carcerat. §. 9.* hispano idiomate concepta, ibi : *Ha sucedido, que despues de presos; y escritos han salido consignandos o con decreto* licentietur, *y a vezes con decreto* defensiones per palatium.

(3) Quoniam Iustinianus Imp. iussit, ut caussae criminales omnimodis intra duos annos a lite contestata numerandos finirentur ea lege, ut lapso biennio lis ipso iure perimeretur, reusque foret propterea absolvendus, *l. criminales 3. C. ut intra certum tempus criminalis quaestio terminetur*. Hac lege Iustinianus correxit non modo praecedentem Theodosii legem *tit. 36. lib. 9. C. Theod.*, ut intra annum criminalis quaestio terminetur, quae annum unum a die inscriptionis decursurum criminali iudicio prorsus finiendo statuerat: verum, et suam ipsius in *l. ult. C. de custod. reor.* Hinc huiusce legis auctoritas, quae usu adhuc viget, efficit, ut quaevis accusatio, et lis criminalis, nisi intra biennium a decreto contestationis numerandum finiatur, ipso facto pereat, et fiat perempta, ut aiunt nostri. Idque firmavit Ritus M. C. V. tit. *quanto tempore durat instantia*, ibi : *Item servat ipsa Curia, ut instantia in civilibus ipso iure per lapsum triennii perimatur : et idem in criminalibus per lapsum biennii*.

(4) Reg. de Rosa *cit. prax. crim. cap. 7. num. 4.*

deficiat, aegrum tunc vel capitalis criminis reum, vel fideiussoribus carentem oportet ad meliorem carceris locum transferre, vel tradere fidis Curiae famulis custodiendum in aliqua domo, donec inibi curetur, ut valeat, mercedem ab ipso reo accepturis (1).

IX. Auditum vero in suis defensionibus reum intra carceres, iisque publicatis fore liberandum ante sententiam datis fideiussoribus, si de sua innocentia liqueat, iussit Carolus II. Andegavensis (2). Tum M. C. V. ritu cautum est, nonnisi post conclusionem in caussa liberandum, qui suas iam probaverit exceptiones ad defensam (3). Hinc stylus invaluit, post litem contestatam, et indicia fiscalia in termino defensionum elisa decerni, quod N. *liberetur in forma*, praestita nimirum cautione denuo sese praesentandi, ubi nova in eum supervenerint indicia intra biennium (4), ad capturam, torturamque idonea ex sese: quippe quae uniri cum praeteritis indiciis iam extinctis fori consuetudo plerumque non patitur. At recentior pragmaticarum lex nullum in supremis Tribunalibus huius urbis (5), regiisque Audientiis (6) locum dat peremptioni litis criminalis, adeo ut lapso etiam biennio potestatem iis integram relinquat procedendi ad ulteriora. At si probationes fisci, et querelantis appareant in semetipsis defectivae, etiamsi nullas reus defensiones produxerit, decerni tunc solet, quod *suspensa particula* monitus, *ac decreto termini defensionum habilitetur*, vel *consignetur*. Cuiusmodi clausula, et cautione fisco reservatur facultas uniendi prae-

(1) De Angelis *de habil. reor. cap. 28.*

(2) Carol. II. in *cap. ab illo inchoandum*, *tit. de inquisit.* loquens de criminibus capitalibus morte naturali, vel civili, vel membrorum mutilatione coercendis, *ubi de commisso inquisitori, vel cognitori plene constiterit*, ait, *reus in vinculis positus plene in suis defensionibus audiatur. Et publicatis attestationibus, si de sua innocentia liqueat, non expectata prolatione sententiae, datis fideiussoribus competentibus liberetur, sed si fideiussores dare nequiverit.... carceri deputetur.*

(3) Rit. M. C. V. *item quod si procedatur tit. quod incarceratus propter crimen liberetur, nisi post conclusionem* haec habet: *item quod si procedatur per dictam Curiam contra aliquem vel aliquam de aliquo crimine per accusationem vel ex officio, quod constet de crimine contra eum, aut eam, et propterea carceri mancipetur: facta* publicatione *in caussa quantumcumque allegetur per advocatos dicti carcerati, seu carceratae, quod dictus carceratus, seu carcerata probaverit exceptiones suas, propter quas probationes est a dicto carcere liberandus, seu liberanda de iure, nullo modo ab eodem carere* liberetur, *nisi facta prius conclusione in caussa.* Ritus iste visus Doctoribus nostris est adeo adversari iam dictae constitutioni Caroli II., ut hanc priorem eo posteriori abrogatam putarent. Sed alteram cum altero consonare facile sentiet, qui verba utriusque simul conferet, animadvertens liberationem rei post publicatas defensiones permissam a constitutione ante sententiam a ritu post conclusionem quoque ante sententiam. Praeterquamquod conclusio in caussis criminalibus iamdiu exolevit.

(4) Reg. de Ros. *in prax. crim. cit. cap. 7.*, et Campana *resol. 15. num. 30.*

(5) Ex Pragm. 50. *de offic. Magistri Iustitiarii.*

(6) Pragm. 10. §. 33. *de offic. iudicis*, de qua Regens de Martinis *lib. 1. resol. 184., num. 14., et sequ.* contra Rovitum, et Ioseph de Angelis de *habilitat. reorum cap. 60. num. 4.*

teritis futura indicia (1). Quoties autem reus in termino defensionum adversa indicia non eliserit omnino, sed obscuraverit, feceritque leviora: mos invaluit decernendi, quod *liberetur in forma, novis etiam non supervenientibus indiciis.* Haec enim clausula fisco etiam integra servat quaesita in reum indicia eum in finem, ut supervenientibus novis aggregentur ad unam insimul perficiendam probationem (2).

X. Ubi contigerit ambiguum ex informatione factum eatenus dilucidari aptis accusati responsionibus, eiusque peracto examine, ut fiscalibus indiciis prorsus dilutis palam appareat ipsius innocentia: tunc decernitur, *quod visa eius depositione non procedatur amplius, et proinde tollatur mandatum*, vel *non molestetur amplius.* Si vero civilis tantum res in ea caussa versetur: fit decretum, *quod remota criminalitate civiliter agatur* (3). Quemadmodum et in malefactis, quae legibus non puniuntur (4). In delictis autem levibus, et modicae coercitionis fere decernitur, quod *carcer passus cedat in poenam* (5), vel *quod per dies tot non visitetur*, ut brevis carceris poenam interea luat (6). Aut si de rixa, et iniuriis haud gravibus agatur, *quod relaxentur, vel excarcerentur, cum mandato invicem de se non offendendo*, vel *quod stante pace facta licentietur*, vel *non molestetur* (7).

XI. Si quem e libera custodia exin oporteat ad carceres reduci, et iudicio sisti ex novis, quae iam emerserint in lucem, indiciis, et probationibus fiscalibus: decernitur, omni appellatione remota, quod N. *sub mandato detentus reducatur in provisionem* (8). Mox vigore huius decreti a famulis Curiae personaliter captus ad carceres traducitur. Vel si maluerit iudex personalem capturam differre, litteris citatoriis principalem reum commonebit, ut intra dies aliquot peremptorie compareat in iudicio personaliter, et fideiussorem, ut eum ipsum in eodem termino repraesentet, servata forma suae fideiussionis, sub condicta

(1) Ex traditis a Riccio *in addit. ad cit. de Rosa lib. 1. cap. 7.*, et Sarno *in prax. crim. formul. 66. ad 71.*

(2) Thom. Brigante *pratic. crimin. tit. 6. n. 31.* Ricc. *addit. ad cit. cap. 5. Reg. de Rosa num. 9.*

(3) Reg. de Ros. *loc. cit. cap. 4.*

(4) *Furta domestica, si viliora sunt, publice vindicanda non sunt*, Modestinus ait in *l. perspiciendum 11. §. 1. De poenis.* Ad id videsis dicta superius *tit. IV. de citat. et custod. reor num. VIII. in fin.*

(5) Rosa *loc. cit. cap. 3., num. 13, et 19.*

(6) Idem *loc. cit. num. 47., et ult.*

(7) Idem *cit. lib. 1. cap. 1. num. 56., et cit. cap. 3. num. 47.*

(8) Rex Carolus in Pragm. 14. Martii 1738. *§. 6. num. 8.* ita edixit: *affinchè si evitino al possibile tutte le dilazioni nel disbrigo delle cause criminali: vogliamo, che dal decreto di* reducatur in provisionem, *che necessariamente si deve interporre nel giudizio criminale, acciocchè il reo possa disbrigarsi di giustizia, non possa produrre gravame in S. C., lo che s'intenda ancora a rispetto di quei rei, che volontariamente vanno a presentarsi, ed accettano il mandato* per civitatem, *vel* per palatium.

poena (1). Tum fideiussori absentiam rei principalis exponendi consuevit ex aequitate dari congruus aliquot dierum terminus ad ipsum perquirendum (2). At semel contumaces damnantur sine ulla spe purgandi moram (3).

§. I. *De visitatione captivorum.*

XII. Quae retulimus decreta pro captivis e custodia relaxandis usuveniunt frequentius in visitationibus carcerum, et captivorum quum ordinariis, tum extraordinariis. Ex priscis Romanorum legibus Proconsules consueverunt suis mandare Legatis cognitionem de captivis in custodia publica detentis, ut ipsi dein liberarent innoxios (4). Imperatores Gratianus, Valentinus, et Theodosius iusserunt, ut intra tricesimum diem commentariensis, puta carcerum custos *numerum personarum*, *varietatem delictorum*, *clausorum ordines*, *aetatemque vinctorum* iudici referret caussas eorum celeriter finituro : alias decem auri libris mulctaretur negligens (5). Gratiosam insuper visitationem generalem festis paschalibus indulsere Valentinianus, Theodosius, et Arcadius hac lege, ut ubi *primus dies paschalis extiterit*, *nullum teneat carcer inclusum*, *omnium vincula dissolvantur* : exceptis tamen sacrilegis, adulteris, stupri, incestive reis, raptoribus virginum, veneficis, maleficis, violatoribus monetae, homicidis, reisque laesae maiestatis (6),

(1) Ritus M. C. V. *in primis*, *quod fideiussores* tit. *de fideiussor.* hoc habet : *Item notandum est*, *quod fideiussores se obligant praesentare eum*, *si*, *et quoties ipse principalis fuerit requisitus. Verum quando extra iudicium requiruntur dicti fideiussores*, *requiritur in eadem requisitione etiam ipse principalis*, *fideiussores ad poenam fideiussionis*, *et principalis ad poenam quatuor unciarum. Item nota*, *quod in criminalibus fideiussores recipiuntur ad poenas iustas*, *videlicet pro homicidio ad poenam une. centum; si vero de privato carcere*, *vel etiam falsitatis*, *ad poenam unciarum 15.*, *si vero sint alia delicta*, *ad poenam unciarum 25.*, *et obligant se*, *et bona eorum omnia in solidum.*

(2) Ex traditis a Reg. de Rosa in *prax. crim. cap. 7. num. 21.*, et de Angelis *de habilitatione reorum cap. 58. num. 4.*

(3) Ex. cit. ritu M. C. ibi : *Item non possunt purgare moram fideiussores infra dies septem*, *ut dictant iura communia*, *et capitulum regni*, *quia Curia ipsa non utitur dictis iuribus*, *licet in aliis regni partibus observentur dicta iura.... Item quod si condemnatus est fideiussor*, *quia non praesentavit principalem*, *licet ipse fideiussor compareat eodem die*, *non purgat contumaciam*, *nisi dicto die veniet cum principali*, *quem praesentet.*

(4) Ulp. in *l. solent 6. D. de off. Procons.*, *et leg.* Proconsules (ait) *solent etiam custodiarum cognitionem mandare legatis*, *scilicet ut praeauditas custodias ad se remittat*, *ut innocentem ipse liberet.* Gothofredus hac in lege probe notat *custodias* heic eos appellari, qui servantur in custodiis : quemadmodum et *liberas custodias*, qui non in carcere, sed in aliqua domo continentur.

(5) In *l. de his 5. C. de custodia reorum.*

(6) Valent. Theod. Arcad. in *l. nemo 3. C. de custod. reor.* Visitatio ista non immerito appellatur *religio anniversariae obligationis* in *l. 7. C. Th. de indulg.* Huc etiam allusit Cassiodorus *lib. 11. var. cap. 40.*, inquiens : *iamque noxiam securim lictor recondat*, *amet paulisper ferrum splendidum*, *non cruentum*,

*

Visitationem ordinariam semel in hebdomada, idest feria quarta, vel sexta faciendam Episcopis mandaverat Iustinianus, ut et diligenter caussam inquirerent, ob quam detinerentur, mox iudicum officium pro captivis miseris excitarent, eorumque negligentiam imperatori indicarent (1). Id vero iamdudum ab aula recessit, nostris magistratibus nequaquam patientibus Episcopos ullam suscipere notionem de caussis fori laici.

XIII. Leges autem Regni munus istud fore supremis magistratibus obeundem opportune caverunt. Nam Carolus V. Imperator edixit, ut unus ex Regentibus Collateralis olim Consilii, et alter ex Consiliariis S. Clarae singulis Sabbati diebus captivos in carceribus M. C. V. detentos visitarent cum arbitrio, ac potestate ipsos relaxandi, et liberandi, commutandique poenas (2). Tum alia Pragmatica die 25. Iunii 1567. superaddidit generalem omnium captivorum visitationem ter quolibet anno, videlicet in Paschate Epiphaniae, Resurrectionis, et Pentecostes (3) : quae tamen consuevit bis tantum quotannis exerceri, nimirum prope festivitatem Nativitatis Domini, et Pascha Resurrectionis, eamque ipsi aliquando Proreges celebrarunt, adsidentibus cunctis Collateralis Consilii Regentibus. Mox abolito per Carolum Regem nostrum regio Collaterali Consilio, Rex idem eiusmodi visitationem obeundam iussit Quinqueviris regalis Camerae S. Clarae, et Praefectis aularum S. R. C. (4). Clausos in cunctis aliis huiusce urbis carceribus (praeterquam in illis S. Iacobi Hispanorum subiectis generali Auditori exercitus) visitant duo simul, vel tres Iudices M. C. V. in hebdoma-

catenas lacrymis madidas felicior rubigo suscipiat. Atria carcerum vacuitatibus impleantur : exeant inclusi vicina morte pallentes, redeant ad lucem, quos caligantes tenebrae possidebant. Vosque carcerati, qui exitis, delicta relinquite cum catenis; dierum beneficiis absoluti vivite nunc honeste, qui didicistis superstites mori. Cognoscite, quam beneficialis sit bona conversatio, altera contulit terrimum carcerem, haec novit splendidam tribuere libertatem; ista praestabit, ut velitis vivere, illa dedit, ut eligeritis iam perire. Si leges astringerent, ulterius vos nullus includet.

(1) Iustin. in *l. neminem 22. C. de episc. audient.*

(2) Car. V. in *Pragm. 1. de visitat.*, *et recensione captivorum*, quam exponit Capic. latro *dec. 177. to. 2.* Eiusmodi visitationi quandoque adfuere Proreges, praesertim Petrus Giron Dux Ossunae, de quo *theatrum Proregum Neap. par. 2*, et Cardinalis de Schratembak cum omnibus Collat. Cons. Quinqueviris.

(3) Pragm. 37. *de off. mag. Iustit. §. 3.* edita a Prorege Domino Parafan, quae confirmat *cit. Pragm. 1. de visit. captiv.*, *et Pragm. 6. §. 4. de Off. magistr. Iustit.*

(4) Pragm. Panormi data die 8. Iulii 1735. §. 5. *art.* 2. haec habet : *Dovrà alla Camera, e Capiruota appartenere il far la visita delle carceri, che prima faceva il Collaterale, e Regenti di esso, parimenti nella forma, che prima da questo, e questi si praticava; ben' inteso, che si osservino le regole, colle quali queste visite sono state istituite in sollievo de' miserabili, e de' casi compassionevoli, e non altrimenti, nè con quegli abusi, che con tanto scandalo si son veduti ne' tempi passati, i quali hanno meritato, che io seriamente pensi a qualche migliore disposizione, che pubblicherò dopo più opportuna riflessione.*

da, quae ferias autumnales proxime praecedit, praevia licentia Collateralis olim Consilii, nunc Regalis Camerae S. Clarae: praeterquam eos, qui se sponte constituerunt, aut nondum quindecim dies inibi commorati sunt, aut beneficio feriarum gavisi, atque ad carceres regressi dies quindecim non expleverunt, aut debitores plus quam 30. ducatorum (1). Iidem praeterea Iudices M. C. quavis hebdomada semel captivos visitant, ut eos ab iniustis vexationibus eximant (2): *non scriptos* vero ex ipsis in reorum libro debent quotidie scrutari, ut suis in iuribus audiantur (3). Quas autem visitationes, hac in urbe regni principe M. C. V. exercet, eas sibi vindicant Regiae Audientiae in singulis unaquaeque Provinciis (4).

XIV. Captivis fori etiam ecclesiastici beneficium visitationis episcopalis canones indulgent (5): quippe quam sacrae quoque litterae generatim commendant (6). Neapolitana Synodo Provinciali ab Archiepiscopo Cardinali Cantelmo celebrata iure merito decretum, ut *assidua carcerum visitatio non omittatur, atque eorum indigentiae, qui ibi intrusi sunt, explorentur et cura praesertim spiritualis eorum salutis habeatur* (7). Innocentius X. onus consulendi cunctis captivorum indigentiis extra urbem Episcopis demandavit (8). Curabit propterea Praelatus quisque dioecesanus amovere a clericis sibi subiectis iniuriam iniusti carceris, ne particeps et ipse fiat excommunicationis (9) et celerare finem coeptis iudiciis (10) intra biennium expediendis ex Tri-

(1) Ex Pragm. 3. *de visitat., seu recens. captivor.*, de qua Riccius in *prax. civ. par. 2. tit. 6 cap. 3.*, ibique Phil. Ferd. de Caro.

(2) Ex Pragm. 6. §. 2., *et 4.*, et Pragm. 37. §. *3 de off. mag. Iustit.*, quae consonant cum Iure communi in *l. iudices 9. C. de episcop. audientia.*

(3) Pragm. 4. §. 2. *de visitat., seu recens. captivor.* Videsis Mastrill. *de magistratib. tit. de visitatione cap. 6.*, et Elisaeum Danza *de visit. carcerat. p. 3.*

(4) Ex traditis ab Antonio Police *de praeeminentiis Reg. Audient. lib. 1. tit. 1. cap. 1.*, et Caravita *ad Rit. 54., et 232.*

(5) Conc. Aurelianense V. sub Pelagio I. coactum an. 556. *can. 7.* constituit, *ut qui pro quibuscumque culpis in carceribus deputantur, ab Archidiacono, seu Praeposito Ecclesiae diebus singulis dominicis requirantur, ut necessitas vinctorum secundum praeceptum divinum misericorditer, sublevetur, atque a Pontifice (instituta fideli, et diligenti persona, quae necessaria provideat) competens victus de domo Ecclesiae tribuatur.* B. Ambrosius *serm. in Dominic. 8. post. Pentec. eamus ad carcerem*, inquit, *requiramus vinctos, humanis miseriis, et angnoribus condoleamus.*

(6) *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses*, ait Salomon Proverb. 24. *vers. 11.* Dominus quoque per Ieremiam *cap. 22.* iubet, ut liberemus *vi oppressos de manu calumniatoris.* Apostolus insuper scribens ad Hebraeos initio *cap. 13., mementote*, ait, *vinctorum, tamquam simul vincti.*

(7) *Synod. Neap.* Cardinalis Cantelmi *anno 1699. tit. 12. cap. 2. de foro episcopali num. 5.* Consonat Conc. Mediolan. I. *par. 2. tit. de carcer. custod., et tit. de iis, quae ad episcopale forum pertinent §. Episcopus non solum.*

(8) Ex traditis ab Episcopo Scanarolo in *tract. de visitat. carcerator. lib. 1. cap. 2. num. 4.*

(9) Bonif. VIII. in *cap. si clericos 15. de sent. excomm. in VI.*

(10) B. Greg. M. Ioanni Ep. Ravennati in *cap. iurgantium 2. de sent., et re*

dentina sententia (1) : Paschalibus autem festis, et Nativitate Domini suos ita vacuare carceres gratiose tunc aperiendos, ut miseris, vel vim patientibus, vel imprudentia, et imbecillitate lapsis auxilium, et levamen largiatur, nullam vero scelestis, et protervis hominibus impunitatem: suo non abusurus mero, vel saltem mixto imperio (2).

XV. In urbe Roma hebdomadariam pro captivis, et pauperibus inibi commorantibus visitationem quolibet die Iovis primus omnium Eugenium IV. imperavit, ad quam rite, recteque obeundam subsecuti Pontifices peculiare Tribunal pluribus Praelatis, et ministris constans instituerunt, eique potestatem largiti sunt amplissimam, ut nedum aeris alieni debitores, sed criminum etiam reos visitarent singulis hebdomadis, et festis diebus Nativitatis, et Resurrectionis Domini cum arbitrio eos relaxandi cum cautione, aut libere, prout iuris erit, gratis, liberosque dimittendi, iudicii cursum celerandi, et compositiones poenarum pecuniarias faciendi (3). Tum Benedictus XIV. methodum statuit exequendi praescriptas visitationes carcerum ordinarias singulis hebdomadis, extraordinarias singulis mensibus, et gratiosas bis quotannis (4).

§. II. *De compositione et transactione poenarum.*

XVI. In utroque foro ecclesiastico, et laico saepe fit, ut rei e vinculis dimittantur commutata per *compositionem*, vel *transactionem* poena, quam luere in corpore deberent, aut in pecuniariam mulctam, aut in arbitrariam ordinaria mitiorem. *Compositionem* fieri forenses aiunt, dum post legitimam, plenamque criminis probationem reus vel confessus, vel convictus ad componendam cum Fisco poenam admittitur: *transactionem* vero, ubi deficientibus probationibus, vel iis nondum compilatis in re dubia, incertaque lite poena inquisitionis cum reo, et Fisco concordatur (5). Huiusce discriminis ratio efficit, ut reo vel confesso, vel satis convicto non detur transactionis remedium: sicuti

iudic. rescribens ait : *iurgantium controversias celeri sententia terminare, et aequitati convenit, et rigori.*

(1) Trid. in *cap. caussae omnes 20. sess. 24. de reform.* ibi: *saltem infra* biennium *a die motae litis terminentur : alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum iudices superiores, alias tamen competentes, adire.* Gallemartus vero inibi *num. 3.* refert S. Congregationem censuisse, si per iudicem ordinarium loci non steterit, quin caussa intra biennium finiretur, partibus non licet alios adire Superiores. Hac Tridentina constitutione factum est, ut lapsus biennii motam, vel contestatam litem praesertim criminalem non perimat ipso iure in Curiis ecclesiasticis, sed locum det solummodo appellandi ad superiora tribunalia.

(2) De quo dictum est superius *lib. III. tit. IV. num. XV.*

(3) De hoc fuse Ioan. Bapt. Scanarolus Sidoniorum Episcopus in *tract. de visitat. carcerat.* in tres libros distributo.

(4) Bened. XIV. *const. iustitiae gladium*, *8.*, et chirographo in ea inserto *cap. 2. della visita delle carceri tom. 3. Bullarii sui.*

(5) Rovit. in *Pragm. 3. de composit.*

non confesso, defectivisque indiciis, et probationibus non convicto compositionis beneficium denegatur.

XVII. *Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim et ipse morietur,* in lege Mosayca Dominus iussit (1). At Romano Iure communi *transigere, vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est: in aliis autem publicis criminibus, quae sanguinis poenam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem*, aiunt Imperatores (2).

XVIII. Hoc autem in Regno clericos homicidas pecunia mulctari amplius non posse ab Episcopis, neque per compositionem arbitrariam liberari ab homicidii crimine, et poenis canonicis lex Concordatorum an. 1741. sanxit (3), mandans Metropolitanis eos, non obstante Ordinarii sui compositione, atque indulgentia iterum in carcerem detrudere, et condigna secundum leges, et canones poena coercere: aut Episcopo viciniori, si Metropolitanus ipsos accepta pecunia liberaverit: simul et Ordinarium compellere ad restituendam iis, qui male persolverint pecuniam. Hac solius homicidii exceptione fit, ut Episcopis Concordata priscum firmarint arbitrium componendi aliorum omnium criminum reos. Res autem bene cadet, ut arbitror, suo si arbitrio utentes Episcopi nostras imitentur laici fori leges mox recensendas de compositionibus, aut admittendis, aut respuendis.

XIX. Fridericus Imperator in priscis Regni nostri constitutionibus facultatem accusatoribus indulsit sese gratis concordandi cum accusato etiam post citationem, antequam esset lis contestata, exceptis criminibus ultimo supplicio puniendis, et falsitate: si quid vero pecuniae ii acciperent sine licentia Curiae, praeterquam pro refectione damni, duplum fisco solverent. Postquam vero partes in iudicium venissent, eis sine licentia, et mandato Curiae compositionem criminalem vetuit sub poena decem augustalium fisco exolvenda, et nullitatis concordiae, quatenus ea non obstante posset ad ulteriora procedi. *Quae omnia*, Imperator et Rex noster inquit, *in illis criminibus locum habere cen-*

(1) Numeror *cap. 35. v. 31.* Alexander M. Parmenioni suadenti restitutionem captivorum recepto pretio, scite respondit: *captivos si placet reddi, honestius dono dabimus, quam pretio remittemus apud Q. Curtium lib.* 4.

(2) Diocl., et Maxim. in *l. transigere 18. C. de transact.* Rationem discriminis innuisse Ulpianus videtur in *l. 1. D. de bonis eorum, qui ante sententiam, vel mortem sibi consciverunt, vel accusatorem corruperunt*, inquiens: *In capitalibus criminibus a Principibus decretum est non nocere ei, qui adversarium corrupit, sed in his demum, quae poenam mortis continent: nam ignoscendum censuerunt ei, qui sanguinem suum qualiter redemptum voluit.* Mox iurec. idem in *l. ult. D. de praevaricat.*, *in omnibus causis*, ait, *praeterquam in sanguine, pro victo habetur.* Hinc eum, qui redimere sententiam omissa defensione tentaverat in caussa non capitali, ac transigere cum adversariis, et iudicibus, iure merito damnatum, ut quincentos solidos pro multa fisco exolveret, rescripsere Imperatores Severus, et Antoninus teste Macro in *l. Imperatores 34. D. de iur. fisci.* Cuiusmodi auctoritatibus innixus Gratianus noster in §. *in omnibus causis C. 11. quaest. 3.* scribit: *in omnibus causis, praeterquam in sanguine, qui delatorem corrumpit, pro victo habetur.*

(3) Concordata *cap. 3. art. ult.*

semus, quae sanguinis poenam imponunt, in quibus transactiones, vel pactiones fieri vetera iura permittunt: aliis, quae sanguinis poenam non irrogant, excepta falsi accusatione, in suo robore duraturis (1).

XX. At Robertus Rex Iustitiariis, ac iudicibus vetuit *latrones famosos, aliosque maleficos gravium scelerum existentes in carcere, ad compositiones pecuniarias* admittere: alias actis in irritum missis legitimas praevaricatorum poenas ipso facto incurrerent contra facientes (2). Rex idem praeterea sanxit, ne quis iudicum poenas corporeas legibus inflictas in pecunia componeret cum reis, qui essent legitimis poenis omnino plectendi: alias suo ab officio is amoveretur, et Regis arbitrio lueret poenam (3). Pariter lex Pragmaticarum prohibuit quum transactiones, tum compositiones in criminibus ultimo supplicio, vel mutilatione membrorum coercendi: nisi adsentiente Prorege, Regioque Collaterali Consilio (4). Praeterea iussit regiis Gubernatoribus Civitatum, et Terrarum demanialium transmittere quaternis mensibus ad regias Audientias notam compositionum criminalium, quas interea temporis peregissent: ut eas inde recognitas, nisi conformes regiis ordinibus invenissent ipsae regiae Audientiae, ad Proregem referrent (5).

XXI. Sunt et alia quatuor regni capitula ab eodem Rege Roberto lata (6), quae spectant arbitrariam criminum compositionem, et a nostris vulgo appellantur *quatuor litterae arbitrariae*. Ex his I, concessit arbitrium componendi in certa quantitate pecuniae pro ipsius Regis Curia poenas asportationis armorum, homicidiorumque clandestinorum, easque sancitas edictis, et bannis Officialium, praesertim defensionibus (prohibitis puta quibusdam rerum usibus), de parendo iuri, et iustitia facienda, quum certas, tum arbitrarias, et multas desistentium ab accusatione. II, remisit arbitrio cuiusque Iustitiarii facultatem

(1) Frid. in *const. post citationem 132. tit. lite non contestata in criminali iudicio, an possit actor, et reus inter se componere non dato aliquo, vel retento.* Constitutionem istam praefatae legi Codicis Iustinianaei consentaneam fatetur Greg. Grimald. *tom. 2. hist. legum, et magistratuum lib. 9. n. 16.*, quum nonnihil discrepet: in vetita nimirum compositione partibus in iudicio sistentibus, et post litem contestatam sine licentia Curiae.

(2) Robert. in *cap. ne perverso iudicio* tit. *de non componendo super crimine capitali.*

(3) Idem in *cap. ne quis de sua malitia glorietur* tit. *de non componendo in delictis corporaliter puniendis.*

(4) Rex Ferdinandus I. an. 1481., et Carolus V. an. 1539. in *Pragm. 2. et 3. de compositionibus*, et Pragm. 11. *de off. mag. Iustit.*

(5) *Pragm. 10. §. 12. de off. iud.*, quam vulgo dicitant *Pragm. 89. capitum.*

(6) Nimirum I. in *cap. exercere volentes* tit. *de componendo.* II, in *cap. provisa iuris sanctio* tit. *quod latrones... omni tempore torqueri possint.* III, in *cap. iuris censura* tit. *de arbitrio concesso officialibus.* IV. in *cap. ne tuorum* 2. tit. *de non procedendo ex officio, nisi in certis casibus, et ad tempus:* Ex ipsa tertii capituli rubrica videntur ea ipsa *litterae arbitrariae* nuncupata, simul ex illis verbis secundi *cap. provisa iuris sanctio: Usque ad nostrum beneplacitum arbitrio tuo laxamus, quo cum consilio Iudicis, et adsessoris tui discrete te uti volumus, et iubemus.*

recipiendi, vel denegandi cautionem fideiussoriam latronibus, et publice diffamatis, qui in domibus, aut itineribus, vel mari violentias, aut aggressiones perpetrarent, aliisque maiorum scelerum reis: nec non quaestiones de iis ipsis habendi, vel non. III, extraordinariam Capitaneo Neapolis potestatem dedit procedendi contra *latrones insignes*, qui Neapoli, et Puteolis insurrexerant, grassatores viarum, incendiarios, violentos raptores, aliorumque gravium scelerum infamia notatos sine aliqua solemnitate iuris, non observatis etiam regiis capitulis, et iuris ordine praetermisso. Tandem IV, indulsit facultatem Iustitiariis procedendi ex officio *per totum*, ait *mensem Augusti futurum* contra facinorosos plectendos poena mortis civilis, vel naturalis, aut membri abscissione, aut pro vindicandâ iniuria personae ecclesiasticae, pupillae, aut viduae illata, et in homicidiis clandestinis, ubi nullus appareat accusator.

XXII. Litterarum eiusmodi arbitrariarum vi, ut opinor, M. C. V. consuevit *de quolibet maleficio, excepto crimine haeresis, et laesae maiestatis* componere, *salvo iure partis*: hoc est, nisi *prius, et ante omnia pars laesa fuerit concordata, sive procedatur per ipsam Curiam ad denunciationem, sive ad accusationem, sive etiam ex officio* (1). Verumtamen in ea nemo accusatorum, vel denunciatorum admittitur ad compositionem poenae quum personalis, tum pecuniariae, *nisi probato delicto per testes, vel per confessionem rei* (2). Regiae insuper Audientiae in locum Iustitiariorum suffectae, quae supparem M. C. V. potestatem sibi vindicant, istiusmodi consuetudinem componendi, transigendique poenas criminales retinuere, posterioribus edictis regiis nonnihil variatam.

XXIII. Et quoniam in singulis feudorum investituris, regiisque litteris de stylo Reges investientes cunctis fere Baronibus largiuntur iurisdictionem civilem, et criminalem cum mero, et mixto imperio, et gladii potestate, et quatuor litteris arbitrariis: Barones idcirco sibi multas, poenasque pecuniarias vindicant ex mero imperio accepto, poenasque reorum arbitratu suo componunt, et transigunt vi litterarum eiusmodi arbitrariarum, et privilegiorum investiturae. Verum abuti quum non debeant Barones potestate sua in componendis criminum poenis ultra fines iure constitutos: Gubernatores idcirco baronales nequeunt Baronis arbitrio, nec suo poenas reservare in sententiis diffinitivis (3).

XXIV. Quandoquidem omnibus generatim Regni Curiis prohibitum iure municipali est liberare, et componere homicidiorum, aliorumque criminum reos, quae armis igneis patrarentur, iisve gratiosas liberationes in eiusmodi caussis indulgere, nisi conscio et permittente Collaterali Consilio (4). Tum in visitationibus etiam generalibus, et par-

(1) Ex *ritu item, quod ubi proceditur tit. de compositionibus.*

(2) Ex seq. *rit. item servat ipsa Curia* tit. *practica super composit.*

(3) *Pragm. 21. de Baronibus.* Nam Ius commune, finito iudicio per sententiam damnatos componere, ac liberare summo tantum Principi dat, praeterea nemini. Nemo potest *commeatum, remeatumve dare exuli, nisi Imperator ex aliqua causa*, Marcianus ait in *l. relegati D. de poen.*

(4) *Pragm. 4. de armis* edita anno 1637., quae Principe inconsulto nullum compositioni locum dat contra stringentes ignita arma in aliorum perniciem.

ticularibus M. C. V. vetitum est eos componere, aut liberare ex gratia, qui homicidium quavis armorum specie patrarint, aut faciem hominis ferro intersecarint, aut cicatrice aliqua deturparint (1), animo deliberato (2) : scelestos itidem reos sodomiae (3), lenocinii (4), raptus, adulterii incestuosi, osculique mulieris violenti (5), hospitii, subventionis, et opis exulum, seu bannitorum (6), latrocinii, assassinii, et sacrilegii (7), falsitatis (8), relapsus in idem crimen (9), blasphemiae in Deum, et Deiparam (10), haeresis, laesaeque maiestatis (11).

XXV. Imperatas antiquis Pragmaticis relationes compositionum singulis quadrimestribus innovavit Rex Carolus die 14. Martii 1738., dum regiis Provinciarum Audientiis vigilem curam demandavit, ut Gubernatores omnes tam regii, quam baronales singulis mensibus ad eas ipsas transmitterent syllabum compositionum interea gestarum, a iudicibus una, et assessoribus subscriptum, ad finem agnoscendi, legitimae ne forent, an non, easque referendi ad Regem (12). Tum paucos post menses die 15. Iunii 1738. Rex idem clementissimus *art.* 1. relationes homicidiorum quadrimestres iterum iussit cunctis regiarum, et baronialium Curiarum Gubernatoribus, salva Baronibus facultate postulandi remissionem caussarum, praeterquam ubi M. C. V., aut regia Audientia iure delegato procederent *art.* 3, in integrum restituit Baronibus potestatem arbitrariam crimina componendi, ac transigendi, et ex gratia delendi, hac tamen conditione, ut antequam gratia compositionis, et liberationis executioni mandaretur, Curia quaeque baronalis eam Regi nunciaret per regiam Audientiam, *art.* 7, delegationem in caussis homicidiorum, quae armis igneis patrentur, M. C. V., regiisque Audientiis antea concessam extendit ad caedes etiam et vulnera, quae fer-

(1) Ex Pragm. edita a Prorege Comite de Harrach die 30. Septembris 1729., quae incipit : *il furor della vendetta*, ibi : *delitto di taglio, o di qualunque sfregio del viso...* gl' inquisiti di tai misfatti non possono essere nè visitati, nè aggraziati, nè transatti.

(2) *Pragm. 5. de ictu scopictae* lata die 24. Maii 1647. Has duas Pragmaticas memorat Rex Carolus in sua constitutione data Caietae die 15. Iunii 1738. *art. 3.*

(3) Ex *Pragm. 3. de sodomia.*

(4) *Pragm. unic. de lenonibus.*

(5) Ex Regni capitulis generalibus contra scelestos *tit. de non componendo in delictis corporaliter puniendis*, eoque altero *de non componendo super crimine capitali.*

(6) *Pragm. 5. de compositionibus*, de qua Maradaeus *sing. 95.* disputat, an Curias Baronales obstringat.

(7) Ex Regni *cap. ne perverso*, *et cap. ad perversorum.*

(8) Ex Friderici *const.* superius exposita *num. XIX.* Grammatic. *dec. 47.*, et Rovit. in rubr. Pragmat. *de composit. n. 8.*

(9) Ex Regis Caroli rescripto die 19. Decembris 1739.

(10) Ex *cit. Pragm. de sodomia.*

(11) Ex *cit.* ritu *item quod ubi proceditur* tit. *de compositionibus*, superius exscripto *num. 22.* Consonat Carolus I. *cap. nuper* tit. *de poena*, *et vindicta proditorum*, *et quod nullus Officialis liberet carceratum pro crimine laesae maiestatis.*

(12) Pragm. Regis Caroli die 14. Martii 1738. §. 7.

reis armis iure Pragmaticarum vetitis fient (1). Dein rescripsit die 12. Decembris 1739., ut Curiae tam regiae, quam baronales regiis Audientiis referrent singula furtorum, et vulnerum crimina, non secus, quam homicidia, et crimina igneis armis admissa, iisdem poenis in Curias id negligentes sancitis. Verum altero, quod die 19. eiusdem mensis, et anni ad singulas regni Audientias dedit, rescripto censuit, reos vulnerum gladio, aliisve armis non prohibitis patratorum sine animi deliberatione, et sine gravantibus adiunctis, ultra relegationem non puniendos, posse cum partium remissione admitti ad compositionem pecuniae arbitrariam, quam iidem ipsi offerent: reos praeterea levium delictorum exilio vix, aut brevi carceris custodia coercendos, qui sese obtenta partis remissione praesentarent: insuper quasi furtum admittentes, quod a nostris *truffa* vulgo dicitur, qui alienam scilicet rem quomodolibet acceptam non restituere domino student, vel in alium praeterquam a domino designatum usum conferunt (2): at compositiones vetuit in causis homicidii, falsitatis furtorum, vulnerum armis prohibitis illatorum, armorum eiusmodi asportationis, aut detentionis, aut confectionis; simul et secundorum eiusdem generis criminum post primum alias transactum: nec non damnatorum, qui ex sententia, vel compositione iam coeperint acceptas poenas exolvere. Posthaec iteratis Baronum precibus pro suo in compositionibus arbitrio redintegrando, Rex ipse die 17. Augusti 1742. rescripsit, *re melius perpensa provisurum.*

XXVI. Tandem die 30. Novembris 1744. regresso Regi e bello Veliterno placuit, *quod suspensis capitibus primo, tertio, et septimo regalis constitutionis sub die 15. Iunii 1738. pro iis tantum, quae Barones, eorumque Curias respiciunt*, mandare *iuxta rescriptum divae memoriae Imperatoris Caroli V. de anno 1536., ut iidem Barones, et eorum Officiales debeant malefactores, et delinquentes debitis poenis punire, aut puniendos mandare, et ii, qui potestatem virtute suorum privilegiorum habent componendi, aut remittendi poenas, ea potestate taliter utantur, ne nos ex eorum abusu pro iustitia aliter providere cogamur.* Itaque hac postrema constitutione ademptum Curiis baronalibus est onus referendi regiis Audientiis homicidia, et compositiones, transactionesque criminum baronales, antequam eas exeque-

(1) Rex Carolus in Pragm., quam edixit Caietae die 15. Iunii 1738. *art. 3.* ait: *Perché la nostra regal volontà non è di pregiudicare la giurisdizione dei Baroni, ma piuttosto di accrescerla, ed ampliarla, ove non vi sia pregiudizio della giustizia, e della sicurezza de' nostri sudditi.... Vogliamo perciò, che da oggi avanti restando a Baroni la piena, e libera facoltà di componere, ed aggraziare li rei di omicidio ne' casi dalle leggi, e constituzioni del regno permessi, non si possa però venire all' esecuzione delle medesime colla liberazione formale degl' inquisiti senza prima darsene notizia a noi dalle Corti rispettive, dove le cause eran pendenti...* per l' organo delle regie Audienze Provinciali, e Commissarii di Campagna rispettivamente etc.

(2) De hac impropria furti specie loquitur Celsus in *l. inficiando 67 de furt.* aiens: *inficiando depositum, nemo facit furtum: nec enim furtum est ipsa inficiatio, licet prope furtum est, sed si possessionem eius adipiscatur intervertendi caussa, facit furtum.* Consonat Paullus in *l. 1. §. 2. D. eod.*

rentur ; iisque restituta iurisdictio in caussis etiam M. C. V. , et regiis Audientiis municipali iure delegatis , praesertim homicidiis, et criminibus , quae armis prohibitis patrarentur. At sine iudicis , aut Consultoris voto , cuius interest iura compositionis moderantia callere, non licet Baronibus ad beneficium compositionis , et transactionis reos admittere (1).

XXVII. Quum sit compositionibus , et transactionibus indita natura contractus ultro , citroque obligantis : consequitur , eas nullo pacto valere , nisi omnes, quorum interest, una consentiant (2); accusator nimirum , et fiscus , accusatus, et iudex. Quandoquidem iura nostra municipalia compositiones criminum irritas habent, ac rescindunt (3) nisi pars offensa in primis consenserit remissione iniuriae, quam rite fecerit in iudicio (4) , per semetipsam personaliter , non per procuratorem cum quovis mandato specialissimo (5) : ut pateat remittentis libertas nullo metu, ac dolo violanda. Si vero mortem offensus obiverit , non proderit homicidae remissio ipsius defuncti (6) : sed libera eorum omnium remissio requiritur, ad quos occisi legitima successio defertur ab intestato (7) , non aliorum adfinium, et consanguineorum, ius nul-

(1) Ex illis verbis *cap. provisa iuris sanctio* , quod tertiam litteram arbitrariam continet: *quo cum consilio iudicis, et adsessoris tui discrete te uti volumus, et iubemus.* Hinc Thorus *lib. 1. Cod. rer. iudic. cas. 60. num. 90.* istam voti formam , quod debet necessitate iuris praeire gratiam baronalem tradit *posse reum admitti ad compositionem.*

(2) Ex *l. ab emptione 58. D. de pactis, et l. 80. D. de solut., et liberat.*

(3) Sunt , qui duce Thoro *to. 2. comp. dec.* verb. *remissio*, putant , in his Novarius *gravam. 12. num 5. lib. 2.*, de Angelis *de off. Bar. cap. 285. num. 1.*, de Luca ad de Franchis *dec. 370. num. 3.*, ea crimina imperfecta , quae nullam reapse offensam corpoream intulerint , puta conatus ad occidendum, vel percutiendum inanibus sclopi , vel ensis , vel saxorum ictibus , provocatio ad pugnam cum armis , insectatio armata manu , insultatio molesta, id genus alia: posse absque partium remissione componi, ac transigi. Quemadmodum ea, posthabita, neglectaque partium remissione , abolenda censuit Philippus III. generali indulto criminum die 1. Oct. 1599., quod exhibet Pragm. 2. *de abolit. criminum.* At eos merito , refellunt Capiblancus in *pract. quaest. ad Pragm. 5. de Baron. cap. 27. par. 2.*, Maradaeus *sing. 94* , et Novar. *gravam. 13.*

(4) *Pragm. unic. de remissionibus* , *Pragm. 6. de compositionibus* §. *2. in fine*, et M. C. V. ritu paulo superius exposito *num. XXII.* Propterea nequit remissionem supplere tacitus partis consensus , nec reconciliatio inter offensum et offensorem. Nec tuta est opinio Lucae de Penna , Iosephi de Angelis , Regentis Roviti , Novarii , ceterorum , qui putant suam eos iniuriam ritu satis legitimo remittere , qui ab iudice in ius citati ad faciendas in iudicio partes querelantium intra peremptorios dies , neglexerint comparere : quum eam iure merito reprobaverit Prosper Caravita in *comm. rit. 172. nu. 20.*, ususque non receperit.

(5) Franc. Maradaeus *singul. 97.*

(6) Ex *Pragm. 6. de compositionibus.*

(7) Ex *Pragm. 4., et 8. de compositionibus.* Igitur si plures unius eiusdemque gradus coaequale ius ad successionem habeant: non sufficiet ad legitimam compositionem remissio maioris partis eorum , quam omnes et singuli necesse est, ut rite faciant: etiamsi eorumdem aliqui , vel omnes nullam in reum querelam, vel accusationem in iudicio detulerint. Cumque uxor marito , extantibus

lum, ut accusandi, ita et remittendi habentium. Vix inter illustres, seu nobiles viros consuevit remissio sine forma eiusmodi admitti: quum scilicet vel pacis arbitri certiorem de ea iudicem faciunt, vel eam vir ipse illustris litteris primum suis nunciaverit iudici, mox ore itidem suo ratam habere dixerit actuario caussae ipsum de ea interroganti, eiusque responsum apud acta relaturo (1). Qui vero semel querelam, et accusationem rite remiserint, eam repetere non possunt amplius, sed praescriptione repelluntur a prosequendo iudicio (2). At quum sunt componenda malefacta in iudicio incidentia, a principali crimine aliena, puta absentis citati contumacia, transgressio mandati, aut exilii, desertum fideiussoris vadimonium, cetera id genus; quia privati accusatoris ius nil attinent, eius idcirco nullus requiritur consensus (3). Praeterea ut imminens aliquod vitetur malum, praevisumque delictum, partes ad concordiam tunc adigere, iudici fas est (4): praesertim in caussis rixarum (5). Ceterum cogendus fere nemo est acceptam iniuriam, offensamque remittere in foro contentioso: quum leges cuique indulgeant in hoc legitimam postulare vindictam (6).

XXVIII. Tantam non esse vim partium remissionibus, ut ipsae valeant fiscum, vel iudicem cogere ad ineundam compositionem, sed vix liberum efficiant arbitrium eius, qui *potestatem* crimina delendi vel iure, vel ex privilegio habet, et admittendi reos ad compositionem, eisque indulgendi poenas acerbiores, salva ei potestate procedendi ad ulteriora, Rex Carolus nuper declaravit (7). In vetustis autem regni

filiis, et consanguineis, iure non succedat, atque hoc in regno masculi foeminas excludant a successione parentum: idcirco ius tum accusandi, tum remittendi non uxori, nec filiabus datur, sed filiis tantum, aliisque legitimis de sanguine successoribus.

(1) Hunc stylum inter alios fert Ios. de Angelis *de offic. Baron. cap. 285. num. 15.*, sane antiquissimum. Nam ritus M. C. *item quod ubi proceditur* tit. *de compositionibus*, duplicem eiusmodi modum probandi concordiam, et reconciliationem offensi cum offensore adamussim tradit.

(2) *L. si is 4. C. ad Sen. Cons. Turpill.*

(3) Caravit. in *rit. 272.*, Sanf. *dec. 23.*, *et 320.*, de Luca ad de Franch. *dec. 370.*

(4) Enimvero *ne potentiores viri humiliores iniuriis afficiant*, *ad religionem Praesidis Provinciae pertinet*, Ulpianus in *l. illicitas 6. §. ne potentiores D. de off. Praesidis.* Eadem ratione *Ictus* idem furiosos in carcere continendos ex Pii rescripto, *qui non possint per necessarios contineri*, tradit in *l. congruit 13. D. eodem.* Et Marcianus Imp. in *l. denunciamus 5. C. de his*, *qui ad Ecclesiam confugiunt*, rescripsit, *si quis aliquid contra leges a quibusdam sibi existimet perpetrari*, *licet ei adire iudicem*, *et legitimum postulare praesidium.* Hinc repetenda origo *mandati de non offendendo*, quod solet in dies a iudicibus, ubi operteat, imperari.

(5) Conc. Carthag. IV. in *can. studendum 7. dist. 90.*

(6) Reg. de Rosa *prax. crim. cap. 1. num. 57.*

(7) Saepedicta Pragm. Caietae data 15. Iunii 1738. *art. 13.* haec habet: *vogliamo inoltre*, *ed espressamente comandiamo*, *che le remissioni delle parti offese a riserba di abilitare chi tiene la facoltà di aggraziare*, *o comporre*, *niente possano giovare al reo*, *e niente alterino lo stato della causa*, *la quale debbasi giudicare*, *come se tale remissione non vi fosse.*

legibus iam constituerat Rex Robertus, ut viro idoneo iudex processurus ex officio mandaret munus prosequendi criminale iudicium, quoties accusator ab incoepto desisceret (1). Tametsi Robertus idem *procedi ex officio in quisbuscumque caussis sive criminibus* iam inhibuerat, *praeterquam ubi imponitur poena mortis civilis, vel naturalis, aut membri abscissio, et ubi in persona ecclesiastica, et pupilli, et viduae flagitium est commissum, et insuper in homicidiis clandestinis, ubi nullus accusator appareat* (2), nihilominus isthaec inhibitio recessit ab aula ex eo tempore, quo data est ministro fiscali provincia obeundi vices publici accusatoris in cunctis fere criminalibus caussis (3).

XXIX. Accusatus etiam compositioni, seu transactioni consentiat oportet, quum nullum iura beneficium dent invito. Quivis ergo maluerit periculosam iudicii criminalis aleam iacere usque ad exitum diffinitivae sententiae, confidens elisurum sese in termino defensionum indicia fisci, et partis offensae, quamvis plura, et urgentia, productasque in ipsum probationes criminosas, aut sit contentus poenam subire legitimam in caussis non capitalibus: is ad insinuatum fortasse compositionem poenae compelli profecto a iudicibus quum regiis, tum baronalibus nequit, quorum est reos vel absolvere, vel damnare, prout iuris erit, non ad compositiones pecuniarias hortari (4). Quod vero ad transactionem in caussis ambiguis, ob defectivas fisci, et partium probationes, reo, qui suas velit defensiones proferre, innocentiamque patefacere, iudex omnino debet eas concedere: quum nimis durum sit poenam, quantumvis mitiorem ei transigendo irrogare, qui adversariis plene non probantibus absolvendus est, impunis iam iam evasurus (5). Igitur nisi reus certam pecuniae quantitatem sponte sua pro compositione obtulerit, vel transactionem ultro postulaverit: de neutra cum eo agendum erit (6).

XXX. Ut compositio valeat iure nostro, plenam criminis probationem ex confessione rei, aut idoneis testibus, indiciisque urgentibus praeire in actis debere iam supra innuimus, et aperte constituit M. C.

(1) Robertus in regni *cap. spectat, ad Praesides* tit. *quod accusatore desistente Curia ex officio procedere potest, statuit, quod ubi in principali, vel appellationis caussa citatus accusator legitime comparere contemnit, substituetis aliquem virum idoneum per vestri potestatem officii, qui coeptam caussam criminis prosequatur, et in illis sumet terminis, in quibus est ab accusatore dimissa sine novis adsertionibus, et probationibus.*

(2) Idem Rex in *cap. Robertus etc. Capitaneis* tit. *de non procedendo ex officio, nisi in certis casibus, et ad tempus.*

(3) Ut supra iam exposui *tit. II.* huiusce libri *num. V., VI.* et *VII.*

(4) De Nigris in regni *cap. 221. num., et seqq.* Nam iure Iustinianeo in *tit.* Inst. *de off. iud.* poenas nonnisi legitimas debet iudex infligere, *nisi aliter aut legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est.*

(5) Afflict. in *const. asperitatem num. 11.*, Novar. *gravam. 13.*, Rovit in *rubr. de composit. num. 4.*

(6) Id videtur firmatum Regis Caroli rescripto die 19. Decembris 1739. Paullo superius exposito *num. XXV.*, quo reorum compositiones pecuniariae ab ipsis reis oblatae, accedente partium remissione, permittuntur. Idipsum antea senserat Capiblanc. in *pragm. 6. de Baron.*

V. ritus (1), usu quotidiano probatissimus. Nulla enim ratio fert, accusatum non confessum, neque convictum, qui de iure absolvendus est, ad certam pecuniae poenam damnari, in locum poenae corporalis ordinariae suffectam lenitate iudicis, et aequa commutatione (2). Secus est de transactione, ad quam ineundam sufficit lis ex ambiguis indiciis, et probationibus dubia Iure tam communi, quam municipali (3). Exin consequitur nonnisi post rei examen, et post repetita informationis fiscalis testimonia, eorumque pubblicationem, et post datum defensionum terminum (4), ante sententiam diffinitivam legitimas fieri transactiones, et compositiones criminum.

XXXI. Ab Imperatoribus rescriptum sane est *non solere Praesides provinciarum ea, quae pronunciaverunt, ipsos rescindere . . . suam mutare sententiam neminem posse* : damnato ad poenam, *quum non haberet probationum instrumenta, quae postea reperit, vel minui poenam, vel in integrum restitui* a Principibus dumtaxat posse tradit Callistratus (5). Cadavera quoque damnatorum, qui dum poenae serviunt, mortem obiverint, aut cineres ad patrium sepulcrum traducendi licentiam supremo tantum Principi reservant leges, praeterea nemini (6). Si quis vero iudicum officio suo iam functus post sententiam resumat arbitrium componendi, ac transigendi, puniendus est iactura sui praesertim officii : reus autem missa in irritum transactione ad poenam sententia inflictam cum infamia redit (7). Praeterquamquod nuperrimo

(1) *Rit. item servat ipsa Curia* tit. *practica super compositionibus* in fine. *Item quod nullus* (ait) *accusatus, vel denunciatus, seu ex mero officio impetitus de aliquo crimine pubblico, vel privato, ex quo veniat imponenda poena personalis, vel pecuniaria, non admittatur ad compositionem, nisi demum probato delicto per testes, vel per confessionem rei accusati, vel denunciati, aut ex officio inquisiti.* Audiendus idcirco non est de Angelis *de offic. Baron. cap. 284. num. 5.* aliter sentiens; quum is auctoritatem ritus immotam concutere nil possit. Prosper autem Caravita in *tit. 296. num. 4.* Scite refellit abusum admittendi ad compositionem pecuniariam reum supplici tantum libello confitentem sese crimen admisisse, et postulantem concordiae beneficium, quamvis vel nulla, vel imperfecta in eum urgent indicia, et rite constitutus ipse coram Iudice, et iuridice interrogatus illud negaverit.

(2) *Quia solus fustium ictus gravior est, quam pecuniaria damnatio*, ait Macer in *l. servorum 10.* in fine *D. de poenis.*

(3) Qui *transigit*, Ulpianus ait, *quasi de re dubia, et lite incerta, sicque finita transigit, l. 1. D. de transact.* Rovitus in *rubr. de composit. n. 1., et 2., Caravita in rit. 276. num. 6.*, de Angelis *de off. Baron. cap. 284. num. 9.*

(4) Quae enim antea fierent compositiones, ac transactiones, eae poenam quamvis commutatam, ac mitiorem reo reapse irrogarent ex processu fiscalis tantum informationis: id quod iure meritissimo vetitum tradunt Rovitus *loco cit. num. 4*, et de Angelis *ibidem. cap. 283. num. 11.*

(5) Callistratus in *l. divi fratres 27. D. de poenis Damnatos dimittere inconsulto Principe Praeses non potest*, confirmat Modestinus in *l. ad bestias 3. D. de poenis.* Consonet textus in *l. iudex D. de re iudicata, l. relegati D. de poenis, Pragm. 13. §. 6. de off.* S. R. C., *et Pragm. 25. de Baronibus.*

(6) Marcianus in *l. si quis 2. D. de cadaver. punitorum.*

(7) Thomas Xav. Caravita *Inst. crimin. lib. 4. §. 3. num. 8.*

Regis Caroli rescripto die 19. Decembris 1739. paullo superius exposito sancitum inter alia est, ne fierent amplius compositiones damnatorum, aut concordatorum, qui poenas criminum suorum luere iam coepissent.

XXXII. At quoniam appellatio, vel nullitates rite obiectae suspendunt sententiam, iudiciumque ad terminos litis contestatae reducunt: fas idcirco est pendente appellatione, ac nullitatum discussione reis indulgere transactionem. Consueverunt propterea Regentes Collateralis olim Consilii (quemadmodum Quinqueviri nunc regalis Camerae S. Clarae) in visitationibus carcerum damnatis ad mortem, pendente appellatione, vel reclamatione, vel nullitatum remedio, poenam ultimi supplicii commutare lenius cum poena inserviendi regiis triremibus (1). Appellantes autem, ac reclamantes a sententiis Curiarum qua regiarum, qua baronalium, regiarumque Audientiarium ad M. C. V. ex vetusto more describuntur singulatim in peculiari libro, qui *liber Trulli* in regiis Pragmaticis nuncupatur (2).

XXXIII. Eadem ratione leges nostrae iudicibus vetant, ne sibi, vel Baronibus in diffinitiva sententia reservent arbitrium componendi, transigendi, vel abolendi ex gratia poenam criminis, quam semel promulgaverint (3); neque alternent poenam ipsam legitimam cum pecuniaria

(1) Pragm. *4. de visitatione, seu recensione captivorum* §. *17.*, quae ab Hispano in italum sermonem versa haec debet: *Quanto a mandare in galera in luogo di deposito, o pendente l'appellazione, o riclamazione, o concordarli, avcasi da ordinare, che pendenti l'appellazioni etc. non si facesse, se non in casi degni di pena di morte.... però quando de'delitti ella é ordinaria la pena di galera, in tal caso non si può fare senza contentamento del preso, e del suo avvocato, e delle parti querelanti.* Tum sequenti §. *19.*, *che le catene dei condannati, o concordati, o mandati loco depositi dalle provincie, o qualunque ministro, si visitino ex officio dal Reggente del Collaterale in Vicaria, commettendosi le cause loro ai giudici, e vedutosi i lor processi dall'Avvocato de poveri, o altro, e di poi inviarli a galera, e questo sommariamente senza far difese, acciò si vegga, se é caso permesso, e se siasi osservato quel ch'è di ragione.* Similiter quam Baro gratiam vassallo indulgere post sententiam prohibetur, eam ab illo posse appellatione pendente concedi, ob incertum iudicii eventum, istudque redactum ad litis contestatae articulum, decisum in S. C. fert Praeses de Franchis *dec. 379. num. 13. ad 15.*, et Riccius *abs.* ad Reg. de Rosa *prax. crim. lib. 1. cap. 12. num. 10.* Dummodo appellationis, et nullitatum remedia in Curia secundarum, vel alia eiusdem Baronis versentur; secus, ubi ad regia tribunalia devoluto iudicio Baronis iurisdictio desiverit omnino, ex traditis a Capiblanco in *Pragm. 6. de Baronibus num. 34.*, et de Luca ad de Franc. *dec. 370. num. 3.*

(2) Cit. *Prag. 4. de visitat. captiv.* §. *2.* excludens regium S. Clarae Consiliarium a cognoscendis una cum Regente Collateralis Consilii caussis criminalibus in S. R. C. pendentibus, inquit: *porque el Regente non visita, sino solamente los de Vicaria, ni el Consejo puede saber las causas pendientes, de apelacion, o reclamacion, porque esto se sabe luego en el libro del Trullo: adonde tampoco se notan los presos de otros Tribunales, ni de otro ningun Juez* Tum §. 13. adit: *puede el Regente, quando quiere, visitar* el libro del Trullo, *para azer acuerdo para galeras, o Echar otros loco depositi, y entonces tambien es el mayor servicio empezar per los pobres.*

(3) *Pragm. 21. de Baronibus* sanxit sub poena ducatorum mille, et nullitatis

mulcta, dicendo ex. gr. in sententia *exulet, vel solvat ducatos tot* (1). Consulto autem, ac permittente Rege consuevit M. C. V. et regium S. Clarae Consilium eam ipsam sententiae formulam, poenas alternantem usurpare (2). In Curiis etiam ecclesiasticis consuevisse iamdudum iudices sibi, suisque Praelatis reservare in diffinitiva damnationis sententia facultatem componendi, transigendi, ac remittenti poenam damnato reo, tradit Genuensis (3).

XXXIV. Sine probabili caussa non indulgendas compositiones, transactionesque criminum fore, Doctores consentiunt (4). Quoties autem aliqua ex iis caussis adsit, quae poenae deminutionem, iure postulant: ita locum compositionibus, et transactionibus poenarum dat, uti gravantes crimina caussae flagitant poenas exacerbari (5). Itaque *si diutino tempore aliquis in reatu fuerit: aliquatenus poena eius sublevanda erit*, inquam cum Modestino (6). *Fere in omnibus poenalibus iudiciis et aetati, et imprudentiae succurritur*, addam cum Paullo (7). *Si per furorem aliquis parentem occiderit, impunitus erit.... nam sufficere furore ipso eum puniri, diligentiaque custodiendum esse, aut etiam vinculis coercendum*, censuit Modestinus (8). *Decuriones*, eorumque parentes, ac liberi *in metallum damnari non possunt, nec furcae subiici, vel vivi exuri*, ex Ulpiani sententia (9). Furta, mendacia, et periuria in pueris, *non ita, ut in maioribus punienda* censuit B. Gregorius Magnus (10). Furtum qui reddiderit, non cogunt ieiunare canones (11). E contrario *nonnumquam evenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimirum multis personis grassantibus exemplo opus sit*, ait Claudius Saturninus (12).

sententiae, quam usu vigere commonent Marad. *sing. 59.*, et de Luca ad de Franch. *dec. 370. num. 4*

(1) *Pragm. 45. de off. Mag. Iustit.* Marad. iunior. *observ. pratic. 49.* opinatur Curiis quum regiis, tum baronalibus licere ad alternas poenas hac alia forma damnare: *exulet per annos tot: verum accedente partis remissione detur potestas parti condemnatae redimendi exilium ad rationem ducatorum tot pro quolibet anno.* At eum refellit Ioseph de Angelis *de off. Baron. cap. 306. num. 6*, scite commonens officiales Baronum, ut a similibus decretis se abstineant.

(2) Id quod olim usitatum praevia Proregis dispensatione tradit Marad. sing. 293.

(3) M. A. Genuensis in *pract. Archiep. cap. 48. num. 3.*

(4) Ioannes Ant. de Nigris in regni *cap. 221. num. 29., et cap. 252. num. 9.*, Prosper Caravita in *tit. 272. num. 4.*, Ioan. Bapt. Thorus in *Cod. rer. iudicat. cas. 5., num. 5.*, Io. de Angelis *de off. Baron. cap. 284. num. 5., et 8.*, M. de Afflictis *dec. 287. num. 1.*

(5) Capiblanc. *loc. cit. num. 24.*, et de Angelis *ibidem.*

(6) Modestinus in *l. si diutino 25. D. de poenis.*

(7) Paullus in *l. fere 180. D. de reg. iur.*

(8) Modest. in *l. poena parricidii 9. §. 2. ad legem Pompeiam de parricidiis.*

(9) Ulpian. in *l. moris est 9. §. 11., et 12.*, cui consonat Venuleius in *l. divus Hadrianus 15. D. eodem.*

(10) S. Greg. in *cap. pueris 1. de delictis puerorum.*

(11) Ex poenitentiali Theodori in *cap. si quis 3. de furtis.*

(12) Cl. Saturn. in *l. aut facta in fin. D. eodem.*

XXXV. Ex huc usque dictis patet, cur malae gestae compositiones, transactionesque poenarum criminalium saepe ad incudem Potestatis superioris revocentur, aliqua partium appellante, vel recurrente. Quoties videlicet in compositionibus plena in reum probatio, in transactionibus lis dubia non fuerit; vel criminis excepti enormitas omnem respuat indulgentiam, vel consensus alicuius partium defecerit, vel vi, aliove sit vitio extortus, vel incongruo tempore sint admissae, aut ante informationem, et publicatas processus fiscalis probationes, aut post diffinitivam sententiam, vel nulla probabilis caussa eas praecesserit. In hisce casibus usuveniunt istae decretorum formae: *transactionem esse nullam* (1), *quod Baro deinceps non componat crimina inconsulto* olim S. C. (2), nunc Rege ipso.

§. III. *De abolitionibus, et indulgentiis criminum.*

XXXVI. Abolitionem fieri dupliciter, aut *privatim*, aut *publice*, Pandectarum leges praemonstrant (3).

XXXVII. *Privatim* ea fit a iudice competente, seu tribunali; quoties eam ipsam accusatores iure postulaverint, ac impetraverint (4). Iure inquam: nam *si per errorem, seu temeritatem, seu calorem ad accusationem* quis prosiluisse declaraverit, locum tunc abolitio habebit, *quae presentibus partibus caussa cognita non a Principe, sed a competenti iudice postulari debet.* Sin autem dolo deceptus, *vel pecuniis a reo corruptus ad postulandam abolitionem venit, redempta miserationis vox non admittitur*, ex Imperatoris Constantini sententia (5). *Fallaciter* quoque, seu per calumniam accusantibus ius postulandae abolitionis non dari, Imperatores rescripserunt (6). Iique addunt, sincere accusantibus ius istud abolitionis, nec etiam concedi, nisi reus aliquid ex accusatione passus (carcerem puta, verbera, tormenta, catenas) consenserit; sed nil tale passum, intra dies 30, ex quo erit custodiae tra-

(1) Quam edisserit Franc. Marad. *obs. ad singul. 95. num. 3.*

(2) Ex traditis a Capiblanco *pract. quaest. ad Pragm. 5.* de *Baronibus cap. 27. part. 2.*, *Novar. grav. 13. num. 6.*, Philipp. Marad. *sing. 94.*

(3) *Abolitio*, Papinianus ait, *aut* publice *fit. . . . aut* privatim, actore postulante, *l. 8.*, *9.*, *et 10. D. ad Sen. Cons. Turpill.*, *et de abolitionibus criminum.*

(4) Marcianus (in *l. accusatorum 1. §. 8. D. eodem*) *abolitio privatim*, ait, *e Praesidibus postulari, ac impetrari solet. Item pro tribunali, non de plano. Nec praesens hanc cognitionem alteri demandare potest.*

(5) Const. in *l. abolitio 2. C. de abolitionibus.* Ab accusatione vero prosequenda desistentem non impetrata abolitione incidere in poenas Sen. Cons. Turpill., rescripit Antoninus in *l. is demum 1. C. ad S. C. Turpil.*, et praedocuerat Marcianus in *l. accusatorum 1. §. 7. D. eodem tit.*

(6) Valentin., et Valens in *l. fallaciter 3.*, *et ult. C. eodem tit.* Eadem usus distinctione S. Gregorius Magnus Paullo diacono, qui ab Episcopi sui accusatione destiterat, promissione testium deceptus, ignovit, *can. Paulum 6.* C. 2. q. 3: at Euphemium, et Thomam ob desertam Episcopi quoque sui accusationem sacris ordinibus depositos, quos ab accusato deserto acceperant, censuit non absolvere, *can. Eughemium 7. ead. C. et qu.*

ditus, invitum cogi accusatum admittere abolitionem ab accusatore postulatam ; post lapsos vero 30., consensum eius requiri (1). At semel abolitum indulgentia Praesidis , seu proprii iudicis crimen repeti amplius in iudicium nequit sine Principis nutu (2). Igitur *abolitionem privatam* duae simul res perficiunt , licentia omittendae accusationis , et exemptio accusati a crimine (3), quum scilicet suus iudex ipsum innoxium declaret (4).

XXXVIII. Hinc origo repetenda *exculpationum*, quas instar remissionum solent pro reis facere privati solum accusatores , partesque offensae ius accusandi , et querelas deferendi habentes, ministris fiscalibus fere adversantibus. Deficiens ergo in privatis exculpationibus consensus publici accusatoris in caussa est, ut earum vis longe nunc sit antiquis abolendorum criminum postulationibus imbecillior. Nam exculpationes non aliter nostris ex legibus , et moribus , quam remissiones privatarum partium , nec fiscum ad accusationis iudicium deserendum, nec iudicem ad necessariam adigunt abolitionem (5) ; sed adimunt obstacula gratiosis visitationibus, gratiisque Baronum. Siquidem nisi praecipuus consenserit adversarius, abolitio non datur (6). Papinianus aliud addit genus abolitionis *ex lege* , nimirum *accusatore mortuo , vel ex iusta caussa impedito, quominus accusare possit* (7). Sed istam quoque *privatim* facit sola iudicis auctoritas legem exequentis.

XXXIX. *Publicam abolitionem* (h. e. impunitatem criminum admissorum , seu poenae remissionem, indulgentiamve) arbitrio suo reis consuevit Princeps indulgere , seu suprema tantum cuiusque ditionis Potestas, in faustis praesertim publicae laetitiae diebus (8). *Abolitio* pu-

(1) Iidem Impp. *ibidem.* Consonant Antoninus , et Verus in *l. ult. §. 1. D. ad Sen. C. Turpill.* Id autem ab Octaviano Augusto institutum fert Svetonius *in eius vita num. 32.*, aiens: *Ne quod autem maleficium, negotiumve impunitate, vel mora elaberetur, triginta amplius dies , qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accomodavit.*

(2) Diocl., et Maxim. in *l. Praeses Provinciae* II. C. *de abolitionibus. Post abolitionem* , Papinianus, docet, *idem crimen ab eodem in eumdem instaurari non potest, l. mulier 4. §. 1. D. ad Sen. Cons. Turpill.*

(3) *Nec enim videtur desistere*, Ulp. ait, *qui* exemptum *reum non defert:* eximitur *autem reorum abolitione interveniente, l. si interveniente 12. D. ad Sen. Cons. Turp.*

(4) Igitur haud proba videtur ea Cuiacii alternata definitio abolitionis, quod sit *exemptio reorum a crimine*, vel *omittendae accusationis licentia*, Cuiac. in *paratit. D. ad Sen. Cons. Turp.* Nam *qualiscumque accusatio illata, cognoscentis auctoritate, non accusantis voluntate aboleri debet*, ait Marcianus in *l. accusatorum 3. §. 10. D. ad Sen. Cons. Turpill.*

(5) Ex supradictis *hoc tit. num. XXVIII.*

(6) Ex rescripto Impp. Antonini , et Veri a Papirio Iusto laudatorum in *l. ult. §. 1. D. ad Sen. Cons. Turpill.*

(7) Papin. in *l. aut privatim 10. D. eodem.*

(8) Quemadmodum Senatus Romanus vigente republica publicas criminum abolitiones consuevit ex caussa publica facere , Ulpiano teste in *l. si interveniente 11. D. ad Sen. Cons. Turp.* ita cum imperio Principes eam sibi potestatem vindicarunt. Svetonius *in Vitellio* refert , *Vitellium ultro ignominiosis notas , reis sordes, damnatis supplicia dempsisse, et defunctis famam plerumque re-*

blice *fit*, Papianus inquit, *ob diem insignem*, *aut publicam gratulationem*, *vel ob rem*, addit Macer, *prospere gestam* (1), *vel ob laetitiam aliquam*, *vel ob honorem domus divinae*, *vel ex aliqua caussa*, *quam Senatus censuit* idoneam, superadiciit, Ulpianus (2). Eaque modo *generalis* est, modo *specialis*: et rursus vel *amplissima*, vel *limitata*. Cunctis fere reis indulgentiam criminum *generalis* abolitio largitur (3), alicui, vel paucis tantummodo *specialis* (4), omnium quamvis enormium scelerum *amplissima*, aliquot specialim criminum *limitata*.

XL. Tantam exinde vim publicis eiusmodi abolitionibus qua generalibus, qua particularibus esse intelligimus; quantam ipse voluerit Princeps indulgere, seu quantum ipsius Principis edictales litterae, quas nostri *indultum* vocitant, tribuisse videantur. Nam *indulgentia* fere secundum leges *non infamiam criminis tollit*, *sed poenae gratiam facit* (5), nisi maluerit Princeps infamiam quoque abolere, reosque in pristinam dignitatem clementius restituere (6). Imperatores Antoninus, et Verus rescripserunt, nisi evidenter probetur consentire adversarium, abolitionem non dari (7). Arbitrium porro antiquae Romanorum leges ex Hadriani rescripto integrum accusatoribus relinquebant prosequendi post publicam abolitionem intra dies 30. utiles, et non ultra iudicium accusationis, nisi et ii consensissent abolitioni (8).

XLI. Varias indultorum formas a Principibus nostris conceptas exhibent regiae Pragmaticae sub titulo *de abolitionibus criminum*: ubi

stituisse. Diocletianus, et Maximianus *indulgentia nostra*, aiunt, *crimina extinxit*, *l. eum eo tempore 17. C. de generali abolit.* Idipsum comprobatur rubrica *D., et C. de sentent. passis, et restitutis.*

(1) Papin. in *l. 8., et 10.*, Macer in *l. 9*, *D. ad Sen. Cons. Turpill.*

(2) Ulpian. in *l. si interveniente 12. D. eodem.*

(3) Ex Modestino in *l. Lucius Titius 17. D. eodem*, et rubrica *C. de generali abolitione.*

(4) Ulp. in *l. si deportatus 2. D. de sententiam passis*, *et restitutis.*

(5) Valent. Val., et Gratian. in *l. indulgentia 3., et ult. C. de gener. abolit. Generalis indulgentia nostra*, Philippus Imp. inquit, *reditum exulibus, seu deportatis tribuit: non etiam loca militiae pridem adempta concessit, neque integram, atque illibatam existimationem reservavit, l. generalis 7. C. de sent. passis et restitutis.* Quo spectat illud Ovidii: *Poena potest tolli, culpa perennis erit.*

(6) Id recte commonet Gratianus noster *C. 2. qu. 3. in fine.* Indulgentia enim speciali quandoque consuitur nedum vitae, ac saluti, verum etiam famae, et bonis alicuius iam damnati rei, quum Principes eum ad prisĩnam dignitatem, et bona publicata restituit, ex traditis ab Ulp. in *l. si deportatus 2. D. de sententiam passis, et restitutis.* Antoninus Augustus Iuliano Lyciniano dixit: *Restituo te in integrum provinciae tuae*, et adiecit: *ut autem scias*, *quid si in integrum restituere, honoribus, et ordini tuo, et omnibus ceteris te restituo*, *l. cum salutatus C. eod. tit.* Et Constantinus Imp. *indulgentiae restitutio*, ait, *bonorum, ac dignitatis, uno nomine amissorum omnium sit recuperatio*, *l. in quaestione 13. §. 4., et ult. C. eodem*, Enimvero *fas est Principi maculosas notas vitiosae opinionis abstergere*, ait Cassiodorus *lib. 3. ep. 46.*

(7) Papir. Iustus in *l. Imperatores 15., et ult. D. ad Sen. Cons. Turpill.*

(8) Papinian. in *l. aut privatim 10. §. 2. D. ad Sen. Cons. Turpill.*, et Antoninus Imp. in *l. 1. C. de generali abolit.* Consonat, Ulp. in *l. si quis repetere 7.*, *et si interveniente 12. D. ad Sen. Cons. Turp.*

sunt quatuor : haec adnotanda. 1 , multiplices eorumdem caussae (1). 2 , criminum exceptorum species modo plures modo pauciores (2). 3 , indicti reis menses ad sese praesentandum (3). 4, remissio partis offensae vel imperata , vel posthabita (4).

XLII. Rex Carolus pariter in suo ad hoc Regnum adventu faustissimo, depulsis Germanis, generalem criminum abolitionem indulsit die 14. Iulii 1734., praeterquam laesae maiestatis divinae , et humanae , monetae vel falsae , vel detonsae, vel deminutae , parricidii, homicidii , vel tertio admissi , vel cum proditione, aut assassinio , vitii nefandi , grassationis , recaptus , propinati veneni, sacrilegi tam concubitus cum monialibus , et quibuslibet in claustro mulierum commorantibus, quam furti sacrae pyxidis , furti quoque maritimi , homicidii , vel vulneris , vel violentiae in personam regii ministri, falsi testimonii in officio quorumlibet poenam relegationis irrogantium , et falsitatis in detrimentum argentariae mensae publicae , aut a notariis , vel scribis in suo mu-

(1) Philippus II. in primis ob adeptum ex paterna cessione regnum hoc sponte sua indulgentiam reis generalem , amplamque largitus est , Pragm. 1. *de abolitionibus criminum* , a Prorege Card. Seguntino edita die 25. Nov. 1554. Philippum III. quum hereditaria huius , Hispaniaeque regnorum successio, tum nuptiae cum Margarita ab Austria initae impulerunt ad eiusmodi abolitionem criminum , Pragm. 2. *eod. tit.* Ob nativitatem Serenissimi Principis Hispaniae Comes de Castrillo 28. Iunii 1658. Pragm. 17., et 19. *eod. tit.* Ob pacem initam inter Regem Catholicum, et Regem Christianissimum Comes de Pennaranda die 11. Ianuarii 1661., *Pragm. 18., et 20. eod. tit.* Ob pacatum tumultum Philippi IV. Prorex Comes de Ognate et Villae Medianae D. Iohannes de Austria indultum generale regnicolis concessit die 8. Aprilis 1648., *Pragm. 3. eod. tit.*, firmatum ampliatumque iussu Regis in *Pragm. 4. 5., et 6. eod. tit.*, extensumque ad exules praeteritis indulgentiis non usos, *Pragm. 7. 8. 9., et 10. eod. tit.* Ob necessitatem imminentis belli contra Gallos iis omnibus, qui suum militiae nomen darent , Prorex Comes de Castrillo in *Pragm. 10. 11., et 13. eod. tit.* data 17. Novembris 1654. Tum Prorex Marchio Marques die 27. Iunii 1674., *Pragmat. 22. eod. tit.*

(2) Iam dicta Philippi II. indulgentia excepit crimen haeresis, laesae maiestatis , falsae monetae, assassinii, et violentiae, seu offensae contra regios Ministros , et officiales iustitiae , et necis eorum, qui SS. Eucharistiae Sacramentum publice delatum concomitabantur in Oppido Cerasii Vallis Novi, et delictorum cuiusque in suo munere obeundo, *cit. Pragm. 1.* Sed Philippus IV. crimen laesae maiestatis etiam in primo capite abolevit indulgentia generali regnicolis post tumultum pacatum concessa , *Prag. 3., et seqq. eod. tit.*

(3) Sex menses ad remissionem partis offensae exhibendam reis , qui eam antea non obtinuissent , saepe dictus Philippus II. praescripsit *cit. Pragm. 1.* Decem vero annos seditiosis regnicolis ad eandem remissionem exhibendam pro criminibus ante seditionem patratis largitus est D. Ioannes de Austria Regis Plenipotentiarius anno 1648., *Pragm. 6. eod. tit...* Sex dies Neapolitanis , et Casalium exsulibus , aliisque facinorosis ; dies octo iisdem reis Campaniae Felicis , decem dies hominibus Principatus citerioris , et ulterioris , et Basilicatae ; quindecim dies Provinciarium remotiorum indixit Comes de Castrillo Prorex *Pragm. 9., et 10. eod. tit.*

(4) Remissionem partis offensae necessariam gravisuris beneficio generalis abolitionis criminum declarant *Pragm. 1. 2., et 6. etc. de abolit.* Non necessariam fore Prorex idem edixit iis , qui ad militiae inserviendum transirent , *Pragm. 11., et 13. eod. tit.*

nere obeundo admissae, eo tamen pacto, ut rei eo beneficio fruituri sese intra mensem a die publicationis indulti praesentarent in foro suae inquisitionis quum regio, tum baronali, qui remissionem partis offensae iam obtinuissent; intra sex vero menses, qui remissionem futuram procurare deberent iis in casibus, ubi necessaria ea secundum leges foret, salvo Baronibus iure poenas pecuniarias sibi debitas exigendi a subditis suis (1). Sed paullo ante aboleverat etiam crimen laesae maiestatis humanae iis, qui adversas hostium partes derelinquerent (2). Dein ob natam sibi primogenitam Rex ipse alteram indulsit abolitionem generalem cum iisdem fere limitationibus, et conditionibus die 9. sept. 1740., quam die 13. eiusdem mensis ampliavit pro fraudulentis rerum vetitarum extractoribus, vel introductoribus. Aliam eiusmodi ob secundogenitae itidem suae nativitatem, die 13. Febr. 1741. Denique natalitia primogeniti quoque sui exornaturus, militibus primum die 31. Iunii, mox cunctis reis indulgentiam criminum (exceptis tamen iis omnibus, quae asylo ecclesiastico indigna declaravit lex Concordatorum) concessit die 7. Iulii 1747., eaque gavisuros etiam reos fraudati vectigalis in rebus exportandis importandisque declaravit die 31. eiusdem mensis. Tandem regia utriusque Siciliae corona ad Ferdinandum IV. optimae indolis pupillum a Carolo patre augustissimo ad Hispaniarum solium hinc demigrante translata, haec ipsius regna Regentes Novemviri fausta novi Principis primordia concelebrantes publicam criminum abolitionem reis indulsere, praevio catholici Regis indulto uniformem, die 29. Febr. 1760.

XLIII. Exposita publicarum abolitionum varietas postulat, ut legem in regiis litteris scriptam sequi omnino debeant iudices, decreturi singulatim reos *regio indulto gaudere*, qui abolitis criminibus non exceptis obnoxii conditiones eo adiectas impleverint, vel *non gaudere*, qui aliquod exceptorum criminum admiserint, aut conditionalem ex. gr. partis offensae remissionem non obtinuerint, aut sese intra dies, mensesve indictos praesentare coram iudice suo neglexerint. Propterea proprium verborum sensum spectari primum oportet ad conservandam indulgentis Principis voluntatem (3). In rebus vero dubiis quum favores ampliari, odia restringi lex iubeat (4): crimina idcirco excepta stri-

(1) Liquent ex regio edicto indulgentiae Neapoli dato die 14. Iulii 1734., quam extendit ad eos etiam damnatos, vel concordatos, qui e praesidiis, vel duabus trimeribus aufugissent imminente bello, altero edicto die 14. Octobr. eiusdem anni.

(2) Ex rescripto regio Civitae Castellanae dato die 9. Aprilis 1734., quod firmatum est posteriori edicto iam relato.

(3) *Nam quorsum nomina*, Tubero inquit, *nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis?* ex Celso in *l. Labeo ait 7. §. 2. D. de suppellectili legata.* S. Augustinus, *utique verba, inquit, propterea instituta sunt... per quae quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat, can. is autem 4. C. 22. qu. 2.* Proprietatem verborum in iuris quaestionibus praecipue spectandam condocet Quintilianus *lib. 12. Inst. cap. 2.* aiens: *quaestio iuris omnis aut* proprietate verborum, *aut aequi disputatione, aut voluntatis coniectura continetur.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. odia 15. de reg. luris in VI. Beneficium Imperatoris, quod a divina scilicet eius* indulgentia *proficiscitur, quam plenissime in-*

clim accipies (1), cetera indulto abolita notionem habebunt ampliorem. Ex. gr. laesae maiestatis crimen si exceptum inibi fuerit: ad ipsiusmet Principis offensam realem odio poenae restricta significatio nec iniurias verbales, ac meledicta in Principem (2), nec offensas regiis ministris officii caussa illatas complectitur, neque haeresim, qua divina, non humana maiestas laeditur. Secus iudicandum, si crimen istud abolitum indulgentia sit: quum indulgentiae favor vocabulum maiestatis amplificet ad utramque divinam, et humanam simul maiestatem significandam, directamque ipsius laesionem ad indirectam suorum quoque ministrorum.

XLIV. Eodem iure odia restringente solvuntur quaestiones de implendis, an non conditionibus indulgentiae publicae adnexis quum tacitis, tum expressis. Eam inesse abolitionibus publicis conditionem, si pars offensa consenserit, paullo superius iam innui (3): quam solent regia indultorum edicta saepius exprimere. At in utroque casu praevaluit in foro sententia, quod nulla opus habeat remissione partium reus indulto gavisurus, quem earum nemo ante indulti promulgationem accusaverit (4): quidquid aliter sit usu receptum in compositionibus (5). Insuper quod eandem subsecuta ratihabitio, ac praecedens remissio vim

terpretari debemus, ex lavoleni sententia in *l. beneficium 3 D. de constit. Principum. Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt*, inquit Gaius in *l. semper 56. D. de reg. Iur.* Ex Celsi sententia *benignius leges interpretandae sunt, quo voluntas earum conservetur*, *l. benignus 18. D. de legibus.* Nam *nulla Iuris ratio*, Modestinus addit, *aut aequitatis benignitas patitur, ut quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem*, *l. nulla 25. D. eodem.*

(1) Rogens de Rosa *defens. 21. num. 3.*, Foller in *Comm. ad pragm. 1. de abolition.* Rovit. *ibidem.* Hinc inter monetarios exceptos non recensentur qui falsam expendunt monetam a Mastrillo *dec. 27.*, et Novario ad *pragm. de abolitionibus num. 26.* Videsis Catalanum in *tract. de indulto*, crimina eiusmodi excipi consueta fuso calamo edisserentem.

(2) Ex sententia Cravettae *lib. 1. cons. 6.*, Thom. Xav. Caravit. *Inst. crimin. lib. 4. §. 2. cap. 1. num. 1.*

(3) Hoc eodem *tit. num. XL.* Adde Pragmaticam a Prorege Card. de Althana latam die 30. Octobr. 1726., qua ita cautum: *vogliamo perciò, ed ordinamo, che da oggi avanti non si possa per omicidio concedere guidatico o salvocondotto, se non precedente remissione in forma valida della parte offesa, e notizia giuridica del delitto, della causa, delle circostanze, e delle prove che concorrono stabilendosi, e determinandosi certo, e determinato servigio corrispondente al peso del reato, da rendersi personalmente da guidati al Regio Fisco, come dovrà costare con informazione giuridica, da eseguirsi fra certo, e determinato spazio di tempo: quale scorso non si possa prorogare, se non da noi, e dal Regio Collaterale Consiglio.*

(4) Cum Mastrillo *de indulto cap. 14, num. 23.*, Maradaco *pract. obs. lib. 2. obs. 3. num. 5., et 6.*, et aliis Th. Xav. Caravita *loc. cit. cap. 2. num. 9.*, contra Rovit. in *prag. 7. de composit.*, et Caravit. in *Rit. 242. num. 20. Non enim debebat tam magnam rem* offensus *tamdiu reticere*, Ulpianus ait in *l. si qui forte 6. D. de poenis.*

(5) Ex supra iam dictis *hoc tit. num. XXVII., et seq.*

habeat (1) : quamvis reo remissionem habenti concedere indulgentiam Princeps dixerit.

XLV. Quum nullum iura beneficium dent invitis (2) praesertim contumacibus (3), qui in ius vocati aufugiunt, legitimaque iudicum potestate contempta, studeant iudicia eludere: absentes idcirco rei, ex tacita, vel expressa iudicio se sistendi conditione, quae regio indulto inest, obstringuntur semetipsos coram suo iudice praesentare ad postulandum sibi beneficium publicae indulgentiae, ita suam expiaturi contumaciam (4). *Cum indulgentia nostra interveniente sis reversus ad lares tuos, frustra vereris, ne ex adnotatione Presidis, quae iam abolita est, calumniam patiaris*, Demetrio rescripserunt Imperatores (5). Ad Praesidis enim, et cuiusque iudicis officium pertinet notionem habere, an rei apud se adnotati gaudeant indulgentia Principis (6) quum generali, tum speciali, quemadmodum et rescripta Principis utrum refutanda sint, an exequenda (7). Nullum si tempus praefinitum regio indulto sit, facultas illos exequendi perpetuo duratura ex Iure Civili videtur (8) : ad annum ex Iure Canonico (9). Sed stylus invaluit certos

(1) Id quod probat Th. Xav. Caravita *loc. cit. num. 9., et 10.*, reiecta sententia Merlini *contr. 1. cap. 68.*

(2) *Invito beneficium non datur*, ait Paullus in *l. invito 69. D. de reg. iur.* Consonant textus, in *l. un. C. ut nemo invitus agere, vel accusare cogatur.*

(3) S. August. *ep. 137.* de Bonifacio scribens, tradit contumaces clericos fore a communione separandos ex Patrum sententia synodica, inquiens: *In Episcoporum concilio constitutum est nullum clericum, qui nondum convictus sit, suspendi a communione debere, nisi ad caussam examinandam se non praesentaverit.* Consonat Innoc. III. in *cap. veritatis 8. de dolo, et contumacia.*

(4) Ex Modestini sententia in *l. mandatis 5.*, *et ult. D. de requirendis, vel absentibus damnandis*, ibi: *si redierint, et se purgaverint, integram rem suam habeant.* Nam quemadmodum *hoc iure utimur, ne absentes damnentur*, ex Marciano in *l. 1. D. eodem:* ita vicissim et ipsi absentes ne absolvantur. Adde, quod contumacia in caussa criminali famae existimationem laedat, reumque infamia facti afficiat, ex Honorii, et Theodosii textu in *l. in pecuniariis 3. C. de requirendis reis.* Infamiam vero quum simplex abolitio criminum non purget: patet hinc ratio, cur absentes contumaces, nisi iudicem suum supplices audiverint, beneficio indulti nequeant gaudere.

(5) Diocl., et Maxim., in *l. cum indulgentia 10. C. de sent. passis, et restit.*

(6) Iulian. in *l. de qua re 74. D. de iudiciis, de qua re*, ait, *cognoverit iudex, pronunciare quoque cogendus erit.*

(7) Theod., et Valent. in *l. rescripta 7. C. de precib. Imp. offerend. rescripta contra ius elicita*, inquiunt, *ab omnibus iudicibus* refutari *praecipimus, nisi forte sit aliquid, quod non laedat alium, et prosit petenti, vel* crimen *supplicantibus* indulgeat. Consonat Zeno in *l. universa rescripta 7. C. de diversis rescriptis.*

(8) Claudius Imp. in *l. falso 2. C. eod. tit. falso adseveratur*, ait, *auctoritatem rescriptorum devoluto spatio anni obtinere firmitatem suam non oportere; cum ea, quae ad ius rescribuntur, perennia esse debeant: si modo tempus, in quo allegari, vel audiri debent, non sit comprehensum.* At Carolus V. in *Pragm. un. de privilegiis infra annum exhibendis*, data 12. Martii 1513., edixit nullius fore momenti ea privilegia, et rescripta Regis, quae intra annum a die, in quo data sunt, partes Proregi non exhibuissent, ab eoque litteras, ut aiunt executoriales non obtinuissent.

(9) Lucius III. in *cap. si autem aliquis 9. de rescriptis* censuit non esse

indicendi menses, diesve in ipsis indulti litteris ad sese in foro suo praesentandum, si velint gratia Principis frui, ut liquet ex memoratis nostrorum Principum indulgentiis. Tempus vero vel anni, vel mensium eiusmodi non continuum, sed utile erit, ex eo die decursurum, quo libera nimirum fuerit cuique facultas adeundi iudicem suum, et legitima desiverint impedimenta (1). *Ubi lex duorum mensium* fecit *mentionem*, *et qui sexagesimo primo die venerit*, *audiendus est* ex Paulli sententia (2).

XLVI. Haud rara est in regiis criminum abolitionibus conditio transeundi a pagano ad militarem statum, vel a fuga, et desertione ad legionem suam, vel a rebellium, hostiumque partibus ad sui Principis obedientiam. Comes de Castrillo Prorex anno 1654. cunctis inquisitione criminum adnotatis reis, praeterquam laesae maiestatis in primo capite, amplam largitus est indulgentiam, sub conditione serviendi bello tunc vigenti, suumque militiae nomen dandi apud scribam militarium rationum (3). Tum anno 1674. Marchio Marquès extorribus, et proscriptis, et campestribus latronibus, qui sese infra quindecim dies a publicato indulgentiae edicto numerandos Praesidi Provinciae suae praesentarent, sponderentque Regi ad biennium armis inservituros ad sedandas Messanensium turbas, alibique vel intra, vel extra regnum, abolevit crimina omnia, inquisitiones, poenas, contumacias, proscriptiones, etiam sine partium offensarum remissionibus, exceptis tantum reis laesae maiestatis divinae, et humanae in primo, et secundo capite; falsae monetae, vitiique nefandi: eo tamen pacto, ut nonnisi post expletum biennale stipendium eiusmodi gratia fruerentur (4). Rex autem

illum audiendum, qui *dolo*, *vel negligentia uti* apostolicis litteris *postposuerit*. Et Innocentius III. in *cap. plerumque 23. eod. tit. statuimus*, ait, *ut si quis nostras litteras impetrant infra* annum, *postquam copiam iudicum habuerit*, *ex malitia*, *vel negligentia postposuerit*, *uti eis*, *auctoritate posteriorum litterarum valeat convenire*. Concilium Carthaginense V. iamdiu constituerat anni spatium clericis convictis, vel confessis, qui adesse caussae suae vellent, *can. rursus 36. C. XI. qu. 3.* Id etiam firmavit Gelasius in sequenti *can. quicumque 37. eod. C.*, *et qu.*

(1) Ulpianus in *l. 1. D. de diversis temporalibus praescript.* edisserens, quid sit *experiundi potestatem habere*, ait: *in primis exigendum est*, *ut sit facultas agendi. . . Proinde sive apud hostes sit*, *sive reipublicae caussa absit*, *sive in vinculis sit*, *aut tempestate in loco aliquo*, *vel regione detineatur*, *ut neque experiri*, *neque mandare possit*, *experiendi potestatem non habet*. Mox continuo addit caussam infirmitatis, et nefastos dies, in quibus Praetoris copia non est. *In omnibus caussis*, Pomponius inquit, *pro facto accipitur id*, *in quo per alium mora sit quominus fiat*, *l. in omnibus 39. D. de reg. iur.* Praeterea *imputari non debet ei*, *per quem non stat*, *si non faciat*, *quod per eum fuerat faciendum*, ex *cap. imputari 41. eod. tit. in VI.*

(2) Paul. in *l. ubi lex 101. D. de reg. Iur.* Ceteroqui *mora sua cuilibet est nociva*, ex *cap. mora 25. de reg. Iur. in VI.*

(3) Prag. 11. *de abolitionibus criminum.*

(4) Pragm. 22. *eodem tit.* Hinc sese obligant obire militiam *sub poena mortis*, *et cum pacto non discedendi*, *nisi completo tempore*, *neque accedendi ad loca partium offensarum: alias illuc si accesserint*, *vel quovis modo deliquerint*, *foriudicatio in suo robore manet* iuxta formulam traditam a Maradaeo *obs. 181.*

Carolus die 30. Iunii 1747. militiae suae desertoribus, quum captis, tum absentibus indulsit poenas non modo criminum communium, non secus, quam eas aboleverat, subditis non militaribus ob natum sibi primogenitum, sed etiam desertionis pluries iteratae: dummodo absentes extra regnum quatuor intra menses ad propriam, vel aliam quamlibet legionem redirent.

XLVII. Obtruncantibus capita proscriptorum solet speciatim conditionalis abolitio criminum indulgeri. Saepedictus Comes de Castrillo die 10. Decembris 1654., et impunitatem suorum facinorum, et pecuniae mercedem spopondit iis, qui aliquem ex undecim rebellibus, Gallorum hostium partes contra suum Hispaniae Regem sectantibus, aut vivum, aut mortuum Regiae Curiae praesentarent: quique nullo crimine affecti id conficerent, suo possent arbitrio alium criminosum eiusmodi ampla indulgentia gavisurum nominare, sibique promissam pecuniam accipere (1). Mox an. 1657. eamdem indixit impunitatem sine alia mercede quibuslibet (qui laesae maiestatis rei non essent) intra mensem occisos, vel captos tradituris duos sacrilegos insignes (2).

XLVIII. Proscripti nonnumquam ipsi, ceterique poenis capitalibus obnoxii ab Rege postulant, impetrantque ad proscriptos alios interficiendos commeatum (3), fidemque publicam, seu securitatem: nostri *guidaticum*, alii *salvum conductum*, invitis latinis, appellant (4): hoc pacto ut, si Curiae intra tot dies, vel menses, abtruncatum illius extorris caput dederint, exemptionem ii a supplicio, et impunitatem omnimodam consequantur.

XLIX. Multa quidem sunt Pragmaticis nostris iam sancita, quae abusivam in eiusmodi commeatibus impetrandis libertatem iusto ampliorem coercent. In primis a Ferdinando Rege Catholico impetratum, *guidatica ipsa* non suffragatura iis, qui regiis vassallis (eos Rex *fideles* suos nuncupat aliquod *terrae*, *seu mari damnum in persona*, *aut rebus intulerint*, *seu alio quovis modo eos offenderint*, *vel ex contractu*

(1) Pragm. 12. *eodem tit.*

(2) Pragm. 14., *et* 15. *eodem tit.*

(3) *Nemo potest commeatum*, *remeatumve dare exuli*, *nisi Imperator ex aliqua caussa*, Marcianus ait in *l. relegati 4. D. de poenis.* Ex *provincia autem in provinciam*, addit Modestinus, *transduci damnatos sine permissu Principis non licere*, *l. ad bestias damnatos 31. D. eodem tit.* Iure hinc municipali recte constitutum, ut Prorex, et Collaterale olim Consilium possent extoribus, et relegatis *guidatica* indulgere, *Pragm. 12. § 9 de officialibus, et quae iis prohibeantur*; Regens vero, et Iudices M. C. V. Regiaeque Audientiae nonnisi praevio Proregis permissu, ex *Pragm 2. de guidaticis.* At vero Pragm. *3. eod. tit.* Regiis Audientiis, et Commissario Campaniae huiusmodi facultatem intra suos cuiusque Provinciae fines mandavit ex traditis a Maradaeo *sing.* 182. Itaque maiorem hac in re Regiae Audientiae, quam M. C. Vicariae potestatem habent, firmatum tacite iam dicta Pragm. Card. de Althann. 30. Oct. 1726, illis verbis: *proibiamo espressamente a tutti coloro, a' quali o per disposizione delle Regie Prammatiche, o per speciali nostri biglietti sta accordata la facoltà di concedere simili guidatici, o salvocondotti, di non potersene altrimente servire, che ne' termini sopradetti.*

(4) Pragm. 1. *et seqq. de guidaticis.*

seu alia caussa eis fuerint obligati (1) : scilicet, durante commeatu, delinquentibus, vel contrahentibus (2). Regias autem gratias abolitionum, nisi fuerint per Regiam Cancellariam expeditae in forma, solutis ad quos pertinent, iuribus, nec non sigillo, et manu taxatoris obsignatae, munitaeque, nemini suffragaturas, nulliusque fore momenti. Rex idem Ferdinandus primum (3), dein Prorex Albenfium Dux constituerunt (4).

L. 2. Prorex Petrus Giron vetuit, ne sine ipsius licentia, et voto Collateralis Consilii Regentes, ac Iudices M. C. V. amplius darent securitatem, et guidaticum reis in ipsa M. C., aliove quolibet tribunale regio inquisitis (5).

LI. 3. Lemosensium Comes edixit solam dari securitatem guidatico, ne intra tempus condictum guidati mancipentur vinculis, et carceribus : at iudicium capitale in eos, tamquam contumaces non suspendi, adeo ut debeant M. C. V., Regiae Audientiae, et alia quaevis tribunalia procedere ad ulteriora, contumacias incusare, tum citatos ad informandum, et capitula rite proscribere (6). 4. Idem praeterea Prorex constituit guidaticum fore ante sex menses a die patrati criminis concedendum nemini (7). 5. Nullum insuper guidaticum elapso termino prorogandum, nisi aliis prioribus palam expressis (8). 5. Regiis Audientiis, earumque Praesidibus non esse ius indulgendi guidatica ultra fines provinciae suae, neque Commissario Campaniae in urbe Neapolis, huiusque Suburbiis, et Casalibus (9). 7. quemadmodum nec etiam exteris, nisi

(1) Ferdin. in Pragm. 1. *de guidaticis,* edita die 27. Ian. 1484.

(2) Ex traditis a Ph. Maradaeo *singul.* 181. post Afflict. in *const. poenam eorum num. 62.* Reg. Rovit. in *eamdem pragm. 1.* Sanfelic. *dec. 49. num. 6.*, de Franchis *dec.* 258., ceteri.

(3) Pragm. 1. *de fide, et auct. memorial., seu libellor.* data die 31. Aug. 1509., cui consonat Pragm. 2. *eod tit.* a Philiberto de Charlon Prorege edita 15. Martii 1529.

(4) Prag. 8., *et ult. eod. tit.* die 30. Iunii 1623. Dein Prorex Mirandae Comes addit eiusmodi libellos gratiarum non esse in Regia Cancelleria, recipiendos, nisi eos antea manu sua obsignaverit, diemque expeditionis adiecerit Secretarius Regni, vel aliquis Scribarum a mandatis, seu libellis, Pragm. 6. *eod. tit.* die 9. Febr. 1594.

(5) Pragm. 2. *de guidaticis*, die 10. Iun. 1583. Philippus IV. itidem iussit, ut nullae a Proregibus gratiae concederentur, nisi audita prius Collateralis Consilii sententia, Pragm. 7. *de fide, et auctorit. memoralium, seu libellorum*, data die 29. Aug. 1620.

(6) Pragm. 3. *eodem. tit.*, die 21. Martii 1612. Licet hinc intelligere., cur exceptio guidatici nec contumacias, neque foriudicationem impediat, sed ipsum guidaticum sententia foriudicationis extinguatur, ex Pragm. 10. §. 68. *de off. iud.* Phil. Maradaeus *sing.* 183., ibique Franc. Maradaeus *annot., et obs.* 183. Secus autem servatur, quoties *ad discussionem indulti* obiicitur eadem exceptio guidatici, puta post impletam a guidato condictionem obtruncato proscripti capite, aliamve conditionalem operam Regiae Curiae reapse praestitam, Franc. Marad. *loc. cit.* Tunc porro quaesitum ius habet guidatus fruendi beneficio indulgentiae, nisi ea sese aliunde indignum reddiderit.

(7., 8. 9.) Pragm. 10. § 64. ad 72. *de officio iudicum, et alior, official.* die 31. Maii 1616.

ante obtenta Proregis licentia: excepto Preside Provinciarum Aprutii, qui poterit. Audientia consulta, advenis publicam securitatem indulgere, eam, si iusta caussa postulaverit, certiorem illico Proregem ea de re facturus (1).

LII. 8. Dein Alcalensium Dux mandata Quaestoris Campani rerum criminalium, seu Commissarii Campaniae scribens praecepit, ne guidatica ipse, nisi ad 15., vel 20. dies semel, et iterum indulgeret: tertium vero ea iis tantum, qui suam in famulatu Regiae Curiae operam commodassent, prorogaret cum onere implendi oblatam conditionem sine spe ulterioris prorogationis, nisi novam isti prorogationem revera promeruerint famularibus operis quum Proregi, tum Regenti Campaniae Praefecto nunciandis (2). 9. Ut proscriptorum ductoribus, eorumque asseclis, et collegis non commeatum daret, sed promissionem procurandae regiae indulgentiae, postquam ii capita exulum obtruncata detulerint (3) 10. Ut nullam quoque securitatem personis insignibus, vulgo *qualificatis*, impertiret; iisve, qui crimina in urbe Neapolis patrassent, nisi conscio Prorege (4). 11. Ut nonnisi actu servientibus Curiae, operamque insignem praebere studiosis licentiam defereudi arma non ultra mensem concederet (5). 12. Tandem ad vitandas fraudes, ut in codicem signaret singula guidatica, et licentias armorum, explicaretque dies, personas, loca originis, aut domicilii, oblatas Curiae operas, crimina abolenda, condictumque tempus valiturae securitatis, eiusque initium, alias nullius ea momenti forent: nullamque fidem publicam ad discussionem indulti concederet, nisi conscio Campaniae Praefecto, et mandante Prorege (6).

LIII. 13. Ad haec additum extravagantibus regni sanctionibus, ut fidem quamque publicam, quae proscriptis facinorosis detur, praecedat privati accusatoris, seu offensae partis conquerentis remissio; et qui eam impetraverit, non aliena manu, sed sua ipsius, quam promiserit conditionalem operam famulatus, puta capitis alicuius obtruncationem perficiat (7).

LIV. Ex Iure communi superaddes interdictum relegatis, et exulibus ad urbem regni principem accedere (8), aut ubi Rex adest (9), aut ad locum delicti, suamque ipsorum patriam (10).

(1) Pragm. 10. §. 64. ad 72. *de officio iudicum, et aliter, official.* die 31. Maii 1616.

(2, 3) Pragm. 1. *de officio iudicis generalis contra delinquentes num.* 6., *et 7.* edita die 21. Aug. 1630.

(4, 5, 6,) *Cit.* Pragm. 1. *de officio iudicis generalis contra delinquentes a num. 8. ad 10.*

(7) Ex duabus Pragmaticis, editis die 30. Octobris 1726, et 8. Ianuarii 1727., *de homicidiis vetitis transact.*

(8) Ulpianus in *l. relegatorum 7. §. 15. D. de interdictis, et relegatis, et deportatis*, constitutum fert, *eum, cui patria interdictum est, etiam* urbe *abstinere debere.* Nam *Roma communis nostra patria est*, ait Modestinus in *l. Roma 33. D. ad municipalem, et de incolis.* Eiusmodi constitutum Claudio Imp. attribuit Svetonius *in Claudio cap. 23.*

(9) *Ignominia autem missis*, Ulpianus ait, *neque in urbe, neque alibi, ubi Imperator est, morari licet, l. quod ait Praetor 2. §. 4. D. de his qui not. inf.*

(10) Antoninus Imp. in *l. milites 3. C. de re militari*, rescripsit milites cum

LV. Quaelibet harum conditionum deficiens vim habet irritandi fidem publicam, nisi eas regia dispensatio expressim deleverit. Hinc repetendae fori quaestiones, iure ne, an iniuria sit huic, vel illi adempta securitas commeatus, et utrum servanda ei sit fides publica? Ad istas vero controversias definiendas usuveniunt pro variis caussarum adiunctis diversae decretorum formae. Scilicet pro reo, qui ex nuda indulti promissione cum *alberano*, ut aiunt nostri, vel ex illegitima securitate, promissum exulis caput recisum, aut vivum exulem Curiae iam exhibuerit, dicitur, *quod fiat relatio S. R. Maiestati pro indulti expeditione, et interim reus manuteneatur in guidatico libero, et absque clausulis, et sine tempore pro delictis in confessione contentis, et expediatur salvaguardia in forma* (1). Tum annuente Rege pronunciatur, quod *is pro criminibus non exceptis, atque in relatione expressis gaudeat indulto*. Si captus quis fuerit per iniuriam pendente commeatu, decernitur *guidatum illum esse reponendum in pristinam libertatem, et esse excarcerandum, et non molestandum per dies octo numerandos a die excarcerationis, intra quos in tuto se ponere possit*. Et versa vice, si iure sit captus in loco, ex. gr. vetito, vel ob spretas commeatus conditiones, idque satis constiterit ex valida informatione, seu depositionibus testium in faciem ipsius rei iuratorum: *quod procedatur in omnibus criminibus contra guidatum ipsum ex inobservantia conditionum in guidatico appositarum*. Aut si novum pendente commeatu crimen admiserit, atque in defensionum termino indicia non eliserit, *quod exceptione guidatici non obstante procedatur ad ea, quae incumbunt in omnibus criminibus tam ante, quam post guidaticum commissis*. Vel si de proscripto agatur, tunc decernitur *esse procedendum ad ea, quae incumbunt circa executionem sententiae foriudicationis* (2).

LVI. Alia nobis quoque suppetit species purae criminum indulgentiae nullam penitus ferentis conditionem. Sane religiosam christiani Principis clementiam exercens feriis paschalibus Rex noster (3) solet ex prisco more quotannis decem captivos, non capitalium plerumque criminum reos e carceribus M. C. Vicariae in plenam libertatem dimittere, ab eadem M. C. audito pauperum Advocato praesignatos, eisque puram putam abolitionis gratiam sine ulla conditione, modove largitur rescripto, quod ipsemet Rex ad Crucifixi Domini pedes venerabundus sistit mane feria sexta hebdomadae maioris: istudque mox a Capellano Maiore acceptum lictor extemplo ad M. C. Regentem defert.

LVII. Generalem insuper abolitionem criminum aliquot leviorum consueverant Proreges indicere, dum visitarent per sese captivos M. C.

ignominia missos, infamiaque notatos, *morandi ubi velint potestatem* habere, *praeterquam in eis locis, in quibus specialiter arguentur*.

(1) Apud Xav. Caravita *Inst. crim. lib. 4. §. 3. cap. 4. num. 13.*

(2) Apud Fr. Maradaeum *observ.* 182. Videsis Reg. de Rosa *lib. 1. prax. crim. cap. 10. num. 45., et seq.*

(3) Confer hoc dicta superius *hoc tit. §. 1. num. XII. Specialis* quidem, non generalis indulgentia Principis isthaec est, quum per adnotationem suam sive rescriptum speciale concedat poenae abolitionem, ex *l. rescripta 7. in fine C. de precibus Imp. offeren., et l. 1. §. 2. D. de const. Princip.*

V. (1), quae processu temporum exolevit: sed usu viget visitatio quinqueviris Regalis Camerae S. Clarae mandata, per singulas hebdomadas, et prope ferias quum paschales, tum Nativitatis Domini, iam supra expositas (2). Nunc ex diverticulis exceptionum, quae cursum criminalis iudicii morantur, in viam redire commodum est.

TIT. VIII.

De confirmanda informatione.

I. Nulla si obstiterit exceptio post reorum examen, fit litis contestatio, et insimul datur defensionum terminus.

II. Hic autem currere, nonnisi post confirmatam rite informationem fiscalem incipit.

III. Testes porro fiscales reo non citato antea examinati, nisi repetantur eo citato ad videndum illos iurare, nil probant: cui singulorum nomina idcirco sunt indicanda.

IV. Quidquid aliter in caussis Fidei constitutum Iure Canonico sit, hoc in Regno reis etiam haeresis oportet nunc indicari nomina testium adversorum in calce citationis ad videndum iuramenta eorum.

V. Traditur forma tam citationis testium repetendorum, reique ad videndum eos iurare, quam protestationis rei citati.

VI. In foro ecclesiastico praeterea reus citatur ad accipiendum capita suae inquisitionis, et exhibendum interrogatoria sua testibus repetendis.

VII. Forma interrogationum pro reo exhibetur.

VIII. Propositis a reo interrogationibus omnino debent singuli testes respondere, antequam suas repetant depositiones.

IX. In foro laico exoleverunt interrogationes eiusmodi ad eruendam veritatem non parum proficuae.

X. Repetendi testes in utroque foro, postquam iuraverint coram reo, vel substituto ipsius, interrogantur, semotis partibus, et examinantur singulatim. Romana solum Curia interpretem cuiusque partium in eorum examine admittit.

XI. Formà repetendi testes proponitur.

XII. Varius in repetitione testis torquendus leviter est, ut in tortura declaret, quaenam ex duabus adversis depositionibus vera sit.

XIII. Fas tamen testibus est omissa rerum adiuncta supplere, vel sua obscura, aut ambigua dicta declarare.

XIV. Repetitio testium fiscalium omittitur, quoties reo placuerit eos

(1) Exempla eiusmodi abolitionum habet primum volumen Pragmaticarum, a Blasio Altimaro collectarum. Unde liquet primam earum a Prorege Marchione de Astorga concessam die 5. Ian. 1675. Pragm. 23. *de abolit. crimin.* Alteram a Marchione de los Velez die 5. Ian. 1677., Pragm. 24. *eod. tit.* Tertiam ab eodem Prorege die 30. Decembris 1679., Pragm. 25., *et ult. eod. tit.*

(2) Hoc eodem *tit.* §. 1. *num. XXII, et XIII.*

habere pro legitime repetitis , praeter mortuos, et absentes , et citra praeiudicium repulsae in utroque foro.

XV. Et salvo etiam iure repetendi post publicationem expensis, rei in foro ecclesiastico.

XVI. Mortui ante repetitionem testes fiscales nil videntur contra reum probare.

XVII. At reo etiam confesso licebit repetitionem testium postulare.

§. I. De collatione testium cum reo.

XVIII. Semel coram reo iurati in foro laico testes non repetuntur amplius.

XIX. In sacro foro testes eiusmodi, si reus postulaverit, denuo examinantur, praeviis ipsius interrogationibus.

XX. Nisi coram ipso reo nedum iuraverint , sed sua etiam testimonia dixerint.

XXI. Ad ignotum accusati nomen , et cognomen , et personam eliquandum in primo examine testes oportet, ut coram eo inter consimiles homines composito iurent , et deponant.

XXII. Pariter ad negantem criminis socium convincendum confessus socius coram eo iterum deponat sub levi tortura.

§. II. De flagrante ac notorio crimine.

XXIII. Si captus in flagranti crimine sit reus , coram ipso iurati semel testes examinantur , nullam repetitionem in utroque foro subituri.

XXIV. Eius nihilominus tam confessi , quam negantis defensiones audiendae rite sunt , et ex officio etiam investigandae.

XXV. In flagranti clam quoque deprehensus potest idoneis testibus convinci.

XXVI. Notorii criminis reus in loco publico , et coram populo admissi celeriter forma extraordinaria damnatur ad poenam ordinariam , nisi aliqua ei excusatio probabilis faveat.

XXVII. Pariter si quis coram iudice in ipso iudicii loco patraverit crimen praesertim iniuriarum.

XXVIII. Coram populo admissum crimen putatur, si praesentes adfuerint decem , aut quindecim homines.

XXIX. Istud facti *notorium distinguitur a notorio* Iuris, *quod oritur ex confessione iuridica , vel re iudicata , vel praesumptione iuris , et de iure urgentissima.*

XXX Notorium saepe manifestum , aut publicum appellant promiscua , et lata vocabulorum notione.

XXXI. Gratianus tria manifestorum genera distinguens docet necessariam omnino esse probationem iuridicam criminis , quod sit iudici dumtaxat notum.

XXXII. Et quod aliis notum , et non iudici erit. In crimine autem iudici simul , et aliis noto secus.

I. Rite post examen rei contestata vel confestim, (nisi obstiterit confugii, vel clericatus, vel alia exceptio legitima) vel post discussas, riteque sublatas huiusmodi exceptiones, impertitur *terminus dierum* fere *quatuor* plus, minusve arbitrio iudicis, vel quandoque *horarum tot* brevissimus *reo ad sese defendendum*, *Fisco*, *et parti offensae ad impinguandum*. Isthaec forma decreti fere usurpatur, quum reus in carcere permaneat. Eo autem extra carceres degente, pro diversis causae meritis decernitur, quod ei *dentur defensiones*, vel *extra cum eodem mandato* per palatium, per civitatem, aut domi, vel *sub eadem cautione*, seu *fideiussione* de se repraesentando ad omnem ordinem *cum termino dierum tot*, *in quo termino pars etiam offensa*, *et fiscus impinguare valeant* (1).

II. At currere non incipit datus defensionum terminus, nec suas illico reus exceptiones proferre valet, nisi testimonia informationis fiscalis antea rite confirmentur, vel solemni testium repetitione, vel spontanea repetitionis renunciatione, vel iuratis in faciem rei testibus fiscalibus.

III. Quoniam testes ad Curiae informationem, reo minime citato, accepti non probant ad poenam inferendam utroque Iure Civili (2), et canonico (3), eorumque testimonia, quamvis concordia vim non habent adigendi reum neque ad damnationem, neque ad torturam: ii propterea sunt denuo audiendi, repetendique citato, antea reo, ad videndum

(1) Ex traditis a Reg. de Rosa in *prax. crim. cap. 6. num. 10.* Num intra, vel extra carceres audiendus reus sit suis in defensionibus: aequus, et bonus Iudex arbitrabitur ex qualitate criminis, et indiciorium plus, minusve urgentium, secundum ea quae sunt superius exposita *tit. II. de citat. et custodia reor: num. III.*, *et sequ.* Quo enim iure decernit inquisitum vel citari, et capi, vel simpliciter citari; eo etiam definiet quaestionem defensionum intra, vel extra carceres agendarum.

(2) Iustinianus Imp. *Nov. 90. cap. 9.*, *ut non in posterum*, ait, *opponantur eis, quae ab una parte gesta sunt: oportet etiam illum in ea civitate constitutum, in qua testationes dantur, admonitum a iudice, sive a defensore, praesentem esse, et audire attestationes. Si vero noluerit advenire, sed respuerit, ut ex hoc ab una parte testimonia dentur . . . sancimus huiusmodi attestationes ita tenere, ac si... eo presente factae sint.* Hinc sumpta est auth. *sed et si quis C. de testib.* Id ipsum Iuliano rescripsit Imperator in *l. si quando 19. C. de testibus.*

(3) S. Greg. M. Ioannem Hispaniar. defensorem instruens in *cap. in nomine Domini 2. de testibus*, ut servet Imp. Novellam commonet, eiusque verba exscribens, inquit: *Ne postea obiiciatur eis, quod per unam partem gesta, et confecta sunt, oportet, ut testimonia dentur, reo admonito per iudicem, aut defensorem venire, et audire testes, si vero noluerit venire, et non ex inevitabili quadam necessitate venire non possit, testimonia ita valere, tanquam si non ex una parte consisterent, sed etiam ipso praesente facta fuissent.* Idemque Pontifex ad eumdem defensorem rescripsit de Stephano Episcopo, qui se iniuste, spretoque iustitiae ordine damnatum conquerebatur, quaerendum sedulo inter alia fore, si *reo praesente*, *qui accusatus est*, *iureiurando contra eum testimonium dictum est*, *can. in primis 7. §. deinde C. 2. qu. 1.* Multis praeterea canonibus ostendit Gratianus noster *C. 3. qu. 9.* in absentem nec accusatores, nec testes iure posse accusationis, vel testificationis vocem exhibere.

ipsorum iuramenta (1), cui debent insimul indicari singula eorumdem testium nomina, et cognomina (2).

IV. In caussis vero fidei quoties alicuius mali periculum grave denunciatoribus, ac testibus timeatur ex potentia personarum, in quas inquiritur, non publicanda tunc fore nomina eorum, iussit Bonifacius VIII. (3): at cessante periculo eiusmodi, ea ipsa nomina perinde in fidei, atque in aliis iudiciis publicari debere, commonens inquisitores haereticae pravitatis, ne ad accusatorum, testiumque nomina supprimenda, ubi est securitas, periculum adesse effutiant; neque vicissim in utrorumque discrimen asserant securitatem, ubi periculum imminet. Exin consueverunt inquisitores S. Officii omittere citationes reorum ad videnda testium repetendorum iuramenta, eisque horum nomina prorsus reticere (4). Hoc autem in Regno, quum vetitum sit regio rescripto, regiisque litteris encyclicis a via ordinaria criminalium iudiciorum declinare in caussis haeresis, et sanctae fidei: Bonifacii distinctione posthabita, nunc etiam inquisites, suspectosque de fide citare quidem oportet ad videndum testium iuramenta, eorumque repetitionem, quorum idcirco nomina, et cognomina, sunt ad calcem citationis describenda sigillatim.

V. Itaque ut repetitio testium rite fiat, in primis expeditur de mandato Curiae ad postulationem Fisci Promotoris, et partis offensae citatio testium peremptoria, quatenus ii *prima die iuridica in eo loco iudicii personaliter compareant, veritatis testimonium dicturi, ac repetituri in caussa vertente inter Fiscum ipsum, illumque inquisitum.* Mox continuo in iisdem citationis litteris *requiritur* inquisitus *ad videndum iurare, ac repeti eosdem testes*, inferius ibidem nominandos, et cognominandos sigillatim. Reus autem solet citationi eiusmodi reponere, quod *substituit procuratorem suum*, vel aliam quamlibet perso-

(1) Ex communi doctorum sententia, Iul. Clarus *qu. 11.*, Regens Merlinus *cap.* 42. Repetitionem istiusmodi odisse leges Romanae videntur. Nam Venuleius in *l. produci 23. de testibus* agens de iudiciis publicis ait: *produci testis non potest, qui ante in eum reum testimonium dixit.* Sed in hac lege interpretanda dissident Duarenus *disp. 29.*, et Cuiacius *2. observ. n. 3.*

(2) Innoc. III. in Conc. generali *cap. qualiter, et quando 24. §. debet de accusationibus* ita constituit: *debet igitur esse praesens is, contra quem facienda est inquisitio: et exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum, et non solum dicta, sed nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, et a quo sit dictum, appareat, publicanda: necnon exceptiones, et replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionum vero exclusionem deponendi falsum audacia praebeatur.* Consonat Ritus M. C. sub. tit. *de testibus*, ibi: *testibus specifice nominatis.* Quidquid vero sit Romano iure, lex municipalis nostra, et consuetudo utriusque fori iamdiu invexit stylum nominandi testes apud acta processus publica, priusquam examinentur, ex *cit.* Ritu, et Caroli V. Pragm. *quando solent 3. de testium refraenatione.*

(3) Bonif. VII. in *cap. statuta fin. §. iubemus de haeretic. in VI.* Idipsum in causis laesae maiestatis humanae ante iusserat Fridericus Imp. in huius regni *constit. hi, qui per inquisitiones 2. de inquisition. faciendis.*

(4) Ex traditis a M. A. Genuense in *prax. Cur. Archiepisc. Neapolitana cap. 84. num. 2.*

nam *ad videndum iurare testes sibi adversos*, praesertim si extra Curiam, seu locum iudicii examinandi sint: additque *protestationem contra eorum dicta, et dicenda, sibi repulsam reservando*, et simul postulando, *ne admittantur quum adfines, consanguinei, amici, familiares partis offensae, tum inimici sui, aliique de iure prohibiti.* Praeterea in foro ecclesiastico solet hac ipsa responsione petere *capita suae inquisitionis ad finem formandi interrogatoria: alias protestatur de nullitate actorum.*

VI. Animadvertendum e re nata heic est praxim fori ecclesiastici ab ea fori laici aliquantisper in repetione testium discrepare. In foro enim ecclesiastico reus nedum citatur *ad videndum repeti, et iurare testes fiscales*, verum etiam requiritur (quoties id in modo dicta replicatione postulaverit) *ad accipiendum capita suae inquisitionis* (1) *intra tot dies peremptorios, et exhibendum interrogatoria sua.* Hinc praetermissa in litteris citatoriis ista requisitione, reus ad videndum iuramenta testium citatus instabit, si volet, quod *testes adversi nequaquam repetant sua informationis testimonia, nisi examinati antea fuerint super interrogatoriis ab ipso reo producendis, alias protestatur de nullitate.* In Curiis enim ecclesiasticis adhuc usu veniunt interrogationes testium in caussis tam civilibus, quam criminalibus (2), quae ab alterutra partium collitigantium dantur partis adversae testibus rite examinandis. Cuiusmodi stylum comprobant etiam priscae Romanorum leges (3).

VII. Forma interrogationum in hunc fere modum concipitur. *Interrogantia infrascripta exhibet, ac producit N. in caussa inquisitionis, quam passive habet in ea Curia cum eo accusatore, et Fisco, petens adversos testes diligenter super iisdem examinari, antequam suas ipsimet repetant depositiones, vel interrogentur denuo super capitibus iam dictae inquisitionis: alias protestatur de nullitate exa-*

(1) Capitula inquisitionis vel desumuntur ex ipsius rei constituto, seu examine, cuius integrum exemplum solet vice capitulorum tradi reo: vel exarantur in peculiari folio facta singula, quae ad probationem criminis in specie conferunt, exhibituro, iuxta formulam traditam a Pellegrino *par. 4. prax. crim. sect. 10. num. 84.*

(2) Ex decretali Greg. IX. in *cap. praesentium 2. de testibus in VI.* Interrogationum, quae scite fiant, utilitatem maximam, et vim eruendi ab invitis veritatem, praemonstravit Daniel, qui suscepto innocentis Susannae patrocinio, ad examen iterum duos testes in Susannam iuratos vocavit, eosque separatim singulos coram iudicibus interrogans, de loci, ac temporis adiunctis, quum contraria ipsi respondissent, de falso testimonio aperte convicit: id quod ex Danielis *cap. 13.*, observat Gratianus post *can. nos si incompetenter 41. §. item Daniel C. 2. quaest. 7.* Aptis quoque interrogationibus defensor S. Athanasii Alexandrini detexit calumniam subornatae mulierculae eum de violento stupro accusantis in conciliabulo Tyrio anno 335. Timotheus enim presbyter una cum Athanasio concilii locum ingressus, et se se Athanasium prudenter simulans: *ego ne mulier*, ad eam conversus inquit, *apud te sum diversatus? ego te violavi?* Cui ea impudentissime: *tu mihi*, respondit, *vim attulisti:* idque iure iurando asseverans sic turpitudinem suam, ut innocentiam Athanasii patefecit.

(3) Ulp. in *l. si postulaverit 27. §. quaestioni 7. D. ad leg. Iul. de adulteriis coercendis*, ait: *quaestioni interesse iubentur reus, reave, et patroni eorum, et qui crimen detulerit*, interrogandique *facultas datur patronis.*

minis, ac repetitionis , non solum isto, sed omni alio meliori modo. In primis interrogetur quisque testium sigillatim , num suo is aere, an alieno stipendio vivat? an sanguine coniunctus parti ex adverso ? Tum ceterae interrogationes generales pro libito scribentis proponuntur iisdem ferme verbis , quae solent in caussis etiam civilibus usurpari , iam traditis superiori libro (1). Mox ad individuam caussae speciem progrediens hasce interrogationes addet , easque adiunctis rerum sataget sagaciter accomodare , *ex. gr. interrogetur an sciat , ubinam eo die , et hora illius mensis , et anni inquisitus moram fecerit , cum quibus , et quamdiu ? Quo in loco speciatim eum ipse testis viderit delinquere , illudve crimen patrare? Celebris ne is locus ex frequentia hominum esset , an desertus , ac solitarius? publicus ne , an privatus ? inquisitum ne solum , an cum aliis tunc sociatum conspexerit gladium stringere in eum hominem? quanam hora diei, vel noctis, et quo mense , et anno ? nox illa tenebrosa , nec ne fuerit ? Quantum temporis spatium consumpserit ille ad crimen illud perficiendum ? et quamdiu is testis praesens inibi ad spectandum sit commoratus ? quanam occasione is eo in loco , eoque tempore adfuerit casu ne , an consulto ? Utrum solus ipse , vel una cum aliis contestibus inibi interfuit ? et quinam isti alii sint contestes ? quibus vestibus tunc indutum eum adspexerit , et quibus armis praecinctum ? A quibus nominatim personis , ubi , coram quibus audiverit famam criminis illius eo die ab illo admissi?* Posthaec super omnibus, et singulis capitibus inquisitionis alias id genus interrogationes ita eruat prudens caussae patronus ex adiunctis loci , temporis, contestium , et caussae , scientiae (2) , ut futuram inde praevideat , et haud temere speret varietatem ac dissonantiam testium , quae iis fidem adimet , probationem fiscalem enervet, reumque relevet ab onere probandi capita suae defensionis , repulsamque testium adversorum (3). Clausula tandem hac eas concludet : *Cetera suppleat diligentia examinatoris.*

VIII. Singulos hic repetendos testes in Curiis ecclesiasticis debet examinator sedulo percontari, propositas interrogationes ordinatim exequens,

(1) *Lib. III. harum Instit. tit. XV. de ordinario processu civili num. XXIX.* Has autem generales interrogationes tradidisse Callistratus videtur in *l. testium 3. D. de testibus* , initio aiens: *testium fides diligenter examinanda est: ideoque in persona eorum exploranda erunt in primis conditio cuiusque ; utrum quis decurio, an plebeius sit, et an honestae inculpatae vitae, an vero notatus quis et reprehensibilis, an locuples, vel egens sit, ut lucri caussa quid facile admittat, vel an inimicus ei sit, adversus quem testimonium fert; vel amicus ei sit , pro quo testimonium dat : nam si careat suspicione testimonium . . . . admittendus est.* Consonat Iustiniani *Nov. 90. cap. 1., 7., et 8.*

(2) Haec signa ad veritatem eruendam ex *loco, tempore, spatio , occasione, spe perficiendi , et celandi* , exponit Cicero *lib.* 2. ad Herennium *num. 7.*

(3) Defensoris ingenium haud parum elucet quum in concipiendis apte interrogationibus , tum in refellendis , redarguendisque partis adversae testimoniis ex eorum discrepantia , et inverisimilitudine. Hoc in genere praestat M. Tullii *Oratio 33. in Vatinium* , in qua totus est oratorum princeps, ut ostendat nullam penitus fidem adhibendam Vatinio, ut impurissimo, corruptoque testi adversus P. Sextium Tribunum plebis de vi accusatum.

*

priusquam suas ii depositiones repetant, ratasque habeant. Si quas enim ex interrogationibus iisdem praeteriverit per oscitantiam, vel fraudem: iterare, tunc oportebit examen testium, instante, reo post illud etiam publicatum (1). Si vero testes abnuant adversis interrogationibus respondere, suspicionem falsi contra semetipsos adstruunt, totamque fidem suis adimunt testimoniis antea perhibitis (2).

IX. In laicis tribunalibus adversae testium interrogationes omnino exoleverunt, non secus in criminalibus, quam civilibus (3) iudiciis, quo iure, quave ratione, satis non video. Sunt qui autumant id propterea factum, quia repulsae beneficium sat reo est ad refellendas testium adversorum personas, et prolata testimonia (4). Sed nonne *melius est his occurrere, et mederi, quam iniuria accepta vindictam, et remedium perquirere* (5)? Saluti quidem publicae sicuti utilius est vulnera, et venena, quoad fieri possit, praecavere, quam sauciis, et potionatis opem ferre duriorem, atque incertam: ita et adversa in iudiciis criminalibus testimonia, dum feruntur, in eo tunc momento evertere beneficio interrogationum salubriori, quam spe postmodum ea refellendi. *Et ideo, quod infirmari, vel vituperari potest, praecaveri debet*, ex Toletanorum Patrum sententia (6). Petrus Follerius, qui praxim criminalem edidit anno 1553., fert in nonnullis huius regni curiis saecularibus, praesertim in ea Baroniae Silenti suo adhuc aevo consuevisse reos testibus partis adversae repetendis interrogatoria exhibere (7). Eo abhinc tem-

(1) Honorius III. in *cap. per tuas 48. de testibus* rescripsit non esse post eorum publicationem iterato interrogandos, nisi forsan a principio illos ait, *interrogari super certis capitulis postulasset, idque malitiose, vel negligenter fuerit praetermissum.*

(2) Car. Pellegrin. in *prax. Vicarior. crim. par. 4. sect. 11. num. 10.*, post Decimum, et Cavalcanum. *Testes, qui adversus fidem suam testationis vacillant, audiendi non sunt*, Modestinus docet in *l. in testimoniis 2. D. de testibus.* Qui enim haesitat in testimonio dicendo, *vacillare* is dicitur. Callistratus *pro testimonio non vacillante quaestionem haberi non oportet*, ait in *l. ex libero homine 15. D. de quaestionibus.* In vacillante igitur *quaestionem*, seu torturam haberi Iureconsultus censuit, ob urgentem falsi suspicionem.

(3) Ex iam expositis *lib. III.* harum *Instit. tit. XV. num. XXX.*

(4) Iul. Clar. *§. fin. qu. 23. vers. eo quod danda sint interrogatoria*, Caravita in *Ritu M. C. 258. num. 3.*, et Follerius *par. 1. par. 2. prax. crim. tit. recipiantur defensionem reorum num. 23.*

(5) Hanc met rationem pro impuni caede nocturni latronis adfert ex Basilicorum libris Gothofredus post *l. si ut allegas 4. C. ad legem Cornel. de sicariis. Nam cuique adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere*, ait Gaius Iurec. in *l. itaque 4. D. ad legem Aquiliam*, ut probam, et iure factam ostenderet occisionem servi latronis, et insidiantis ab eo praeventam, qui a se periculum futurae iam imminentis aggressionis praecavendo avertit.

(6) Concil. Toletanum in *cap. 1. de servis non ordinandis.* Consonat Innocentius I. in *can. designata dist. 51.*, inquiens: *cavendum ab his est propter tribulationem, quae saepe de his Ecclesiae provenit.* Tum Nicol. II. in *can. in nomine Domini 1. dist. 23. debemus*, ait, *futuris casibus prudenter occurrere, et ecclesiastico statui, ne recidiva mala praevaleant, praecavere . . . nimirum praecaventes, ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat.*

(7) Follerius *loc. cit.*

pore videntur interrogationes in desuetudinem abiisse paullatim sine iure scripto, quum nulla lex municipalis aboleverit.

X. Testes dum citati sese coram iudice, aliove examinatore sistunt in utroque foro, in primis rite iurabunt coram inquisito, vel eius ad id substituto, si alteruter monitus adsit; namque alias sat erit eum praemonuisse, ut valeant iuramenta testium ipso absente, praestita condicto die, et loco (1). Dein iurati examinantur singulatim semotis partibus (2). Verumtamen consuevit Romana Curia *interpretem* ab unaquaque partium inducendum admittere in examinandis utriusque partis testibus (3), cuius est nedum interrogationes, et articulos explicare testibus idiotis, rudibusque ad vitandas captiones verborum, et ambiguitates; verum suas etiam interaddere interrogationes ad caussam pertinentes. In caussis autem haeresis, ut coram duobus religiosis, et discretis viris testes examinentur, horumque testimonia per duos viros idoneos fideliter conscribantur, Clemens IV. constituit (4): id quod alium extraordinariae formae articulum effingit.

XI. Expletis citationum, et iurisiurandi ritibus tandem repetitio paucis expeditur. Unusquisque testium in foro laico primum interrogatus, *quidnam ipse sciverit de illo crimine, eo in loco in personam illam patrato, a quo, et quibus auxiliis*: respondere cogitur, et iterato dicere quidquid sibi innotuerit, singula exprimendo adiuncta, quae debet notarius caussae distincte describere (5). Tum postquam dixerit,

(1) Ex *cit.* Novella 90. *cap.* 6., et Auth. *sed et si quis C. de testibus.* Ritus etiam M. C. Vicariae sub *tit. de testibus* tradens morem stylumque producendi testes, *qui iurare possint* (ait), *ac deponere vocata parte in Curia, et eius contumacia accusata: et si testes iurant die non feriato, in die feriato audiantur, et examinentur.* Alius autem Ritus *item quod clerici* sub tit. *quodi clerici non admittantur ad iurandum, et deponendum* etc. haec habet: *clerici tam in minoribus, quam maioribus ordinibus constituti producti ad testimonium, non admittantur in civilibus caussis ad deponendum, et perhibendum eorum testimonium in ipsis Curiis* (puta laicis), *et qualibet ipsarum, nisi prius iuraverint coram suo iudice, et licentiam obtinuerint iurandi, et deponendi in caussis ipsis* civilibus. *In* criminalibus *vero ordinariis, vel extraordinariis nullatenus ad testificandum admittantur, nisi pro defensione conventi.*

(2) Ex iam dictis *Nov. 90., et cap. in nomine Domini 2. de testibus admonendus est semper adversarius, ut ad* audiendos *testes veniat.* Consonare videntur duo M. C. V. Ritus, alter iam excriptus sub tit. *testibus*, alter sub tit. *quod clerici non admittantur ad iurandum, et deponendum* ea ipsa verba iterans. Attamen mos in utroque foro invaluit examinandi testes procul a partibus, reumque sive substitutum eius post visa testium iuramenta segregandi, amovendique a loco examinis.

(3) Ex traditis a Beltramino *ad Greg. dec. 331. num. 23.* Salust. Tiber. *lib. 2. cap. 14.*, et Ridolphino in *praxi iudic. Cur. Rom. par. 1. cap. 2. num. 27, et seq. et cap. 11. num. 84, et seq.*—(4) Clem. IV. inquisitoribus haereticae pravitatis reseribens in *cap. ut officium 11. §. verum de haeretic. in VI.*

(5) *Omnis examinatio fiat per extensum, et non per vera esse*, inquit Rex Ferdinandus in *Pragm. statuimus 1. de testium refroenatione, et repulsa* edita ann. 1477. Si enim repetendus testis interroganti iudici responderit dumtaxat sese referre ad suam, quae praecessit depositionem, renuens congruas, et indiv duas reddere responsiones, nisi antea primum ex scripto suum testimonium audierit: suspicione falsitatis semetipsum maculat, ex traditis a Carolo Pelle-

sese veritatem ea de re alias in ipsamet Curia deposuisse cum omnibus loci, et temporis, et personarum adiunctis; utque in memoriam sibi redeant singula, quae tunc dixit, opus nunc esse, ut sua sibi depositio relegatur: eam mox a notario caussae recitatam ex actis, et bene auditam, *sese* testis, ait, *ratam omnino habere, ac de verbo ad verbum confirmare, utpote veridicam, et nil habere, quod ei addat, vel minuat.* In foro autem ecclesiastico post peractas interrogationes a reo propositas continuo testes interrogantur, an velint suam approbare depositionem, vel si quid habeant in ea corrigendum, vel addendum, vel deminuendum.

XII. Si vero quid suo informationis testimonio addiderit, vel deminuerit, dum repetitur testis, aut idipsum correxerit, vel revocaverit, subornatus praesumitur (1), et periurus, totamque fidem utriusque depositionis suae corrumpit, et enervat (2): prior enim depositio ob reum ad videnda iuramenta non citatum nil probat ex antedictis, et posterior ob periurium per sese corruit (3). Quamobrem ad purgandam falsitatis, et periurii suspicionem, torquendus leviter est, in tortura declaraturus in quonam ex contrariis testimoniis intendat is perseverare (4).

grino *in prax. Vicarior. crimin. part. 4. sect. 11. num. 11.*, aliisque permultis Doctoribus.

(1) Coelestin. III. in *cap. praetera 7. de testibus cogendis, testimonia*, inquit *si quandoque non studiose, sed in proferendo erraverint, et se in continenti correxerint, reprobari non debent: secus autem erit, si correctioni suae interposuerint intervallum.* Sane Innocentius III. in *cap. ad audientiam 4. de praescript.* fidem potius integram praestitit officiali, qui suum fideliter obiturum munus iuraverat, quam testibus aliter ab eo scriptum, quam ii deposuerant, asseverantibus. *Nec credentes*, ait Papa, *ipsum scriniarium (cum iuratus sit officium, suum fideliter exequi) aliud scripsisse, quam a testibus diceretur.*

(2) Ex traditis a Foller. in *prax. crimin. rubr.*, *et demum repetantur testes num.* 17, et aliis passim.

(3) Sunt qui putant priori dicto standum, ubi constiterit testem cum parte adversa colloquutum vacillare, et antedictis contradicere: eam pro se laudantes Modestini sententiam: *testes, qui adversus fidem suam testationis vacillant, audiendi non sunt, l. in testimoniis 2. D. de testib.* Quidquid vero senserit Modestinus anceps, utrum in posteriori tantum, an utroque testimonio sit non audiendus testis vacillans: eam opinionem non esse tutam recte commonet Reg. de Ros. *cit. prax. cap. 2. num. 11.* Refelluntur enim perspicuis utriusque Juris auctoritatibus, quae totam adimunt fidem testibus adversario irrequisito ad videndum eorum iuramenta examinatis.

(4) Ex communi Doctorum sententia usu comprobata apud Iul. Clar. *quaest. 53. num. 15.*, Foller. *loc. cit. num. 6.*, Sanfelic. *dec. 284.*, qui hanc decreti formam tradit: *quod ille testis torqueatur ad videndum, et declarandum, quaenam ex duabus depositionibus sponte factis cum iuramento sit vera.* Quin etiam solet M. C. V. testes leviter torquere, quum in una, eademque depositione vacillent, sintque varii, ut veritas tutius eruatur, Reg. de Ros. *loc. cit. cap. 2.* Et leges communes id quoque imperant. Paulus in *l. unius 28. §. testes 3. D. de quaestion., testes torquendi non sunt*, ait *convincendi mendacii, aut veritatis gratia: nisi quum facto intervenisse dicuntur.* Et rursus in *l. qui falso 16. D. de testibus*, inquit, *qui falso, vel varie testimonia dixerunt, a iudicibus competentibus puniantur.* Simul Modestinus *eos, qui diversa inter se testimonia praebuerunt, quasi falsum fecerint, ex praescripto legis Corneliae teneri* pronun-

XIII. At quae fuerint vel negligentia, vel dolo examinatorum omissa, praesertim ubi pateat non interrogatos testes super aliquo, vel pluribus adiunctis loci, et temporis, aliisve ad rem eliquandam necessariis, aut super capitibus interrogationum a reo propositis : ratio postulat, ut in repetitione sui examinis testes ipsi addant, et suppleant : idque Honorius III. approbat (1). Eodemque iure testibus licebit sua vel obscura, vel ambigua dicta declarare ex intervallo, tam si faveat, quam si reo noceat declaratio (2).

XIV. Dum reus nullum sibi levamentum expectat ab ore testium repetendorum, nullumque capitis periculum timeat, sed poenam relegatione, aut exilio non maiorem : ei satius erit repetitioni renunciare, adversosque testes pro rite, ac recte examinatis habere, quam moram iudicii diuturniorem novo eorum examine pati, et frustra sibi nectere(3). Mos inde invaluit reum quemlibet, cui id placuerit, vel peculiari libello manu sua subscripto, vel penes acta cum iuramento declarare, *quod habeat testes a fisco, vel accusatore, vel querelante productos pro rite, ac recte examinatis, et legitime repetitis, praeter mortuos, et absentes, et citra praeiudicium repulsae* (4). Ex his clausulis palam fit defectum citationis rei ad videndum iuramenta testium solummodo suppleri per aequipollens renunciatione huiusmodi : nulloque pacto nec dicta, nec personas testium adversorum ab reo adprobari, nec beneficium interrogationum adimi (5).

XV. In Curiis ecclesiasticis haec idcirco alia solet clausula superaddi : *salvo iure repetendi* (6). Huius autem vis est, ut reo liceat, si volet, in curriculo defensionum postulare testium fiscalium repetitionem, expensis tunc suis faciendam (7) : quamvis publicata eorum testimonia sint (8).

ciat, in *l. eos, qui 27. D ad leg. Cornel. de falsis*, addens eodem falsi crimine urgeri testem ancipiti fide vacillantem.

(1) Honor. III. in *cap. per tuas 48. de testibus.*

(2) Gregor. IX. in *cap. cum clamor 53. eod. tit.*

(3) Repetitio quum sit in favorem reorum dumtaxat introducta: dubitari profecto non potest, quin valeant ipsi eam a se renunciando removere. *Quod cuique pro eo praestatur, invito non tribuitur*, Ulpianus docet in *l. invitus 146. §. ult. D. de reg. Iur.*, et Paul. in *l. invito 69. D. eodem.* Alexander III. etiam rescripsit *liberum* esse *unicuique suo iuri renunciare*, *cap. si de terra 6. de privilegiis.*

(4) Clar. *qu. 49. num. 11.*, Guazzin. *defens. 24. cap. 6., et 9.*, Capic. *dec. 74*, et de Franch. *dec. 629.*

(5) Puteus *dec. 317. lib. 2.* Honded. *cons. 101. num. 27. lib. 1.*

(6) Ambrosin. *de process. inform. lib. 3. cap. 2. num. 5.*

(7) Ambrosin. *loc. cit.* monet, repetitionem testium fere expensis fisci, vel privati accusatoris, quorum interest eam rite adimpleri, faciendam esse: quum ille debeat incommodum expensarum sentire, qui sentit commodum firmatae probationis contra reum, ex generali axiomate iuris in *l. secundum naturam D. de reg. iuris.* At quoties reus antea testes adversos maluisset pro rite examinatis, et repetitis habere, dein mutato consilio postulaverit eorum repetitionem : eam debere tunc expensis petentis fieri. Addit, reum in foro ecclesiastico expensas respectu suarum interrogationum ferendas itidem contribuere.

(8) Post publicationem posse repetitionem fieri postulante reo, tenent Affl.

XVI Quod autem ad testes, antequam repeterentur mortuos clausula eos excipiens non frustranea est. Dissident quidem Doctores, an testes non citato reo examinati, si mortem obiverint, plenam, et legitimam faciant probationem. Alii enim vim iuramenti adtribuunt morti eorum ex eo, quod unusquisque fidelium putetur suae non immemor aeternae salutis esse, nec periurus velle ad inferos ex hac vita demigrare (1), suamque ii opinionem firmare contendunt Iustiniani rescripto ad Iulianum (2), quo declarantur testium depositiones coram arbitris acceptae legitimam in iudicio fidem promereri, si omnes ex hac luce subtracti nequiverint ad examen iterum adduci, non obstante partis adversae recusatione. Alii contra sentiunt (3), et probabilius, et rectius: ex regula porro Catoniana, quae ab initio non valent ab inferendas reis poenas, tractu temporis reconvalescere non possunt. Et insuper quum accidat non raro, morientes, vel oblitos de periurio, vel supremo fato correptos facultatem periurii detestandi, et emendandi non habere: nullo quidem iure generatim putabitur unusquisque testium morte sua firmasse testimonium non legitimum. Generalis ergo praesumptio, qua prior sententia innititur, quia in memoratis casibus fallit, vincere haudquaquam poterit specialem Iuris dispositionem, quae non idonea damnandis reis habet testimonia ipsis non citatis suscepta: *nam in toto iure generi per speciem derogatur* (4). Iustinianus autem, si verba legis eius ad marginem iam exscripta expendantur, eidem priori sententiae, nil omnino patrocinatur. Nam loquitur de testibus coram arbitro rite examinantis, quos ubi recusaverit litigator adversarius in iudicio, iterum ad examen revocandi ius habet. Tantum vero abest Imperatorem dixisse, quod omissa litigantium adversorum citatione ad videnda coram arbitris iuramenta testium, hi deinde mortui finem in iudicio promereantur: ut immo reservaverit apertis verbis adversario litigatori ius integrum refellendi eos, eorumque dicta. Favet huic sententiae lex municipalis Pragmaticarum, quae mortuos informationis, testes reo contumace habet perinde idoneos ad probationem, ac si te-

in *const. terminum vitae ver. sexto quaero*, et Foller *part. 1. part. 2. loc. cit. num. 11:* antequam citatio ad dicendum pro expeditione caussae relaxetur, Grammat. *dec. 28.*, et Capic. *dec. 35.*

(1) Farinac. *qu. 72. num. 129.*, Gomes *cap. 1. num. 27.*

(2) Iustin. in *l. cum apud 20., et ult. C. testibus* haec habet: *cum apud compromissarios iudices testes fuissent producti, variatum erat, utrum deberet eorum depositionibus in iudicio litigator uti; an non esset audiendus? Sancimus.... siquidem supersint testes, licentiam habere eum, contra quem depositiones eorum proferuntur, si eas recusaverit, concedere testes iterum adduci, et non opponi eis, quod iam testimonium suum dederint.... sin autem ab hac luce omnes subtracti sint, hanc necessitatem ei imponi, fide scripturae approbata, in qua depositiones eorum referuntur, eas quasi factas accipere... omni adversus eas, et testes legitimo iure, quod ei competit adversus quem proferuntur, integro reservato.*

(3) Foller. *loc. cit. num. 6.*, Grammat. *dec. 11. num. 15.*

(4) Papin. in *l. in toto iure 80. D. de reg. Iur.*, et Bonif. VIII. in *cap. generi 34. eod. tit. in VI.*

stimonia sua rite repetiverint (1): secus ergo censuit sensu tacito, at perspicuo pro reis non contumacibus, sed praesentibus in iudicio.

XVII. Si nolit reus, quisquis erit, repetitioni testium adversorum renunciare, eos tunc repeti, etiamsi in eum iure delegato cum breviatione termini, et ad modum belli procedatur in M. C. V., vel Regiis Audientiis, necesse est, praeterquam ubi crimen reus confessus in iudicio sit (2). Id nostro Pragmaticarum iure locum procul dubio habet in iudiciis ad modum belli extraordinariis, et delegatis. In ceteris autem iudiciis ordinariis non abs re dubitatur, an confessio reorum iudicialis ita firmet informationis fiscalis testimonia, ut suppleat in eis deficientem inquisiti citationem ad v. i. t. Affirmant sane plures (3) generatim, eosque sectatur Regens de Rosa in ea tantum confessione, quae facta pure sit sine ulla qualitate, aut excusante culpam, aut poenam deminuente (4): negant alii generatim (5). Horum ego sententiam negantem usu magis receptam amplector: quum nulla fere sit confessio omnimodis pura, et iura indulgeant reo facultatem sese contra propriam quoque confessionem defendendi, haec autem sola, nisi legitimis fulciatur probationibus quum in genere, tum in specie, non sufficit in iudiciis criminalibus ad poenam ordinariam infligendam (6). Enimvero testes etiam, qui sola criminis vestigia in genere deposuerunt, repetendos esse praemonito reo, tradit Regens de Rosa (7). Quandoquidem acta in reum omnia eo nil citato ad v. i. t. testibusque non repetitis adeo corruunt, quia invalida, ut nulla quavis consuetudine sustineri queant in gradu etiam appellationis, eorumque nullitas ista perinde ante, ac post sententiam obiecta nedum hanc irritet, reumque ab illegitima damnatione liberet; sed iudicem etiam, qui repetitionem omiserit, ad iacturam officii sui pertrahat (8).

(1) Pragm. 10. *de officio iudicum, et alior. offic.* §. *83.* ita iubet. *Vogliamo che quando il reo sarà* contumace, *e persistendo in* contumacia morirà *alcuno, o tutt'i testimoni dell'informazioni, non sia necessario, di ripetergli; acciocchè non senta il reo beneficio della sua* contumacia: *ma facciano detti testimoni morti l'istessa fede, che farieno, se fossero legittimamente ripetiti.*

(2) Pragm. 10. §. 51. *de offic. iudic., et alior. Official.* haec habet. *Si ordina di più che, quando le Regie Audienze, o uno degli Auditori procedono* ad modum belli, *o per delegazione, debbano ripetere i testimoni esaminati contra gl'inquisiti, che non gli vorranno dare per repetiti, non ostante qualsivoglia osservanza, o stile che vi fosse in contrario: dichiarando però che, quando ci sarà la confessione del reo legittimamente fatta, non sia necessaria altra ripetezione di testimoni, ma solamente si debba dare il termine* adversus confessionem. . .

(3) Car. Pellegrin. in *cit. prax. crim. Vicar. par. 4. sect. 10. num. 18.* post Bartolum, Baldum, Marsilium etc.

(4) Reg. de Rosa in *prax. crim. decret. lib. 1. cap. 6. num. 13.*

(5) Ang. Scialoia in *prax. torqu. reos cap. 6. num. 43.*, Maradeus in *prax. crim. par. 1. cap. 34. num. 12.*, *et animadv. 287., num. 6.*, quibus subscribit Thomas Brigantius *nella pratica crim. delle Corti regie, e baronali del regno tit. 9. num. 11.* — (6) Ex supradictis *tit. III. num. VIII.*

(7) Reg. de Rosa *cit. cap. 6. num. 12.*, et Phil. Marad. *prax. 14. sing. 287.*

(8) Ex rebus praesertim iudicatis id tradit Phil. Maradaeus *cit. sing. 287.*, et Franc. Marad. *ibidem in annot.; et observ. num. 1., et seqq.*

§. I. *De collatione testium cum reo.*

XVIII. Quoties in faciem rei praesentis in ipsa informatione testes initio iuraverint, repetitio tunc prorsus omittitur in foro laico: quum cessante fine repetitionis, qui alius non est, nisi ut reus videat eos iurare, debeat repetitio ipsa cessare, nullusque alius in eodem foro laico supersit ritus repetitione testium ordinaria implendus.

XIX. Secus est in foro ecclesiastico, in quo reis beneficium interrogandi testes partis aversae, quamvis coram ipsis reis rite iuratos, et examinatos. Si quis autem reorum tunc, vel consulto, vel oscitanter non postulaverit repetitionem testium super suis interrogationibus, et hasce non produxerit: fiscalium testium fides in eum integra vigebit in Curiis etiam ecclesiasticis (1).

XX. Si vero compositi cum reo testes ab initio, nedum ipso vidente iuraverint, sed sua etiam dixerint testimonia eo audiente, et contradicente, et interrogante: utrumque tunc ritum citationis cum partis adversae interrogationibus reapse impletum, nullaque alia solemnitate indigere depositiones eorum ab initio validas, et legitimas, palam est (2). Sane ad iudicis animum instruendum, convincendumque reum potior est isthaec forma examinis, quam forenses *confrontationem* appellant. Tunc enim iudex *magis scire* poterit, ex Hadriani Imperatoris rescripto, *quanta fides habenda sit testibus... qui simpliciter visi sint dicere, utrum unum, eumdemque meditatum sermonem attulerint, an ad ea, quae interrogaverat, ex tempore verosimilia responderint... et ex sententia animi sui aestimare, quid aut credat, aut parum probatum sibi opinetur* (3).

XXI. Haec ipsa forma examinandi, et interrogandi testes in faciem accusati adhibeatur oportet, quotiescumque testes fisci, et accusatoris nomen, et cognomen inquisiti, quem deliquisse ii conspexerint, ignorare, eiusque faciem agnituros dixerint. Eo etenim casu accusatum inter plures habitu corporis, aetate, et statura quoad fieri possit consimiles promiscue positum debent singuli testes (interrogante iudice, an inter eas personas delinquens ille adsit, et simul imperante, ut eum agnoscant, digitoque indicent) demonstrare digito, manuque tangere (4). Nam *demonstratio plerumque vice nominis fungitur*, ait Florentinus iureconsultus (5). Hunc morem demonstrandi hominem ignoti nominis praedo-

(1) S. Greg. M. *in can. in primis 7. §. deinde C. 2. qu. 1.*, Ioannem Hispaniae defensorem instruens, *deinde caussarum qualitas*, ait, *est examinanda; si digna exilio, vel depositione fuit; si eo* praesente *qui accusatus est*, iureiurando *contra eum testimonium dictum est.*

(2) Ex traditis a Claro *qu. 45.* verbo *sed in proposito*, Merlino *cap. 42. num. 4. et 9.*, et Sanfelicio *dec. 97. num. 13.*

(3) Callistrat. in *l. testium fides 3. §. 1. D. de testibus.*

(4) Car. Pellegrin. in *prax. crimin. Vicar. part. 4. sect. 9. de examine delinquentis n. 66., et seq.*, et Reg. de Ros. in *prax. crim. cap. 9. num. 15. et seqq.*

(5) Florent. in *l. nominatim 34.* D. de *condit., et demonstrat.* Insimul cum

cuit Ulpianus in iudicio noxali (1). Quod vitentur autem fraudes, oportet, ut personae demonstrandae forma, color, statura, aetas, vestimentum antea describantur: in primisque facies, et *caput* describendum est, *cuius imago sit*, *unde cognoscimur*, Paulus ait (2): utque unus testium ab alio segregatus interrogetur, et reum agnoscat (3).

XXII. Ad socium criminis convincendum, qui illud neget, eumque de mendacio redarguendum, solet ex probata consuetudine socius criminis in iudicio confessus componi, ut in faciem negantis correi levem sustineat torturam, in eaque veritatem admissi criminis in caput sociorum iterum deponat (4). Nam socius quum confitendo crimen suam turpitudinem, et infamiam detegat, legitimam in socios fidem tamquam infamis non meretur, nisi ante purgaverit in tortura notam infamiae (5). Hinc illae decretorum formae in M. C. V. frequentes: *torqueatur N. ad convalidandam confessionem suam eo die sponte factam in caput sociorum.* Et ubi omnes fuerint crimen confessi, dicitur, quod *torqueatur N., et N. ad suas ipsorum confessiones sponte factas convalidandum, alter in caput alterius.* Damnatus vero iam si quis fuerit sociorum, quod *torqueatur tamquam cadaver ad sciendum complices, et fautores.* Tandem si aetate minor socius erit, quem torqueri leges vetant, quod *terreatur ad suam convalidandam depositionem in caput sociorum.*

§. II. *De flagrante ac notorio crimine.*

XXIII. Si quem in maleficio deprehensum, et crimine adhuc flagrante vinculis mancipatum satellites ad suum iudicem adduxerint (6); ipsa res patens quum postulet cursum iudicii breviorem (7), nullum

Pedio Paulus *nihil referre*, ait, *proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstretur, quatenus mutua vice fungentur, quae tantumdem praestent, l. certum est 6. D. de rebus creditis.*

(1) Ulp. in *l. in hac actione 3. §. si quis 7. D. ad exhibendum* necessariam censuit in noxali iudicio quandoque actionem ad exhibendum *Quid enim*, ait, *si dominus quidem paratus sit defendere, actor vero destinare* (seu designare) *non possit, nisi ex praesentibus: quia aut servum non recognoscit, aut nomen non tenet: nonne aequum est ei familiam exhibere, ut noxium servum agnoscat? quod ex caussa debet fieri ad designandum eum, cuius nomine noxali quis agit, recensione servorum facta.* Hinc si dicatur per eum, qui noxali agit iudicio, *exhibe omnes, ut possim dignoscere quis sit*, audiendum putavit idem iurec. in *l. can. si exhibuissent 3. §. 2. D. de publicanis.*

(2) Paul. in *l. cum in diversis 44. D. de religios. et sumptibus funerum.*

(3) Ambrosin. *lib. 2. cap. 9. n. 15.*, qui *num. 16., et seqq.* iudices mone, ut abstineant a voluntaria collatione famuli cum domino, subditi cum superiore, plebei cum nobile, timidi cum potente, filii cum patre; propterea quod reverentia, et timor eos facile ad vacillandum impelleret, unde probatio fiscalis infirmaretur, *arg. l. 1. §. 10. et 16. D. de quaestionibus.*

(4) Boss. *de indiciis, et considerationibus ante torturam*, Ambrosin. *loc. cit. num. 251.*

(5) Ant. Fab. de *quaest. tit. 21. def. 23.*

(6) Id leges permittunt, quas recensui superius *tit. IV. §. II. num. XXV.*

(7) Carolus I. Andegavens, in regni *cap. Carolus etc. quod decretum* Id iu-

dat locum iterandi testium examen. Nam reum eiusmodi statim ac lictorum dux iudici exhibuerit, ita capturam eius, uti ea contigerit apud acta professus (1) : duo pluresve si adsint extrarii testes, aut his deficientibus aliquot lictorum, seu Curiae servientium rite examinantur. Nimirum iurant in primis coram ipso captivo, mox interrogantur ab iudice singuli, *an praesens is conspexerit capturam illius hominis? quomodo ea secuta sit, ubi, et quando?* Auditae uniuscuiusque responsiones in acta rediguntur, quae in iudicio manifestum crimen ostendant, et reum in eo flagrante deprehensum adeo convincant in continenti, ut nullum ei spatium, locumve relinquant, vel tergiversandi, vel suum tegendi malefactum. Captivus mox ipse interrogabitur., *quomodo ita captus reperiatur? a quibusnam, ubi, quando, et quare fuerit is prehensus? Cur crimen illud patraverit?* His aliisque itidem interrogationibus, quae ad rem ipsam debet prudens examinator aptare, nil officiet ob facti evidentiam suggestio (2).

XXIV. Deinde reum vel confessum, vel negantem in carceribus detinendum oportet rite audire suis in defensionibus : quas ex officio iudex debet, ubi reus neglexerit, vel forsan respuerit, perscrutari (3). Itaque inquirendum sedulo est, an testes flagrantiam criminis deponentes alicui exceptioni sint obnoxii? utrum scilicet captivo inimici, an ab inimicis seducti? num crimen in genere probatum pateat, an nulla de eo vestigia permanserint? an inter actum delinquendi, et captivi deprehensionem aliquod intercesserit spatium temporis? an noxius pro noxio captus forsan sit? an captivo vires ingenii, bonorum, amico-

bet inquiens, *Specialiter autem* flagrantia *maleficia in longum non protrahas: sed ipsa in locis, in quibus perpetrata reperies, studeas sine dilatione puniri.*

(1) Formam hanc praesentationis personae in malelicio deprehensae tradit Follerius *part. 1. par. 2. item quod fuit captus in flagranti crimine num. 12. Die illo in hac curia coram eo iudice comparuit ille capitaneus ad capiendos delinquentes deputatus,* aut *ille cursor cum suis satellitibus, ac sodalibus,* aut *substitutus ille fiscalis, et eidem Curia praesentavit illum reum, praesentem, audientem, ac intelligentem, quem assuerit cum suis sodalibus deprehendisse,* ex gr. *in ipso actu homicidii ictu sclopi ab eo patrati in personam illius hominis hodie iamdicto die mensis huius in eo loco: eodemque momento, quo is sclopum explosit, et vulnus iniecit in praefatum hominem infeliciter occisum, nulla interposita mora eum personaliter mancipasse vinculis ad finem traducendi, prout reipsa traduxit ad carceres huius Curiae, et coram eodem D. Iudice, ut contra ipsum, prout iuris erit, procedatur.*

(2) Propterea commonet Foller. *loc. cit.* cum Luca de Penna in *l. quoties C. de dignitatibus,* satius esse ad iudicii gravitatem tunc reum captivum obiurgando sciscitari, *cur ita in ea re deliquerit?* quam per ambiguam interrogationem quaerere, *an deliquerit?*

(3) Ex traditis a Foller. *ibid.* Enimvero Constantinus Imper. in *l. si quis 2. C. de custod. reor.* id aperte constituit, aiens *: si quis* in *ea culpa, vel crimine fuerit* deprehensus, *quo dignus claustris carceris, et custodiae squalore videatur ; auditus apud acta cum de admisso constiterit, poenam carceris sustineat : atque ita* postmodum eductus *apud acta* audiatur. Consonat Papa Damasus in *can. eorum 76. C. XI. qu. 3.*, dum inquit : *Licet apertissima sit contrariorum* deprehensio, *verumtamen oportet ab his, qui dati sunt ad eorum examinationem*, ordinem *servari.*

rumque deficiant ad se defendendum? an desperatio vitandae calumniae, aut vitae infelicis taedium ad spontaneam confessionem illum traxerit, aut spes fallax impunitatis? an inculpata sui defensio ad necandum aggressorem impulerit? an fraudulenter compellatus a maecho sit ad eam adulterae domum, in qua captus est? an ad amicum suum ab aggressoribus eum vulnerantibus defendendum accurrerit? an gladium sanguinolentum e corpore sauciato defixerit post fugam aggressoris certi, vel incerti occisoris? an caussa delinquendi vera sit, vel saltem verosimilis? cetera id genus.

XXV. In occulto etiam loco reum in flagranti crimine deprehensum posse rite convinci a duobus, tribusve testibus, qui praesentes inibi adfuerint, animadvertendum est (1): ut *flagrans* distinguatur a *notorio*. Nam *notorium* crimen nonnisi publico in loco, et coram populo manifeste admittitur: quamvis procedendi forma in utroque eadem pene sit.

XXVI. Delator in primis vel privatus (2), vel fiscalis coram competenti iudice comparens (3) exponit casum notorii criminis, prout illud contigisse noverit, e. g. homicidium a Caio patratum in personam Titii stantis in illa platea publica eius loci ea die, et hora palam in conspectu populi, seu multitudinis hominum inibi commorantium: et concludendo libellum instabit contra illum procedi omisso iuris ordine, tamquam reum notorium, qui suum facinus universo populo, vel maiori eiusdem parti patens nulla valeat tergiversatione celare. Iudex illico decernit, quod *capiatur informatio super expositis ad finem procedendi via extraordinaria in vim notorii.* Mox testes citatos, iuratosque in faciem rei, hic si praesens adsit, examinaturus interrogat sigillatim, *quidnam ipsorum quisque viderit in eo loco, eoque tempore contigisse Titio? an ipsum aliquis populo spectante percusserit? quis, ubi, et quibus armis?* Ceteras inde interrogationes adhibebit super omnibus, et singulis adiunctis, quae spectant ad malefactum liquidandum una cum qualitate notorii praesertim ex loco publico, et frequentia populi praesentis, et videntis. Dein reum acceptis testimoniis iam convictum interrogabit iuridice: qui admisisse crimen si confiteatur, statim sine intervallo eum damnabit ad poenam ordinariam. Si vero negaverit, iudex perpendere tunc debet, si qua ei probabilis excusatio possit ullatenus favere, an non. Nam si nullum noverit defensioni, vel tergiversationi locum patere, eum de notorio crimine idoneis testibus iam satis convictum pariter damnabit statim omissa litis contestatione, ac defensionum termino. Secus ubi defensio aliqua probabilis ab eo proferatur, vel emergat ex facto ipso, aut iure. Tunc enim

(1) *Quid est* palam? Ulpianus quaerit in *l. haeredes 21. C. qui testam. fac. poss.*, et continuo respondit: *non utique in* publicum, *sed ut exaudiri possit: exaudiri autem non ab omnibus, sed a testibus: et si plures fuerint testes adhibiti, sufficit solemnem numerum exaudire.*

(2) *Nunciatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis adsistere, iubentur*, Paullus monet *in l. ab accusatione 6. §. 3. ad Sen. Cons. Turpill.*

(3) Hanc procedendi formam in reum notorium tradit Follerius *cit. prax. crim. tit. item quod est notorius delinquens num. 15. et seqq.*

dandus reo est terminus, saltem breviatus ad sese defendendum (1). Quoties autem reus absit a loco iudicii, post captam informationem, probatamque notorii qualitatem, citari omnino debet *ad informandam Curiam*, *ad recipiendam copiam articulorum*, *ad videndum iuramenta testium*, *publicationem faciendam*, *et audiendam sententiam super tali crimine notorio:* vel *ad informandum*, *et videndum omnes*, *et singulos actus in caussa notorii usque ad sententiae prolationem.* Tum vel contumax reus damnatur statim, aut captus examinabitur, mox aut negans audietur in suis defensionibus, vel sine illis damnabitur sponte confessus.

XXVII. Coram iudice in ipso iudicii loco notorium crimen praesertim iniuriarum haud raro accidit. Tunc illud in primis a notario caussae ex officio sine ullius denuntiatione, aut querela describitur cum adnexis qualitatibus loci publici, et praesentiae iudicis ius inibi palam reddentis, et plurium illic adstantium. Dein continuo reus interrogatur de admisso inibi malefacto, quod si confiteatur, sententia damnationis illico in eum proferri: eoque illud negante duo saltem testes examinari ad ipsum convincendum oportet, rite iuratos in faciem rei, eorumque testimoniis in scripturam redactis, reum tunc ipsum, antequam e curia discedat, acturum quoque damnari tradit Follerius (2).

XXVIII. Dissident DD. in definiendo personarum numero qualitatem notorii criminis praeseferente, quod coram populo fiat. Ulpiani autem sententia receptior est, qui praesentes decem saltem, aut quindecim homines requirit, ut aliquod in *turba* factum iure dicatur (3). Eamque amplexi Patres Toletani videntur, ubi censuerunt personas decem sufficere ad *Parochiam* constituendam (4). *Neratius Priscus tres facere existimat collegium: et hoc magis sequendum est*, Marcellus tra-

(1) Gordianus Imperator Proculo rescribens in *l. ea quidem 7. C. de accusationibus*, ait: *Ea quidem, quae per officium Praesidibus denunciantur, et cura solemnia accusationum posse* perpendi *incognitum non est: verum si falsis, nec ne* notoriis *insimulatus sit, perpenso iudicio inspici debet.*

(2) Foller. *loc. cit.* Huiusmodi stylum iamdiu comprobaverat Innocentii III. decretalis ad Exoniensem Episcopum in *cap. tua nos 8. de cohabit. cleric., et mulier. Si crimen eorum*, ait Pontifex, *ita publicum est, ut merito debeat appellari* notorium: *in eo casu nec testis, nec accusator est necessarius: quum huiusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari.* Consonat Alex. III. in *cap. super eo 3. de testib. cogendis* ad Ianuensem Episcopum rescribens, *quod si factum est* notorium, *non eget testium depositionibus declarari, quum talia probationem, vel ordinem iudiciarium non requirant: verum si non est notorium, et is, qui convenitur, factum negaverit, testes, qui interfuerunt facto, monendi sunt, non cogendi ad ferendum testimonium veritati.*

(3) *Turbam autem* (Iureconsultus ait in *l. praetor 4. §. 2. D. de vi honor. rapt.*), *ex quo numero admittimus? si duo rixam commiserint, utique non accipiemus in* turba *id factum: quia duo* turba *non proprie dicuntur. Enim vero si plures fuerunt, decem, aut quindecim homines*, turba *dicetur. Quod ergo, si tres, aut quatuor?* Turba *utique non erit.*

(4) Conc. Toletan. XVI. *in can. unio nostrae 3. C. X. q. 3.* decrevit, *ut Ecclesia, quae usque ad* decem *habuerit mancipia, super se habet sacerdotem: quae vero* minus decem *mancipia habuerit, aliis coniungatur Ecclesiis.*

dit (1). Sed hoc textu abutuntur, qui trium personarum scientiam, praesentiamque sufficere notorio constituendo autumant. Aliud vero est collegium tribus hominibus repraesentari, quemadmodum et ius omnium in unum recidere, et stare in uno nomen universitatis docuit Ulpianus (2); aliud scientiam trium satis esse ad notorium, quum nullibi cautum in iure sit scientia unius collegii fieri notorium. Hinc nihilominus probe arguitur, quod tres aliquid in parochia, et coram populo, hominumve multitudine factum deponentes, notorium in iudicio satis probent (3).

XXIX. Duplex notorii genus esse Doctores fatentur, *facti*, et *iuris*. Quod palam fit populo (4), vel plebi (5), vel turbae, ac viciniae ex ipsa rei evidentia, aut iudici ex re coram eo in loco iudicii palam gesta; *notorium facti* nuncupat, de quo dictum hactenus. *Notorium* vero *iuris*, quod oritur ex confessione in iudicio facta, vel ex re iudicata per sententiam rite latam (6), aut ex legitima *praesumptione iuris, et de iure* urgentissima, seu indicio lege probato, quae vim manifestae probationis nimirum obtinet ipso iure, et quamlibet testibus, ac scripturis probationem contrariam omnino respuit (7); secus quam

(1) Marcellus in *l. Neratius 85. D. de verb. sign.*

(2) Ulp. in *l. sicut municipum 7. in fin. D. quod cuiusque universit. nomine.*

(3) Abb. in *cap. vestra 7. de cohabit. cler. et mulier.*

(4) Inn. III. in *cap. cum dilectis 15. de purgatione canonica* crimen cuiusdam presbyteri *publicum, et notorium* dixit, cuius universe viciniae populus testis erat.

(5) Conc. Ilerdense *in can. presbyter 13. C. 2. qu. 5.* presbyterum canonicae purgationi subiecit, ad diluendam, expiandamque infamiam malae opinionis a *plebe sibi commissa conceptam.*

(6) Lucius III. in *cap. vestra 7. de cohab. cleric., et mul.* notorium definit, *de quo presbyter canonice condemnatur . . . Ceterum aliud est*, ait, *quando crimen notorium non diffitetur presbyter, vel de ipso est canonice condemnatus; aliud est pene* occultum, *quod ab Ecclesia toleratur.* Vid. Fagnan. hoc in textu *a num. 67. ad 105.* Gregor. IX. *in cap. quaesitum 10. et ult. de cohabit. cleric., et mulier.* dixit *notorium aut per* sententiam, *aut per* confessionem *in iure factam, aut per* evidentiam *rei, quae tergiversatione celari non possit.* Consonat Innocentius III. *ep.* ad Comitissam Blesensem in *cap. cum olim 23. de verb. signif.*

(7) Talis est ea praesumptio, de qua in *cap. litteris 12. de praesumption.* consultus Alexander III, respondit: *postquam testes consanguineum viri solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem, ea ut credebant intentione, ut eam cognosceret carnaliter, viderunt multis secretis locis, et latebris ad hoc, commodis, et horis electis... ex huiusmodi violenta, et* certa *suscipione fornicationis potest sententia divortii promulgari.* Tum Clemens III. in *cap. insuper 4. qui matr. accus. poss.* rescripsit desponsatam invito animo impuberem, quae semel post pubertatem sit a viro sponte cognita, suum ita firmasse matrimonium praesumpta ratihabitione, ut illud rescindere amplius nequiret. Pariter Innocentius III. in *cap. per tuas 6. de condit. appos. in despons.* censuit eum a conditione futuris sponsalibus adiecta recessisse, qui antiquam ea impleretur, sponsam cognovit, aiens: *cum liquido constet, quod post contracta sponsalia carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio est praesumendum: quia videtur a conditione apposita recessisse.* Ante Concilium Tridentinum ex promissione futuri matrimonii subsecuta copula oriebatur eiusmodi prae-

alia *iuris praesumptio simplex* minus urgens, quae vix onus probandi reiicit in adversarium, et potest, ut saepe fit, probatione contraria excludi (1).

XXX. Notorium saepe *manifestum*, aut *publicum* promiscue appellant (2), qui lata vocum notione utuntur (3). Huc propterea spectat

sumptio matrimonii iam contracti, posteriores cum alia nuptias publicas irritans: *quia licet praesumptum primum matrimonium videatur, contra praesumptionem tamen huiusmodi non est probatio admittenda.* Idem Innocentius III. ait in *cap. is, qui fidem 30. de spons., et matr.* In Episcopos coniurationem clericorum ex dato inter sese iureiurando, aut ex chartula conscripta usque adeo patentem, ac certam iudicavit Synodus Aurelianensis III., *ut nullius excusationibus haec praesumptio elabatur*, ait in *can. si qui clericorum 25. C. XI. qu. 1.* Ex iure civili adde illam Ulpiani sententiam: *nihil interest, occidat quis, an caussam mortis praebeat, l. nihil 15. D. ad leg. Cornel. de sicariis:* quia scilicet ex data mortis occasione praesumitur voluntas occidendi exploratissima. Hinc parricidii conscios eadem, qua ipsum parricidam poena plectendos, cum Maeciano sensit Ulpianus in *l. utrum qui 6. D. ad leg. Pompeiam de parricidis*: quia voluntas necandi parentis in utrisque eodem iure praesumitur. *Qui armati venerunt*, addit Ulp., *etsi armis non sunt usi ad deiiciendum, sed deiecerunt: armata vis facta esse videtur. Sufficit enim terror armorum, ut videantur armis deiecisse, l. quod est 3. §. 5. D. de vi, et vi armata.*

(1) Cuiusmodi est ea ex. gr. semel malus, semper malus in eodem genere praesumitur ex *cap. semel 8. de reg. Iur. in VI.* Quemadmodum et filius impubes ante patrem, vel pater senex ante filium puberem mortuus in bello, naufragio, terraemotu arguitur ex *l. qui duos §. cum in bello, et fin. D. de rebus dubiis.* Nativitas pariter maris ante foeminam, *ex l. si ita fuerit D. eod. tit.* Legitima proles domi ex uxore orta, ex *l. filium 6. D. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris.* Solutio aeris alieni praesumpta ex restituto, vel rupto chirographo, docente *Modestino* in *l. si chirographum 24. D. de probat.*

(2) Innocentius III. in *cap. venerabilem 54. §. sunt enim de elect. Sunt enim* notoria (inquit) *impedimenta Ducis, scilicet excommunicatio* publica, *periurium* manifestum, *et persecutio divulgata.* Idemque in *cap. super quibusdam 26. de verb. sign.* illos censuit *manifestos* haereticos, qui contra fidem catholicam *publice* praedicant, aut profitentur, seu defendunt eorum errorem: et qui coram Praelatis suis vel convicti, vel confessi, vel ab eis damnati per sententiam sunt de haeretica pravitate. Hinc Lucius III. in *cap. vestra 7. de cohabit. cler., et mulier.* crimen *notorium occulto* sicuti publicum opponit, aiens: *aliud est crimen* notorium, *aliud* occultum. Pariter *manifestum, atque evidens* eodem fere sensu accipitur pro re certa, et explorata in *l. quoniam 7. C. de iure deliberandi.*

(3) At qui propriam cuiusque vocabuli significationem stricte observant, *manifestum a notorio, et publico* secernunt. Quemadmodum *qui deprehenditur cum furto*, eum Ulpianus cum Graecis furem *manifestum* appellat in *l. fur est manifestus 3. D. de furtis;* et cum Cassio addit *sive in publico, sive in privato deprehendatur cum re furtiva, l. sine igitur 5. D. eodem:* ita crimen illud *manifestum* proprie dicimus, quod sit in flagranti deprehensum sive in publico, sive in privato; quare distinguitur a *notorio*, quod in loco nonnisi publico, et diuturno tempore coram multitudine hominum fit, *can. consideret 1. de poenit, dist. 5.*, ubi S. Augustinus considerat qualitatem criminis in loco, et tempore. *Manifesta* res insuper, aut *evidens* potius, quam notoria, et publica dicitur, cuius patentia permanent vestigia, oculis subiecta fidelibus. Si nomen haeredis in testamento scriptum manu testatoris appareat, fit *manifestum*, Iustinianus ait, secundum illius voluntatem haereditatem esse transmissam, *l. iubemus 29. C. de*

quaestio prima Caussae secundae a pud Gratianum, an in manifestis iudiciarius ordo sit requirendus? Ad eam is elucidandam statuit primum sine ordine iudiciario, sine ritibus nimirum solemnibus qua iure, qua stylo institutis, damnari generatim posse neminem, idque studet prioribus 4. canonibus comprobare (1). Mox ad specialem hypothesim accessurus distinguit a manifestis occulta crimina, et affirmate ponit iudicium ordinatum exercendum in eos esse, *quorum crimina sunt occulta : ceterum quae* manifesta *sunt*, ait, *iudiciarium ordinem non requirunt. In* manifestis *enim calliditate accusantium non opprimitur reus, nec subtergiversatione proprium crimen celatur, quum culpa sua oculis omnium sponte se ingerat.* Id quod firmat auctoritatibus S. Ambrosii, S. Augustini, Nicolai I., et Stephani V. (2). *De* manifesta, *et nota pluribus caussa*, inquit Stephanus Papa, *non sunt quaerendi testes ... omnes enim crimen eius sciebant, et non arguebant. Publice enim novercam suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus*

testam. S. Augustinus in glossa interlineari *ad cap. 4. Genesis* ea expendens Domini verba: *vox sanguinis Abel fratris tui clamat ad me de terra:* apposite ait: *Evidentia perpetrati sceleris non indiget clamore accusatoris, cap. evidentia 9. de accusat.* Hoc eodem sensu Gregorius X. in *cap. si forte 11. de elect. in VI.*, et Nicolaus III. in *cap. constitutionem 2. de verb. sign.* manifestum visui, auditui, et aliis corporis sensibus defectum scientiae, aliusve qualitatis in *electo*, aut promovendo requisitae *evidentem* appellarunt. Et Livius *lib. 39.*, *rem evidentem pro dubia non esse quaerendam* scripsit. *Publicum* autem, quasi *popolicum*, proprie dicitur, quod in loco publico diurnis horis, et coram multitudine populi videntis, et intelligentis fit, ex Innoc. III. in *cap. 1. de postulat. Praelator.* Hinc quinque, vel septem testium praesentia, scientiaque *manifestum* probari, medietatis scilicet eorum, quot requiri pro *notorio* iam diximus, tenent Antonius de Butrio in *tract. de notorio art. num.*, Bald. in *l. ea quidem 7. C. de accusat.* et Marc. Paullus Leone in *prax. Poenitentiariae par. 2. cap. quid sit manifestum.*

(1) Ex iis tamen expungamus oportet, quas more suo intermiscuit apocryphas epistolas Eleutherii Papae in *can. 4.*, Felicis *can. 5.*, Zephirini *can. 6.*, et Melchiadis *can. 13.* Reliquis autem auctoritatibus genuinis primum ostenditur non esse reum condemnandum, nisi aut convictum, aut sponte confessum, ex B. Augustino in *can. nos in quemquam 1.*, et Constantini M. legibus, itemque Capitularium ab Hadriano collectorum in *can. iudex 2.*, ex Nicolao Papa in *can. notum sit 10.* Nec iudicium proferri posse ex incertis, et dubiis probationibus *ex lib. constit.* vulgo *apostolic.* in *can. nemo Episcopus 11.*, et S. Augustino in *can. nomen presbyteri 12.* Cuiusmodi sententiae potius indicant necessitatem probationis, seu substantiam iudicii criminalis, quam ordinis iudiciarii necessitatem. Nostram de ordine iudiciali quaestionem revera spectant vix duo fragmenta epistolarum S. Gregorii M., alterum brevissimum in *can. sicut 3.*; longissimum alterum in *can. in primis 7.* quibus irritum pronunciatur iudicium inordinate, legitimisque ritibus, et solemnitatibus minime servatis habitum. Praeterea ubi sine scripto prolatum sit, in *can. statutis 8.* desumpto ex *l. statutis 3. C. de sententiis ex periculo recitandis, et can. legum 9.* ex Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi. Demum recensentur qui accusare possint, vel non in *can. prohibentur 14.*, ex *l. qui accusare 8. de accusationibus.* Hoc idem argumentum sententiae iniustae ex defectu ordinis iudicialis denuo tractavit Magister Gratianus in *can. 84.* usque ad *can. 87. C. XI. qu. 3.*

(2) A *can.* 15. usque ad *can. 21, et ult. C. 2. qu. 1.*

erat : neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen (1). At vero *quum multa dicantur notoria , quae non sunt : providere debes , ne quod dubium est , pro notorio videaris habere :* ad rem commonet Alexander III (2).

XXXI. Tria *manifestorum genera* distinguens Magister (3), *alia sunt nota iudici* , ait , *et incognita aliis ? alia sunt manifesta aliis , et occulta iudici , quaedam vero sunt nota iudici , et aliis.* Mox declarat necessariam omnino probationem iuridicam , ordinatumque processum in primo genere. *Quis enim*, S. Augustinus ait (4), *sibi utrumque audeat assumere , ut cuiquam ipse sit et accusator, et iudex ? Cuiusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in eadem ad Corinthios epistola breviter insinuasse intelligitur , quum quibusdam commemoratis criminibus ecclesiastici iudicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim* (5) : scripsi vobis in epistola non commisceri fornicariis huius mundi , aut avaris , aut raptoribus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse. *Non enim possunt homines in hoc mundo viventes , nisi cum talibus vivere; nec eos possunt lucrifacere Christo , si eorum colloquium, convictumque vitaverint* . . . Aliis dein verbis quum Domini , tum Apostoli recitatis idem S. Doctor ostendit *non temere, aut quomodolibet , sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiae communione : ut si per iudicium auferri non possunt , tolerentur potius . . . . velut in messe palea usque ad ultimum ventilabrum, vel intra retia pisces boni cum malis usque ad segregationem in littore futuram.* Hinc rationes patent, cur nefas iudici sit ex privata scientia sua iudicare , eumque secundum allegata , et probata oporteat reos damnare , vel absolvere (6).

XXXII. In secundo manifesti genere , quando crimen est notum aliis, et non iudici, sententiam sine iudiciario examine ferri non debe-

(1) Steph. V. Leoni Episcopo Theanensi rescribens in *can. de manifesta 1. eadem C. 2. qu. 1.*

(2) Alex. III. Arch. Tolet. in *cap. consulit 14. de appellationibus.*

(3) Gratian. *post can. 17. C. 2. qu. 1.*

(4) S. Augustin. in *can. multi corriguntur 18. eadem C., et qu.*

(5) I. ad Corinth. *cap. 5. vers. 10.*

(6) Idemmet S. Augustin. in seq. *can. 19. eadem C. 2. qu. 1.*, ea Christi Domini verba expendens : *Si peccaverit in te frater tuus etc.* ait : *Quid est* , in te peccavit? *Tu scis, quia peccavit. Et quia secretum fuit , quando in te peccavit , secretum quaere , quum corrigis, quod in te peccavit. Nam si solus nosti , quia peccavit in te , et eum vis coram omnibus arguere , non es corrector , sed proditor.* Et paulo post : *Novit nescio quem homicidam Episcopus et alius illum nemo novit. Ego nolo illum publice corripere , et tu quaeris inscribere ? prorsus nec prodo , nec negligo : corripio in secreto : pono ante oculos eius Dei iudicium , terreo cruentam conscientiam , persuadeo poenitentiam. Hac caritate praediti esse debemus.* Idipsum firmat Magister ex Concilio Vasensi I. in *can. si tantum 2.*, et Concilio Africano in *cap. placuit 3., et ult. C. 6. qu. 2.* Quo enim pacto suam poterit sententiam iudex a calumniae suspicione eximere , et iustam hominibus ostendere , nisi allegata , et rite probata in actis pateant ?

re, Gratianus recte putat: sed apocrypha utitur ad id probandum epistola Evaristi Papae (1). Tertium denique genus explicans, quando crimen notum est iudici, et aliis, si reus inficiatur, ex. gr. interfecisse eum, quem sub oculis iudicis in conspectu multorum interfecit: docet non posse reum tunc negantem sine examinatione iudicari. At ubi evidentia ipsa operis reum ostendit, et opere publico suum ipse crimen confitetur: tunc post secundam, et tertiam correctionem fore sine examinatione damnandum, secundum auctoritates S. Ambrosii, et Nicolai ab eo recitatas. Heic defecisse Gratianum in manifesti, et notorii notione iam patet. Nullo etenim iure probare is poterit manifestum crimen (ut sileam cetera) illud esse, quod iudici dumtaxat notum sit, praeterea nemini. Hoc enim occultum, non manifestum a B. Augustino probe dicitur (2).

TIT. IX.

De defensionibus reorum.

I. Post confirmatas rite fiscalium testium depositiones decernitur, quod datus reo terminus defensionum currere incipiat.

II. Illico datur inde reo vel integra copia repertorum, vel processus originalis ipso tunc iure publicatus, et libertas colloquendi cum advocato, et procuratore suo in exteriori carcere.

III. Dum hoc termini decretum reo notificatur, simul ei dantur litterae citantes non modo testes ad defensam ab ipso nominandos, sed accusatorem etiam, et Fiscum ad videndum illos iurare, reus autem utrosque intra condictos dies citari omnino curabit.

IV. Pars adversa respondet quod velit, reservatque sibi repulsam testium in utroque foro, petitque simul in Curiis ecclesiasticis articulos defensionis pro interrogatoriis formandis.

V. Postulante autem accusatore, vel Fisco altera quoque citatio expeditur ad testes pro impinguationè fiscali examinandos, atque ad reum, ut videat eorum iuramenta.

VI. Completo examine testium licebit reo etiam post publicationem non modo alios ad suam defensam nominare, ac rite producere, Fisco, et querelanti non item, sed etiam fiscalium testium repulsam proferre, cuius terminus tunc erit Fisco, et accusatori communis pro refellendis ad defensam testibus.

VII. Suum reus advocatum, et procuratorem, aut ipse deligit, aut idoneum ei dat ex officio iudex.

VIII. Praecipuum advocati munus est aptos defensionum articulos bene concipere, ac producere.

(1) Evaristus in *can. Deus omnipotens 20. C. 2. qu. 1.*

(2) S. August. in cit. *can. si peccaverit 19. C. 2. qu. 1.* Et unius testimonium quantavis dignitate praediti testimonio nullius iura aequiparant, *can. admonere 33. qu. 2., cap. veniens 10., et cap. licet 47. de testibus.*

*

IX. Forma huiusmodi articulorum traditur.
X. Quinque summa defensionum capita indicantur.
XI. In primis crimen, et criminis caussam negans negationem indirecte probabit ex coarctatis adiunctis loci, ac temporis.
XII. Ex defectiva, vel ambigua fiscali probatione delicti in genere.
XIII. Ex caussa patrandi crimen vel amota prorsus, vel extenuata.
XIV. Secundo indicia criminosa elisurus bonum cuique malo indicio fiscali obiiciet.
XV. Diffamationi plerumque fallaci bonam famam.
XVI. Fugae commotionem animi ex magnitudine periculi, non ex conscientia peccati.
XVII. In ceteris urgentibus defectivas indicabit qualitates.
XVIII. Contrarium aliquid adversis indiciis detegat: leviora concedendo contemnat, veluti ad caussam nil pertinentia spernat.
XIX. Tertio contra testes fiscales multa, quoad fieri potest, obiiciat.
XX. Quarto accusatoris malam fidem, infamiam, turpes mores patefaciet.
XXI. Quinto erroneam, et falsam ipsius rei confessionem ostendat.
XXII. Tandem si nullus hisce defensionibus locus erit, ex iudiciali constitutione, vel absoluta, vel assumptiva, Tullio duce, sumet argumenta defensionis.
XXIII. Ex absoluta probabit crimen iure factum bene sine ulla iniuria.
XXIV. Ex assumptiva profluunt concessio, remotio, translatio, comparatio. Concessio fit, ubi postulatur absolutio per purgationem ex casu, imprudentia, necessitate admissi criminis.
XXV. Aut per deprecationem ob aetatem, sexum, nobilitatem, artis excellentiam, primum lapsum, graves aerumnas.
XXVI. Remotio profert praevium mandatum iudicis, vel superioris, aut gestam rem iuxta testatoris voluntatem.
XXVII. Translatio crimen vertit in aliorum culpam.
XXVIII. Comparatio fit, ubi necessitas reo fuit alterutrum ex duobus malis ingruentibus eligendi.
XXIX. Defensor multa opus habet prudentia, peritiaque ob reorum tuitionem accusatione difficiliorem.

I. Fiscalibus testimoniis contra reum rite firmatis, vel repetitione, aut spontanea huius renunciatione, vel iuramento in eius faciem praestito decernitur, quod *terminus defensionum alias datus eo die currat ab hodie* (1).

II. Praecipuus huius decreti effectus est, ut processus fiscalis reapse publicetur sine decreto publicationis, illiusque transumptum, scilicet integra detur copia reo (2), vel originalis potius pro copia repertorum

(1) Formulam hanc tradit Regens de Rosa *cap. 6. prax. crim. num. 10.*
(2) Pro qua mercedem laboris actuario solvet reus, nisi pauper sit, duos videlicet asses in singulas paginas versuum 22. exaratas, ex praescripto Regiae Pragm. an. 1738. §. *1. num. 31. in fine.* Dum originalia vero acta commo-

ex hodierno stylo ei commodetur: unde valeat ipse, eiusque advocatus cuncta inquisitionis capita, et adversa testimonia inspicere sigillatim, ac refellere (1). At excipiuntur laesae maiestatis rei, quibus nec originalia acta, neque integram eorumdem copiam, sed inquisitionis tantum capitula una cum nominibus testium fiscalium concedit lex municipalis, et consuetudo fori (2). Alter eiusdem decreti effectus est, ut reus illico ad exteriores carceres transferatur, ubi libera sit ei facultas colloquendi cum advocato, et procuratore suo, suasque cum iis defensiones parandi (3).

III. Antedictum inde decretum reo dum ipsi, eiusque advocato denunciatur, simul et ei traduntur litterae servientibus Curiae, mandantes citari testes ad defensam a reo nominandos, ministrumque fiscalem, et partem conquestam ad videndum eorum iuramenta. Sunt enim, qui putant non decurrere dies reo ad se defendendum indicti, nisi post expeditas, eique traditas eiusmodi citationis litteras, copiamque repertorum, quarum mora potius notario cassae, quam reo tribuitur. Reus autem in earum calce singulos ab se nominatos testes curabit a Curiae famulis intra datos termini dies citari, partemque adversam ad v. i. t., ut suo fungantur munere, nulla dein sollicitudine torquendus, an intra, vel extra terminum fiat eorum examen, ab alieno arbitrio nimirum iudiciis, et notarii caussae, non a suo dependens.

IV. Pars autem adversa eiusmodi citationi reponit, vel *sese paratam videre iuramenta testium in loco, et hora sibi speciatim nuncianda*, vel *illum alium substituere ad ea pro se videnda; nec non protestatur contra nominatos testes, sibi eorum repulsam reservando, postulans non recipi consanguineos, infames, ceteros iure prohibitos.* Insimul *postulare* in Curiis ecclesiasticis consuevit *articulos, seu capitula defensionum, et exceptionum pro formandis interrogatoriis* (4).

dantur, non aliud, nisi unum, vel duo ad summum carolenos pro iure commodati solvi actuario, monet Dom. Moro *lib. 3. prax. crim. cap. 9. num. 12.*

(1) Ex *cap. qualiter 24. §. debet de accusat. et l. unius facinoris 18. §. cogniturum 9. D. de quaestionibus.*

(2) Frideric. Imp. in regni *const. hi, qui per inquisitiones 2. de inquisit. faciend.*, et Praeses de Franchis *dec. 629.*

(3) Rex enim Ferdinandus ann. 1481. Pragm. 31. *de off. Mag. Iust.* §. 2. vetuit, ne custos carceris permitteret aliquem sine licentia Regentis, vel Fiscalium alloqui captivos in secretis, et criminalibus detentos. Tum §. 10. eiusdem Pragm. Petrus de Toleto Prorex iussit captivos ob crimina detineri in secretis carcerum, quoad usque tribunali M. C. aliter decreverit. At Rex Carolus die 29. Decembris 1746. rescripsit: *che nel difensivo da darsi al reo si astenga la Curia di tenerlo riservato, o in criminale: ma debba rilasciarlo alla larga, e in comune con tutti gli altri carcerati civili, affinchè più traluca la notorietà del giuridico procedimento canonico: con godere il reo la giusta facoltà di scrivere, e parlare a chiunque, quando, e come lo desideri per la propria, e legale sua difesa, senza obbligo di averne a chiedere, ed ottenere la licenza.*

(4) Quod vero ad laicas Curias, Pragm. 39. *de offic. Mag. Iustit.* §. 3., statuit Advocato Fiscali etiam licere suas interrogationes testibus ad defensam facere, in haec verba: *quanto all'intervenire dell'Avvocato Fiscale nell'esame*

V. Et quoties velint, aut fiscus, aut privatus accusator in eodem termino defensionum, probationes suas facere pinguiores: utroque, vel alterutro instante altera expeditur citatio ad testes, quos unus, vel alter nominaverit, reo insimul requisito ad videndum eorum iuramenta. Hinc vero talem inspiciens citationem ea ferme reponit, quae solet citatus ad videndum iuramenta testium repetendorum obiicere (1).

VI. Dehinc testibus rite examinatis, vel ad defensam tantum super articulis a reo praesentatis, vel ad offensam quoque pinguiorem, si alii a fisco, et accusatore sint producti: fit *publicationis* decretum, quo nimirum utrique parti datur facultas inspiciendi acta defensionum. Si defectivas reus noverit probationes suas, ei fas erit novas addere, et alios quoque testes producere super iisdem antiquis articulis: quum in iudiciis criminalibus usque ad sententiam definitivam reo nunquam denegetur facultas probandi defensiones, exceptionesque suas (2). *Defensionem quocumque tempore postulante reo negari non oportet*, Paulus censuit (3). At fisco, et accusatori privato non licet alios ad offensam testes producere post publicationem defensionum, nisi super novis maleficiis, et capitulis. Quoties vero postulanti reo detur post publicatas defensiones terminus ad repulsam testium fiscalium: eodem tunc termino poterit Fiscus, et accusator etiam testes ad rei defensam productos repulsare, quamvis nec Fisco soli, nec privato cuivis accusatori terminus repulsae concedatur (4).

VII. Advocato reum indigere, ut suas eius consilio defensiones recte adstruat, palam est. Dummodo praesens in iudicio reus adsit, ei et procuratorem, et advocatum iura eatenus indulgent, ut iudex dare non habenti advocatum ex officio debeat (5), secus dicendum de absen-

de' testimoni ad defensionem partium, si è conchiuso, che si osservino le Prammatiche, le quali non escludono, che quando l'Avvocato Fiscale vuole intervenire nell'esaminare de' testimoni nella prima istanza, non la possa fare, e quando vorrà intervenire, possa fare quelli interrogatorii per quello, che tocca alla buon'amministrazione della giustizia, che gli pareranno convenire.

(1) Videsis dicta superius *tit. VIII. num. V.*

(2) Clar. *qu. 91. vers. quaero*, Capic. *dec. 81.* Sanfelic. *dec. 23.*, Franchis *dec. 477.* Olim hoc in Regno publicatis defensionibus fiebat *conclusio* ex M. C. V. ritu *item quod si procedatur* tit. *quod incarceratus propter crimen, non liberetur, etc.*, quo sancitum, ne inquisiti e carceribus, *nisi facta prius conclusione in caussa*, liberarentur: sicuti expositum superius est *tit. VII. de relaxat. reor. num. IX.* At Regens Petra in *eod. ritu num. 3.* tradit aevo suo iam exolevisse in caussis criminalibus conclusionem. Eamque in civilibus etiam abolevit Rex Carolus Pragm. an. 1738. §. 1. *art. 28.*

(3) Paulus *in l. unius 28.* §. *cogniturum 9. D. de quaestionibus.*

(4) Clarus *qu. 23., et 53.*

(5) Ulpianus edictum praetorium edisserens in *l. 1.* §. *4. D de postulando* haec habet: *Ait Praetor*, si non habebunt advocatum, ego dabo. *Nec solum his personis hanc humanitatem Praetor solet exhibere* (puta pauperibus et miserandis personis omnino gratis) *verum et si quis alius sit, qui certis ex caussis, vel ambitione adversarii, vel metu patronum non invenit.* Huic autem non gratis quidem, sed salario ipsius clientuli, *l. 1.* §. *10. de extraordin. cognition.* Idemque Ulpian. in *l. nec quidquam 9.* §. *5. D. de offic. Procons.* ait: *advoca-*

tibus praesertim contumacibus (1). Mos inde invaluit in utroque foro interrogandi reos post litem cum iis contestatam : an habeant advocatum ? destinandique patronum caussae , ac defensorem indigentibus , aut potius tacite, quam expresse probandi electum, nominatumque ab iis. Praeterea in caussis haeresis in foro ecclesiastico huius Regni pertractandis suspicere patrocinium reorum debet advocatus a Rege dandus per organum Regalis Camerae S. Clarae , post visam informationem , licentiamque procedendi ad ulteriora impertitam , ex Regis Caroli rescripto, alias memorato die 29. Decembris 1746.

VIII. Suum advocatus officium executurus in eo totus erit , ut aptos caussae articulos defensionum, exceptionesque adversariorum indicia, et testimonia eversuras inveniat, et scite concipiat ex rebus quum a reo sibi nunciatis, tum aliis, quas per sese ipse investigaverit in actis : cautior , ne quid edat , vel conscribat, quod suo possit nocere clientulo (2). Hanc vero formam fere adhibebit , quae rubricam in primis , deinde capita defensionum continet.

IX. *Infrascriptos defensionum articulos producit in ea Curia Titius in caussa inibi vertente inter ipsum accusatum , seu inquisitum ex una , et illum accusatorem , et Fiscum ex alia de illo praetenso crimine ; postulans recipi , et examinari super iisdem suos producendos testes , salvo iure petendi terminum ad probandum uberius , et repulsam , non se adstringens etc. cum protestatione de expensis , et nullitate actorum , et omnibus licite protestandis. Intereaque revocat confessiones omnes, forsan ab se ipso factas, tam in iudicio , quam extra , et e contrario acceptat confessiones omnes quomodolibet ab suis adversariis editas in partibus pro sese facientibus, non aliter, nec alio modo. Itaque nihil omnino confitendo de intentione adversariorum , sed excipiendo tantum.*

In primis ponit , ac probare intendit , ipsum Titium ea die , et hora nullatenus fuisse in eo criminis loco , sed moram alibi fecisse in eo alio loco remotissimo , tot millia passuum dissito , una cum illis , et illis viris : nec discessisse inde , aut ad praefatum criminis locum rediisse , nisi eo tempore post longum intervallum dierum , vel horarum. 2. probare intendit, nullam inimicitiae caussam

tos quoque petentibus debebit Proconsul *indulgere, plerumque foeminis, vel pupillis, vel alias debilibus, vel his, qui suae mentis non sunt, si quis eis petat : vel si nemo sit, qui petat, ultro eis dare debebit. Sed si qui per potentiam adversarii non invenire se advocatum dicat, aeque oportebit ei advocatum dare.* Idipsum tradit in *l. magis puto 5. §. 11. D. de rebus eorum, qui sub tutela, vel cura sunt.* Et Valentin., et Valens in *l. providendum 7. C. de postuland.* Tum Pragm. 37. *de off. Mag. Iustit. §. 21.* cautum , ut Procurator panperum arbitratu neminem suo, sed previo Iudicum decreto suscipiat sibi eos tantum defendendos, quos iudices ipsi mandaverint.

(1) Ex supradictis *tit. IV. de citat., et custod. reorum num. XIII., et seqq.*

(2) Tullius *lib. 2. de oratore num. 78. non tam ut prosim caussae*, ait, *elaborare soleo, quam ut ne quid obsim. . . . multo est turpius oratori nocuisse videri caussae, quam non profuisse.*

intercessisse, inter illum, de quo agitur, offensum, vel occisum, ipsumque Titium: sed immo amicitiam ambo inter se fovisse mutuo, et signa benevolentiae invicem dedisse mutuis salutationibus, et visitationibus, et colloquiis frequentibus in qualibet opportunitate. 3, quod nullum honoris, pecuniae, dominationis, libidinis commodum speraverit Titius ipse ab illius hominis morte, nullumque vicissim ab eius vita incommodum pertimuerit, non iniurias, non infamiam, non dolorem, non supplicium, non detrimentum patrimonii. 4., quod Seius non ex accepto illo vulnere non lethali mortem obiverit, sed ex imperitia chirurgi, et intemperantia sua, et abusu ciborum: ex vinolentia, et neglecta curatione sibi a medico praescripta. 5., si quando minantia verba ex ipsius Titii ore, aut casu, aut in primo iracundiae motu forsan exciderint, quae tamen revera excidisse constanter negat: probare tunc intendit excipiendo, et non aliter, ipsum nullo unquam tempore consuevisse minas eiusmodi verbales exequi, nec verba factis complere, quum similibus querelis, et accusationbus numquam obnoxius retro fuerit. 6, quod Titius ipse insania militis gloriosi iandudum affectus consueverit auctorem sese iactare facinorum ab aliis patratorum, praesertim vero huius, et illius necis, quas fuisse ab eo illo patratas palam constitit in iudicio. Vel *quod vinolentia, furore, aut desperatione abreptus, quum in imo carcere obscuriori multos dies vexaretur, fame, siti, sordibus, verberibusque; et omni consanguineorum suorum colloquio, et auxilio destitutus diffideret vitam suam tot aerumnis, et calamitatibus refertam perferre diutius, mortem sibi, ultimumque supplicium praeoptando, confessus inde est coram iudice homicidium illud, quod revera ipse non patraverat, confecisse.* Vel *quod fallaci promissione, ac spe impunitatis ab illo, vel ab isto alio deceptus, et commotus in iudicio confessus falso est illam confecisse caedem hominis, cuius ipse omnino ignarus, et innocens est. 7, quod vestem nigram eo eiusdem criminis die nullatenus ipse gestaverit, quia eum ipsum indutum conspexisse testes falso ferunt: sed aliam diverso colore, quam plures homines palam viderunt. 8, quod ensis, acies decolorata tunc est, quum Titius eo ipso gladio canem in se irruentem percussit:* vel *agnum, quem comederet, cultro deficiente iugulavit.* Aut, *quod guttae sanguinis ex ansere iugulato effluentes, et adhuc palpitante concussis admodum alis, dum Titius prope adesset, circum adspersae vestem ei commacularunt.* Aut, *quod cultrum sanguine madefactum lictores, aliive in domum Titii data opera attulere, quem in ea invenisse postea mentiti sunt. 9, quod accusator longaevo contra ipsum odio exardescens calumniam delatae quaerelae diu excogitatam tandem adorsus, multos ad eam in iudicio probandam testes seduxit, et subornavit, quos pecunia, favore, promissis ad falsum deponendum, et peierandum pellexit. 10, quod testis ille, qui vulnera defuncti inspexit, ignarus chirurgiae, et imperitus erraverit nedum in qualitate vulneris describenda, et parte corporis vulnerata designanda; verum etiam in iudicio mortis, quam ex eodem vulnere obvenisse opinatus fallaciter est. 11, quod testes omnes, et*

singuli contra ipsum Titium producti , et examinati palam sint pauperes, et criminosi , et proclives ad falsum deponendum pro levi quovis emolumento. Quod ille e famulatu ipsius electus animum calumniandi ad vindictam foveat : quemadmodum et ille alius ab ipso etiam Titio ad solvendum debitum compulsus. 12 , quod nox illa , qua illud patratum fertur homicidium, fuerit illunis, et nubila, incidens in eum interlunii diem : proindeque testes falsum omnino deposuere dicendo , eamdem noctem fuisse claram , et lucidam. in eaque vidisse , et agnovisse personas offendentes, et offensas nullo adhibito lumine. 13 , quod diffamationem homicidii ab incerto auctore patrari statim vulgaverint studiose contra ipsum Titium inimici sui eo animo , ut ipsum in carceribus detrusum calumniis opprimerent. 14, quod adversis huiusmodi rumoribus ipse Titius perterritus ad Ecclesiam confugere , aut e patria sua discedere , satius putavit , quam in manus inimicorum suorum sese ultro dedere : ratus innocentiam suam , et personam homicidae tunc occultam fore beneficio temporis manifestandam. 15, quod apud laudatos, et probos viros , iustosque rerum aestimatores Titius ipse bona fama , et opinione fruatur , quum a puero bonis moribus praeditam semper vitam gesserit , nulloque tempore unquam patraverit similia , quae per fraudem , et calumniam nunc ei ab suis inimicis imputantur facinora. Item haec , et alia cum facultate addendi etc.

X. Cetera hoc modo capitula defensionum sigillatim describet prudens caussae patronus , quae ad innocentiam rei, calumniamque accusatoris ostendendam, si res ita se habet , et elidendas adversarum partium probationes conducere videantur. Quandoquidem ex huiusmodi factis , quae rite sunt idoneis testibus , aliisque documentis probanda , oriuntur iura defensionum calamo , et voce advocati exponenda ante sententiam. Ea vero distribuere in quinque summa capita commodum erit. Primum negabit crimen , et criminis caussam. II., elidet indicia singula per fiscum, et accusatorem probata. III , refellet testium dicta, et personas. IV , accusatoris malam fidem , infamiamque notabit. V , erroneam , falsamque ostendet confessionem a reo factam. Ad extremum, si nullus hisce defensionibus locus erit , legitimam probati, vel confessi criminis caussam ostendet, quae nullam propterea poenam promereatur , vel excusationem aliquam proferet , quae poenam iure illatura sit mitiorem.

XI. Quod ad primum , *quia negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio* , inquit Innocentius. III. (1) : reus idcirco testibus crimen affirmantibus convictus ad probandam suam criminis negationem iure non admittitur (2). At vero indirecta negationis probatio

(1) Innoc. III. in *cap. bonae memoriae 23. de electione, et cap. quoniam 11. de probationibus*, cui consonant Dioclet., et Maxim. in *l. actor 23. C. de probationibus*, unde Gratianus exscripsit *can. accusator 2., et fin. C. 6. qu. 4.*

(2) Honor. III. in *cap. ad nostram 12. de probation.* rescripsit: *in huiusmodi probatione negativa (dum tamen possit affirmativa in adverso probari) neminem audiatis.*

ex coarctatis adiunctis loci, ac temporis reo quam maxime suffragatur. *Si enim quo die ista caedes Romae facta est, ego Athenis eo die fui: interesse in caede non potui*, Tullius ait (1). Pariter ostensam plene falsitatem instrumenti, si reus conventus *toto eo die, quo conficiebatur instrumentum, sese, vel adversarium suum in aliis locis fuisse probaverit*, censuit Iustinianus (2).

XII. *Corpus criminis* etiam, quod *delictum in genere* passim nuncupant, reo expedit negando amoliri. Quintilianus duplicem illud negandi formam ostendit, *aut non esse factum, aut non hoc esse, quod factum sit . . . Quae neque defendi, neque transferri possunt, utique neganda . . . Testes erunt: multa in eos dicere licet . . . Utique nihil erit peius, quam confessio* (3). Idemque hoc aliud ad hanc rem paulo ante monuerat: *Caedes a te commissa est, cruentam enim vestem habuisti. Non est tam grave argumentum, si fatetur, quam si convincitur. Nam si fatetur, multis ex caussis poterit cruenta esse vestis. Si negat, hic caussae cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit* (4). Huiusmodi corpus criminis, lapidem angularem iudicii, non satis constitui ex eo, quod appareat hominem esse occisum, nisi et constiterit eum ipsum *scelere* interfectum (5), explorata res est: puta ex eo vulnere ensis, aut balistae igneae, quod letiferum periti renunciaverint, occubuisse, non alia ex caussa. Id enim nisi pateat speciatim, et plene probatum, praesumitur ex infirmitate potius naturali, aut ex neglecta levis vulneris curatione defunctus; praesertim, ubi ex plurium dierum intervallo mors vulnerati acciderit (6). Pariter si medici palam non fecerint eum alium ex propinato, et hausto veneno mortuum, in eoque signa indubia talis veneni conspexisse; ipsius mors ex morbo naturali, et ingenito veneno obvenisse putatur (7).

XIII. *Caussam* quoque nullam faciendi crimen dicet, et praesertim impulsionem, aut si fuisse concedet, extenuabit, et parvulam quandam fuisse demonstrabit, aut non ex ea solere huiusmodi facta nasci docebit (8).

(1) Tullius de *inventione lib. 1. num. 59.*

(2) Iustin. Imper. in §. *item verborum Instit. de inutil. stipulat.*

(3) Quintil. *cit. lib. 5. Inst. cap. 13. de refutatione.*

(4) Idem *loc. cit. cap. 12. de usu argumentorum.*

(5) Ex Ulpiani sententia in *l. 1. §. item illud D. de Sen. Cons. Syll.*, *et Claud.* quam exposui superius *tit. 3. §. 9.*

(6) *Si vulneratus fuerit servus non mortifere, negligentia autem perierit, de vulnerato actio erit, non de occiso*, Paulus censuit in *l. qui occidit 30. §. ult. D. ad leg. Aquil.* Concors est Honorius III. in *cap. exhibita 22. de homic. volunt., vel causali.* Nec dissentit Alfenus in *l. si ex plagis 52.* initio *D. ad leg. Aquil.* inquiens; *si plagis servus mortuus esset, neque id medici inscientia, aut domini negligentia accidisset, recte de iniuria occiso eo agitur.* Videsis Guazzin. *defens. 4. cap. 10.*

(7) Nam *generari posse in humano corpore humores veneno similes*, tradit Galenus *lib. 6. de locis affectis cap. 5.*

(8) Tullius *ad Herenn. lib. 2. num. 4. Caussa est ea*, inquit, *quae induxit ad maleficium commodorum spe, aut incommodorum evitatione: ut quum quaeritur, num honorem, num pecuniam, num dominationem, num aliquam cu-*

Distribuet caussam (Tullio duce) *in impulsionem, et ratiocinationem. Expensurus* impulsionem *demonstrabit, quae vis, et natura sit affectionis, qua impulsus aliquid reus commisisse dicitur: in quo et exempla, et similitudines erunt proferendae, et ipsa diligenter natura eius affectionis quam levissime quietissimam ad partem explicanda, ut et res ipsa a facto crudeli, et turbulento ad quoddam mitius, et tranquillius traducatur, et oratio tamen ad animum eius, qui audiet, et animi quendam intimum sensum accomodetur.* Ratiocinationis *autem suspiciones infirmabit, si aut commodum nullum fuisse, aut nihilo sibi magis, quam aliis; aut incommodum sibi maius, quam commodum dicet: ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo, aut cum eo incommodo, quod acciderit, aut cum illo periculo, quod subeatur, comparanda* (1). Praeterea generatim *possumus omnes latebras suspicionum peragrare dicendo: non caussa, non locus, non facultas, non conscius, non perficiendi, non occultandi maleficii spes, non ratio ulla, non vestigium maximi facinoris reperietur:* id quod M. Tullius pro M. Coelio dixit.

XIV. Posthaec *indicia* fiscalia sunt curatius elidenda, quoad fieri potest sigillatim, et indicium bonum obiiciendum malo cuique indicio. *Contra argumenta, et signa, et caeteras suspiciones*, docente Tullio *dicemus hoc modo: si demonstrabimus nullam rem esse, quam non suspicionibus quivis possint criminari: deinde unamquamque suspicionem extenuabimus, et dabimus operam, ut ostendamus, nihilo magis in nos ea, quam in alium quempiam convenire, indignum facinus esse sine testibus coniecturam, et suspicionem firmamenti satis habere* (2).

XV. *Contra rumores*, continuo subdit Tullius, *dicemus primum*,

piditatem amoris, aut huiusmodi libidinis voluerit explere. Aut num quod incommodum vitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, supplicium. Hic accusator *in spe commodi cupiditatem ostendet adversarii, in vitatione incommodi formidinem augebit.* Defensor *autem negabit fuisse caussam, si poterit, aut eam vehementer extenuabit. Deinde iniquum esse dicet omnes, ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re pervenerit, in suspicionem maleficii devocari.* Confer huc dicta superius *tit. III. num. XXI., et XXVIII.* Iure hinc meritissimo Ulpianus interrogatus, utrum qui servam e domo domini abduxeret, de raptu, an de furto teneretur: respondit *non factum, sed faciendi caussa perquiratur, an ex libidinis, an furti caussa, l. verum 2. D. de furtis.* Et ubi duabus caussis concurrentibus altera crimen includeret, altera excluderet: posteriorem hanc fore attendendam censuit idem Ulpianus in *l. rei communis 45., et l. merito 41. D. pro socio,* inquiens: *Ita demum furti actionem esse contra socium, si per fallaciam, et dolo malo amovit: et sane plerumque credendum est eum, qui partis dominus est, iure potius sua re uti, quam furti consilium inire.*

(1) Idem Tullius *de inventione lib. 1. num. 7.* Idemque praecedenti *num. 6.* inquit: *collatione praeterea utetur, si defensor demonstret, aut alios quoque patratum crimen bono fuisse, aut alios quoque id, quod reus simuletur facere potuisse: eumque ipsum aliis rationibus aeque commode potuisse, vel alias abstinuisse a rationibus commodioribus.*

(2) Idem Tullius *lib. 2. ad Herennium num. 11.*

si docebimus multos esse falsos rumores, et exemplis utemur, de quibus falsa fama fuerit: et aut inimicos nostros, aut homines natura malevolos, et maledicos confinxisse dicemus: et aut aliquam fictam fabulam in adversarios afferemus, quam dicamus omnibus in ore esse, aut verum rumorem proferemus, qui illis aliquid turpitudinis afferat, neque tamen eidem rumori nos fidem habere dicemus, adeo quod quivis homo possit, quamvis turpem de quolibet rumorem proferre, et confictam fabulam dissipare. Verumtamen si rumor vehementer probabilis esse videbitur, argumentando famae fidem poterimus abrogare. Aut famam bonam malae famae obiectans, *defensor demonstrabit vitam integram si poterit: id si non poterit, confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adolescentiam, vim, persuasionem, quibus de rebus vituperatio eorum, quae extra id crimen erunt, non debeat assignari: sin vehementer vitae hominis turpitudine impedietur, et infamia, prius dabit operam, ut falsos rumores dissipatos esse dicat de innocente: et utetur loco communi, rumoribus credi non oportere, sin nihil horum fieri poterit, utatur extrema defensione, et dicat non se de moribus eius apud censores, sed de criminibus adversariorum apud iudices dicere* (1).

XVI. *Si reus aufugerit, vel pertimuerint, defensor eum magnitudine periculi, non conscientia peccati commotum esse dicet. Si non pertimuerit, fretum innocentia negabit esse commotum*, ex Tullii consilio (2).

XVII. In ceteris quoque indiciis in reum urgentibus defensor studeat defectivas eorum qualitates indicare, sine quibus infirmam, leviorem-que fieri vim suspicionum iam commonui superius (3): eaque nisi omnino elidantur, sat erit extenuare. Quandoquidem *favorabiliores rei potius, quam actores habentur* (4) utroque iure in rebus praesertim dubiis. Sane quum unusquisque iure praesumatur bonus, donec ostendatur contrarium (5): ista iuris praesumptio efficit, ut accusatum quemlibet potius innoxium, quam reum existimemus, quotiescumque non perinde clara, ac lux meridiana, sed ambigua erunt, contrariisque argumentis extenuata indicia adversariorum (6).

(1) Tullius *ibidem num. 5.* Quod falso *rumore* mortis Pactumeiae Magnae *perlato* Androsthenes mutavit testamentum, Imperator autem pronunciavit hereditatem pertinere ad Magnam prioribus tabulis institutam heredem, posthabito Novio Rufo secundis tabulis instituto, tradit Paullus in *l. Pactumeius 92.*, *et ult. D. de haeredib. instit.*

(2) Tullius *ibdem n. 9.*

(3) Hoc libro *tit. III. num. XXIX.*, *et seq.*, ubi de iudiciis rivalitatis, et zelotypiae, minarum, inimicitiae, aliis id genus, eorumque qualitatibus requisitis plura edisserui.

(4) Ex Gaii axiomate in *l. favorabiliores 125. D. de reg. Iur.* et Bonif. VIII. in *cap. cum sunt paria iura eod tit. in VI.*

(5) *L. super servis C., qui militare non possunt, can. si quid dist. 86., et cap. ult. de praesumption.*

(6) Id quod ex communi Doctorum sententia tenet Sebastianus Guazzinus *defensa 29. cap. 2., post* Farinacium, Aegidium Bossium, Marsilium, Petrum Surdum, Hondedeum, ceteros.

XVIII. Oratoris est efficere, ut aliquid contrarium esse *indiciis* adversariorum appareat, monet Quintilianus (1). *Obiicitur Oppio* (ait) *quod de militum cibariis detraxit: asperum crimen: sed id contrarium ostendit Cicero, quia iidem accusatores obiecerunt Oppio, quod his voluerit largiendo corrumpere exercitum.* Idemque paullo post addit nonnunquam quaedam bene concedi, vel tanquam levia, vel tanquam ad causam nihil pertinentia. Multis hoc locis factum a Cicerone observat. *Sed haec simulatio interim*, inquit, *huc usque procedit, ut quae dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus.* Aliud hoc praeterea commonet ibidem, ut *videamus etiam, an simul nobis plura aggredienda, an amolienda singula.* Plura *simul invadimus, si aut tam infirma sunt, ut pariter impelli possint, aut tam molesta, ut pedem conferre cum singulis non expediat . . . . quae vero turba valebunt* (nimirum quae unita maxime in reum urgent) *diducenda erunt* (scilicet separatim refutanda) : *urgent universa. At si* singula *quaeque dissolveris, tam illa flamma, quae magna congerie convaluerat, deductis quibus alebatur, concidet, ut si vel maxima flumina in rivos deducantur, qualibet transitum praebent.*

XIX. *Contra testes* obiicere multa possumus, sicuti Tullius tradit (2), *vitae turpitudinem, testimoniorum inconstantiam: si aut fieri non potuisse dicemus, aut scire illos non potuisse, aut cupide dicere, et argumentari... plus oportere signis, et argumentis credi, quam testibus: haec enim eo modo exponi, quomodo revera sunt gesta: testes corrumpi posse vel pretio, vel gratia, vel motu, vel simultate.* In trutina sunt ergo singuli, prout res ferat, nasute suspendendi, seductus ille testis, qui ab aliis suggestas, ignotasque sibi res deposuerit, aequiparabitur decrepito seni, qui tremulum caput quum semper moneat, videtur *omnia omnibus annuere*, alius hic errabundus dicetur *fabulas Milesias*, vel *somnia Orestis* enarrasse, aut *testudinem volantem*, aut aquas fluminis sursum versus ascendentes vidisse : alius inverisimilia, et absurda proferens *ocream capiti, galeam tibiae* aptasse, *ad os a cauda* cito transiliisse : alius possibilia, et incognita, quae reapse talia non sunt, nec necessario consequuntur, dixisse per suspicionem sine certa scientia. Tandem non Xenocratis testimonium verax, et indubitatum proferri, sed mendaces homunculos, Sofias, et Tybios, in perniciem honesti civis adscitos redarguet (3). Propterea ex Impera-

(1) Quintilian. *instit. orator. lib. 5. cap. 13. de refutatione.*

(2) Cic. *lib. ad Herennium n. 10.* Huc spectat etiam textus Modestini, in *l. in testimoniis 2.*, et Callistrati in *l. testium fides 3. D. de testibus. Saepe contingit, quod testes corrupti facile inducuntur ad falsum testimonium proferendum,* ait Alex. III. in *cap. quia verisimile 10. de probationibus.*

(3) *Convictis, confessisque ad societatem scelerum vocantibus eos, a quibus apprehensi, costoditive sunt, facile credi non oportet,* nisi evidentibus isti rationibus convincantur, Imp. Antoninus rescripsit in *l. sicuti convictis 4. C. de quaestionibus.* At Carolus II. Andegavensis trium latronum, viarumque grassatorum confessioni, qui suos nominarint receptores, complices, et fautores tantam in istos fidem attribuit, quantam faciunt duo probi testes, *cap. constitutionem de confessione latronum.*

toris Alexandri rescripto, *soli testes ad ingenuitatis probationem non sufficiunt* (1). Nisi falsa poterunt ostendi testimonia, studeat defensor inverisimilia saltem commonstrare: quum falsitatis imago sit inverisimilitudo (2). *Quia verisimile non est, provideas, ne super hoc probationem recipias*, rescripsit Alexander III. (3) Hinc inscios falsi rumoris testes vicinos, et domesticos obiiciet adversis testimoniis eorum, qui loca remota incolentes praesumuntur ignari (4). Mox contendet Arcadii Charisii auctoritate fretus, quod confirmare iudex debeat *motum animi sui ex argumentis, et testimoniis, quae rei aptiora, et vero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, et testimonia, quibus potius lux veritatis assistit* (5). *De suspicionibus non debere aliquem damnari*, Traianus Assiduo Severo rescripsit: *satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare*, Ulpianus tradit (6). His addas defectivas Iuris sollemnitates in acceptis testimoniis, vel omissam scilicet citationem partis adversae ad videndum iuramenta testium quum in genere, tum in specie examinatorum, vel neglectas ad rem eliquandam necessarias interrogationes, vel tacitas ad interrogata responsiones. Imperitos insuper testes, qui vestigia criminis permanentia inspexerunt, defensor arguet, ut probationem criminis in genere simul infirmet. Nam nonnisi probatae artis, et fidei peritos oportet in eiusmodi visitationibus adhiberi (7): alias *si imperi-*

(1) Alexander in *l. si tibi 2. C. de testib.*

(2) Ex Hadriani epistola in *l. testium fides §. 1. D. de testibus*, ibi: *an ad ea, quae interrogaveras, ex tempore verisimilia responderint.*

(3) Alex. III. in *cap. quia verisimile 10. de praesumption.* Profecto *in obscuris inspici solet, quod verisimilius est*, ex Paulli responso in *l. in obscuris 114. de reg. Iur.*, et Bonif. VIII. in *cap. inspicimus 45. eod. tit. in VI.*

(4) Ignorantiam facti domestici in personis domesticis, et vicinis iura non praesumunt. *Effractis, et compilatis horreis*, servos domini, cum quo de eorumdem horreorum locatione contractum est, *propter aedificiorum notitiam in quaestionem peti* posse, Paullus respondit in *l. dominus 55. D. locati.* Matrimonii veritatem cum uxore ad liberos procreandos domi habita *vicinis vel aliis scientibus* innotuisse, rescripsit Probus Imp. in *l. si vicinis 9. C. de nuptiis.* Ut servos ad militiam inscio domino demigratos possit dominus vindicare, ad suumque dominium retrahere: *suam ignorantiam ostendere* ante debet, *eo quod contrarium minime probatur*, ex Iustiniani rescripto in *l. super servis 6. C. qui militare possunt vel non.*

(5) Archad. Charis. in *l. ab carmen 21. in fin. D. de testibus.*

(6) Ulp. in *l. absentem 5. D. de poenis.*

(7) Divi Fratres Ulpiano teste in *l. temporibus 1. D. de inspiciendo ventre custodiendoque partu*, rescripserunt, ut uxorem, quae a viro diverterat cum ventre ambiguo, postulante viro *tres obstetrices probatae et artis et fidei*, quae a Praetore urbano adsumendae sint, *eam inspiciant.* Obstetrices, *idest medicae* Paulus inquit, *lib. 2. sent. tit. 24.* Tum Ulpianus *et obstetricem audiant*, ait, *quae utique medicinam exhibere videtur*, in *l. 1. §. 2. D. de extraordin. cognit.* Honorius III., ut inspiciantur mulieres *a matronis bonae opinionis, fide dignis ac expertis*, respondit in *cap. litterae vestrae 7. de frigid. et malefic.* Gordianos vitium valetudinis explorandum medicis censuit in *l. semel 6. C. de re militari.* Innocentius III. in *cap. significasti 18. de homicidio* rescripsit credendum *peritorum iudicio medicorum*, an percussio fuerit lethalis. Ulpianus in *l.*

te quis versatus est, sibi imputare debet, qui eum adhibuit (1).

XX. Ab *accusatoris* quoque persona coniecturam reo favorabilem defensor capiet, accurate inquirens, cuiusnam condictionis, et famae sit, an inops, et aspersus infamia; an contra accusatum inimicitias fovisset (2). In hoc defensionis genere praestantissima est oratio Ciceronis pro M. Coelio, qua Oratorum princeps duo in Coelium obiecta crimina erepti nempe auri sub specie commodati propinatique ad Clodiam necandam veneni, confutavit disertissime coniecturis ex persona Clodiae praecipue desumptis (3). Deficientem insuper in primo querelae capitulo accusatorem non esse ad probanda sequentia admittendum, multis Gratianus ostendit (4).

XXI. Reo etiam confesso leges, et mores defensiones indulgent. Nam defensor poterit confessionem vel erroneam, et mendacem, vel absurdam, rerumque naturae repugnantem ostendere. *In totum confessiones ita ratae sunt*, Iavolenus docet, *si id quod in confessionem venit, et ius, et natura recipere potest* (5). *Si quis hominem vivum*, monet Ulpianus, *falso confiteatur occidisse, et postea paratus sit ostendere hominem vivum esse*, Iulianus *scribit, cessare Aquiliam: quamvis confessus sit se occidisse* (6). *Confessiones reorum pro ex-*

1. D. si mensor falsum modum dixerit, hoc habet: *adversus mensorem agrorum Praetor in factum actionem proposuit, a quo falli nos non oportet. . . si imperite versatus est, sibi imputare debet, qui eum adhibuit: sed et si negligenter, aeque mensor securus erit.* Idemque in *l. si duobus 3. D eodem tit.*, cum Pomponio scribit: *si propter iudicium adhibitus mensor fraudaverit me in renunciatione, teneri eum, si ob hoc de iudicio minus tuli.*

(1) Ulpianus inquit in *cit. l. 1. §. 1. D. eodem.* Nam ex Papiniani sententia, *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, l. non debet 74. D. de reg. Iur.* Et *non debet aliquis alterius odio praegravari*, Bonif. VIII. in *cap. non debet 22. eod. tit. in VI.* quum aliena culpa auctori tantum suo nocere debeat, praeterea nemini.

(2) S. Greg. M. in *can. in primis 7. C. 2. quaest. 1.* Huc spectat illa paraemia: *fur ipse accusat:* in eos, qui a se suscipionem aversuri praeveniunt et alios accusant.

(3) Magis *hoc in accusatores concessum est, quibus conviliari aliquando patrocinii fides cogit*, monet Quintilianus *lib. 5. Inst. orat. cap. 13.* Tametsi accusationem vertere in accusatorem accusato, non licere, probat Gratianus *Caussa 3. quaest. 11.*

(4) Gratianus *C. 3. quaest. 10.*

(5) Iavolen in *l. si is 14. D. de interrogat. in iure facien. §. 1.* Ulpianus in *l. 1. §. 27. D. de quaestionibus*, ait: *Si quis ultro de maleficio fatetur, non semper ei fides habenda est: nonnunquam enim metu, aut qua alia de caussa in se confitetur.* Propterea sponte confesso terminum quoque impertiri ad se defendendum adversus propriam confessionem edixit *Pragm. 10. §. 15. de officio iudicum.*

(6) Ulpian. in *l. inde Neratius 23. in fin. D. ad leg. Aquiliam.* Idemque in *l. proinde 26. D. eod.* ait: *proinde si occisus quidem non sit, mortuus autem sit; magis est*, ut *non teneatur in mortuo, licet fassus sit.* Consentanee Paulus in *l. hoc apertius 24. D. eod.* inquit: *hoc apertius est circa vulneratum hominem: nam si confessus sit vulnerasse, nec sit vulneratus, aestimationem cuius vulneris faciemus?* Idem Iurec. de confessionibus falsis agens, eas nullius momenti habet, si quid naturali veritati, quae pateat, adversetur: *quia*

ploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat, rescriptum a Severo tradit Ulpianus (1). Insaniam potius rei sponte confessi redarguens cum Quintiliano expendat eam esse natura omnis confessionis, ut possit videri demens, qui de se confitetur: neque enim est quisquam tam perditus, tam inutilis sibi, ut non ista scelera committat proposito negandi. Tormentis extorta confessio facilius excusatur. *Si de quaestione quaeritur, pluri num interest*, Quintilianus rursum commonet (2), *quis, et quomodo sit tortus? an credibilia dixerit? an semper constanter perseveraverit in eo, quod caeperat? an aliquid dolore mutavit?* Imperatores fratres ad Voconium Saxam rescripserunt *liberandum eum* Primitivum servum, *qui in se fuerat confessus* homicidium metu ad dominum revertendi, *cuius post damnationem de innocentia constitisset* (3). Carolus II. Andegavensis edixit praesumendum fore, quod *formidine tormentorum sit confessus*, qui contra formam iuris, vel post appellationem torqueretur (4). Et Fridericus Imperator constituit, *ut in caussis etiam criminalibus, et publicis tutorum, vel curatorum, seu baiulorum auctoritas minoribus assistat* (5). Praeterea si confessio facti controverti nequeat, iuris tamen defensionem potest ea suscipere ex qualitatibus confessioni adiunctis, quae crimen diluunt, quoties eas reipsa reus probaverit (6), puta necessariam defensionem, casum for-

falsae confessiones, ait, *naturalibus convenire debent*, *l. confessionibus 13. D. de interrogat. in iure faciendis.* Non enim fatetur qui errat, *l. 2. D. de confessis.* Consonat Modest. in *l. quidam 15. D. de probat.*, et Imperatores Valerianus, et Gallienus in *l. neque professio 5. C. de testamentis.* Tandem Greg. IX. in *cap. ex parte 3. et ult. de confessis* irritam pronunciavit confessionem cuiusdam oeconomi, quae facta per errorem in iure fuerat; *cum nemini*, ait, *noceat error facti . . . si de eiusmodi potuerit errore docere, provideas, ut nullum sibi super hoc praeiudicium generetur.*

(1) Ulpian. in *l. in criminibus 1. §. divus Severus 18. D. de quaestion.*

(2) Quintilian. *lib. 5. Instit. orat. cap. 4.*

(3) Ex Ulp. in *cit. l. 1. §. ult. D. de quaestionibus.*

(4) Carol. II. Andeg. *cap. si iuste quis appellaverit tit. quod recipiatur sententia vel appellatio a tormentis.* Videsis dicenda inferius in *seq. tit. de tortura.*

(5) Frideric. Imp. in regni *const. minorum iura de restit. minor.* Iustinianus etiam in *l. clarum. 4. C. de auctoritate praestanda* sanxit *in criminalibus caussis adesse tutores, vel curatores* minoribus 25. annis: *cum cautius, et melius sit*, ait, *cum suasione perfectissima, et responsa facere minores, ne ex sua imperitia, vel iuvenili calore aliquid, vel dicant, vel taceant, quod prodesse eis poterat, et a deteriore calculo eos eripere.* Hinc patet, cur confessio minoris sine praesentia, et auctoritate tutoris ei non noceat.

(6) Carolus Rex noster Prag. Caietae edita die 15. Iunii 1738. *art. 9.* consuetudinem firmavit in regiis tribunalibus iamdiu introductam pro regio Fisco, ut reorum confessiones cum adiunctis qualitatibus, vel crimen omnino purgantibus, vel poenam diminuentibus scinderentur; nimirum, ut factum criminosum confessione comprobatum plenissime pro Fisco putetur ad poenam quoque ordinariam: reus vero cogatur excusantem qualitatem ab eo suae additam confessioni probare. *Essendo rimasti informati*, Rex ait, *che quando le confessioni sono qualificate, e avverso la qualità minorante il Fisco abbia pruova indiziaria, e nelle difese non vengono gl'indizi evacuati, e debilitati, o la qualità*

tuitum, errorem involuntarium (1), sine dolo (2): quemadmodum Cicero vidit pro T. An. Milone, ostendens Clodii caedem a Milone, confessam iure patratam cum moderamine inculpatae tutelae, ideoque impunem. Quamobrem Cn. Pompeius non poenam confessioni, sed defensionem dedit, ratus caussam interitus Clodii quaerendam, non interitum. Ita sataget accusatorem, et fiscum defensor achilleis armis destituere.

XXII. Hucusque dicta locum obtinent, ubi factum criminis ambiguum, et controversum, quod reus probabiliter abnegaverit, in quaestione sit. Dum vero factum plene comprobatum probis, et multis testimoniis, et sincera partis confessione ita pateat evidenter, ut nulla possit tergiversatione celari: tunc argumenta defensionis sumet ab iudiciali constitutione, quam Cicero bipartitur in *absolutam, et assumptivam* (3).

XXIII. In *absoluta* constitutione probabit crimen iure factum bene, sine ulla iniuria: ex. gr. homicidium Seii, de quo inquiritur, confectum ab accusato ad necessariam sui defensionem in discrimine vitae suae cum moderamine inculpatae tutelae: quo casu vim vi repellere omnes leges, iura omnia cuique permittunt (4). Vel hominem in adulterio deprehensum a viro iustissime irato occisum (5). Vel contrectationem rerum, quas furto ablatas accusator conqueritur, factam non dolo, et fraude ab accusato, sed compensandi studio certum, et liquidum creditum suum (6). Hasce nimirum exceptiones, et argumenta de-

minorante non venga provata, in pratica si osservi che si possa, e debba la confessione scindere, e rigettata la qualità aggiunta punirsi il reo come semplicemente confesso: nondimeno per togliere la controversia . . . ordiniamo, e comandiamo, che una tal pratica rimanga per questa nostra real costituzione espressamente approvata, e stabilita.

(1) *Quis nomen unquam sceleris errori dedit?* Multis remissa est vita, Quorum *error nocens, non dextra fuerat*, cecinit Seneca *in Hercule fur.*

(2) Quia dolus non praesumitur, nisi probetur, ex Ulp. in *l. quoties 18. §. qui dolo 1. D. de probation.*, et Impp. in *l. dolum 6. C. de dolo malo. Ea facta, quae dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*, inquit Beda in *cap. estote misericordes 2. de reg. Iur.*

(3) Cic. *lib. 1. ad Herennium num. 25., et seq. et lib. 2. num. 19. ad 32.* id fuso calamo exponit.

(4) Ex *l. ut vim 3. D. de iustitia, et iure, et l. 1. C. unde vi, cap. tua nos 14. de homicidio*, et Clement. *un. eod. tit.* Videsis dicta superius *tit. VI. §. II. num. XL. et seqq.* Excellit hoc in argumento M. Tulli oratio pro Milone. Eadem iustae defensionis ratio ferre patrocinium poterit ei, qui non suam, sed suorum vitam servavit necessaria nece aggressorum, ex supra traditis *cit. tit. VI. §. II. num. XLV. Plerumque pietas paterni nominis*, Papinianus docet, *consilium pro liberis capit., l. nec. in ea 22. D. ad leg. Iul. de adult. coercendi.* Huc quoque spectat illud Senecae *ep.* 106. circa finem: *Quidquid facimus, aut malitiae, aut virtutis gerimus imperio.*

(5) Macer in *l. marito 24. D. ad leg. Iul. de adult.*, et Alexander Imp. in *l. Gracchus 4. C. eod. tit.*, de qua re dictum superius eodem *tit. VI. num. XLVII.*

(6) *Quoties ex maleficio oritur actio, ut puta ex caussa furtiva, ceterorumque maleficiorum, si de ea pecuniaria agitur, compensatio locum habet. idem est, et si condicatur ex caussa furtiva. Sed et qui noxali iudicio convenitur, compensationem opponere potest*, Ulpianus ait in *l. si ambo 10. §.*

fensionum adhibebit, ea si reapse, vel verosimiliter suppetant reo ex actis; nam utens argumentis improbabilibus perniciem potius clienti, quam opem fert; non secus, atque scipioni arundineo innixus, aut in caducum parietem incumbens.

XXIV. *Assumptiva* constitutio quadrupliciter fit, nimirum per criminis *concessionem*, *remotionem*, *translationem*, *comparationem*. M. Tullio definiente *concessio* est, quum reus postulat sibi ignosci, aut per *purgationem*, aut per *deprecationem*. *Purgatio* dicitur, quum consulto se id fecisse negat reus, quod vel *casu*, vel *imprudentia*, vel *necessitate* patrasse fatetur. Defensor hinc studebit commonstrare culpam omnem abfuisse in eo facto, quod confert in *fortunam*, et *necessitatem*: siquidem culpa deminuit poenam, non abrogat omnino. Itaque homicidam casu fortuito purgaturus ostendet operam eius licitam, adhibitamque in ea diligentiam, et praecautionem, quam adhibere, ut ne inde malum alicui obveniat, prudentes viri consueverunt (1). *Si* imprudentia *reus se peccasse dicet*, primum quaeres cum Tullio, *utrum potuerit scire, an non. Deinde utrum casu nescierit, an calpa. Nam qui se propter vinum, aut amorem, aut iracundiam fugisse rationem dicet, is animi vitio videbitur nescisse, non imprudentia. Quare non imprudentia se defendet, sed culpa contaminabit* (2).

2. *D. de compensationibus.* Idem iureconsultus: *item ob res amotas ex his fructibus, qui post divortium percepti sunt, compensationes fieri* censuit in *l. fructus 7. §. 4. D. soluto matrimonio quemadmodum dos petatur.* Consonat rescriptum Imperatoris Alexandri in *l. compensationi aequitatem 1. C. rerum amotarum.*

(1) Confer huc dicta superius *tit. VI. §. II. num. XXXVII. Si quum alii in campo iacularentur, servus per eum locum transierit*, occiso eo *Aquilia cessat: quia non debuit per campum iaculatorium iter intempestive facere*, Ulpianus respondit in *l. item si obstetrix 9. §. 4., et ult. D. ad leg. Aquil.* Idem Iureconsultus *si quis*, ait, *per locum perculiat, aut dum certat: iniuriarum non tenetur. Si quis hominem liberum ceciderit, dum putat servum suum: in ea causa est, ne iniuriarum teneatur, l. illud relatum 3. §. 3. et 4. D. de iniuriis.* Paullus etiam ad rem ait: *Si omnia, quae oportuit, observavit* sylvam incendens, vel *subita vis venti longius ignem produxit, caret culpa, l. qui occidit 30. §. 3. in fine D. ad legem Aquiliam.*

(2) Tull. *lib. 2. ad Herennium num. 31.* An quae alienata mente fiunt, in culpam sint imputanda, edisserit plene Gratianus *Caussa 15. qu. 1. per totam.* Ad rem hanc Plato, *dial. 9. de leg. ita* praedocuit. *Ille quidem, qui iram servat, nec repente, sed cum insidiis se postea vindicat, homicidae voluntarii est persimilis: at qui non servat, sed primo impetu fertur, et absque praemeditatione interficit, involuntarii homicidae similis iudicatur.* Et Aristoteles *lib. 6. moral. cap. 10., eorum, quae sponte facimus*, ait, *alia deliberato, alia non deliberato facimus*: deliberato *fieri dicuntur, quae praeeunte consultatione quadam animi fiunt; quae vero aliter*, indeliberato. *Cum ergo damni datio tribus modis contingat, ea, quae ab ignorantia procedit*, infortunium *dicitur.... si ita, praeter id, quod expectari potuit, damnum detur, erit* infortunium. *At si ita ut expectari, ac praevideri aliquo modo potuerit, sed non improbo animo*, culpa *erit aliqua.... At quoties quis id, quod facit, sciens facit, non tamen deliberato: fatendum est adesse* iniuriam: *ut quae facere homines solent per iracundiam, et perturbationes similes, aut naturales, aut necessarias. Nam qui ita commoti laedunt, et culpam admittunt, ab iniuria non*

XXV. *Deprecatio* est, quum reus, et peccasse se, et consulto fecisse confitetur: attamen postulat, ut sui misereantur, ob pristina beneficia in rempublicam collata, ob aetatem vel minorem vel decrepitam, ob sexum (1), ob sanguinis nobilitatem (2), ob alicuius artis excellentiam (3), ob primum in eo criminis genere lapsum (4), ob

vacant; neque tamen iniusti, aut improbi dicuntur: at si quis idem consulto admittat, is vero improbus, et iniustus recte nominabitur.... ceterum eorum, quae non sponte fiunt, alia venia digna sunt, alia minus.. Idemque Aristoteles *lib. 3. ethicor. cap. 5. de iis, quae sunt in nostra potestate*, ait: Ob ignorationem *etiam puniunt, si sibi ipse* ignorationis caussa *fuisse videatur. Unde* ebriis *duplices poenae institutae sunt. In ipso enim, qui inebriatur*, principium *est, cum sui quisque in eo Dominus sit, ut non inebrietur: id quod* ignorationis *est* caussa. *Eos quoque puniunt, qui aliquid eorum* ignorant, *quae ad* leges *pertinent, quae quidem sciri debeant, et difficilia non sint. Simili modo etiam in aliis quaecumque* ignorare per negligentiam *videntur: eo quod in ipsis sit non ignorare: quippe qui*, adhibendae diligentiae *domini sint, ac potestatem habeant.*

(1) Ex Ulpiani sententia *sacrilegii poenam debebit Proconsul pro qualitate personae, proque rei conditione, et temporis, et* aetatis, *vel* sexus, vel *severius vel clementius statuere, l. sacrilegii 6. D. ad leg. Iul. peculat. et de sacrileg., et residuis.* Papinianus *incestum autem*, ait, *quod per illicitam matrimonii coniunctionem admittitur, excusari solet* sexu, *vel* aetate, *l. si adulterium 38. §. 7. D ad leg. Iul. de adult.* Paullus *fere in omnibus*, inquit *poenalibus iudiciis, et* aetati, et imprudentiae *succurritur l. fere 108. D. de reg. Iur.* Vopiscus *in Aureliano* fert, quod Imperator iste Coenobiam defendit contra milites, et servavit, quamvis ea imperii fasces ad se rapere conaretur. *Aetatis* quoque *ratio habeatur*, ait Claudius Saturn. in *l. aut facta 16. §. 3. D. de poenis.*

(2) *Valere enim debet apud omnes clarorum hominum de republica meritorum senex memoria, etiam mortuorum*, ait Cicero *or. pro Q. Roscio.* Tiberius, ex relatis a C. Curn. Tacito *lib. 3. annal. num. 17, adolescentem Pisonem crimine civilis belli purgavit. . . . simul* nobilitatem *domus, etiam ipsius quoquo modo meriti, gravem casum miseratus.* Idemque *lib. 11. annal. num. 36.*, fert *Plautio Laterano* mortem remissam *ob patrui egregium meritum.* Claudius a Livio *lib. 3. cap. 8.* fertur ad populum Romanum pro Appio Claudio orasse, *ne Claudiae genti eam inustam maculam vellent, ut carcere, et vinculis viderentur digni: virum honoratissimae imaginis futurum ad posteros, legum latorem, conditoremque Romani Iuris iacere vinctum inter fures nocturnos, ac latrones.* Hadrianus *eos, qui in numero decurionum essent, capite puniri prohibuit, nisi qui parentem occidissent*, fert Venuleius Saturn. in *l. divus Hadrianus 15. D. de poenis.* Ex iisdem facinoribus servos aliter, quam liberos puniri commonet Claudius Saturnin. *l. aut facta 16. §. 3. D. eodem.*

(3) Modestinus in *l. ad bestias 31. D. de poenis* docet ad bestias damnatos favore populi non dimittendos: *sed si eius roboris, vel* artificii *sint, ut digne populo Romano exhiberi possint, Principem consulere* Praeses *debet.*

(4) Modestinus in *l. desertorem 3. §. si plures 9. D. de re militari* ait: *si plures simul primo deseruerint, deinde intra certum tempus reversi sint, gradu pulsi in diversa loca distribuendi sunt: sed* tironibus *parcendum est, qui si* iterato *hoc admiserint, poena competenti adficiuntur.* Concors est Arrius Menander in seq. *l. qui cum uno 4. §. 15, et ult. D. eodem.* Pariter Impp. Valentin., Theod., et Arcad. in *l. nemo 3. C. de episc. audientia* rescripserunt, *ut remissionem veniae crimina, nisi* semel *commissa non habeant.* Seneca *lib. 3. de ira cap. 24., nunc primum offendit*, ad rem ait nostram, *cogitemus quamdiu placuerit.*

*

aerumnas graves in iudicii cursu perpessas (1). *Deprecatio quidem* (2), *quae est sine ulla specie defensionis, rara admodum, et apud eos solos iudices, qui nulla certa pronunciandi forma tenentur,* nimirum summos Principes, supremosque Magistratus, adhibeatur ex consilio Quintiliani. *Si quando apud Principem*, ait, *aliumve, cui utrum velit, liceat, dicemus dignum quidem morte eum, pro quo loquimur, clementia tamen servandum esse, vel talem*: Primum omnium non erit res nobis cum adversario, sed cum iudice, *deinde forma deliberativae magis materiae, quam iudicialis utemur: suadebimus enim, ut laudem humanitatis potius, quam voluptatem ultionis concupiscat* (3).

XXVI. *Remotione* criminis utimur, quum a reo crimen confitente culpam amovemus, eamque vel *in hominem*, vel *in rem* transferimus. In *hominem* sane transfertur crimen, dum accusatus fateatur factum illud criminosum egisse mandato iudicis, vel Superioris legitimi, cui obtemperare necesse habuit (4). *In rem* vero confertur crimen, si quis ex. gr. confiteatur sylvam combussisse iuxta voluntatem testatoris in supremis tabulis explicitam, quamvis id alias Princeps, vel iudex prohibuisset (5).

(1) *Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus poena eius sublevanda erit*, ait Modestinus in *l. si diutino 25. D. de poenis.* Honorius, et Theodosius *omnes, quos damnationis conditio diversis exiliis destinatos metas temporis praestituti in carceris implesse custodia deprehenderit, solutos poena, vinculisque laxatos, custodia liberari* praeceperunt: *sit satis immensorum cruciatuum semel luisse supplicia, ne hi, qui diu privati sunt aurae communis haustu, et lucis aspectu, etiam exilii poenam sustinere iterum compellantur, l. omnes 13. de poenis.*

(2) Deprecationem praecipue usurpavit M. Tullius in *orat.* pro M. Marcello pro Q. Ligario, et pro Rege Deiotaro ad Caesarem. *Liceat semel impune peccasse: sit erranti medicina confessio*, inquit declamator latens sub nomine Ciceronis *ep. ad Octavium.* Sponte confessos mitius puniri tradit Capic. latr. *dec. 172. num. 48.*, et Guazzin. *defens. 32. cap. 36.*

(3) Quintilian. *lib. 5. inst. orat. cap. 13.* Praesertim, ubi aerumnae graves, velut flagellum durissimum, et ingenii paedagogus officia boni civis, et hominis adolescentem primo lapsum docuisse efficacius, et rectius, quam parentes et magistri videantur.

(4) *Quod quis mandato iudicis facit, dolo facere non videtur: quum habeat parere necesse*, Bonifacius VIII. tradit in *cap. quod quis 24. de regulis Iuris in VI.*, cum Ulpiano in *l. qui auctore iudice 137. D. eod.* Quandoquidem *is qui iure publico utitur, non videtur iniuriae faciendae caussa hoc facere: iuris enim executio non habet iniuriam*, ex Ulpiani sententia in *l. iniuriarum 13. §. 1. D. de iniuriis.* Idemque §. 2. *et ult.* eiusdem legis addit in eo, qui captivum duxit Praetoris decreto non obtemperantem, cessare actionem iniuriarum *propter Praetoris praeceptum.*

(5) Ulpianus in *l. ad ea 157. D. de reg. Iur.* id commonet: *ad ea, quae non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur servis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt, velut tutoribus et curatoribus obtemperaverint.* In homicidio, furto, piratica servus domini dicto audiens non esse sine poena solet, ex Alfeni sententia in *l. servus 20. D. de obligat.* Paulus, *si libero homini*, ait, *qui bona fide mihi serviebat, mandem ut aliquid agat: non fore cum eo mandati actionem: qui non libera voluntate exequitur rem sibi*

XXVII. *Translatione* convertitur crimen in aliorum culpam : puta si dixerit reus conscripsisse instrumentum , de cuius falsitate agitur , non mala , sed bona omnino fide , morem sicut ante consueverat gereus domino, vel magistro suo; fraudis alienae penitus ignarus. *Si instigatu alterius fera damnum dederit , cessabit actio* Aquilia in dominum , ex responso Ulpiani (1).

XXVIII. *Comparatione* tandem defensor utitur , ubi reum ex. gr. famulum domi custodem ostendet constitutum in necessitate patrandi alterutrum ex duobus maleficiis , vel caedem nocturni furis , vel direptionem fortunarum domini sui, aut violationem honestarum mulierum sibi concreditarum , aut atroces iniurias: eumque alterum ex iis, quod putavit minus , et levius egisse. *Quoties nihil sine captione investigari potest , eligendum est , quod minimum habeat iniquitatis* , monet Ulpianus (2). Dum mens inter minora, et maxima peccata restringitur , si omnino nullus sine peccato evadendi aditus pateat , minora semper eligantur , condocet S. Gregorius M. (3).

XXIX. Singula tamen , quae defensor proposuerit , argumenta defensionum non iudicet obiter instar eius, qui reserat et continuo claudit theatrum; sed probet diutius, ubi tempus ei ad dicendum affluat (4).

mandatam , sed quasi ex necessitate servili, *l. atqui naturae 18. §. 2. C. de negot. gest s.*

(1) Ulp. in *l. 1. §. 6. D. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, et l. qua actione 7. §. 3. ad legem Aquiliam.*

(2) Ulp. in *l. quoties 200. D. de regulis Iuris.*

(3) S. Greg. in *can. nervi., et ult. dist. 13.* Idipsum firmat S. Aug. in *can. iuravit 4. C. 22. qu. 4.*, exemplo Davidis, qui Nabal sicut iuraverat non occidit, aiens: *Iuravit David temere , non implevit iurationem maiori parte.* (*De duobus peccatis elegit minus : sed minus fuit illud* (peieratio *in comparatione maioris*, puta homicidii). Tum ad inquisitiones Ianuarii optandum, S. Aug. rescripsit , ut christicolae sortes potius adhibeant , quam ad daemonia Consulenda concurrant , *can. hi qui de paginis 3: C. 26. qu. 2.* Concinunt Patres Concilii Toletani VIII. in *can. duo mala 1. dist. 13. duo mala licet sint omnino* , aiunt , *cautissime praecavenda: tamen si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit , id debemus resolvere, quod noscetur minori nexu obligare. Quid autem ex his levius , quidve sit gravius , purae rationis acumine investigemus. Etenim dum peierare compellimur , creatorem quidem offendimus , sed nos tantummodo maculamus. Quum vero noxia promissa complemus , et Dei iussa superbe contemnimus , et proximis impia crudelitate nocemus , et nos ipsos crudeliori gladio trucidamus.*

(4) Ex priscis Romanorum legibus accusatori sex horas , reo novem datas , fert Plinius *lib. 4. ep. 9.*, et Gothofred. *ad l. 1. D. de requirend., vel absentibus damn. verb. inaudita caussa.* At mores iudicis arbitrio relinquunt horas vel plures , vel pauciores oratoribus definire. Cicero *orat pro Rabirio num. 6,* conqueritur medietatem horae datam sibi ad orandum pro reo, Quintilianus *lib. 10. cap. 3.* quendam carpit advocatum, qui *temporibus praefinitis aquam perdit* , nimirum tempus orandi clepsydra dimensum terere tricis , et quisquiliis consuevit. Idemque *lib. 2. cap. 6,* cuidam alteri advocato *adlaboratam congestamque dierum, ac noctium studio actionem aquam deficere.* Eleutherius Papa *ep.* ad Galliae Provincias apochrypha in *can. iudicantem 11. C. 30. qu. 5, tamdiu actio ventiletur* , ait , *quousque ad rei veritatem perveniretur.* Ex Damasi Papae sententia *accusatores, et accusati aequa audiantur ratione, can.*

Nam supra clepsydram dicere, invita iudicum audientium minerva, inanis labor. Angustia temporis pressus caveat, ne extra chorum saltet imperitus, nec galeatam, seu communem usurpet defensionem, velut simulacrum viatores omnes aeque intuens, neglectis peculiaribus causae argumentis; neque impetus defensionis linguam ipsius ad alia sic divertat, uti sessorem equus aliquando rapit invitum. Crudam, indigestamque defensionem numquam temere suscipiat, ne ipse in vomentium numero sit. In primis adversariorum ima exploret fundamenta subruenda, sublimem quasi turrim, ut funditus evertat, seu in montis radicibus primum versetur, ad cacumen inde tutius inspecta semita progressurus. Hactenus dicta patefaciunt difficilius quidem esse reos defendere, quam accusare, quod Cicero saepe, et Quintilianus testatur: non secus, atque sanare vulnera, quam facere, magis arduum, et laboriosum vident omnes. *Proponitur enim uno modo, varie dissolvitur*, Quintilianus ait (1): *quum accusatori satis sit plerumque verum esse id, quod obiecerit, patronus neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat. Hinc mille flexus, et artes desiderantur.* Verum *initia inventionis*, quae *ab arte debent proficisci*, sat erit heic indicasse: *cetera facile comparabit exercitatio* (2). Habenas ignarus non tractet.

TIT. X.

De tortura reorum.

I. Capitalis criminis reus negans, ubi semiplena urgeat probatio, ad eruendam ex ore ipsius veritatem, torqueri iubent leges communes, et municipales.

II. Post datas nimirum, auditasque ipsius defensiones, quae indicia fisci urgentia non eliserint.

III. At grassatores viarum, homicidas, famosos latrones, aliosque scelestiores M. C. Vicariae torquet ex fiscali tantum informatione, defensionibus non admissis.

IV. Simul et Regiae Audientiae, quoties ad modum belli procedant.

V. Inferiores vero Curiae non item.

VI. Episcopali quoque foro torturam permittit Ius Canonicum, rarissime adhibendam.

VII. Confessiones reorum tormentis extortae saepe fallunt.

VIII. Publica vero necessitas impunes non dimittendi facinorosos moderatum torturae usum invexit.

nullus introducatur 2. C. 4. qu. 4. Praesidi *custodias* idest reos defendendos audituro, et de criminibus cognituro, *propterea et differantur et proferantur custodiae*, Paullus ait in *l. unius 15. §. custodias 9. D. de quaestionibus.*

(1) Quintil. *cit. lib. 5 inst. orat. 13.*

(2) Ex M. Tullii monito *lib. 2 ad Herennium num. 7.*

IX. Videlicet in reos criminum atrociorum, et capitalium.
X. Quoties indicia urgentiora, quae probationi saltem semiplenae aequipolleant, eos infamaverint.
XI. Quorum conditio sit ignobilis: quum leges a tortura eximant nobiles, milites, decuriones, eorumque liberos, impuberes, et praegnantes mulieres.
XII. Ante torturam monendus est, et audiendus rei advocatus, praetereaque locus appellationi a decreto torturae dandus.
XIII. Modus torquendi aequo iudicis arbitrio legibus relinquitur.
XIV. Equuleo, unguis, flammis, verberibus, vigiliis olim reos torquebant. Mala nunc mansio cum compedibus usitatior, et funis brachia religata retrorsum suspendens, plerumque simplex, aliquando acris additis ad ulnas funiculis.
XV. Fidiculas, et equuleum in sceleribus dumtaxat enormissimis permittunt Regni leges.
XVI. Praemonito reo, eiusque defensoribus discutiuntur indicia ad torturam, deinde modus torturae decernitur citra praeiudicium probatorum.
XVII. Quae unius horae spatium non excedat, nec tertiam, si ea repetatur, vicem.
XVIII. Confessus in ea reus debet post 24. horas confessionem suam ratam habere, quam poterit nihilominus falsam ostendere in termino ad se defendendum adversus eam.
XIX. Negans quod fuerit in tortura confessus, iterum ac tertio torquetur ad perseverandum in confessione sua.
XX. Semel tortus, et non confessus liberatur in forma, aut ad poenam extraordinariam in huius Regni tribunalibus damnatur.
XXI. Traditur forma interrogandi reum in loco tormentorum, eumque torquendi.

I. Audito in suis defensionibus reo, qui admisisse capitale crimen in se delatum negaverit, quoties legitima in eum urgeant indicia semiplenae probationi aequipollentia, quae ad poenam ordinariam infligendam non sufficiunt: reus ipse non confessus debet ad veritatem ex ore eius eruendam torqueri. *In criminibus eruendis*, Ulpianus docet, *quaestio adhiberi solet. Sed non esse a tormentis incipiendum, Augustus constituit.* Additque ab Hadriano rescriptum, *sed ad tormenta servorum ita demum veniri, quum suspectus est reus, et aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio servorum deesse videatur* (1), S. Gregorius VII, *in ipso caussae initio non est a quaestionibus inchoandum*, rescripsit (2).

(1) Ulp. in *l. in criminibus 1. D. de quaestionibus. Defensionis facultas danda est his, quibus aliquam inquietudinem Fiscus infert*, rescripsit generatim Constantinus Imperator in *l. defensionis 7. C. de iur.*
(2) S. Greg. VII. in *cap. cum in contemplatione 6. de reg. iur.*

II. Lex nostra municipalis, non secus, quam communis Romana usum torturae probat, et imperat in caussis capitalibus poenam ultra relegationem ferentibus, dummodo legitima indicia suspiciones in reum urgeant, eique indiciorum copia ante concedatur, et facultas reclamandi (1). Et quoniam copia repertorum, nonnisi post repetitionem testium fiscalium, et publicatam informationem, datumque defensionis terminum reo traditur ex antedictis : ratio hinc patet, cur post defensiones a reo productas locum torturae dat utraque lex communis, et municipalis (2), et consuetudo tribunalium pontificiorum urbis (3).

III. Attamen M. C. Vicariae graviorum scelerum reos, grassatores viarum, homicidas, latrones insignes, aliorumque graviorum criminum labefactatos infamia consuevit ex processu tantum informationis fiscalis *parte non vocata*, seu *defensionibus non admissis* torquere ex Regis Roberti constitutione, seu litteris arbitrariis (4) : neapolitanos vero cives, nonnisi praevia Regis dispensatione (5).

IV. Arbitrium eiusmodi quum Regiae Audientiae sibi quoque arrogarent sine iure scripto : multa exinde tortorum nullis datis ante defensionibus querelas in regios Auditores audivit Regium Collaterale Consilium (6). Sed illud iis denique firmavit Prorex Lemosensium Comes regia pragmatica, quam dedit die 31. Maii 1616., ubi pote-

(1) Carolus II. Andegavensis in regni *cap. tormenta 339. de tormentis* ita constituit: *Tormenta, iuxta provisionem iuris communis praecedentibus legitimis indiciis, argumentis, et suspicionibus, volumus adhiberi, qualitate, et conditione personae quaestionibus exponendae diligenter inspecta, in criminibus omnibus poenam ultra relegationem infligentibus in convictos... Indiciorum argumentorum, et suspicionum, propter quae ad tormenta proceditur copia datur ei, qui quaestionibus exponetur, super quibus habeat copiam reclamandi. Alioquin nullus sit, sequente tortura, processus habitus contra ipsum, nullum sibi praeiudicium afferat confessio forsitan ex tormentis talibus subsecuta.*

(2) Ex traditis a Claro *quaest. 49 ;* Grammat. *cons. crim. 15, et vol. 3o ;* et Reg. de Rosa in *praxi crim. cap. 8. num. 46.*

(3) Ex Paulli III. *constitutione 42,* et Pii IV. *constitutione 85;* quibus abrogata est constitutio Leonis X.

(4) Ex Regis Roberti *cap. ult.*, quod incipit *Robertus etc. si cum sceleratis*, et exhibet litteras arbitrarias ad Iohannem de Haia M. C. V. Regentem, et Magistrum Iustitiarium datas die 18. Julii 1313: *Tibi de cuius fide confidimus*, Robertus ait, *committimus usque ad nostrae beneplacitum Maiestatis, ut tu solus contra quoslibet notatos, seu denunciatos, aut infamatos, quod* sint disrobatores stratarum, *aut* homicidae, fures, *seu* latrones insignes, *vel aliorum gravaminum labefactos infamia, cum delegatione, vel sine delatione quacumque generaliter, et specialiter possis inquirere, et procedere contra eos, etiam quia in talibus est ordo ordinem non servare, qui nullum iuris ordinem observarunt. Sicut in promptu de criminosis personis, et earum criminibus tibi constiterit per aliqua indicia vocem, seu famam publicam aut per aliquos testes, quos tantum* ad tui informationem *recipere* te *volumus, parte non vocata, aut eorum appellationibus, seu* defensionibus *non admissis iuxta tuum arbitrium. Sis in promptu ad sciendum de ipsis criminibus veritatem, eorumque complices, et fautores : eos, prout tibi videbitur, subiicere valeas* quaestioni.

(5) Ex traditis a Reg. de Rosa in *cit. prax. crim. cap. 8.*

(6) Eas memorat Sanfelicius *dec. 35o.*

statem Regiis Audientiis mandavit procedendi ad modum belli contra viarum, et campaniae grassatores, incendiarios domorum, tuguriorum, sylvarum, nemorum, arvorum, segetum recaptatores, turmales quatuor saltem, qui per agros cum armis prohibitis excurrunt, instar exulum, et delinquunt, raptores mulierum cuiuslibet conditionis, rapinas maritimas more piratico patrantes, eorumque omnium complices (1). Si quod aliud praeterea facinus acciderit extra ordinem more belli coercendum, debeat illud regiae Audientiae Regi nunciare ad obtinendam ab eo delegationem specialem, sine qua servato iuris ordine communi oportet eas inquirere, et iudicare (2).

V. Hinc sequitur Curias regni inferiores tali arbitrio torquendi reos ex informatione tantum suis in defensionibus non auditos omnino carere (3): tametsi datis defensionibus liceat eis iure ordinario in casibus iure permissis adhibere tormenta, *secundum ordinationem, et formam constitutionum Regni*, *et Iuris communis, et cum consilio iudicum*, seu assessorum, ex Principum Andegavensium capitulis (4). Novissima vero pragmatica an. 1738, sanxit torturam in cunctis regni Curiis, quibus eam infligendi facultas est, adhibendam non esse, nisi eam totum tribunal unanimi voto decreverit, et insimul praescripserit

(1) *Pragm. 10. §. 48 de offic. iudicum.*

(2) *Cit. Pragm. 10. §. 49.* Id quod tradit Capiblancus *de Baronibus in pragm. 8. part. 1. num. 37.*

(3) Ex traditis a Ioanne Ant. de Nigris in *cit. cap. Regis Roberti*, Petra in *ritu 54. num. 10.* Caravita in *ritu 49. num. 17.*, *et* Merlino *lib. 2. controv. 33. num. 14.*

(4) Rex Carolus I. Andegavensis in regni *cap. item caveant Iustitiarii, et Iudices* sanxit, ne *contra aliquem ad torturam procedant, nisi secundum ordinationem, et formam constitutionum Regni Iuris communis. In casibus autem a constitutionibus, et Iure permissis procedunt ad captionem, et tormenta, prout in constitutionibus iure caretur.* Idemque in *seq. cap. item quod in cognitionibus*, addit *eos ad condemnationem, et tormenta sine consilio iudicum eis per Curiam datorum non processuros alias poenis abitrariis officerentur.* Idemque Rex in sequenti *cap. item, quod in cognitionibus* vetuit Iustitiariis procedere *ad tormenta sine consilio iudicum datorum eis per Curiam* sub poenis arbitrariis. Consonat Regis Caroli II. *cap. in accusatis*, ubi statuit in *accusatis de crimine laesae Maiestatis, et haeresis, publicis latronibus, disrobatoribus viarum, captis in flagranti crimine, aut in fuga, in teste vacillante, et in eo, qui deliquit iudice sedente pro tribunali, Ius Romanum, et commune servetur, ut subdantur quaestioni.* Iustitiarios absque iudicis et Assessoris consilio torquentes, quemadmodum et iudices consilium dantes ad tormenta contra legitimam formam, et modum, fore puniendos edixit, *nostro, et generalis in regno nostro Vicarii*, ait, *reservato arbitrio, ut circa, et contra formam praedictam faciamus adhiberi tormenta, sicut expedire videbitur, facti occulti, vel periculosi qualitas suadebit.* Idem quoque Rex in *cap. tormentis* prohibuit, *ne quis tormentis aliquibus exponatur, nisi in laesae crimine Maiestatis, aut viarum disrobator existat, ita quod contra tales publica fama laboret, sufficientia praecedant indicia, et nisi homicida sit, aut alias delinquens enormiter in flagranti crimine deprehensus, et in tormentis ipsis, ubi eorum levis adfuerit persona, Ius civile servetur, tam de criminibus, quam de personis, qualitatibus tormentorum.* Consonat Caroli V. Pragm. *1. de quaest.*

modum, qualitatem, tempus, adiuncta cetera: alias ministri singuli eam insciis, vel invitis collegis attentantes iacturam officii, poenas quoque arbitrarias subirent, ceteri officiales, et subministri ad praesidium clausum triennio saltem damnarentur (1).

VI. In Curiis ecclesiasticis, et episcopalibus an liceant perinde ac in laicis tormenta reorum, non immerito quaeres. Quod confessio reorum non sit cruciatibus extorquenda, Gratianus noster probandum assumit (2): at non aliam ipse auctoritatem promit, nisi fragmenta decretalis apocryphae Alexandri I. (3), quae confessiones Episcoporum, vel sacerdotum metu, aut vi extortas, aut fraude improbat. Contrariam nihilominus epistolam quoque apocryphum Eusebii Papae antea produxerat Magister, qua torturae usus maxime probatur (4). Et alibi S. Augustinum laudat, commendantem verborum coercitionem in iudiciis episcopalibus consuetam a Marcellino Comite adhibitam, ut ab invitis Donatistis confessionem erueret (5). Alexander III. Londonensi Episcopo ut iniquum furem sub quaestionibus poneret ad rationem, rescripsit (6). Hinc patet clericos etiam secundum canones in foro ecclesiastico torqueri. Idque usurpari solitum in Archiepiscopali Curia Neapolitana tradit M. A. Genuensis (7). Ve-

(1) Regis Caroli Pragm. *an. 1738. §. ult. art. 1.; et 2.*

(2) Gratianus *Caus. 15. qu. 6.*

(3) Alex. I. in *can. si quandoque 1. C. 15. qu. 6.* Falsitatem primae Alexandri huius epistolae ad orthodoxos, unde sumptus hic canon est, anacronismus detegit apertissime. Nam data legitur ea sub Conss. Traiano et Æliano, Ultimus Traiani consulatus non Æliano sed Africano collega incidit in annum CXIV aerae vulgaris: et Ælianus cum Vetere, non cum Traiano consulatum gessit an. CXVIII. Alexander vero summum iniit pontificatum anno CXXI. septimus a divo Petro. Reliqui vero *canones 2., 3., 4., 5. huiusce C. et qu.* ex genuinis Nicolai, Gregorii, et Urbani II. epistolis exscripti ad propositam quaestionem nil omnino spectant: id solum probantes, quod memorati Pontifices absolverint nonnullos a iuramento fidelitatis per vim et fraudem extorto.

(4) Euseb. in *can. illi, qui 4. C. 5 qu. 5.* fertur ita scripsisse. *Hanc* (puta confessionem testium suspectorum) *diversis cruciatibus e latebris suis religiosis tortor exigere debet, ut dum poenis corpora subiiciuntur, quae gesta sunt fideliter, et veraciter exquirantur.*

(5) S. August. in *can. circumcelliones 1. C. 23. qu. 5.* ad Marcellinum Comitem scribens, ait: *Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione servasti; quando tantorum scelerum* (puta duorum homicidiorum in personas Sacerdotum catholicorum a Clericis domesticis commissorum, oculi effossi, digitique praecisi) *confessionem non extendente equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti: qui modus coercitionis et a magistris artium liberalium, et ab ipsis parentibus, et saepe etiam in iudiciis solet ab Episcopis adhiberi.* At *Synodus* Agathensis an. 506 decrevit non licere *Episcopo manibus suis aliquem caedere: hoc enim*, ait, *alienum a sacerdote esse debet, can. non liceat 25. dist. 86.* Fures verberibus etiam corrigi ab Ecclesia probat S. Gregorius M. S. Augustino Anglorum Episcopo rescribens in *can. fraternitas tua 11. C. 12. qu. 2.*

(6) Alex. III. *in cap. 1. de deposito.*

(7) M. A. Genuensis in *prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 7. num. 18.*, qui praeterea monet clericos ob honestatem ex vetusta consuetudine non acriter, non in publico, neque per manus ecclesiastici, sed laici tantum carnificis torqueri, in *cap. 3. cit. prax. num. ult.*

rum enim vero Episcopi torturam quam rarissime, ut adhibeant in reos criminum dumtaxat atrocissimorum oportet, ne sanguinis iudicium ipsi exercere videantur.

VII. Periculosum procul dubio est torturae experimentum et incertissimum : *Saepe enim quaestionibus resistendum est*, Tullius monet, *quod et dolorem fugientes multi in tormentis ementiti persaepe sunt morique maluerunt falsum fatendo, quam inficiando dolere. Multi, etiam suam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipsi sibi essent, liberarent. Alii ementiti sunt in eos, quos oderant* (1). *Res est fragilis* Ulpianus concinit, *et periculosa, et quae veritatem fallat. Nam plerique patientia sine tormentorum duritie ita tormenta contemnunt, ut ab eis veritas exprimi nullo modo possit. Aliique tanta sunt impatientia, ut in quovis mentiri, quam pati tormenta velint* (2). Iure hinc merito S. Augustinus redarguit errores humanorum iudiciorum, ex eo, quod veritatem ignorantes in criminibus occultis, et animum reorum non cernentes, fallantur saepe tormentis innocentium (3).

VIII. At publica necessitas investigandi, plectendique facinorosos moderatum in iudiciis capitalibus usum tormentorum efflagitat (4), communi fere gentium iure vetustissimo (5), et inveterata utriusque fori

(1) Tullius *de partit. orator. num. 44.*

(2) Ulpian. in *l. 1. §. quaestioni 23. D. de quaestion.* Quintilian. *lib. 5. instit. orator. cap 4.* itidem ait : *quaestio caussa est falsa dicenti, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium.* Prostant hac in re dissertationes Ioannis Grevii, et Thomasii *de tortura ex foris christianorum proscribenda.* Eam apud Anglos numquam obtinuisse locum fert Grotius *epist. 693.*

(3) S. August. *lib. 19. de Civitate Dei cap. 6.* ait: *saepe coguntur* iudices *tormentis innocentium testium ad alienam caussam pertinentem quaerere veritatem : quid cum in sua caussa quisque torquetur, et cum quaeritur utrum sit nocens, cruciatur, et innocens luit pro incerto scelere certissimas poenas, non quia illud commisisse detegitur ; sed quia non commisisse nescitur ? ac per hoc ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis. Et quod est intolerabilius.... cum propterea iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiae miseriam, ut et tortum, et innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torserat ... in his tenebris vitae socialis, sedebit iudex ille sapiens, an non sedebit ? sedebit plane. Constrigit enim eum, et ad hoc officium pertrahit humana societas, quam deserere nefas ducit.*

(4) *Haec tot, et tanta mala*, addit ibidem S. August., *non deputat esse peccata, non enim haec facit sapiens iudex nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi, et tamen quia cogit humana societas, necessitate etiam iudicandi. Haec est ergo, quam dicimus, miseria certe hominis, etsi non malitia sapientis.*

(5) In sacris bibliis Esther *cap. 12. vers. 3.* fertur Artaxerses Rex Persarum, et Medorum de duobus in Regem ipsum coniuratis habuisse quaestionem, et confessos in tortura ad ultimum supplicium damnasse. Cicero in *dialog. de partit. orator. num. 51. dicendum docet de vi doloris, de opinione maiorum, qui eam rem totam, nisi probassent, certe repudiassent. De institutis Atheniensium, Rhodiorum, doctissimorum hominum, apud quos etiam* (in quod acerbissimum est) *liberi, civesque torquentur. De nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui cum de servis in dominos quaeri noluissent, de in-*

consuetudine comprobatum. Quae vero mala ex tormentis obveniunt, minora putantur, quam impunes relinquere scelestos. Hac in re praestat edictum Augusti in haec verba conceptum : *quaestiones neque semper in omni caussa, et persona desiderare debere arbitror : et cum capitalia, et atrociora maleficia non aliter explorari, et investigari possunt, quam per servorum quaestiones, efficacissimas eas esse ad requirendam veritatem existimo, et habendas censeo* (1).

IX. Itaque, ut aequo moderamine torturam iudex adhibeat, tria haec requirat: criminis atrocitatem, indicia in reum urgentiora, et conditionem personae. In primis capitalium tantum criminum inquisitos posse torqueri iam constat ex recitatis legibus. Et quamvis rescriptum sit a Pio, et Severo imperatoribus *posse de servis haberi quaestionem in pecuniaria caussa, si aliter veritas inveniri non possit* (2) : tamen de ea pecuniaria caussa illi senserunt, quae originem habuit a crimine (3). Non secus quam Alexander III. rescripsit, iniquum furem esse torquendum, ut ablatam redderet pecuniam (4). Namque torturam nedum poena pecuniaria, sed et manuum abscissione graviorem dixit Iustinianus (5), et relegatione acerbiorem existimant Doctores (6). Lex vero municipalis nostra nonnisi *in criminibus poenam ultra relegationem inferentibus* torturam permittit (7). Nulla hinc ratio patitur accusatum de crimine non capitali non convictum, neque confessum torqueri, qui poenam nec aequalem torturae, nec minorem subiret, si convictus, vel confessus esset.

X. Secundo, indicia fiscalia sunt sedulo expendenda, an semiplenae saltem probationi aequipollentia reum satis urgeant ad torturam. Nam communi Doctorum consensione receptum est indicia, quae semiplenam non faciant probationem, ad torturam non sufficere (8): quum nonnisi argumentis, et suspicionibus infamatum torqueri iura indulgeant,

cestu tamen et coniuratione quae facta me consule est, quaerendum putaverunt. Idemque *orat. pro A Cluentio* prope finem, ait : *Cum haberetur de furto quaestio, Ieratonem aliquid de veneno esse confessum. Hoc uno modo saepe multorum improbitate depressa veritas emergit, et innocentiae defensio inclusa respirat.*

(1) Paullus refert in *l. edictum 8. D. de quaestionibus.* Contestis est. Ulpianus in *l. 1. §. 23. D. eod.* aiens : *quaestioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam constitutionibus declaratur.*

(2) Marciano teste in *l. divus Pius 9. D. de quaestionibus.*

(3) Vel dic servos tantum ex *l. interrogari 15. C. de quaestionibus.* Ubi ad Impp. Diocl., et Maxim. *interrogari servos de facto suo non solum in criminali caussa, sed etiam in pecuniaria (veluti quando per eos depositi vel commodati nomine, vel aliis caussis res aliis praestitae sunt) posse non ambigitur.*

(4) Alex. III. in *cit. cap. gravis 1. de deposito.*

(5) Iustinianus *Nov. 134. cap. quia vero 13.*, interdixit, *quaedam inferri supplicia, per quae articuli dissolvuntur : quia membrorum dissolutio gravior est utriusque manus abscissione.* Cuiusmodi sunt tortura brachiorum articulos dissolvens, et incisio nervorum.

(6) Rovitus in *Prag. 1. de bonis proditorum.*

(7) Carol. II. Andegavensis in *cap. si iuste quis appellaverit tit. quod recipiatur sententia, vel appellatio a tormentis.*

(8) Ex traditis a Reg. de Rosa *prax. crim. cap. 8.*

et communia (1), et municipalia (2). Sacri etiam canones ad purgationem canonicam instar torturae tantum eos adigebant, quia laborarent infamia (3).

XI. Tertio, personarum conditio spectanda maximopere est. Enimvero leges a cruciatu, et ignominia torturae non paucos eximunt, praesertim nobiles, illustresque viros (4), milites (5), decuriones civitatum (6), eorumque filios, et liberos usque ad pronepotes (7), impuberes (8), mulieres praegnantes (9). Sunt qui dubitant, an priscae Roma-

(1) Ulpian. in *l. 1. D. de quaest.*, initio monet non esse a tormentis inciendum, sed *quaerendum* prius *argumentis, si suspicione aliqua reus urgeatur.* Paullus, *in ea caussa*, inquit, *in qua nullis reus argumentis urgebatur tormenta non facile adhibenda sunt: sed instandum accusatori, ut id, quod intendit, comprobet, atque convincat, l. unus 18. §. 2. D. de quaestion.* Ex eiusdem iurec. sententia, *qui sine accusatoribus in custodiam recepti sunt, quaestio de his habenda non est, nisi aliquibus suspicionibus urgeantur, l. qui sine 22., et ult. D. de quaestion.* Ad rem nostram aptius Imperator Antoninus dixit servos alienos primum interrogandos, si *praestita fuerint ex tanto scelere* argumenta, *ut videantur accedere ad* verisimilia *caussae crimina, l. cum cognitionaliter 3. C. de quaestion.* Tum Dioclet, et Maximian. in *l. milites 8. §. 1. C. de quaestion.* rescripsere: *oportet iudices nec in his criminibus, quae publicorum iudiciorum sunt, ad investigationem veritatis a tormenti initium sumere: sed* argumentis *primum* verisimilibus, probabilibusque *uti. Et si is* veluti certis indiciis *ducti, investigandae veritatis gratia ad tormenta putaverint esse veniendum: tunc id demum facere debebunt, si personarum conditio patiatur.*

(2) In *cit.* regni *cap. tormenta tit. de tormentis.*

(3) Apud Gratianum *can. 1. Caus. XV. qu. 5.* Ibi etenim fertur Stephanus V., qui declinante saeculo nono sedit, Leoni Episcopo Teanensi rescripsisse, ut Aldericus diaconus ob crimen delatum, *si nec sponte confitetur, nec accusatores et testes legitimi reperti fuerint, et mala fama crebuerit, non publico examine, sed coram* ipso Episcopo, *et aliquantis presbyteris et diaconis secreto iuramento se purificet. Et tu deinceps*, ait Stephanus, *boni testimonii eum annuntia: et compesce, et commone Ecclesiae tuae filios, ne Sacerdotem Dei ulterius infamare praesumant.* Idemque Gratianus multis probat *Caus. VI. qu. 5.*, non esse reum deficiente accusatore cogendum ad purgationem.

(4) Impp. Valent., Valens, et Gratianus in *l. nullus omnino 4. C. ad le. Iul. maiest.* rescripserunt ad evadenda *fidicularum tormenta* suffragari defensionem *militiae, vel generis, aut dignitatis: excepta laesae maiestatis caussa, in qua sola aequa omnibus conditio est.* S. Isidorus *lib. 6. etymol. cap. 27.*, putat ex eo *fidiculas* dictas, quod reorum, qui eculeo torquentur, fides inveniatur.

(5) Ex *l. milites 8. C. de quaestionibus.*

(6) Ex *l. decuriones 16. C. eod.* Et Impp. Arcad., et Honorius in *l. nihil sibi 17. C. eod.* immunitatem a tormentis indulgent ei etiam, qui *munera decurionatus deposuerit, propter pristinam dignitatem.* Ulp. etiam *in decurionibus et filiis eorum hoc observari* tradit, *l. divo Marco 11. in fine C. eodem.*

(7) Marco Imperatori placuit eminentissimorum, et perfectissimorum virorum usque ad pronepotes liberos plebeiorum poenis, vel quaestionibus non subiici, *l. divo Marco 11. C. eod.*

(8) *Ætas enim excusationem meretur... hoc in usu observari, ut impuberes non torqueantur: terreri tantum solent, et habena vel ferula caedi*, Ulp. ait in *l. cum aliter 1. §. 32., et 33. D. de Sen. Cons. Silaniano.*

(9) *Ne quaestio de ea habeatur, scio observari, quamdiu praegnans est*,

norum leges torqueri cives Romanos permisissent : propterea quod nullum de iis verbum , sed de servis tantum habeat Pandectarum titulus *de questionibus*, et Apostolus gentium Paulus tormentum flagellationis sibi iam iam imminens ex Tribuni sententia , evasit, postquam Tribunus rescivit , *quia civis Romanus esset* (1). Ingenuos vero generatim alios Romanam civitatem non adeptos torqueri in Romana etiam Republica consuevisse , Tullius ostendit (2).

XII. Ne quid praeter modum legibus praescriptum fiat : monendus est, antequam tortura infligatur , et audiendus rei advocatus edisserendi studio, an cuncta ad quaestionem requisita Iuris concurrant (3). Nam Regni capitulis cautum est, *ut indiciorum , argumentorum , et suspicionum , propter quae ad tormenta proceditur , copia detur ei, qui quaestionibus exponatur , super quibus habeat copiam reclamandi : alioquin nullus sit sequente tortura processus habitus contra ipsum, et nullum sibi praeiudicium habeat confessio forsitan ex tormentis talibus subsecuta* (4). Qui vero appellationem a decreto torturae non admiserit , vel aliquem iniuste contra leges torserit : eum poena talionis plectendum sanxit Carolus II. Andegavensis (5). Et Marcianus mo-

ad Sabinum scripsit Ulp. in *l. praegnantis 3. D. de poenis.* Sola sexus infirmitas non excusat ex *l. cum cognitionaliter 3. D. de quaestionibus.*

(1) Actorum *cap. 22. vers 24., et seq.* Sed ea Apostoli exceptio contra iniquam tribuni sententiam: *Si hominem Romanum, et indemnatum licet vobis flagellare ?* videtur potius indicare privilegium legis Portiae , quo cives Romani fruebantur , ne possent a quovis Magistratu extra comitia, et iniussu populi ad flagella , et supplicia damnari. Cicero etiam in *cit. dialogo de partit. orat. num. 51.*, sat innuit ex institutis Atheniensium, et Rhodiorum liberos, et cives quoque torqueri , Senatumque Romanum, dum Consul ipse Tullius esset, quaerendum tormentis de incestu , et coniuratione putasse. At *maiores nostri*, idem Cicero *or.* pro Milone inquit , *in dominum de servo quaeri noluerunt , non quia posset verum inveniri; sed quia videbatur indignum esse, et domini morte ipsa tristius.*

(2) Cic. *orat. pro A. Cluentio* Sassiae viri Larinatis uxori exprobat , *quod* ea *in filii Cluentii caput quaestionem habere conata est.*

(3) Ex traditis a Reg. de Rosa *prax. crim. cap. 8. n. 85.*

(4) Inquit Carolus II. Andeg. in *cap. habebitur quaestio 2. de tormentis.*

(5) In sequenti *cap. si iuste quis 1. tit. quod recipiatur sententia vel appellatio a tormentis*, ibi : *Si iuste quis appellaverit a tormentis , recipiatur appellatio ante adhibitam quaestionem. Nam si praesens iudex et officialis quocumque nomine censeatur appellationem legitimam interpositam ante tormenta non receperit, aut hominem tormentaverit , ubi non debuit , seu in criminibus non inferentibus poenam ultra relegationem, aut contra praefatam formam de homine quaestionem habuerit ; siquidem tortus ipse ex tormentis mortuus fuerit , vel condemnatus ad mortem , et sententia in eum executioni mandata : officiales adhibitores talium tormentorum ad ultimum supplicium propterea condemnentur.... Si vero mortuus non fuerit ex tormentis, poenam carceris biennalis incurrant, et tertia pars bonorum suorum omnium regiae Curiae applicetur... Si aliud supplicium sit perpessus: officialis eandem poenam sustineat, quam inflixit reiiciens appellationem.* Imperatores etiam Valentin., Valens, et Gratianus *capitale iudici* futurum , *si in contumeliam ordinis exitiumque* decuriones fidiculis , et tormentis exaret , rescripserunt in *l. decuriones 16. C. de quaestionibus.*

nuit lege Cornelia de sicariis eum teneri, qui *magistratus, iudexque quaestionis* innocentem capitalis caussae reum fecerit, (1). Hinc praxis inolevit, ut M. C. Vicariae appellante reo litteras inhibitorias ad Regiam Audientiam, aliudque tribunal inferius faciliter det cum clausula, *quod si fuerit in voto torquendi, acta transmittat, et per dies . . . non procedat, donec aliter fuerit provisum.* Nam interlocutio torturam inhibens, quamvis decretum non diffinitivum sit, gravem noxam, et iniuriam diffinitiva sententia irreparabilem infert, propterea dignam, quae beneficio appellationis impediatur, quoadusque tribunal superius eam iure infligendam censuerit consilio maturiori (2).

XIII. *Quaestionis modum magis est iudices arbitrari oportere*, Ulpianus monet (3). Addit Carisius adhibenda tormenta esse, *non quanta accusator postulat: sed ut moderatae rationes temperamenta desiderant* (4). *Si quis quaestionem habeat, modum tamen excesserit: teneri eum debere, Labeo ait* (5). Municipali autem iure *habebitur quaestio in publico coram assessoribus, actorum notario, et advocatis, nisi nota, et rationabilis caussa subesset, ut tortura deberet fieri in occulto: et maxime in criminibus laesae maiestatis, ubi iudicem, assessorem, et actorum notarium* Rex Carolus II. voluit *esse praesentes* (6).

XIV. *Quaestionem intelligere* cum Ulpiano *debemus tormenta, et corporis dolorem ad eruendam veritatem. Nuda ergo interrogatio, vel levis territio non pertinet ad hoc edictum. Quaestionis verbo etiam ea, quam* malam mansionem *dicunt continebitur* (7) Varia tormentorum genera consuevisse magistratus Romanos adhibere, hisce verbis satinuit Iureconsultus, praesertim *equuleum*, ex testimonio Ciceronis (8).

(1) Marcian. in *l. 1. §. 1. D. ad leg. Corn. de sicariis.*

(2) *Ante sententiam appellari potest, si quaestionem in civili negotio habendam iudex interlocutus sit, vel in criminali, si contra leges hoc faciat*, inquit Scaevola in *l. ante sententiam 2. de appellat recipiend.* Cuiusmodi sententiam Gratianus exscripsit in *can. non solent 30. C. 2. qu. 6.* Eamque firmat Synodus Trid. in *cap. caussae omnes 20. sess. 24. de reform.* appellationi locum dans a decretis, quae gravamen irreparabile per definitivam inferunt.

(3) Ulp. in *l. quaestionis modum 7. D. de quaestionibus.*

(4) Charisius in *l. de minore 10. §. 3. D. eodem.*

(5) Cum Ulpiano in *l. item apud Labeonem 15. §. 42. D. de iniuriis.*

(6) Carol. II. in *cit. cap. habebitur quaestio.*

(7) Ulp. in *l. item apud Labeonem 15. §. quaestionem 41. D. de iniuriis.* Idemque Iurec. in *l. 1. §. quaestionem 25. D. ad Sen. Cons. Silan.* ait. *Quaestionem sic accipimus, non tormenta tantum, sed omnem inquisitionem et defensionem mortis.* Tum in *l. si hominem 7. D. depositi* refert hominem sequestro datum, *ut quaestio de eo haberetur, ac propterea vinctum, vel ad* malam mansionem *extensum.* Hanc Plautus *ligneam custodiam* appellat: quod *ligno plantas insererent divaricatis cruribus,* fert Prudentius apud Gothofredum in glossa ad eandem *l. 7. D. depositi.* De ea fortasse Cicero sensit, inquiens pro Milone: *Subito arrepti in quaestionem*, tamen *separantur a ceteris, et in* arcas *coniiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit.*

(8) Cic. in saepedicta *or. pro Milone* inquit. *Quid opus est tortore? quid quaeris? occiderit ne? occidit. Iure, an iniuria? nihil ad tortorem. Facti enim in* equuleo *quaestio est, iuris in iudicio.* Tum Philippica II., fertur ab eodem Trebonius vidisse *furentis introitum Dolabellae, vincula, verbera,* equu-

S. Augustinus *equuleum* extendentem, sulcantes *ungulas*, urentes *flammas*, virgarum *verbera* commemorat (1). Ad coercitionem corporis a Callistrato referuntur *fustium admonitio*, *flagellorum castigatio*, *vinculorum verberatio* (2). Tiberio (3), et Caligula Imperatoribus (4) usuvenisse *fidiculas*, memorat Svetonius: earumque tormentum a plebeis tantum, reisque laesae maiestatis quibuslibet inferri probant Imperatoribus Valentinianus, Valens, et Gratianus (5). *Vigiliae* quoque cruciatus est vetustissimus (6), equuleo suppar (7), idem fortasse

leum, *carnificem*, *tortoremque Samarium*. Et *lib. 5. de finibus bon., et mal.* ait: *Si ille sapiens ad tortoris* equuleum *a tyranno ire cogatur*. A Sozomeno describitur *equuleus* esse machina lignea equo similis, cuius dorso in longitudinem acuto superimpositum torquendi hominis dorsum arctis funiculis et comprimebatur, et hinc inde manus, pedesque protendebantur. De eo ita Prudentius.... *Iusserat*

Eviscerandum corpus equuleo eminus
Pendere, et uncis, vinculisque crescere.
Iubet amoveri noxialemque stipitem.

(1) S. August. in epistola ad Marcellinum Comitem, cuius fragmentum paullo superius *num. 6.* iam retuli ex *can. circumcelliones 1. C. 23. qu. 5.* Consonat Constantinus in *l. un. C. de emendat. servor.* puniens ut homicidam dominum, *qui dilaniaverit poenis pubblicis corpus* servi sui, *ferarum* unguibus *latera persecando*, *vel exurendo oblatis* ignibus *membra*, aut tabescentes artus atro sanguine permissa sanie defluentes, prope in ipsis adegerit cruciatibus vitam relinquere saevitia immanium barbarorum. Seneca *lib. 2. epist. saevitia commenta est* (ait) *equuleos*, *cruces*, *uncum*, *et tunicam illam alimentis ignium illitam*, *et intextam*.

(2) Callistrat. in *l. veluti fustium 7. de poenis*. Gordianus Impp. *de ictibus fustium* in quaestione adhibitis loquitur in *l. nullam 14. C. ex quibus caussis infamia irrogatur*, et S. Gregorius Augustino Anglorum Episcopo rescripsit in *can. fraternitas tua 11. C. 12. qu. 2 necesse est, ut quidam damnis, quidam vero* verberibus, *et quidam districtius*, *quidam vero lenius corrigantur*.

(3) Svetonius *in Tiberio cap. 62. Excogitaverat inter genera cruciatus*, *ut larga meri potione per fallaciam oneratos*, *repente veteris deligatis*, fidicularum *simul*, *urinaeque tormento distenderet*.

(4) Idem *in Caligula cap. 33.* Fidiculis *se exquisiturum de Caesonia sua*, *cur tantopere diligeret*. Ferunt fidicularum instrumentum ex duobus obliquatis lignis compactum, in quo nerveis funibus torquendi colligarentur.

(5) In *l. nullus 4. C. ad leg. Iul. maiestatis*. S. Isidorus *lib. 5. etym. cap. 27.*, putat *fidiculas* inde dictas, quod iis in equuleo rei torquetur, ut *fides* latentis veritatis inveniatur, apud Gothofred. *in gloss. cit. l. nullus*.

(6) M. Attilium Regulum a Carthaginiensibus *Vigilia* necatum fert Valerius Maximus *lib. 1. cap. 1.*, scribens: *Vigilia pariter*, *et continuo tractu doloris necaverunt*.

(7) Videlicet scamnum ligneum triples acuminato vertice, in quo torquendus horas decem insedeat nudus, pedibus obliquo ligno seiunctim adnexis, et ab humo parumper elatis; eumque ipsum in acquilibrio sustineant quatuor funes non magnopere, sed remissius protensi: duo nimirum latera hinc, et hinc ad parietes oppositos trahant per zonam pelliceam pectus leniter circumdantem, alius per trochleam ductus brachia retro flexa, mollibusque ligulis devincta sursum attollat, alius denique lignum pedes cohibens ad parietem anticum appendat. Formam videsis delineatam apud Scanarolum Sidoniorum Episcopum *in*

quod *supplicium stimuleum* dixit Plautus (1). *Funis* tortura demum usitatior, quem reginam tormentorum appellant, hominem religatis decussatim ad terga manibus trochlea sursum attollendo, suspensumque detinendo brachiorum artus nimio dolore luxat, ponderoso corpore deorsum tendente. Tortura haec dicitur *simplex*, ut distinguatur ab *acri* cum duobus, quatuor funiculis cannabinis ulnas arcte devincientibus, qui referre *fidiculas* videntur.

XV. Hoc in regno Philippus III. die 4. Aprilis 1602. rescripsit, fidiculis torquendos non alios esse, nisi reos criminum atrociorum (2). Testes autem a quovis tribunale, ac iudice, potestatem quoque procedendi ad modum belli obtinente, ut sine funiculis tantum torquerentur in casibus iure permissis, sanxit Prorex Lemosensium Comes (3). *Equuleum*, praeterquam in sceleribus enormissimis, omnino prohibuit Cardinalis Zapata Prorex (4).

appendice ad tract. de visit. carcerat. lib. 3. cap 7. De hoc tormento Romani iudices criminales, in primis Hippolithus Marsilius, Hieronymus Menghinus, mox alii quum reos excruciarent acerrime, Paullus V. *const. 71. §. 10. num. 3.* sanxit, *ut tormento vigiliae iudices non utantur, nisi in delictis atrocissimis, et in quibus etiam urgentissima praecedant indicia: et tunc, nonnisi de voto Congregationis illius tribunalis, in quo proceditur, nec unquam reus subiiciatur huic tormento* vigiliae *eodem die, quo alio genere tormenti fuit tortus, minusque reus, qui tormento funis semel, atque iterum tortus fuit, nec quisquam in hoc tormento* vigiliae *positus detineatur brachiis extensis ad modum torturae, ne ultra tormentum* vigiliae *patiatur etiam tormenta* funis; *sed in omnibus modus adhibeatur, quo vel innocentiae reus, vel supplicio servetur,* apud Scanarol. *lib. 2. de visit. carcer. cap. 4.*

(1) Plautus *in milite glorioso act. 2. scen. 6.* hoc promit senem Sceledro servo minitari: *Nisi tibi* supplicium stimuleum *datur Dedecoris pleniorem herum faciam tuum.* Apud eumdem in *Menaechmis act. 5. scen. 1.* contumelioso medico ita reponit Menaechmus: *At ego te pendentem fodiam* stimulis *triginta dies.* Duplex hinc *stimulorum* genus: alterum vel equulei, vel tripodis acuti fodicantis assidue dorsum vel nates; alterum cuspidati ferri, vel fustis punctionibus ex intervallo iteratis fodiens latera. Hisce stimulis percussa latera martyrum, praesertim S. Hippolithi testatur Prudentius *hymn. 11.*, ita canens: *Illaque infestis perfodiunt stimulis.* Et a Dion. Halicarn. *lib. 14.* Portia fertur ad Brutum virum suum haec interlocuta: *neque enim adeo muliebri sum natura, ut me ad afferendum arcanum vel flamma, vel flagra, vel* stimuli *adigere possint.*

(2) Pragm. 2. *de quaestionibus* regii rescripti verba haec habet: *El Rey he sido informado, quae los ivezes criminales desse reyno usan el dar el tormiento de la* funichela *indistintamente por qualquier genere delito. . . me ha parecido justo, que de aqui adelante . . . los dichos Iuezes no puedan usar de semejante genero de tormiento, si no per delitos graves y de mala qualitad.* Consonat Pragm. 4. *eod. tit. §. 1.* edita an. 1619.

(3) Pragm. 10. *de offic. iudic. §. 66.*, edita die 31. Maii 1616., *non possano dar funicelle,* inquit, *a testimonii, ancorchè il delitto sia grave: però essendo convitto il testimonio, possa detto Commissario procedere a tormentarlo* senza funicelle *ne' casi, che permettono le leggi, costituzioni, e Pragmatiche del regno.* Consonat *cit.* Pragm. 4. *de quaest.*

(4) Pragm. 3. *de quaestionibus*, edita die 13. Ian. 1621., haec habet: *ordiniamo, che il detto tormento di* polledro *non dobbiate usarlo con tutti gli*

XVI. Usitatas decretorum formas nunc discernere pronum est. Monito primum reo, eiusque procuratore, et defensore *ad dicendum quidquid voluerit super discussione indiciorum ad torturam* (1): sedulo disquiritur, an cuncta expositis legibus requisita concurrant, nimirum qualitates, cum criminis capitalis, tum personae ignobilis, natu maioris, et validae, simul et probationis fiscalis in genere, ac specie. Mox ubi nil obstiterit, quoque medici inspectum hominem renunciaverint nullo affici morbo, eumque ita valere, ut procul sit ab eo torquendo periculum mortis, decernitur, *quod citra praeiudicium probatorum* ille inquisitus de illo crimine *torqueatur tormento chordae*, seu *funis ad eruendam ex ipsius ore veritatem*: quoties tortura *simplex* infligenda sit. Vel *torqueatur ex processu informativo citra praeiudicium probatorum*. Si vero *acrem* postulet sceleris atrocitas, dici solet, quod ille *torqueatur acriter cum duobus*, vel *quatuor funiculis ad eruendam ex ore proprio veritatem citra praeiudicium probatorum*: vel quod rarissime fit, *cum pondere pedibus adligato*, vel *cum aqua frigida in dorsum fundenda*, vel *cum tormento vigiliae*, aliove iudicis arbitrio (2). Aut e contrario, quod ille natu minor *torqueatur leviter*, nempe *adducatur ad locum tormentorum*, *ibique spoliatus manibus, ante faciem alligatis ad funem ferula caedatur*. Vel potius, *quod terreatur ad eruendam veritatem*, seu *ad convalidandum* etc. *cum interventu, ac praesentia* illius *curatoris a M. C. V. oretenus destinati*. Praeterea *levior* tortura usuvenit ad purgandam infamiam correi confessi, his conceptis verbis: *quod* ille *torqueatur ad convalidandum confessionem suam in caput sociorum praevia citatione eorundem ad videndum iuramentum ipsius in tortura* (3): aut hic, et ille *torquean-*

inquisiti, *se non. . . . di delitti* enormissimi, *e meritevoli di simile tormento per verificazione di esso. Ed a rispetto delle nullità, che si propongono per gl' inquisiti*, *essendo poveri*, *debbiate ammetterle* absque deposito. Quod haec Pragmatica tormentum appellat *il polledro*, aliique *il cavalletto*, *o la capra*, non aliud, nisi *equuleus* est, ex acuminato dorso equuli, vel caprae dorsum referente. Idemque forta sis fuit *il tormento del tesone* velitum *cit.* Pragm. 4., *et ult. eod. tit.* ibi: *non dobbiate in conto alcuno, nè per qualsivoglia caussa procedere contra carcerati inquisiti di qualsivoglia delitto a detto tormento del* tesone: *nè procederete a tormento di* funicella *contra testimonii in conto niuno*, *conforme la Regia Pragmatica, nè anche contra i principali, se l' inquisizione è causa non sarà molto grave, si che* de iure *sia permesso il procedere contra gl' inquisiti a tal tormento*, *dovendosi usare i tormenti nelle persone di tali inquisiti e carcerati*, *perchè dipongano la verità*, *e non per uccidergli*.

(1) Huc spectat Paulli III. constitutio *ad onus apostolicae servitutis 44.* in Bull. m. ita cavens §. 7. *Nullus torqueatur, nisi legitimatis prius indiciis, et testibus, qui pro indiciis examinati sint, repetitis nec non carceratis, et Procuratore pauperum in legitimatione, et repetitione citatis.* Eam edisserit Scanarolus *lib. 2. de visit. carcer. §. 7.*

(2) Ex traditis a Reg. de Rosa in *prax. crim. cap. 8. num. 93.*

(3) In caput sociorum absentium torquendos vix ad funem alligari, et nil sursum trahi consuevisse tradunt nostri, in his de Angelis *de offic. Bar. cap. 301.*, et Dom. Moro *lib. 3. cap. 23.* At si praesens in iudicio adsit correus

tur ad suas convalidandum depositiones, alter in caput alterius: si torquendus erit civis neapolitanus, additur clausula: *praevia dispensatione, ex quo neapolitanus.* Damnationis autem sententia si fuerit in correum ipsum prolata, decreto superadditur haec alia clausula: *torqueatur tamquam cadaver ad sciendum complices, et fautores.*

XVII. Unius horae spatium tortura quum simplex, tum acris non debet unquam excedere (1); quod clepsydra, seu horologio ex arena dimetiendum est (2). At crimen si tortus obdurato animo negaverit, *repeti posse quaestionem*, ex rescripto Imperatorum tradit Modestinus (3). Ex Paulli etiam sententia, *reus evidentioribus argumentis oppressus repeti in quaestionem potest, maxime si in tormenta animum, corpusque duraverit* (4): dummodo tertiam vicem ea non excedat (5), et prima horam non expleverit, et urgentiora simul prioribus indicia emerserint (6).

XVIII. Confessus in tortura debet post elapsas viginti quatuor saltem horas confessionem vi erutam extra tormenta ratam habere: alias non sufficeret ad eum condemnandum (7), quum ei fidem deminuat vis asperrima funis, et impotentia exhauriendi atrocem horam torturae (8). Si reus enim squalore carceris vexatus ex lege Iustiniani e-

negans, coram eo antea citato ad videndum iuramentum, ac torturam socii confessi, hic leviter torquendus parumper fune sursum trahitur, et paullo post dissolvitur.

(1) Paullus V. *const. 71. de iudic. crim. §. 10. num. 31.* abusus Romanorum tribunalium reformans, *nec in tormento funis*, ait, *quemquam ultra horam pro qualibet vice detineant.* Consentiunt unanimiter DD. cum Foller in *prax. crim.* ad tit. *rei indurati num. 16.*, Farinac. *qu. 37. num. 54.*, *et* Guazzin. *def. 30. cap. 22. num. 6.*

(2) Pragm. 37. *de offic. Mag. Iustit. §. 20.* edita an. 1567., haec habet: *que el Commessario de la caussa seu obligando a poner en los decretos* de torquendo *el dia, mes y anno, y porque algunas vezes, segun entendemos, aconzenten, que los Iuezes de la dicha Vicaria hora sea por discuido, passion, amistad, o otros fines tienen a los delinquentes mas, e menos de lo que seria razon en el tormiento; y porque es bien, que en este, como en todo lo demas aya buen orden, provereys, que de aqui adelante, siempre que se diere tormento, aya ampoletas, para que sepan el tiempio, que est en el el delinquente.*

(3) Modestin. in *l. repeti 16. D. de quaestion.*

(4) Paul. in *l. unius facinoris 18. D. eodem.* At pontificia constitutione Paulli III. vetitum, ne funis tormentum divisis etiam intervallis repetatur, observat Scanarolus *lib. 2. de visit. carcer. cap. 3. num. 14. Torquendum*, Pontifex ait, *continuato actu torturae, non autem in tortura per longum temporis spatium unius, aut plurium horarum, quo ad extraneos actus etiam prandii, aut coenae divertendo, detineant.*

(5) Grammat. *cons. 45. n. 42.*, Cartar. *de interrog. reor. lib. 4. cap. 1. num. 31.*, Scanarol. *lib. 2. de visit. carcer. cap. 3. num. 3.*

(6) Cartar. *loc. cit. num. 123.*, Guazzin. *cit. def. 30. cap. 23.*, et Gomes *de delictis cap. 12. num. 26. tom. 3.*

(7) Clar. *qu. 64. num. 34.*

(8) *Si quis enim ultro de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est nonnumquam enim aut* metu, *aut qua alia de caussa in se confitentur*, monet Ulpianus in *l. in criminibus 1. §. ult. D. de quaestionibus.*

ducendus e custodia est, ut apud acta audiatur (1) : quo magis quaestione tortus apud acta audiendus procul a tormentis erit? Hac ipsa ratione stylus invaluit impertiendi reo, qui ratam fecerit confessionem suam, alium *terminum ad se defendendum adversus confessionem in tortura factam*: non aliter, quam sponte confesso absque tormentis dari terminum eiusmodi lex nostra iubet (2). Nam poterit eam erroneam, falsamque ostendere (3), vel probabiles ad extenuandam poenam excusationes proferre (4).

XIX. At extra tormenta si reus interrogatus, quae sit in tortura confessus, negaverit iterum, ac tertio torquebitur (5), praevio decreto, quod solet in haec verba concipi : *torqueatur iterum ad perseverandum in confessione sua.*

XX. Tandem si reus vel semel ad integram horam tortus, constanter negaverit crimen admisisse, aut confessionem unica, vel iteratis quaestionibus excussam revocaverit: liberandum tunc eum fore, ob dilata per torturam indicia, purgatamque infamiam, Doctores consentiunt (6). Hinc illa decreti forma vulgatissima : *semel tortus, et non confessus liberetur in forma* (7). Huius autem regni tribunalia consueverunt reum etiam tortum, quamvis negantem damnare ad poenam extraordinariam ordinaria mitiorem, semiplenam, si probationem admodum excesserint indicia urgentiora ultra torturam, et Fisco postulante sit torturae decreto adiecta clausula : *citra praeiudicium probatorum torqueatur* (8).

XXI. Quoad reus torquetur, in conclave tormentorum, aedibusque proximis non alios adesse iubet lex municipalis, nisi M. C. V. Regentem, et Iudices caussarum criminalium, Fisci advocatum, procuratorem, et actuarium, seu scribam caussae (9). Ductus vero ad locum tormentorum inquisitus, ab iudicibus *monitus* primum *dicere veritatem* de illo admisso crimine, *ubi, quando, cum quibus armis, vel sociis, quando, et quam ob caussam ;* si cruciatum imminentem evasurus confiteatur, ut non semel contigit (10): eius confessio in acta

(1) Iustinian. in *l. si quis 2. C. de custodia reorum.*
(2) Pragm. *10. §. 15. de officio iudicis.*
(3) Ex supradictis *tit. IX. num. XXI.*
(4) Guazzin. *def. 31. cap. 1.*
(5) Ex traditis a Reg. de Rosa *cit. prax. crim. cap. 8. num. 88.*, Claro *qu. 64.*, et Sanfelicio *dec. 242.*
(6) DD. in *rubr. D.*, *et C. de quaestionibus*, cum Claro *cit. qu. 64.*
(7) Apud Maradaeum *cap. 9. prax. crim. num. 8.*
(8) Ex traditis a Grammatico *dec. 8. num. 10.*, et Guazzino *def. 30. cap. 4.* Reg. de Rosa *loc. cit. num 91.*, Brigante *prax. crim. tit. 13. num. 38.*
(9) Pragm. *25. de offic. Mag. Iust.*
(10) De quodam Xipho Livius *lib. 10. decad. 4.* haec habet: *adductus primo Xiphus ita negare inconstanter, ut parvo metu admoto paratum iudicem esse appareret, conspectum tortoris verberumque non sustinuit, ordinemque omnem facinoris legatorum, ministeriique sui exposuit.* Idipsum fert de uno ex Numidis ad Annibalem defectis, quos Campana mulier detexerat, *lib. 27. C.* Tacitus etiam *lib. 15. annal.* de Natali, et Scenino scribit, quod *tormentorum aspectum, ac minas non tulere.*

redigitur, atque ad carceres dein dimittitur. Si vero negaverit, praesentium iudicum iussu a ministro iustitiae, seu carnifice expoliatus, monitusque iterum dicere veritatem, negans ad funem ligatur, tertioque monitus, ut veritatem fateatur, in negatione pertinax fune sursum trahitur, in eaque pendens non semel, sed pluries insuper monitus de confitenda veritate, quidquid responderit, ab actuario describitur adamussim. Fisci patrono etiam facultas datur eum interea interrogandi (1). Et postquam in eo tormento per unius horae spatium steterit, suam semper firmando negationem, et nihil de interrogatis confitendo: tandem a trochlea demissus, et solutus, compositis, refectisque a luxatione brachiis, ad carceres remittitur, medica ope inibi reficiendus.

TIT. IX.

De sententiis definitivis.

I. Publicatis defensionibus monentur partes ad sua vicissim iura dicendum in scriptis, et oretenus: postea citantur ad audiendam sententiam, quae tandem a iudice prolata, et subscripta legitur palam condicto die coram ipso iudice, ac testibus.

II. Reum confessum, vel convictum damnari ad poenam, non convictos, vel innocentes absolvi leges iubent.

III. Quoties reus absolvatur, tanquam innocens, *accusator calumniae poenas luiturus expensas reo reficiet, eiusque falsi, et periuri testes puniendi quoque sunt.*

IV. Ambiguae, vel defectivae si probationes videantur, liberatur in forma.

V. Aut pro variis causarum meritis declaratur esse reum absolvendum, et non molestandum, *vel* repertum esse non culpabilem, *vel* quod carcer passus cedat in poenam, et non molestetur amplius.

VI. Vicissim in capitalibus iudiciis profanis decernitur, quod reus suspendatur laqueo in furcis in foro magno, *vel* in loco patrati criminis, aut decapitetur more nobilium. *Vel* remiget in regiis triremibus vita durante, *vel* ad annos tot, praevia fustigatione per loca solita. *Aut* deportetur vita durante in insulam asperiorem, *vel* ad annos tot relegetur. *Aut* serviat in praesidio clauso ad vitam, *vel* ad annos tot, *vel* detineatur in carceribus annos tot. *Aut* fustigetur per consueta loca, *vel* apponatur in berlina, in eaque detineatur horas tot. *Vel* exulet in perpetuum ab ea civitate, suoque territorio, *vel* a tota provincia, *vel* a toto regno; *vel* solvat poenam ducatorum tot.

(1) Ex regio rescripto die 5. Septembris 1577, quod laudatur ad marginem Pragm. 4. §. 2. *de offic. Mag. Iust.* collect. Altimari.

VII. In ecclesiastico foro decernitur esse reos corporalium poenarum degradandos, et Curiae sacculari tradendos cum protestatione citra poenam sanguinis, *vel* deponendos ab omni officio, et beneficio clericali, et Curiae laicae tradendos *cum eadem protestatione. Aut* deportandos, *vel* relegandos ad triremes pontificias in perpetuum, *vel* ad tempus; *nunc* ad Centumcellas. *Aut* detrudendos in monasterio.

VIII. Spiritalium vero poenarum reos vel incidisse ipso facto in excommunicationem, *aut* suspensionem, interdictumve contentam in eo canone, aut constitutione, *aut* irregularitatem: *vel quod* excommunicetur, suspendatur, interdicatur ab ingressu Ecclesiae.

IX. Laicos haereticos, poligamos, Sacramentorum profanatores ad corporeas etiam poenas damnant episcopales Curiae inscio Rege non exequendas. Ceteros sacrilegii, adulterii, concubinatus, usurae, blasphemiae reos censuris tantum spiritalibus coercent: pecuniariae regni mores nunc haud patiuntur.
Assassinos clericos praevenienti laico foro subiicit Concordatorum lex.

X. Quam leges, canonesque poenam criminis cuiusque sanxerunt, iudices debent in utroque foro indicere, nonnisi ex patentibus caussarum adiunctis temperandam, vel exasperandam.

XI. Postquam transiverit in rem iudicatam sententia, nec temperari, neque abrogari amplius potest.

XII. Secus antea, si reus reclamaverit, vel nullitates rite obiecerit, vel remedium appellationis.

XIII. Restitutio in integrum in criminalibus iudiciis nullum fere locum habet.

I. Absolutas ab utraque parte probationes, easque rite publicatas, et patefactas utrique partium, postquam iudex monitis, auditisque partibus in contradictorio iudicio discusserit, et sedulo expenderit: mox caussam definiturus ambas partes citat *ad audiendam sententiam* eo certo die proferendam (1). Hanc demum in scriptis redactam, et iudicis dextera subscriptam (2), notarius caussae iudice ipso in aula seden-

(1) Data Fisci patrono, ac procuratori dilatione ad dicendum contra reos, ut iudicum sententia exinde non retardetur, iubet Pragm. *5. de off. Mag. Iust.* Monitus autem Fiscus ad caussam expediendam solet, vel speciatim instare palam in scriptis, ut certa poena secundum leges reo infligatur, vel sibi ius reservat postulationem suam oretenus aperiendi iudicibus ad ferenda suffragia coituris. In caussis enim criminalibus dum suffragia feruntur in aula M. C. V. adesse Fisci patronum, et procuratorem edixit Pragm. *3. §. 1., et 3. de off. Mag. Iust.*

(2) Si tribunal non uno, sed pluribus constat coniudicibus, debent omnes decreta suffragiis maioribus deliberata subscribere, ii etiam, qui contradixerint, ut suffragia ne manifestentur, ex Pragm. *3. §. 4. de off. Mag. Iust.*

te, palam coram testibus etiam praesentibus condicto die recitat, qua reum vel noxium, et convictum damnabit ad poenam condignam, vel innoxium absolvet, aut liberabit non convictum.

II. *Qui iustificat impium, et qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum*, Salomon ait, (1). *Iuxta canonicas sanctiones quaedam sunt culpae, in quibus culpa est relaxare vindictam*, rescripsit Innocentius III. (2). *Perspiciendum est iudicanti*, Marcianus docet, *ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam caussa deposcit, nec enim, aut severitatis, aut clementiae gloria affectanda est: sed perpenso iudicio, prout quaeque res expostulat, statuendum est. Plane in levioribus caussis proniores ad lenitatem iudices esse debent: in gravioribus poenis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi* (3). Huc alludit sic orans pro Cluentio Tullius: *Est illud hominis magni, atque sapientis, quum illam iudicandi caussa* tabellam (4) *sumpserit, non se putare esse solum, neque sibi quodcunque concupiverit licere; sed habere in consilio legem, religionem, aequitatem, fidem: libidinem autem, odium, invidiam, metum, cupiditatesque omnes amovere.*

III. Reo favorabilem sententiam ferentes his nostri in utroque foro utuntur formulis. *Absolvatur tamquam innocens* (5), vel *absolvatur ex capite innocentiae, et deleatur titulus* (6): quoties pateat accusatoris calumnia, accusatumque innoxium procul esse a crimine. Huiusce decreti effectus insignis est, ut nedum accusator calumniae poenas

(1) Proverb. *cap. 17. vers. 15. Maleficos non patiantur vivere*, lex Domini ait Exodi *cap. 22. vers. 18.* Hinc David iustus, *in matutino interficiebam* inquit, *omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*, psalm. 100. *vers 8.* Nam *Rex debet furta cohibere, adulteria punire, parricidas, et periuros non sinere vivere*, ex S. Cypriano in *can. Rex debet 40. C. 23. qu. 5.*

(2) Innoc. III. in *cap. 1. de postulat. Praelator.* S. Ambrosius in *can. iudicet ille 3. C. 3. qu. 7.*, *bonus iudex nihil*, ait, *ex arbitrio suo facit, et domesticae proposito voluntatis, sed iuxta leges, et iura pronunciat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriae voluntati, nihil paratum, et meditatum domo defert, sed sicut audiat, ita iudicat, et sicut se habet negotii natura decernit: obsequitur legibus, non adversatur; examinat caussae merita, non mutat.... in iudicando magis cordi sit veritatis custodia, quam obedientia voluntatis.*

(3) Marcian. in *l. perspiciendum 11. de poenis.* Concinit Paullus in *l. Pedius 6. De incendio, ruina, naufragio.*

(4) Hoc vocabulo indicatur mos in Romana Republica frequens dandi suffragia in collegiis iudicum per *tabellas* litteris hisce initialibus obsignatas A. C. N. L., hoc est *absolvatur, condemnetur, Non liquet.* Praeterea his aliis utebatur formulis: *Non videtur fecisse*, vel *iure videtur fecisse*, et e contrario *videtur fecisse*, vel *non iure videtur fecisse.*

(5) Hisce verbis conceptas olim plurimas reorum absolutiones fert Praeses de Franchis *dec. 276. num. ult.*, et Foller. *par. 4. prax. crim. rubr. poenis debitis feriantur num. 77.*

(6) De Angelis de *off. Baron. cap. 284. num. 1.* Hocce decretum ex adverso respondet inquisitorum adnotationi, quae sit in reorum libro, ex supradictis *tit. V. num. II.*

luat (1), et expensas reficiat (2) accusato, quem a sportulis quoque immunem faciunt legis nostrae (3): sed ipsius etiam accusatoris testes, ut periuri, et falsi plectantur.

IV. Ex defectu probationum, quoties veritas latet, animusque iudiris in ambiguo sit: reum *esse liberandum in forma* vel simpliciter, vel cum clausula, *novis etiam non supervenientibus indiciis*, iam superius monui (4). Attamen M. C. V. isthaec posthabita clausula consuevit reum *liberandum in forma consignare tutae personae cum obligatione illum exhibendi ad omnem, ordinem etiam novis non superve-*

(1) Accusatores propterea privati cogunlur suas inscribere querelas, ex iam dictis superiori *tit. II. num. X.*, *et XI.* Marcianus in *l. 1. §. sed non utique 3. D. ad Sen. Cons. Turpill.* monet *arbitrio cognoscentis* lege Remnia commissum, *qui reo absoluto de accusatoris incipit consilio quaerere, qua mente ductus ad accusationem processit: et si quidem iustum eius errorem reperit, absolvit eum: si vero in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam poenam ei irrogat.* S. Gregorius M. in *cap. 1. de calumniatoribus* rescripsit calumniosum criminatorem non esse sine digna ultione relinquendum. Consonat et Innoc. III. in *cap. cum dilectus 2. eod. tit.* Carolus Andeg. in regni *cap. accusatorum temeritas* quum reprehenderet *ex desuetudinis corruptae neglectu omnem quasi poenalitatem calumniae* praetermissam, sanxit *calumniantes quoslibet deprehensos in evidenti calumnia, vel de ipsa convictos poena calumniae potestas iudiciaria feriat... neglectu, et desuetudine non obstantibus.* Marciani sententiam videtur Gratianus exponere in §. *notandum C. XI. qu. 3.*, aiens: *Siquidem iudex ita pronunciaverit:* non probasti, *pepercit accusatori. Sin autem pronunciaverit:* calumniatus es, *condemnavit eum; et quamvis nihil de poena subierit, tamen legis potestas adversus eum exercebitur. Si autem interloquendo dixerit*: Titius temere accusasse videtur: *non calumniatorem pronunciavit; temeritas enim facilitatis veniam continet, et inconsultus calor vitio calumniae caret, et ob hoc nullam poenam huic irrogari oportet.*

(2) Innoc. III. in *cap. accedens 23. de accusat.* rescripsit *in expensis legitimis* condemnandos, qui criminibus in quendam obiectis, et non probatis possessionem praebendae impedire conniterentur. Fridericus Imp. in regni *const. accusatorum temeritatem de desistentib. ab accusat.* accusatores calumniantes *in sexta parte mobilium mulctari* censuit, *expensis nihilominus accusato cum taxatione iudicis declarandis integre restitutis.* Et generatim omnes, qui temere litigant, et succumbunt, ut expensas victoribus rependant, cautum est Pragm. *1., et 2. de expensis,* et novissima Regis Caroli Pragm. die 18. Martii 1738. §. *1. n. 33.* De municipali hoc iure observando videsis Grammat. *dec. 39.* Nullius hinc momenti est opinio Prosperi Caravitae in *Rit. 297. num. 4.*, qui privatos reorum delatores a reficiendis expensis eximere omnimodis conatur.

(3) Ut reus factis defensionibus absolutus nil solvat actuario pro mercede actorum: secus si absque defensionibus liberetur, sanxit Pragm. 22. §. 8. *de off. mag. Iust.* Nec etiam pro dictis fiscalibus, nisi criminis poena componatur, ex §. 3. iusdem Pram.

(4) Hoc libro *tit. VII. num. IX.* Verbum *liberandi* usurpatum a Carolo II. Andegavensi in *cap. ab illo inchoandum*, et M. C. V. Ritu *item quod si procedatur*, et forma ab eodem Carolo II. praescripta, ut reus *liberetur datis fideiussoribus*, plane indicat stylum huiusce formae vetustissimum, traditum a Grammatico *cons. 31. num. 22.*, qui floruit, et scripsit an. 1532. Absurda exin videtur Francisci Maradei observatio *ab Phil. Maradei sing. 198. num. 8.*, quod *liberatio reorum in forma* in vicem absolutionis ex capite innocentiae suffecta sit, instante Fisci patrono Bilotta anno 1582.

nientibus indiciis (1). Enimvero *de suspicionibus debere neminem damnari*, Traianus rescripsit, et *satius esse impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnare*, Ulpianus addit (2). *Si Episcopus probatione deficiat, reus indemnatus in communione omnium permanebit*, ex canone Concilii Vasensis I. (3), quem maxime firmat Eugenius Papa (4), et commune ius Decretalium.

V. Si iure quid factum appareat, puta homicidium nocturni latronis, vel adulteri in maechia deprehensi, aut casu fortuito citra culpam: tunc dicitur eum inquisitum *esse absolvendum* simpliciter, *et non molestandum*; vel *repertum esse non culpabilem*. Si qua vero culpa intercessit, quae videatur diuturno carcere satis expiata, vel gravitatem admisso crimini detraxerit legitima excusatio, vel caussa (5) probabilis dolum exclusserit: arbitrio aequi, et boni viri decernitur, *quod carcer passus cedat in poenam* (6), vel quod homo ille *non molestetur amplius*. Praecipua decretorum huiusmodi vis est, ut absolutum non liceat amplius pro eodem crimine in iudicium revocare. *Si absolutus sit exercitor hac actione* videlicet furti, vel damni, *deinde agatur cum nauta, exceptio* rei iudicatae *dabitur* ex Paullo (7). Crimen semel abolitum ab eodem in eumdem instaurari non posse definiunt leges (8), et canones (9): *Divinae scilicet imitatione clementiae, quae dimissa peccata in ultionem redire non patitur*, inquit Gelasius Papa (10).

VI. Damnatorias vicissim sententias in foro laico ita concipiunt. Gras-

(1) Franc. Marad. *loc. cit. num. 10., et 11.*

(2) Ulp. in *l. absentem 5. D. de poenis.*

(3) Conc. Vasens. I. in *can. si tantum 2. C. 6. qu. 2.* et Conc. Carthag. VII. in *can. placuit 3. eodem C., et qu.*

(4) Eugen. in *cap. si sacerdos 2. de offic. ordinarii* haec habet. *Si sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum criminis, vel si confessus fuerit, et emendare noluit, nisi iudiciario ordine quis probare possit: non debet eam arguere nominatim, sed indeterminate, sicut dixit Christus:* unus vestrum me traditurus est. *Sed si ille, cui damnum illatum est, petierit iustitiam, potest excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confessus sit; sed tamen non nominatim potest eum rèmovere a communione, licet sciat eum esse reum, quia non ut iudex scit, sed ut Deus: sed debet eum admonere, ne se ingerat.*

(5) *Dignum est odio scelus, quod non habet caussam*, Quintilianus ait *lib. 7. cap. 2.* Caussam, puta legitimam, et iustam, secus iniustam. Nemo etiam, nisi alterutra caussa impulsus delinquit. *Nec quisquam tantum a naturali lege desciscit, et hominem exuit, ut animi caussa malus sit*, Seneca monet *lib. IV. de beneficiis cap. XVII.*

(6) *Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus poena eius sublevanda erit*, ait Modestinus in *l. si diutino 25. D. de poenis.*

(7) Paull. in *l. licet gratias 6. D. nautae, caupones, stabularii ut recepto restituat.*

(8) Papin. in *l. mulier 4. D. ad Sen. Con. Turpil.*

(9) Conc. Monguntin. in *cap. de his 6. de accusat.* ait: *de his criminibus de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari.*

(10) Gelas. in *can. si illic 29. C. 23. qu. 4.*, et *can. divina ult. de poenit. dist. 4.*

sator ille plebeius *suspendatur laqueo in furcis in foro magno*, vel *in loco patrati criminis*, *donec anima separetur a corpore*: et quandoque additur, *praevia raptatione*: vel eques ille, aut doctor, aut decurio *decapitetur more nobilium*: quotiescumque sit morte naturali plectendus. Hic alius ignobilis, ob segetes ex. gr. incensas, poenam capitalem citra ultimum supplicium subiturus, *remiget in regiis triremibus vita eius durante*, vel *ad annos tot*, et aliquando superadditur *praevia fustigatione per loca solita*: aut si minor pubes erit, adiicitur clausula, *verum non transmittatur*, *nisi postquam ad maiorem aetatem pervenerit*. Nobilis autem *deportetur vita ipsius durante in insulam asperiorem a S. R. M. declarandam*, *et caveat de servandis finibus sub poena mortis naturalis*, vel *ad annos tot continuos relegetur*, *et caveat sub poena duplicatae relegationis*. Aut *serviat ad vitam*, vel *ad annos* tot *in praesidio clauso per S. R. M. declarando*: aut *detineatur in carceribus per annos* tot (1). Promeritus poenam mitiorem qua nobilis, qua ignobilis, ob graves puta iniurias, violentias, seditiones, *exulet in perpetuum ab ea civitate*, *suoque territorio*, vel *a tota provincia*, vel *a toto regno*, *et se obliget de servandis finibus ad poenam arbitrariam*, *prout de iure*: aut *exulet* illinc *ad annos* tot, *et caveat sub poena duplicati exilii*. Fur ille sordidus *fustigetur per consueta loca huius civitatis*, vel publico ludibrio gula ad ferream numellam alligandus *apponatur*, *in berlina*, *in eaque detineatur per horas* tot. Qui tandem pecunia mulctandus est, *solvat poenam ducatorum* tot. (2).

VII. Quum Ecclesia penitus non habeat iudicium sanguinis, gladio regio divina etiam ordinatione reservatum, sed modicam ei coercitionem iurisdictionis adnexam in foro externo humanae leges indulgeant (3) ultra spiritalem ligandi, et solvendi potestatem iure divino demandatam: fit exinde, ut episcopales Curiae subditos suos poenis corporeis citra sanguinem, membrorumque mutilationem coerciturae adhibeant easdem fere damnatorias sententias exilii, relegationis, carceris, mulctarumque pecuniariarum, quibus forus laicus utitur. Criminosos autem scelestiores ultimo supplicio plectendos, ubi nullum temperandae poenae locum det atrocitas facinoris, iudex ecclesiasticus sacris canonibus pariturus, decernit *esse degradandos*, *et Curiae saeculari tradendos cum protestatione*, *quod non intendat ad poenam sanguinis* (4), quum sacris ii ordinibus initiati iam fuerint: aut minorum ordinum clericos *esse ab omni officio*, *et beneficio clericali depo-*

(1) *Ne quis perpetuis vinculis damnetur*, mandatis Principum cautum, et ab Hadriano rescriptum fert Callistratus in *l. mandatis 35. D. de poenis.*

(2) Alternam poenam in decretis olim usurpatam, *quod exulet per annos* tot, *vel solvat poenam ducatorum* tot, omnimodis vetat Prag. 42. *de offic. Mag. Iust.* a Prorege D. Petro de Giron edita an. 1585.

(3) Ex traditis *lib. III. harum Instit. tit. IV. num. XV.*

(4) Ad formam constitutionis Innocentii III. in *cap. novimus 26. de verb. sign.* et Bonifacii VIII. in *cap. Praelatis 3. ne homicidio in VI.*, et Ritualis Romani a Bened. XIV. laudati in *const. quam grave 69. §. to. 4. Bull.*

tendos, et Curiae laicae cum eadem protestatione *tradendos* (1). Ad triremes etiam pontificias vel in perpetuum, vel ad tempus in vicem deportationis, vel relegationis olim damnabant alios capitalium criminum reos: nunc vero *ad Centumcellas*, clausum in statu pontificio praesidium iuxta pelagum Hetruscum: alios *in* aliquo *monasterio detrudunt* ad agendam imbi poenitentiam vel perpetuam, vel temporaneam.

VIII. Quod vero ad spirituales poenas, et censuras ecclesiasticas, duplex in eis infligendis forma invaluit, duplici respondens generi censurarum, aut *latae* scilicet, aut *ferendae sententiae*. In priori quidem genere *declaratur* eum *incidisse ipso facto in excommunicationem*, vel *suspensionem*, vel *interdictum contentam*, vel *contentum in* eo *canone*, vel ea *constitutione* ecclesiastica, aut illum *excommunicatum*, *suspensum*, *interdictum incidisse* in irregularitatem: in posteriori autem, *quod* is *excommunicetur*, vel *suspendatur a divinis*, vel *interdicatur ab ingressu Ecclesiae*.

IX. Quoties laicos iudicio Ecclesiae obnoxios in criminibus haeresis, poligamiae, et sacrilegae Sacramentorum administrationis (2), ad poenas etiam corporeas, et temporales damnaverit iudex ecclesiasticus in huius regni Curiis; caveat ne suam exequatur sententiam, nisi postquam secundo transmiserit ad Regem nostrum acta originalia, cogniturum, an servata in iis ordinaria forma sit, regiumque permissum inde obtinuerit (3). Alios autem laicos reos criminum mixti fori, praesertim sacrilegos, adulteros, concubinarios, usurarios, blasphemos, non corporeis, nec pecuniariis poenis, sed spiritualibus tantum censuris coerceant (4). Quod enim Patribus Tridentinis aequum, et bonum visum est, ut criminosi quum clerici, tum laici pecuniaria potius poena, quam censura mulctarentur (5); id hoc in regno Episcopis, et ecclesiasticis iudicibus in laicos detrectant regii magistratus permittere. Vicissim laicus iudex, qui praevenerit in crimine assassinii capturam clerici, debet ante suam sententiam acta omnia Tribunali Mixto exhibere, ab eoque definitivum expectare iudicium super qualitate assassinii, audito reo in suis defensionibus, pronunciandum (6).

X. Ordinariam, seu propriam cuiusque criminis poenam, quam

(1) Bonif. VIII. in *cap. degradatio de poenis in 6.*, rescripsit, *quod verbalis degradatio, seu depositio ab ordinibus, vel gradibus ecclesiasticis est a proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione clericorum in sacris Ordinibus constitutorum certo Episcoporum numero facienda: quamquam proprii Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum praesentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores dumtaxat Ordines receperunt.* Id quod firmavit Bened. XIV. in *cit. const. quam grave §. 16.*

(2) Ex *cap. 6.* Concordatorum *art. 13.*, *et 2.* Videsis dicta superiori *lib. III. tit. VII. num. III., et seq.*

(3) Ex Regis Caroli rescripto die 29. Decembris 1746., alias relato eodem *lib. 3.* ibidem, quod nuper innovavit Rex Ferdinandus die 8. Aug. 1761.

(4) Ex *cit. cap. 6.* Concordatorum *art. 5.*

(5) Trid. *sess. 25. de reform. cap. 3., et 15.*

(6) Ex Concordat. *cap. 3. num. 3.*

scilicet leges, canonesve speciatim sanxerunt (1), adamussim debent iudices irrogare, praeterquam ubi ratio aliqua specialis gravitatem criminis extenuans deminutionem poenae postulaverit, seu poenam extraordinariam ordinaria mitiorem, quam suo aequus, et bonus vir arbitrio temperabit (2). Nostro autem iure Pragmaticarum possunt regiorum tribunalium iudices reis poenam ordinariam ex indubitatis indiciis infligere, quavis decisione in contrarium prolata non obstante (3). Damnatos vero ad remigandum debent quum regii, tum baronales iudices non ad alias, nisi ad regias triremes transmittere (4).

XI. Sententiam, quae in rem iudicatam semel transiverit, nec revocare amplius, nec temperare iudicibus licet. Nam *divi Fratres rescripserunt non solere Praesides Provinciarum ea, quae pronunciaverunt, ipsos rescindere, suamque mutare sententiam neminem posse, idque insolitum esse fieri* (5): id quod firmarunt Diocletianus, et Maximianus (6). Verum si damnatus reus perspicua defensionum instrumenta repererit post rem iudicatam, nonnisi a Principe, aut minui poenam, aut in integrum restitutionem concedendi, docet Callistratus (7). Propterea triginta dies ad exequendam damnationis poenam indulserunt Imperatores (8).

XII. Antequam vero sententia in rem transeant iudicatam, quoties nimirum damnatus intra sex dies a promulgata sententia rite adversus eam nullitates obiecerit, vel in supremo tribunale, puta Regio S. Clarae Consilio, aut Regali Camera S. Clarae iudicatus reclamationis beneficium petierit (9): iure, ac stylo probatissimo iterum auditur in ea ipsa Curia, quae eum damnaverit, eatenus, ut haec, ubi obiectas *nullitates obstare* censuerit, vel *esse deferendum petitae reclamationi*: suam tunc valeat sententiam corrigere, ac mutare, non secus, quam in iudiciis civilibus (10). Decreta vero interlocutionum M. C. V.

(1) Singulas criminum poenas tituli subsequentes *de criminibus*, eorumque speciebus indicabunt.

(2) Id infra exponetur aptius in titulo *de poenis*.

(3) Pragm. *12. de officio iudicum*.

(4) Pragm. *1. de condamnatis* edita ann. 1551.

(5) Tradit Callistratus in *l. divi Fratres 27. D. de poenis*.

(6) In *l. poenam 15. C. de poenis*, ibi: *Poenam sua dictam sententia Praesidi Provinciae revocare non licet*.

(7) Callistratus in *cit. l. divi Fratres*.

(8) Gratian. Valentin., et Theod. in *l. si vindicari 20. C. de poenis*.

(9) Ex *l. 1. C. de sententiis Praefecti Praetorio, l. a Proconsulibus 19.*, *et l. addictos 29. C. de appellationibus*. Et quamvis reclamatio in civilibus iudiciis, nonnisi executo decreto, vel sententia concedatur ex Pragm. *6. de offic. S. R. C.* tamen in caussis criminalibus reclamantes a decretis, sententiisve fustigationis triremium, aliusve corporeae poenae, ultimique supplicii, quae aut infamiam, aut cruciatum irrevocabilem inferunt, iure merito audiri, suspensa interim executione, tradit de Franchis *dec. 139. num. 6*. Praeterea cautum M. C. V. ritu: *item quod omnes interlocutoriae* tit. *de sententiis, relationibus et interlocutoriis, ut pars, quae senserit se fore gravatam, possit reclamare ad consocios iudices... in scriptis, et cum caussa gravaminis infra quatuor dies a die datae sententiae numerandos*.

(10) Videsis dicta superiori *lib. III. tit. XV. num. XVII., et seq.* Praeterea

super caussae remissione ad Curiam inferiorem, aut exceptionibus indulti, vel guidatici, vel restitutionis ad asylum Ecclesiae, aliisve similibus, quae sint ab Regio S. Clarae Consilio confirmata, ut executioni statim demandentur, nullusque locus adversus ea reclamandi detur, constitutum est iure Pragmaticarum (1). At ubi appellatio intra decem dies interponantur, suspensa damnationis sententia, ad tribunal superius devolvitur iudicium, de quo etiam mox dicendum.

XIII. Beneficium restitutionis in integrum in criminali iudicio neque adversus interlocutiones, et decreta, quae in cursu iudicii emergunt, et incidunt saepenumero, neque adversus diffinitivam sententiam ullatenus indulgetur minoribus, aliisve quibuslibet miserandis personis eo beneficio passim fruentibus in iudicio civili, tam si accusatoris, quam si rei personam gerant. Ad accusatorem quod attinet, *auxilium in integrum restitutionis*, docet Tryphoninus, *executionibus poenarum paratum non est: ideoque iniuriarum iudicium semel omissum, repeti non potest* (2). Quod vero ad reos, ex eiusdem Iureconsulti sententia, *in delictis minor annis 25. non meretur in integrum restitutionem, utique atrocioribus, nisi quatenus interdum miseratio aetatis ad mediocrem poenam iudicem perduxerit* (3). Municipalis autem lex regiis tribunalium collegiis dumtaxat arbitrium plectendi minores poena ordinaria largitur (4). Simul ex rescripto Imperatorum Severi, et Antonini *in criminibus quidem aetatis suffragio minores non invantur: etenim malorum mores infirmitas animi non excusat. Si tamen delictum non ex animo, sed extra venit: noxia non committitur, etiamsi poenae caussa pecuniae damnum irrogetur: et ideo minoribus in hac caussa in integrum restitutionis auxilium competit* (5). Vix adversus propriam criminis confessionem natu minores in integrum restituuntur, praesertim si de atrociori agatur crimine (6).

remedium *contrarii imperii* pro corrigendis interlocutionibus, quae incidunt, et emergunt saepenumero in cursu iudicii etiam criminalis, in hoc perinde ac civili usuvenit.

(1) Pragm. *13.*, *et ult. de appellationibus*, a Prorege Comite de Monterey edita an. 1634.

(2) Tryphon. in *l. auxilium 37. D. de minoribus.*

(3) Eadem *l. auxilium 37. §. in delictis.*

(4) Pragm. *1. de minoribus.* Idque usu receptum, ne odia inter homines instaurentur tradit Regens de Rosa *prax. crim. cap. 12. num. 37.*

(5) *L. in criminibus 1. C. si adversus delictum.*

(6) De Rosa *loc. cit. num. 38.* Idque locum habere, etiamsi laesio non ostendatur, tenet Farinac. *q. 81. num. 383.*, et Sforza Oddo *de rest. in integr. par. 2. qu. 65. art. 9. num. 41.* Tum etiam si probationes, et indicia confessionem minoris praecesserint, putat Calà *de restit. in integr. qu. 38. num. 76.*, contra Sanfelic. *c. de 37. num. tit. 9. de appellatione.*

TIT. XII.

De appellatione.

I. Convictis reis, et simul confessis. nec non absentibus appellationem denegant leges, non confessis indulgent.

II. Quoslibet appellantes a capitali sententia fore audiendos aliis legibus cautum est.

III. In utroque huius regni foro appellandi facultas cunctis fere damnatis conceditur, praeterquam confessis simul et convictis, notoriisque reis.

IV. Fiscalibus ministris arbitrium appellandi etiam indulgent Iura communia, et municipalia: nisi ex officio, aut per denunciationem lata sit sententia absolutionis.

V. Intra decem dies postulari appellatio debet.

VI. Mox intra dies triginta Iure communi, aut quinquaginta Iure municipali praefixos appellans debet litteras inhibitorias iudicis ad quem producere; dein intra annum, aut ex caussa biennium prosequi appellationis iudicium.

VII. Transmissis actis ad iudicem appellationis citantur partes ad videndum aperturam processus: mox datur terminus ad non posita ponendum.

VIII. Ab interlocutorio decreto si appellatum sit. apertis rite, visisque actis, decernitur, quod stantibus gravaminibus caussa remaneat, *vel* caussa remittatur ad Curiam N., *quae* ad ulteriora procedat.

IX. Suum si decretum, a quo appellatum sit, iudex idem emendaverit, auditis partibus, vel saltem monitis: appellatio fit irrita.

X. Quidquid post appellationem iudex, a quo decreverit, vel gesserit, nullam vim habet: nisi appellans eam revocaverit, vel deseruerit ante litteras inhibitorias iudicis superioris.

XI. Pendente appellatione innovandum nihil est, reique in carceribus, iudicis a quo retinendi arbitrio iudicis ad quem.

XII. Promulgatas ideo censuras ecclesiasticas appellatio non suspendit, nisi nullitas, aut error evidens, aut conditio non impleta: in eas obiecerit appellans: qui tamen absolvendus ad cautelam est pendente appellatione.

XIII. In visitationibus pastoralibus Episcopi cum levitate adhibeant severitatem, ut corrigant subditos, non resipiscentes vero deterreant salubri poena.

XIV. Formam pastoralis correctionis quoties excesserint visitatores abnormi iudicio, vel incongruis poenis, locum appellationi dant Iura canonica, secus denegant.

XV. Nimirum ab episcopalibus decretis visitationum, et correctionis morum vetant suspensivam, non devolutivam appellationem.

XVI. Huius Regni mores favent appellantibus a gravamine per sententiam irreparabile, et excessu correctionis; nec non exemptis, et laicis.

XVII. Si pateat excessus correctionis canonicae, vel decreta visitationis redoleant formam iudicii pubblici, vel ostendant indolem percussoris, non Pastoris visitantis: vim quoque suspensivam habebit appellatio, re apud Superiorem cognita.

XVIII. Eodem iure utuntur Regulares in iudiciis appellantium, et reclamantium a correctionibus Superiorum.

XIX. Promotorem Fiscales in urbe instituit Benedictus XIII. iura Fisci episcopalis, vel regularis tuiturum in Romana Curia contra appellantes in criminalibus iudiciis.

I. *Ne quis homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, itemque eorum, qui manifestam violentiam commiserunt, argumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propria vitium scelusque confessus audiatur appellans,* rescripsere Constantius, et Constans (1): damnato autem, qui se innoxium esse testibus, et scripturis, et argumentis contenderit, nihil in se confessus, nisi formidine tormentorum territus, provocandi licentiam non denegari. Absentis per contumaciam condemnati appellationem recipi quoque non posse, Antoninus censuit (2). Officialibus etiam, qui suo in officio deliquerint, a sententia proprii iudicis provocationem denegat lex imperialis (3).

II. At pro ducendis ad supplicium Ulpianus censuit *humanitatis ratione omnem provocantem audiri debere*, tam si pro semetipso, quam si pro alio etiam invito, et perire festinante quis appellaverit (4). Simul Arcadius, et Honorius supplicio addictis, et damnatis *humanitatis consideratione, si tempora suffragantur, interponendae provocationis copiam non denegant: ut ibi diligentius examinetur, ubi contra hominis salutem per errorem, vel gratiam cognitoris oppressa putatur esse iustitia* (5). Et *in mulctis quoque inferendis appellationes admitti* iusserunt Gratianus, Valentinus, et Theodosius (6).

III. Huius Regni leges, ac mores in utroque foro appellandi licentiam cuivis fere largiuntur cum eodem discrimine. Cautum porro est Pragmaticarum iure, ne damnati a M. C. V., ut confessi, et convicti abutantur appellationis beneficio, ideoque appellationes in caussis criminalibus, nonnisi hac adiecta clausula, et conditione, *si non fuerint*

(1) Constant., et Constans in *l. observanda C. quor. appellat. non recipiuntur.*
(2) Antonin. in *l. eius 1. C. eodem tit.*
(3) Valentin., et Valens in *l. nulli 3. C. eodem.*
(4) Ulpian. in *l. non tantum ei 6. D. de appellationibus.*
(5) Arcad. et Honor. in *l. addictos 29. C. eodem.*
(6) In *l. et in multis 25. C. eodem.*

ut confessi, et convicti condemnati, admittantur (1). Ritus vero M. C. V. appellationem removent a mandatis ipsius Curiae condemnatoriis vel absolutoriis, a sententiis absolutoriis ab ea latis ex mero officio, vel ex denunciatione criminali, a decreto ipsius Curiae civili vel criminali, puta interlocutione; praeterea in iis casibus, in quibus appellari prohibetur Iure communi, et capitulis, et constitutionibus Regni (2). Canonico itidem iure Decretalium constitutum, ut cuilibet liceat in criminalibus appellare, nisi notorium, et manifestum fuerit crimen (3), et frivola contra sententiam reclamatio.

IV. Fisco etiam appellandi licentiam dant leges Romanae (4), et restitutionem in integrum, *si non interveniente Fisci advocato decisae sint* causae (5). Fridericus Imperator inter suas huius Regni constitutiones *beneficium restitutionis in integrum nostrae Reipublicae* (*ait*) *in iudiciis, et contractibus, antiquis legibus reservatum, non ipsi praevidimus, sed illud nobis integre servamus . . . ad petendam restitutionem eandem . . . procuratoribus statutis a nobis, vel a magistro Iustitiario nostro, aut regionum Iustitiariis, in causis civilibus, et criminalibus nostris statuendi procuratores, et defensores concedimus facultatem* (6). Pragmaticae insuper tum Procuratoris, tum Advocati Fiscalis appellationem in criminalibus adprobant (7), et potissime recursum (8), reiecta aliter sentientium opinione (9). At Fi-

(1) Pragm. *4. de appellation.* edita a Petro de Toledo Prorege an. 1541.

(2) Ex M. C. V. Ritu sub *tit. de appellationibus admittendis.*

(3) Alex. III. in *cap. cum sit Romana 5.* §. *ult. de appellat. Si raptor sit*, ait, *vel violentus detentor alienae rei, qui appellat, huiusmodi appellati facta in iudicio apud ecclesiasticas personas solet audiri: nisi forte* manifestus *raptor, vel fornicator existat: sicut ille, quem absentem, et irrequisitum Apostolus excommunicavit.* Idipsum rescripsit in *cap. pervenit 13., cap. consuluit 14., et cap. suggestum 15.* et Innoc. III. in *cap. cum speciali 61.* §. *porro de appellat.*

(4) *Illud sciendum est*, Macer ait, *neque pupillum, neque* Rempublicam, *cum pro libertate iudicatur, in integrum restitui posse: sed* appellationem *esse necessariam: idque ita rescriptum est, l. illud 9. D. de appellationibus.* Partes *Reipublicae* a Fisco in iudiciis agi nemo diffitebitur.

(5) Callist. in *l. non intelligitur 3.* §. *divus Hadrianus 9. D. de iure Fisci.*

(6) Frid. in *const. beneficium* tit. *de restitutione Reipublicae.*

(7) Prorex Beneventi Comes in *Pragm. 12. de appellationibus*, die 14. Octobris 1599. Regiae Audientiae rescripsit, *che il Procurator Fiscale ha fatto bene ad appellare, e voi avete fatto male a procedere in tal causa, mentre pendeva dell' appellazione: e per questo vi ordiniamo, che da qua avanti nelle cause non dobbiate innovare cosa alcuna, mentre detto Procurator Fiscale appellerà da decreti, che si fanno, ne ammovere i carcerati.*

(8) Lemosensium Comes in *Pragm. 10. 50. de officio iudicum*, die 31. Maii 1616., ita edixit: *Quando parerà al Fiscale dell' Audienza dimandar* ricorso *d' alcuno aggravio, che pretende aver ricevuto dall' Udienza, detto* ricorso *debba dimandar in Vicaria, et interim si debba soprasedere: però parendo all' Audienza, possa abilitar l' inquisito con plegeria.*

(9) Quum antedicta *Pragm. 12. de appell.* probasset, *che per lo Procuratore Fiscale, non ostante che all' Avvocato Fiscale non parve appellare dal decreto di detta remissione, sotto pretesto, che tanto esso, quanto l' Avvocato Fiscale non può appellare in virtù d' una vostra provisione; ne fu appellato;*

seus poterit bona fide non appellare, quoties absolutionis sententiam pro reo haud iniquam censeat (1). Quoties autem sine accusatore, nulloque dato Fisci coadiutore, lata ex officio sit pro reo sententia absolutionis, eam debet iudex nunciare superiori suo, ad quem esset regulariter appellandum, ut hic ipsam expendat, et corrigat, vel adprobet, non secus, quam si foret rite appellatum: alias elapso mense in rem iudicatam eo ipso ea transibit ex Caroli II. Andegavensis constitutione (2). Ritus autem M. C. V. statuit a sententiis absolutoriis ex officio mero, aut praevia denunciatione latis, ut *numquam appelletur*, *licet ipsa sententia contra Fiscum proferatur*, *sive confessus tantum* inquisitus, *sive convictus tantum erit* (3). Condemnatis vero appellantibus inhaesisse Fiscus ipso iure praesumitur, ubi eius appellatio in scriptis non appareat: praeterquam in Baronum Curiis fruentium privilegio secundarum, tertiarumque caussarum (4). Canonico etiam iure appellatio unius prodest alteri collitigantium (5).

V. *Si quis ipso die inter acta* voce *appellavit*, *hoc ei sufficit: sin autem hoc non fecerit*, ad libellos *appellatorios dandos biduum, vel triduum computandum est*, Marcianus ait (6). Sed Iustinianus *decem dies* ad eosdem libellos exhibendum largitur (7), usu adhuc vigentes in utroque foro, et utroque iudicio civili, et criminali. Susceptio quoque *itineris* ad iudicem superiorem intra eosdem dies vim appellationis habet iure canonico (8). Nam iustus metus reservat appellanti, qui formidavit praesens libellum appellatorium proferre (9), beneficium appellationis. Ceterum inhibitio processus ad ulteriora, una cum praecepto de transmittendis actis (10) non fit fere ab iudice appellationis, nisi

quumque id nulla posteriori constitutione abrogatum expresse fuisset: non video, cur nostri appellationem Fisco denegant, vix recursum indulgentes iure regni quotidiano usu frequentissimum.

(1) Ex Curiae const. die 30. Iunii 1607., quam ad marginem *cit. Pragm. de appell.* memorat Blasius Altimarius.

(2) Car. II. in *cap. plerumque contingit* tit. *de notificandis Superiori sententiis, a quibus non extitit appellatum.*

(3) Rit. M. C. V. *item servat ipsa Curia* tit. *practica super praesentandis processibus appellationum.*

(4) Ex *Pragm. 7. de appellat. a* Io. de Zunica edita an. 1580.

(5) Greg. IX. in *cap. una sententia 72. de appellat.*

(6) Marcian. in *l. a sententia 5. §. ult. D. de appell.*

(7) *Nov. 23. cap. 1.*, unde sumpta est *Auth. hodie C. de appellat.*, quam secutus Bonifacius VIII. in *cap. concertationis 8. eod. tit. in VI.*, ait: *quisquis ex eis gravatum se reputans per appellationis beneficium gravamen illatum desideravit revocari, infra* decem *dies, postquam sciverit, si velit, appellet: post* decennium *vero eidem aditus non pateat appellandi.* Tum Regni huius leges *appellationum tempora per constitutiones sacras praefixa observari coram quibuscumque iudicibus* generatim iubent, Pragm. 1. *de appellat.* a Ferdinando I. edita, et Pragm. 53. *de offic. S. R. C.*

(8) Innoc. III. in *cap. dilecti 52. de appellat.*

(9) Greg. IX. in *cap. si iustus metus 73.*, *et ult. eod tit.*

(10) Constantinus Imp. in *l. ne caussas 15. C. de appellat.* iussit ad iudicem appellationis acta omnia inferioris iudicis fore transmittenda, *ne lis*, ait, *incognito negotio dirimatur, adempta copia conquirendi.*

ante constiterit eam rite interpositam infra legitima tempora fuisse, caussamque inde ad superius tribunal iure devolutam (1).

VI. Quod spectat onus appellanti impositum adeundi iudicem superiorem, ab eoque obtinendi litteras iudici, a quo sit appellatum, inhibentes processum ad ulteriora, et imperantes actorum transmissionem, et hanc procurandi intra dies triginta Iure Civili, et Canonico indultos (2), aut quinquaginta dies municipali constitutione Friderici II, largitos (3), aut plures, paucioresque arbitrio iudicis superioris ex aliqua legitima caussa indicendos (4): praeterea unius anni spatium, aut ex caussa biennium prosequendo, perficiendoque appellationis iudicio praefixum Iure communi (5), sed iudicis appellationem cognoscentis arbitrio moderandum, et ampliandum Iure Decretalium (6), et sine limitatione prorogatum lege Pragmaticarum (7). Videsis dicta superius de

(1) Ex Lugdun. Conc. sub Innoc. IV. in *cap. Romana 3. §. si vero de appellat. in IV.*, et const. Bened. XIV. superiori *lib. III. tit. XVII. n. XXIV.* relata.

(2) Ex *l. iudicibus 24. C. de appellat.* Bonif. VIII. in *cap. ab eo 6. eodem tit. in VI.* censuit, non petentem apostolos intra dies 30. appellationi tacite renunciare. At sufficit uno contextu appellare, et petere apostolos in primo appellationis libello, Clementina *quamvis 2. de appellat.* Fridericus autem II, in *const. appellationum tempora*, sanxit, *si post appellationem praesentatam appellator sine licentia iudicis, ad quem appellavit, discesserit, nec instanter instet, ut responsum debitum consequatur, quasi numquam appellaverit, rata sententia permanebit*, Trid. in *cap. 2. sess. 13. de ref.* statuit, ut appellantibus acta dentur intra 30. dies.

(3) Frid. II. in *const. appellationum tempora 160. tit. de appellat.* edixit, ut *quinquaginta dierum spatium a die appellationis interpositae habeat appellator: infra quod processum iudicii, et appellationis nostrae Curiae praesentet.*

(4) Ex traditis a Caravita, et Petra *ad M. C. V. Ritum 271.*, et quotidiano utriusque fori stylo. Nam Fridericus II. in *cit. const. appellationum tempora* cavit, *si ad alios maiores iudices a minorum sententia fuerit appellatio interiecta, tunc pro locorum distantiis, et caussarum qualitatibus, et personarum pronunciationibus, iudicibus praesentandum appellationum tempora praestitui volumus appellanti, dummodo praedictorum* quinquaginta *dierum spatium non excedat indulta dilatio. Quae omnia in ipso apostolorum tenore volumus contineri.*

(5) Ex *l. fin. §. illud, et Auth. ei qui C. temp. appell.* Alex. III. in *cap. sicut Romana 5. de appellat.* Clementina *sicut 3. eod. tit.* Bonif. VIII. in *cit. cap. ab eo.* Ritus M. C. V. *tit. quanto tempore durat instantia.*

(6) Alex. III. in gen. Conc. Lateran. *cap. reprehensibilis 26. de appellat.* constituit, ut appellantibus *competens ad prosequendam appellationem terminus praefigatur.* Idemque in *cap. ex ratione 8. eod. tit.* noluit appellantibus, qui *per impotentiam* omiserant prosequi iudicium, officere lapsum bienni. Mox Innocentius III. in *cap. ex insinuatione 50. eod. tit.* declaravit, non licere iudici a quo terminum finiendae appellationi praefigere. Idemque in *cap. saepe contingit 44. eod. tit.* censuit *terminum appellationi praefixum edicti peremptorii vires* obtinere. Tum in *cap. oblatae nobis 57. eod. tit.* respondit quod ex caussa urgente possit, ac debeat iudex appellationis annum ei prosequendae statutum legibus breviare ac moderari.

(7) Pragm. 50. *de offic. Mag. Iustit.* an. 1605. a Prorege Beneventi Comite lata edixit criminales caussas in M. C. V., aliisque huius urbis Neap. regiis tribunalibus nunquam biennii lapsu perimi, sed prorogatum semper censeri tem-

appellatione in iudicio civili. Una enim, eademque forma in utroque civili, et criminali iudicio appellationis fere concipiuntur, et libelli partium, et iudicum *a quo*, et *ad quem* interlocutiones de admittenda, vel reiicienda appellatione, de suspendenda, vel exequenda sententia inferioris, de transmittendis actis, de appellatione prosequenda, vel desertam declaranda. Verum appellato debent nedum appellatio interposita, sed et admissio illius, terminique praefixio nunciari (1).

VII. *In omni caussa appellationis, ut procedi possit sine libello, et litis contestatione, et caussa appellationis inchoet per aperturam processus* coram iudice superiore, cautum est Ritu M. C. V. (2). Verum *citatur pars ad videndum aperturam processus, et datur etiam terminus ad* non posita *ponendum*, et non probata probandum (3), quoties a diffinitiva sententia appellatum sit.

VIII. At ubi a quovis decreto interlocutorio appelletur; post aperturam processus rite factam oportet in primis cognosci ex iisdem actis, an illud appellantem gravaverit, nec ne, mox pro caussae meritis decerni, vel *quod stantibus gravaminibus caussa remaneat* (4), dein ad ulteriora procedi in statu, et terminis, in quibus caussa reperitur, vel si frivolam, et iniustam noverit appellationem, *quod caussa remittatur ad Curiam N., quae suum exequatur decretum, atque ad ulteriora procedat* (5): non secus, quam in civilibus appellationibus observatur. Iniustae vero appellationi si iudex a quo detulerit, caussam ei superior non cogitur tunc remittere: secus si contradixerit (6).

IX. Quod ipse inferior possit gravamen decreto suo illatum revocare, eoque emendato procedere ad ulteriora, appellatione posthabita,

pus ad eas definiendas. Idemque pro Regiis Audientiis dein constitutum in Pragm. 10. §. 33. *de officio iudicum.*

(1) Ex Conc. Viennensi in *Clementina 1. de appellat.*

(2) Rit. *item si appellans §. pen. de appellat., et supplicat.*

(3) Ex sequenti Ritu sub tit. *executio de appellationibus fit per ipsam Curiam semper*, qui usu viget.

(4) Idcirco legitimam appellandi caussam esse coram Superiore probandam, rescripsit Honorius III. in *cap. interposita 70. de appellat* Huius vigore decreti caussa principalis una cum accessoriis omnibus ad iudicem appellationis devolvitur ex Innoc. III. in *cap. dilectis 55. eod. tit.*

(5) Nam Clemens III. in *cap. cum in Ecclesia 38. de appellat.* rescripsit, ut *appellationem* superior *non ante admittat, quam sibi constiterit eam vel a gravamine, vel iniusta condemnatione porrectam: alioquin ipsum* clericum appellantem *ad Episcopi* sui *audientiam remittat. appellatione remota eius iudicio pariturum.* Et Innoc. IV. in *cap. Romana 3. §. fin eod. tit. in VI*, constituit caussam fore statim remittendam, postea quam superior male appellatum esse iudicaverit. At ubi gravamen ex actis appareat, *non debet ad eos*, puta inferiores iudices, *caussa remitti, nisi partes consenserint, a quibus noscitur appellatum*, ex Alexandro III. in *cap. accepta 35. eod. tit.* Propterea debet appellans ab interlocutione caussam probabilem accepti gravaminis exponere iudici ad quem, ex constitutione Concilii Lateran. IV. sub Innoc. III. in *cap. ut debitus honor 59. eod. tit.* Verum Gregorius IX. in *cap. interposita 70. §. ille denique de appellat.* dat appellanti facultatem petendi caussae remissionem, invito adversario.

(6) Clem. IV. in *cap. cum appellationibus frivolis 5. eod. tit. in VI.*

rescripsit Innocentius III. (1). Ob id appellans a iudice, a quo monitus comparere coram eo tenetur, ut revocationem accepti gravaminis audiat in termino ei praefixo, quamvis illud is docere non compellatur, quam ipse iudex per sese id videre debeat: alias hic eo non comparente, et gravamen reapse revocaverit, poterit perinde in caussa libere procedere; ac si appellatio interposita non fuisset (2).

X. Ceterum iudicis, a quo acta omnia, quae ab eo fiant post appellationem, irrita omnino sunt, nisi appellans appellationi renunciaverit (3), vel eam non prosequendo sponte sua redierit ad iudicem inferiorem (4). Nam quoties interpositam appellationem pars ultro deserat, iudicem ad quem adire omittens: iudex a quo recte procedit ad ulteriora (5), quoadusque nullam acceperit a superiore inhibitionem. Post vero acceptas, vel sibi nunciatas iudicis ad quem litteras inhibitorias: fas iudici a quo amplius non erit procedere ad ulteriora sine rescripto eiusdem superioris inhibitionem amovente. Ratio enim postulat, ut inferior superiori obediat suo (6).

XI. Hinc patet, cur nihil sit appellatione pendente innovandum (7). Speciatim vero cautum est regiis Pragmaticis, ut interea captivi quum appellantes, tum appellati a carceribus, ubi sunt, non amoveantur, nisi quem M. C. V. Iudices in aulas Fisco audito censuerint esse transmittendum (8). In Curiis etiam ecclesiasticis id ipsum usu receptum est, ut captivi in carceribus inferioris iudicis detineantur superioris arbitrio, et omnia in eo statu sic permaneant, uti erant in ipso appellandi actu.

XII. Eadem ratione fit, ut ecclesiasticas quoque censuras excommunicationis, suspensionis, et interdicti post appellationem nequeat episcopalis Curia infligere, tametsi prolatam de iis antea sententiam, si appellatio subsequatur promulgationem earum fere non impedit (9), praeterquam ubi fuerit appellatio ex capite nullitatis obiecta (10), seu intolerabilis, et patentis erroris (11), aut ante conditionis eventum interposita contra

(1) Innoc. III. in *cit. Conc. gen. cap. cum cessante caussa 60. eod. tit.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. si a iudice 10. de appellat. in VI.*

(3) Innoc. IV. in *cap. ut super 4. eod. tit. in VI.*

(4) Alex. III. in *cap. directae 39.*, et Innoc. III. in *cap. sollicitudinem 54. de appel.*

(5) *Cap. ad haec 27., cap. ad aures nostras 33., et cap. constitutus 45., eod tit.*

(6) Alex. III. in *cap. cum parati 19. de appellat.*, et Innoc. III. in *cit. cap. Romana 3. §. si autem eod. tit. in VI.*

(7) Attentata ideirco, et innovata omnia revocari, et in pristinum restitui statum rescripsit Bonifacius VIII. in *cap. non solum 7. eod. tit. in VI.*

(8) Pragm. *43. de offic. Mag. Iustit.*, et Pragm. *12. de appellat.*

(9) Lucius III. in *cap. adhaec 37. eod. tit.* ita rescripsit: *sicut post appellationem excommunicari non possunt, sic interdum nequeunt, cui ante appellationem eos constant suppositos, declinare.* Discriminis caussam Innocentius III. in *cap. pastoralis 53. §. ult. eod. tit.* explicans, *cum executionem*, ait, *excommunicatio secum trahat, et excommunicatus per denunciationem amplius non ligetur ipsum excommunicatum denunciare potes, ut ab aliis evitetur.*

(10) Ex supradictis *lib. III. tit. XVII. num. XX.*

(11) *Cap. cum contingat 36. de off., et pot. iud. deleg.*

sententiam conditionalem (1) Et quoniam censurarum sententias posse, nonnisi auditis partibus ab iudice appellationis revocari, sanxit Concilium Lugdunense (2) : tamen iuris aequitas morem invexit, ut excommunicati, vel suspensi, vel interdicti ad cautelam interea pendente appellatione cito absolvantur ab ipso appellationis iudice superiore (3).

XIII. Nunc a decretis *visitationum* episcopalium, et *correctionis* morum appellatio an, et quomodo locum habeat ; operae pretium est paullo curatius edisserere. Ut canonicam subditorum correctionem Ecclesiae Praesulibus a Christo Domino demandatam (4) prisci Patres exequerentur, consueverunt manifesta peccata per publicam poenitentiam corrigere, occulta occulte purgare, a fidelium communione segregantes neminem, nisi aut sponte confessum, aut rite convictum in ecclesiastico iudicio (5). Eamque retinens Tridentina Synodus censuit primum admonendos Episcopos, *ut se Pastores, non percursores esse meminerint, atque ita praeesse subditis oportere, ut . . . si quid per humanam fragilitatem eos peccare contigerit*, secundum Apostoli praeceptum *illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, et patientia : quum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conservetur, et qui correcti fuerint, emendentur, aut si resipiscere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur* (6).

XIV. Quoadusque formam hanc in corrigendis subditorum pravis moribus servaverit Episcopus, appellandi beneficium iis adimunt iura decretalium (7),

(1) Ex decretali Coelestini III. in *cap. praeterea 40. de appellat.*
(2) Sub Innoc. IV. in *cit. cap. Romana 3. §. sententias eod. tit. in VI.*
(3) Alex. III. in *cap. ad praesentiam 16., et qua fronte 25. eod. tit.*
(4) Matthaei *cap. 18.*
(5) Trid. in *cap. eadem 1. sess. 13. de reform.*
(6) Formam eiusmodi tradit S. Augustinus in *can. multi corriguntur 18., et can. si peccaverit 19. C. 2. qu. 1.* Ad eam alludit Innocentius III. in *cap. novit ille 13. de iudiciis*, aiens : *quomodo nos mandatum divinum possumus non exaudire, ut non procedamus secundum formam ipsius ?*

(7) *Quia remedium appellationis non ideo est inventum, ut alicui a religionis, et ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere... si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis convaluerit, non ideo minus eum.... corrigas, et castiges*, Alexander III. rescripsit ad Abbatem S. Petri in *cap. ad nostram 3 de appellat.* Idemque in *seq. cap. reprehensibilis 26.*, *nec subiecti*, ait, *contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant.* Innocentius III. in *cap. licet 12. de offic. iud. ordin.* ad Petrum de Corbeio Archiep. Senonens. rescribens, inquit. *Licet in corrigendis excessibus iuxta canonicas sanctiones appellationis sit diffugium interclusum, et ideo ven. fr. n. Parisiensis Episcopus* Guillelmus de Castro *a nobis recepit in mandatis, ut tam circa monachos, et alios viros religiosos, quam etiam clericos saeculares... inquirat, et corrigat appellatione remota... tu tamen nec impedias per teipsum, nec per alios facias impediri, quominus*

et Tridentina (1), et novissima constitutio Benedicti XIV. (2) : secus ubi eam excesserit vel abnormi iudicio, vel poenis acerbioribus, et incongruis (3).

XV. Haec autem iura in correctionibus, et visitationibus episcopalibus appellationem quomodolibet vetantia non *devolutivam*, sed *suspensivam* solummodo vim ei adimunt: adeo ut integram causae notionem, executis interea decretis Episcopi corrigentis, aut visitantis, probe avocet superior ad sese, diiudicaturus, an poenalem, ac molestam correctionem subditus appellans promeruerit, an per iniuriam, sordes, fraudesve accusantium subiverit. Id enim vero satis declaravit Tridentina Synodus, dum ait (4), *Episcopi, ut aptius quem regunt* populum *possint in officio, atque obedientia continere : in omnibus iis,*

idem Episcopus in corrigendis subditorum excessibus officii sui debitum exequatur. Tum in Conc. Lateranensi IV. sanxit, *ut Ecclesiarum Praelati ad corrigendum subditorum excessus maxime clericorum, et reformandos mores prudenter, ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Ut autem correctionis, et reformationis officium, libere valeant exercere*, decrevit, *ut executionem ipsius nulla consuetudo valeat impedire, nisi forsan excesserint in talibus observandam, cap. irrefragabilis 13. eod. tit. de offi. iud. Ord.*

(1) Trid. in *cit. cap. 1. sess. 13. de ref.* haec habet. *In causis* visitationis *et* correctionis, *sive* habilitatis, *et* inhabilitatis, *necnon* criminalibus, *ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario generali ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non* appelletur : *nec Episcopus, seu Vicarius appellationi huiusmodi tanquam frivolae deferre teneatur : sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanata, necnon omni stylo, et consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen huiusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit : quibus casibus sacrorum, et antiquorum canonum statuta illibata persistant.* Idipsum iterato decrevit Trid. in *cap. 10. sess 24. de reform.*

(2) Bened. XIV. in *const. ad militantis 48. de appellat., et inhibit. concedendi., vel denegan. §. 21.* edixit remotam fuisse a Patribus Tridentinis appellationem *adversus pastoralem* visitationem *dioecesis, et praesertim Monasteriorum commendatorum, Abbatiarum, Prioratuum, et Praeposituraruin, in quibus non viget regularis observantia, nec non beneficiorum tam curatorum, quam non curatorum, saecularium, et regularium qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum; prout etiam ab* executione *eorum, quae in ipsa* visitatione *mandata, decreta, aut iudicata fuerint. Nec non similiter a quibuscumque decretis, et provisionibus etiam extra visitationem pro conservatione, vel reparatione ecclesiasticae disciplinae quoad vitam, mores, et honestatem quorumcumque clericorum, luxum, comessationes, choreas, ludos, crimina, et saecularia negotia fugienda, et evitanda, iuxta plura decreta dicti sacri Concilii, et praesertim sess. 6. de ref. cap. 4, sess. 13. cap. 1., sess. 14. cap. 4., sess. 21. cap. 1., et 8., et sess. 24. cap. 10.*, ad formam tamen decretorum S. Congreg. de mandato Clementis VIII. editorum *anno 1600.*

(3) Ex *cit. cap. irrefragabili 13. in fin. de off. iud. ordin. Si contra praescriptum ordinem*, Innocentius III. ait ad Episcopum Vercellensem, *tanquam homines* excessistis, *non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis, ut aliorum* corrigatis *errores... ne inde nascantur iniuriae, unde iura nascuntur, cap. qualiter, et quando 17, de accusation.*

(4) Trid. in *cap. Episcopi 10. sess. 24. de reform.*

quae ad visitationem , *ac morum* correctionem , *subditorum suorum spectant* , *ius* , *et potestatem habeant etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati ea ordinandi* , *moderandi* , *et puniendi* , *et exequendi iuxta canonum sanctiones* , *quae illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione*, *ac dioecesis suae utilitate necessariae videbuntur. Nec in his*, *ubi de* visitatione, *aut morum* correctione *agitur* exemptio, *aut ulla* inhibitio, appellatio, *seu querela etiam ad Sedem Apostolicam interposita* executionem *eorum* , *quae ab his mandata* , *decreta aut iudicata fuerint*, *quoquomodo impediat*, *aut* suspendat. Haec Synodi verba quum dumtaxat unum appellationis effectum suspendendi executionem decretorum visitationis , aut correctionis episcopalis aboleant: iure merito putantur alterum aeque legitimum devolvendi iudicii ad tribunal superius non abrogasse , sed integrum reliquisse (1).

XVI. Ne vero populi , ac subditorum libertas appellandi secundum leges, et canones, detrimentum aliquod subiret , nec privilegia exemptionis enervarentur : hocce Tridentinum decretum hoc in regno non admissum fuit. Alterum vero paulo superius memoratum *cap.* 1. praecedentis *sess.* XIII. intactum fuit , in quo etiam cavetur, ut Episcopi *in caussis visitationis* , *et correctionis* morum appellationi tanquam frivolae non deferant , sed quovis stylo , et consuetudine vel immemorabili contraria non obstante, *ad ulteriora valeant procedere*: *nisi* gravamen *huiusmodi per definitivam sententiam reparari* , *vel ab ipsa definitiva appellari non possit* , *quibus casibus sacrorum* , *et antiquorum canonum statuta illibata persistant.* Non aliud idcirco quis videtur moleste tulisse in eo *cap.* X. *sess.* XXIV. , nisi reticitam facultatem appellandi a gravamine per sententiam irreparabili , et abusu correctionis abnormis , nec non orbatos appellationis beneficio exemptos , populumque insuper subditis ecclesiasticis aequiparatum.

XVII. Utcumque res tunc se habuit , quum ipsa Tridentina reformatio promulgaretur : id sane probatissimum nunc est iteratis S. Congregationis declarationibus (2), et nupera Benedicti XIV. constitutione (3) , usuque receptum, ut episcopalis quum visitationis, tum correctionis decreta quoties aequi , et boni viri consilio putentur excessis-

(1) Id quod pluries censuit S. Congregatio Concilii apud Fagnanum in *cap. ad nostram de appellat. num. 6.*, *et seq.* , et Gallemart. in *declarat* , *ad cit. cap. 1. sess. 13. vers. non appelletur* , *et ad cit. cap. 10. sess. 24. ver. appellatio ;* probatque Wan-Espenius *par. 3. tit. 10. cap. 3. num. 19.*, *et seq.* cum Zypaeo *consult. 3. de accusat.*

(2) Apud Fagnan. *loc. cit. num. 20.*

(3) Bened. XIV. in *const. ad militantis 48. de appellat.*, *et inhibit. concedendis* , *vel denegandis §. 39. tom. 1. Bullarii*, *in hisce ipsis negotiis* , *et causis* (ait), *in quibus inhibitiones canonicam executionem impedientes, aut suspendentes concedi non debent* , *dari possunt casus*, *qui per ipsum sacrum Concilium Tridentinum* , *vel iuxta eius mentem per apostolicas constitutiones* , *et sacrarum Congregationum declarationes* , *aut communem Doctorum sententiam* a praefata generali *regula de non concedendis inhibitionibus* , *eisque posthabendis excipiuntur* , *quique* , *ut plurimum* , *non aliter* , *quam prudentis iudicis arbitrio secundum particulares facti circumstantias aestimari possunt.*

se metas canonicae correctionis, pastoralisque visitationis (1), vel redolere formam publici, et solemnis iudicii (2), aut percussoris, non Pastoris ingenium praeseferre (3); suspendantur, eorumque executio impediatur legitimo appellationis remedio, praesertim superioris iudicis inhibitione eo ritu expedienda, quem scite imperavit, invexitque praelaudatus Benedictus XIV (4). Quae vero appareat ex sese proba, et iusta correctio, eam appellanti non liceat interim evadere, simul nec Metropolitano, aut cuivis iudici ad quem suspendere, aut inhibere: tametsi valet hic procul dubio suscipere notionem caussae ad sese devolutam, actorumque transmissionem praecipere, appellantis querelas, et defensiones rite discussurus, et re cognita, definiturus quidquid iuris erit (5).

XVIII. Regularium quoque appellationes a correctionibus Superiorum Ordinis cohibent quum iura communia (6), tum constitutiones

(1) Ex *cit. cap. irrefragabilis 13. in fin. de offi. iud. ord.*, *et cap. qualiter et quando 17. de appellat.*

(2) Gallemart. in *declarat. ad cit. cap. 10. sess. 24. de reform. num. 2.*, *Congregatio censuit* appellationem in eo Tridentino decreto sublatam *habere locum*, *quando non fuit processum iudicialiter*, *sive compilato*, *ac proposito processu.* Additque num. 4., *quod si Episcopus compilato processu formato iudicio*, *servatis servandis*, *prout iuris fuerit procedat*, *veluti in causa blasphemiae*, *adulterii*, *ac restitutionis fructuum beneficiorum*, *aut ob non recitatum divinum officium*, *et similia*, *non habent locum haec decreta.* Idipsum observat Wan-Espen *loc. cit. num. 21.*

(3) Ex *cit. cap. 1. sess. 13. de reform.*

(4) Bened. XIV. *cit. const. ad militantis* §. 39., cuius verba iam exscripsimus *superiori lib. III. tit. XVII. n. XXIII.* Wan-Espenius *part. 3. tit. 10. cap. 3. num. 22.*, et Salgadus *de protectione regia par. 2. cap. 15. num. 70.* recte monent, dum appellatio propter excessum in correctione, aut visitatione episcopali permittitur, certum gravamen, excessumque Praelati corrigentis, aut visitantis debere Superiori ab appellante idcirco exponi: quia ubi ius appellationi resistit per modum regulae, eamque indulget casu speciali per speciem imitationis, eae tunc accepti gravaminis qualitates exprimendae sunt, quae ostendunt specialem concessae appellationis casum urgere contra regulam appellationi adversantem.

(5) Gallemart. *loc. cit. n. 3.* fert etiam a Sacra Congregatione Concilii declaratum, ut *interposita appellatio ad Metropolitanum ab Episcopo vigere huius decreti tamquam Delegato apostolico*, *visitante*, *licet devolvat causam*, *non tamen visitationem*, *seu executionem suspendat. Casu autem quo locus sit appellationi*, *acta sunt transportanda*, *et danda copia iusta praescriptionem cap. 3. sess. 13. cap. 20. huius sess.*, *quia hoc decretum non substulit appellationem devolutivam*, *sed suspensivam tantum*, *licet Episcopus id faciat tamquam Sedis Apostolicae Delegatus. Quo ad dandam autem copiam actorum attinet*, *Congregatio censuit servanda esse decreta Conc. sess. 13. cap. 3.*, *et cap. 20. huius sess. 24.*

(6) Alexand. III. in *cap. quia nos 32. de appellat.* sanxit, ut *Abbates*, *qui de aliqua publica infamia publice respersi sunt*, *aut convicti*, *deinde in communi Capitulo commoniti*, *praelationi cedere noluerint*, *appellandi non habeant facultatem.* Tum Innoc. III. in *cap. in singulis 7. de statu Monachorum* in Concilio generali statuit Capitulum Abbatum, ac Priorum singulis triennii fore celebrandum: *in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis*, *et observantia regularum*; *et quod statutum fuerit*, *inviolabiliter observetur*, *omni excusatione*, *contradictione*, *et appellatione remotis.*

eorundem peculiares, nimirum quod ad effectum suspensivum, non devolutivum.

XIX. Ut autem delatae ad Romanam Curiam appellationes criminales, auditis ambabus partibus, appellantis nimirum, et Fisci episcopalis, aut Regularis rite discuterentur, quum Episcopi, aliique locorum Ordinarii, et Praelati Regulares plerumque negligerent in ea constituere aliquem fiscalia munia contra reos obiturum, Benedictus XIII. an. 1724. generalem Promotorem in urbe Romana instituit, eique menstruum stipendium scutorum 25. a Camera Apostolica solvendorum addixit, ut Curiarum omnium Episcopalium, et cuiuslibet Praelati quum saecularis, tum Regularis iura in caussis criminalibus tueretur, quae in gradu appellationis, aut recursus ad Sedem Apostolicam, et A. C. Auditorem, vel ad Sacras Congregationes deferantur (1). Hactenus de ordine iudiciorum criminalium. Ad crimina, et delicta, eorumque species, tum poenas, et censuras convertamus nunc sermonem oportet.

TIT. XIII.

De criminibus et delictis.

I. Diversa olim, nunc promiscua criminis, et *delicti notio.*

II. In foro interno *universa delicta, et crimina qua laicarum, qua clericorum subsunt ecclesiasticae Potestati, quae varios habet in* externo *limites constitutos legibus, et moribus.*

III. Alia in hoc profana, *vel* civilia, *vel* communia *dicuntur, scilicet homicidium, falsitas, furtum, damnum, iniuriae, quae laicos reos in foro laico, clericos autem in sacro puniendos expostulant.*

IV. Alia ecclesiastica, *puta haeresis, schisma, apostasia, paschalis omissa communio, poligamia, laica Sacramentorum administratio, quorum laicos etiam reos Episcopi iudicant, et puniunt.*

V. Mixti fori *alia crimina, sacrilegium, periurium, blasphemia, usura, concubinatus, adulterium, nuptiae clandestinae; festorum dierum, clausurae monialium, immunitatis ecclesiasticae violatio, officiorumque divinorum turbatio, in laicos reos censuras poenasque tantum canonicas in foro sacro, corporeas insuper in profano exigunt.*

VI. Assassinii reos *clericos vicissim foro laico, si eorum capturam praevenerit, puniendos dimittit lex Concordatorum* an. 1741.: *si non praevenerit, secus.*

VII. Ob atrox itidem exceptum *facinus laesae maiestatis in primo capite clerici nullo gaudent privilegio fori sui. Cetera plura Concordatorum lege singulatim* excepta *scelera asylo ecclesiastico indignos efficiunt aeque laicos, et clericos.*

(1) Bened. XIII. in Concilio Romano *cap. 2. de appellat.*, et chyrographo ipsius die 12. Iulii 1724., impresso in appendice eiusdem Concilii Romani *num. 14.*

I. Iureconsulti Romanorum, tametsi a *privatis delictis crimina publica* saepius distinguentes consueverunt capitalia facinorosa, flagitia, et scelera ad genus *criminum* referre, in quibus accusationem leges mandabant cuivis de populo, noxas et cetera maleficia minora ad classem *delictorum* (1), quae nonnisi privatis partium querelis in iudicium deferebantur: tamen utrumque vocabulum haud semel promiscua notione acceperunt (2). In sacris etiam Litteris delicta sonant culpas minus graves (3). Apud recentiores ambo vocabula plerumque usurpantur promiscue, quum in utroque foro dudum exoleverit antiquum inter privata, et publica iudicia discrimen, et Fiscus personam publici accusatoris gerens reos etiam delictorum in iudicium nunc postulet (4)

II. Plura criminum genera discernit canonica Iurisprudentia. In primis quae ad *externum* Ecclesiae forum speciatim pertinent intuitu, vel delinquentium ecclesiasticorum, vel temeratae fidei, aut Religionis christianae, ea segregantur a toto criminum agmine trucissimo, quod

(1) Ulpianus in *l. quis sit fugitivus 17. §. noxas 17. D. de aedilitio edicto.* Noxas *accipere debemus privatas*, inquit, *hoc est eas quaecumque committuntur ex* delictis, *non publicis* criminibus: monens ibidem ex *iudiciis noxalibus, et privatis noxis* oriri damnum pecuniarium, ex *capitalibus fraudibus* poenam capitis. Hinc Pandectae habent rubricas tres generales, unam *de privatis delictis*, complectentem speciales titulos de furtis, de iniuriis; alteram *de extraordinariis criminibus*, tertiam *de publicis iudiciis*, cui sebnectuntur speciales ad legem Iuliam de adulteriis, vi publica, vi privata, ad legem Corneliam de sicariis, et veneficiis, ad legem Pompeiam de parricidiis, ceterae id genus. Propterea Cicero *in Verrem 2.* perbelle dixit *delictum* esse *domesticum, et vernaculum crimen. Praeter* culpam, et peccatum, *quo semper caruisti, et carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile, aut pertimescendum*, scribit etiam Tullius *lib. 5. ep. 21, et ult.* ad L. Mescinium.

(2) Promiscue, et lato sensu Papinianus utens in *l. 1. D. de legibus*, ait: *lex est* ... delictorum, *quae sponte, vel ignorantia contrahuntur, coercitio.* Huiusmodi definitio *crimina* etiam amplectitur sub nomine *delictorum.* Ulpianus vicissim *delicta* sub vocabulo *criminum* intellexit in *l. 1. §. fin. D. de poenis* inquiens: *in legibus publicorum iudiciorum, vel* privatorum criminum, *qui extra ordinem cognoscunt Praefecti, vel Praesides, ut eis, qui poenam pecuniariam egentes eludunt, coercitionem extraordinariam inducant.*

(3) *Cum essetis mortui* delictis, *et peccatis vestris*, Apostolus ait ad Ephesios, *cap. 2. vers. 1.* Graeca versio habet παραπτωμα, hoc est admissum oblivione, aut ignorantia peccatum. Eodem sensu cecinit David *psalm. 68. vers...* Delicta *quis intelligit? ab occultis meis munda me . . . Deus tu scis insipientiam meam, et* delicta *mea a te non sunt abscondita.* Addi potest rubrica Decretalium *de delictis puerorum.* S. Aug. in *can. Apostolus 1. dist. 81.*, peccatum a crimine palam distinguit, exponens illud Apostoli ad Titum I. Oportet Episcopum ordinandum *sine crimine* esse. Non ait enim Apostolus: *Si quis sine* peccato *est: hoc enim si diceret* (inquit S. Aug.) *omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: si quis sine* crimine *est: sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, et cetera huiusmodi. Crimen est peccatum grave accusatione, et damnatione dignissimum.* S. Thomas *lect. 2. comm. in ep. ad Titum* praeterea docet: *aliud est* crimen, *et aliud est* peccatum. Peccatum *dicitur quodcumque sive magnum, sive parvum, sive occultum.* Crimen *autem magnum, et infame.*

(4) Videsis dicta superius *hoc lib. tit. II. n. V. usque ad IX.*

spiritalis clavium potestas in foro *interno* coercet, profligatque ab animabus ad aeternum Dei regnum ducendis. Primaria haec portio non semel inspecta superius (1) indicat Potestati ecclesiasticae nullos omnino fines esse in foro interno, plures variosque in externo.

III. Ex constitutis inter laicam, et ecclesiasticam potestatem finibus tripartita patebunt crimina, *profana* scilicet, *ecclesiastica*, et *mixta*, seu *mixti fori*. Homicidium, falsitas, furtum, rapina, damnum datum, iniuria, calumnia, cetera id genus *profana*, et *civilia* (2) ideo dicuntur, quia procul sunt ab ecclesiastica notione Curiarum episcopalium in laicos: eaque insuper *communia* appellantur (3), quoniam sicuti eos in ea prolapsos laicos iudex laicus, ita clericos iudex ecclesiasticus plectit.

IV. *Ecclesiastica* vero sunt haeresis, schisma, apostasia, omissio communionis paschalis, poligamia, Sacramentorum administratio laica, et si qua sunt alia, quae doctrinam fidei, et christianam religionem quia labefactant, laicos etiam iudicio Episcoporum, et animadversioni ecclesiasticae faciunt obnoxios (4), Praeterea ubi clerici speciatim delinquunt a clericali disciplina, suisque officiis desciscentes, isthaec ipsorum crimina inter *ecclesiastica* non immerito accensentur: praesertim illicita ordinum susceptio, iterata uno die celebratio Missarum, fractio sigilli sacramentalis, retentio beneficiorum incompatibilium, neglecta residentia, et satisfactio onerum sacerdotalium, negotiatio illicita, venatio, reliqua eiusdem furfuris.

V. Nonnulla demum alia, quae non modo religionem, ac fidem, sed humanam quoque societatem maximopere laedunt, puta sacrilegium, periurium, blasphemia, usura, adulterium, concubinatus, clandestinae nuptiae, violatio festorum dierum, clausurae monialium, et immunitatis ecclesiasticae, divinorum officiorum turbatio, cetera eiusmodi, mixta, seu *mixti fori* esse dictitant: propterea quod in reos eorum-

(1) *Lib. III. tit. IV. de foro competenti num. XVI., et XVII.*, tum *tit. VII. de caussis fori ecclesiastici num. 1., et seqq. et lib. II. tit. VIII. de Sacram. Poenit.* praesertim *a num. LVII., ad LXIX., et ult.*

(2) Iustinianus *Nov. 23. §. 2.* isthaec ipsa *profana* crimina civilibus iudicibus coercenda nuncupat *civilia*, inquiens: *si tamen clerici de criminibus conveniantur, si quidem* civilibus. . . . *si vero* ecclesiasticum *sit delictum egens castigatione eccles astica, et mulcta.* Et Honorius III. in *cap. ex parte tua 27. de privilegiis* ea *forisfacta* nuncupavit, ita rescribens ad Anglorum Reginam: *nonnulli litterati* (idest clerici), *quos nec habitus, nec tonsura clericos profitetur . . . cum deprehenduntur in aliquibus* forisfactis, *ut iurisdictionem tuam eludant, et debitam pro delictis ultionem evadant, assumunt, seu etiam resumunt tonsuram abiectam, seu habitum clericalem.*

(3) Huc spectat illud Petri Apostoli Actor. *cap. 10. vers. 14. numquam manducavi omne* commune *aut immundum.*

(4) De his loquens Carolus II. Andegavensis in regni *cap. item statuimus quod officiales tit. quod saeculares personae etc. officiales*, ait, *vel saeculares personae se nullatenus intromittant ad cognoscendum de aliquo crimine* ecclesiastico, *nec impediant Praelatos, vel ipsorum subofficiales, qu'n de ipso crimine libere cognoscant. et ut puniant, ut est iuris.* Videsis dicta superiori *lib. III. tit. III. num. IX. VII. XVI. et tit. VII. num. II., III. et IV.*

dem laicos Episcopi censuris tantum ecclesiasticis, poenisque canonicis, laici vero Magistratus poenis corporeis, et legitimis cumulate animadvertunt (1).

VI. Unum at scelus assassinii, nempe homicidium alieno mandato commissum quoniam clericos quoslibet, vel presbyteros quum mandantes, tum mandatarios ipso iure degradatos efficit (2), eatenus *mixti fori* est, ut uterque iudex laicus, et ecclesiasticus de eo servata praeventionis lege cognoscant: nimirum laicus in reis capiendis praeveniens in eos dioecesani Presulis iudicium submoveat iure Concordatorum (3); et versa vice iudicium in Curia ecclesiastica rite praeventum antevertat iudici laico notionem, tunc expectaturo, ut ea postquam iudicaverit ab eo clerico scelus tam execrabile patratum, eum Curiae saeculari tradat poenis legitimis plectendum.

VII. Ob enormitatem insuper a genere criminum *communium* secernuntur *atrociora*, et *excepta*. Horum siquidem alia clericos nudant privilegio fori ecclesiastici, cuiusmodi sunt assassinium, et laesa maiestas in primo capite (4): alia utrosque laicos, et clericos asyli ecclesiastici beneficio faciunt indignos, quae sigillatim sunt superius exposita (5). Heic rerum ordo postulat, ut species praecipuas criminum *ecclesiasticorum*, et *mixti fori*, eorumque poenas, praesertim canonicas naviter inspiciamus.

ADDITIONES

DE REATIBUS IN SACROSANCTAE RELIGIONIS OBSEQUIUM PERPETRATIS EORUMQUE POENIS IURE CIVILI NOVISSIMO SANCITIS.

I. Quum catholica Religio sit fidelissimi utriusque Siciliae Regni sola Religio, quae profecto divina miseratione ab Apostolorum Principe ad nostram usque aetatem libero effloresceit imperio cum omnibus iuribus, ac praerogativis, quae tum ex divina ordinatione, tum ex canonicis sanctionibus ipsi competunt; hinc Ferdinandus I. Rex noster pientissimus, Maiorum suorum vestigia premens, latis legibus in quaevis delicta, quae contra eiusdem sacrosanctae Religionis obsequium patrantur, animadvertendum sanxit. Quamobrem huiusce speciei crimina recensere duximus, atque praecipuas poenas Cod. noviss. statutas pro instituti modulo indicare.

II. Et sane iisdem legibus cautum (6), quod qui templum Deo sacrum in sanctissimae Religionis nostrae catholicae, apostolicae, romanae

(1) Ex supradictis *loc. cit. ad num. V. a XII.*
(2) Ex *cap. 1. de homicidio in VI.*
(3) Concord. *cap. 3. art. 4.*, qua de re dixi *cit. lib. III. tit. VI. num. XX.*
(4) Ex supradictis eodem *tit. VI. num XX., et XXI.*
(5) Hoc *lib. 4. tit. 6. a num. 34. ad 67.*
(6) Leg. crim. cod. novis lib. II. tit. I. art. 92.

contemptum, et contumeliam impie destruat, vel incendat capite plectatur cum primo gradu publici exempli (1).

III. Tum laqueo suspendi, necnon in quartum publici exempli gradum incurrere sancitum (2), qui delictum sane atrocissimum committat, sanctissimum nempe Iesu Christi Corpus accidentium velamine abscondium impie disperdat, vel destruat (3).

IV. Adhaec quicumque, dum in Ecclesia sacra peraguntur mysteria, vim faciat, ut dolo malo ecclesiasticas functiones perturbet, easque profanari audeat, is in vincula a primo ad secundum usque gradum coniiciatur decretum (4). Quod si huiusce criminis auctor, vulnus quoque criminali poena expiandum Dei Ministro infligat, is profecto maiori poena, ad maximum temporis spatium duratura, coercendus (5).

V. Praeterea maleferiati homines, qui in templo Dei, vel in eiusdem vestibulo sanctas imagines, vel vasa sacra percutiant, infringant, aut destruant, vinculorum poena a secundo, ad tertium gradum sunt mulctandi (6).

VI. Item quisquis lucri faciendi caussa vasa sacra, vel suppellectiles divino cultui destinatas fraudulenter contrectet, in vinculorum poenam ad secundum usque gradum, minimo tamen temporis intervallo excepto, incurrit (7) Si vero istud sacrilegum furtum sit qualificatum, tunc tertio vinculorum gradu, ac etiam maioribus, secundum circumstantias, poenis expiandum (8). Quin immo regio diplomate id. maii an. 1821. expresse statutum ergastuli poenae esse obnoxium, qui lucri faciendi caussa sacram pixidem, vel ostensorium, in quibus sacratissimum Christi Corpus reconditur, mystica accidentia secum deferens, aut disperdens contrectet.

VII. Iam vero omnes, qui sine dolo malo docendo, praedicando, aut quovis modo pubblicam concionem habendo aliquid evomant in catholicam Religionem publica reprehensione, necnon proprii muneris per anni, vel biennii spatium interdictione plectuntur. Si vero huiusce furfuris homines divinae Religionis dogmata suis deliriis petere audeant, perpetui exilii poena scelus admissum luunt (9).

(1) Illud heic animadvertendum, primum publici exempli gradum esse reum loco patrati facinoris, aut propinquiori extremum supplicium subire. *Cod. noviss. leg. crim. lib. I. tit. I. art. 6.*

(2) Ibidem art. 93.

(3) *Cod. noviss. L. crim. indic. art. 6.* constitutum quartum publici exempli gradum esse, ut reus nudis pedibus, atra veste indutus, vultu nigro velo obducto, ac tabula parvis rotis imposita evectus, ferens etiam sacrilego pectori adfixam epigraphem *homo impius* ad extremum supplicium trahatur.

(4) *Ibidem art. 94.* Insuper *Cod. noviss. L. crim. lib. I. tit. I. art. 9.* statutum vinculorum poenam esse quadruplicis gradus. Et sane primus gradus a VII. ad XII. annum extendi sancitur: secundus a XIII. ad XVIII: tertius a XIX. ad XXIV: quartus denique a XXV. ad XXX.

(5) Ibidem. art. 95.

(6) Ibidem art. 96.

(7) Ibidem art. 97.

(8) Ibidem art. 98.

(9) Ibidem art. 100.

VIII. His addesis: blasphemantes in Deum, vel Sanctos in Ecclesiis, aliisque locis, dum sacra celebrantur, carceris poenae ad tertium gradum sunt obnoxii (1). Si tamen ista blasphemia publice proferatur, sed desint circumstantiae, quas superius diximus, huiusce criminis reum in primum eiusdem poenae gradum incurrere provisum (2)

IX. Illud quoque observatu dignum, quod indicato regio diplomate sub die VII. mai an. 1821. sancitur quamlibet inhonestam actionem, quae liberum cultus divini exercitium in Ecclesiis, aliisque publicis locis perturbet, aut impediat, vinculorum poena a primo ad secundum usque gradum pendendam.

X. Denique quilibet reatus in Ecclesiae Ministros sacras peragentes si illos excipias, quos superius recensuimus, poena maioris gradus, quam ordinaria puniendi (3). Item quilibet reatus supra non designati, si in Ecclesia, dum sacrum ministerium exercetur, perpetrantur, minimo temporis intervallo iisdem delictis praescripto, numquam punientur (4).

TIT. XIV.

De haeresi schismate et apostasia.

I. Pertinax hominis christiani error in aliquo Fidei articulo, haeresis *recte definitur.*

II. Quod aberrantem procul faciat, segregetque a probatis fidelibus.

III. Schisma *speciatim est discessio ab Ecclesiae catholicae unitate, summoque ipsius capite Romano Pontifice.*

IV. Apostasia *vero est sacrilega desertio vel Fidei, vel Religionis, vel Ordinis. In primo genere* lapsi *ad idolatriam primitivi fideles fuere, tam sacrificati, quam libellatici.*

V. Genus alterum professi Regulares, tertium clerici saeculares admittunt.

VI. Haereticos, schismaticos, apostatas primi generis extra Ecclesiam habet Lex divina.

VII. Nullam cum iis communionem habere professi sunt SS. Iustinus, et Polycarpus, et coaevi Patres.

VIII. Tum suppares aevo martyrum insignes Episcopi.

IX. Synodi mox suis encyclicis episcopales, epistolaeque Synodicae.

X. Quae saeculo tertio fuerunt crebriores.

(1) Ibidem art. 101. Illud etiam hic observandum, triplicem esse gradum poenae, in quam incurrunt delinquentes careeri mancipandi. Revera indic. *lib. I. tit. I. LL. poen. art. 26.* provisum, quod primus gradus ab uno ad VI. menses decurrit: secundus a VI. mens. ad biennium: tertius denique a biennio ad quinquennium.

(2) Ibidem art. 102.

(3) Ibidem art. 103.

(4) Ibidem art. 104.

XI. Quarto dein saeculo Potestas etiam laica episcopalibus conciliis favens conspiravit ad extirpandas haereses.

XII. Quae poenas corporeas, et acerbiores in haereticos addidit sanctionibus legitimis.

XIII. Neapolitani Reges Fridericus II, et Ferdinandus Catholicus eos in foro episcopali inquirendos primum, et iudicandos, mox poenis capitalibus, publicatione bonorum, et infamia ad filios etiam extensa conterendos edixerunt.

XIV. Post episcopalem notionem damnationemque sueverunt rei haeresis per orbem corporeas poenas in foro laico subire primis abhinc annis Constantinianae pacis.

XV. Falluntur opinantes quaestiones Iuris *tantum de haeresi iudicio episcopali permissam priscis legibus Principum, alteramque* facti *in laicos reservatam foro laico.*

XVI. In Albigenses primum instituit Innocentius III. generalem inquisitionem S. Dominico in Hispania, et S. Francisco in Italia, eorumque Fratribus mandatum, quibus nimium faverunt Principes, mox Romanum S. Officii Tribunal Paullus III. erexit a successoribus obfirmatum.

XVII. Reges nostri Andegavenses, et successores pontificios hoc in Regno Inquisitores admiserunt ad haereticos extraordinario iudicio profligandos.

XVIII. Ferdinandus Catholicus Neapolitanum sacrae Inquisitionis tribunal Hispano subnicere aggressus adversantibus populis ab incoepto destitit.

XIX. Sub Carolo V. Proreges idipsum irritis conatibus experti.

XX. Supplicium atrox duorum nimis horrentes Neapolitani, ablegato ad Philippum II. Patre Theatino D. Paulo de Aretio, tandem impetrarunt suppressionem illius tribunalis; tum rescripta Caroli VI, ut Episcopi, locorumque ordinarii tantum in reos haeresis via ordinaria *procederent.*

XXI. Mox Rege Carolo, et Rege Ferdinando an. 1746, et 1761, ut nedum singulos iudicii extraordinarii articulos episcopales Curiae abolerent, sed censurae quoque regiae futuros de haeresi processus remitterent semel ante citationem reorum, iterumque ante promulgationem sententiae.

XXII. At damnatis ob haeresim leges nostrae nullam remittunt poenam ex multis, quas ii cumulate subeunt, et spirituales et corporeas utroque Iure sancitas.

XXIII. Crimen haresis diluit purgatio canonica per abiurationem, et resipiscentiam.

XXIV. Nonnisi post publicam poenitentiam prisci canones absolutionem indulgebant reis fidei.

XXV. Haereticorum alii nascuntur, alii fiunt.

XXVI. In his dubios *in fide pertinaciter tamquam* suspectos *oportet a* manifestis *segregare.*

XXVII. Suspicio levis purgatur a negantibus crimen sincera fidei professione.

XXVIII. Suspicio vehemens reos poenis canonicis, et legitimis obnoxios reddit.

XXIX Ut publicis, et notoriis haereticis eucharisticum Sacramentum denegetur, suspectis, et occultis non item, Clero Gallicano Benedictus XIV. respondit scitissime.

XXX. Communes habere preces cum haereticis vetant fidelibus quum canones, tum leges.

§. I. De Iudaeis Saracenis aliisque infidelibus.

XXXI. Spes lucrandi Christo Paganos, et Iudaeos proba effecit nostra cum iis colloquia, et convivia, ad quam plures aliae accedunt utilitates Ecclesiae universae.

XXXII. Generalis etiam societas hominum, reique publicae utilitas et necessitas postulat cum exteris nationibus commercium.

XXXIII. Propterea Hebraeis domicilia, et incolatum indulgere in regionibus fidelium consueverunt Principes, Romanique Pontifices, et Ecclesiae Patres.

XXXIV. Iis tamen pactis, et conditionibus, quae omne subversionis periculum, nostraeque religionis detrimentum procul habeant.

XXXV. Suae initio dispersionis Hebraei quaquaversus profusi ad regiones occidentales Imperii Romani, atque Italiae demigrarunt.

XXXVI. Iudaeas inde colonias plurimas habuit regnum Siciliae, et Neapolis, quorum adhuc supersunt vestigia.

XXXVII. Obdurata eorum perfidia nefariis sceleribus commixta iis hinc exterminandi caussam dedit.

XXXVIII. Has ob res Carolus Rex noster anno 1740. primum indulsi Hebraeis domicilia sua in hisce provinciis figere, ac negotia exercere sub certis conditionibus: postea expulsionem eorum imperavit anno 1746.

I. *Error christiani hominis pertinax in aliquo Fidei catholicae articulo*, esse *haeresis* communi Patrum sensu definitur. *Haeresis* enim graeca vox (1) a latinis accipitur pro *tenaci opinione* quum proba, tum prava de quovis dogmate, seu pro *electa sententia*, quae firmo animi consilio retineatur (2). Alii malunt *haeresim* a latino verbo *haereo*,

(1) Heresis ab αἱρέομαι, quod significat eligo, exopto. Hinc a B. Chrysostomo αἵρεσις περὶ ἐπισκοπῆς dicta ea est Episcoporum electio, quae a populo fiebat optione unanimi. B. Hieronymus *haeresis graece*, ait, *ab* electione *dicitur: quod scilicet eam sibi unusquisque* eligat *disciplinam*, *quam putat esse meliorem. Quicumque igitur aliter Scripturam intelligit, quam sensus Spiritus S. flagitat, quo scripta est.*. haereticus *appellari potest*.. eligens, *quae pejora sunt, can. haeresis graece 27. C. 24. qu. 3.* A S. Augustino *haereticus* esse quoque describitur, *qui falsas, ac novas* opiniones *vel gignit, vel sequitur, can. haereticus 18. eod. C. et qu.*

(2) Cic. *in paradoxis* de Catone scribens ait: *Cato autem perfectus Stoicus in ea est* haeresi, *quae nullum sequitur florem orationis.* Plures idcirco unam

idest *arcte coniungor* (1), derivare. Utraque vocabuli origo indicta crimen haeresis non generari, nisi voluntario, et *pertinaci errore* eligentis falsam in fidei articulis doctrinam, firmiterque dogmati perverso adhaerentis (2), posthabita veritate, quam sancta mater catholica Ecclesia docet ex evangelicis, et apostolicis Litteris, et prisca sapientiorum Patrum traditione (3).

II. *Fides vestra*, inquit Apostolus, *non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter* perfectos. . . . *quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei . . . quae et loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere* (4). *Audio* scissuras *esse inter vos, et ex parte credo. Nam oportet et* haereses *esse, ut et qui* probati *sunt, manifesti fiant inter vos* (5). *Fuerunt vero et pseudoprophetae in populo*, addit Princeps Apostolorum, *sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent* sectas *perditionis . . . et multi sequentur eorum luxurias, per quos via* veritatis *blasphemabitur* (6). *Multi pseudoprophetae exierunt in mundum* concinit S. Ioannes . . . *Qui novit Deum,*

eamdemque doctrinam sibi electam profitentes conflare *sectam* dicebantur. Quatuor inde insignes philosophorum sectae, Academica, Peripatetica, Epicurea, et Stoica. Quo spectans Tertullianus *lib. de pallio cap. ult.* christianam Religionem *divinam sectam* scite appellavit.

(1) *Haerent infixi pectore vultus*, Virgilius cecinit, et rursus: *vox faucibus haesit.*

(2) S. August. in *can. dixit Apostolus 29. C. qu. 3.* docet: *qui sententiam suam quamvis* falsam, *atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt; praesertim quam non audacia suae praesumptionis pepererunt, sed a seductis, atque in* errorem *lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter* haereticos *deputandi.* E contrario *qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correpti, ut sanum, rectumque sapiant, resistunt* contumaciter, *suaque pestifera, et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt*, haeretici *fiunt*, ex eiusdem Augustini sententia contra Manichaeos in sequenti *can. qui in Ecclesia 31.*

(3) *Quid autem iniquius est*, S. Leo ad Flavianum scribit, *quam impia sapere, et sapientioribus, doctoribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam* veritatem *aliquo impediuntur obscuro; non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt: et ideo* magistri erroris *existunt, quia* veritatis discipuli *non fuerunt, can. quid autem 30. cit. C. et quaest.*

(4) I. ad Corinth. *cap. 2. vers. 5. 11. 13., et 14.*

(5) Ibidem *cap. 11. vers. 29.* Hunc locum explicans S. Aug. in *can. ideo 40., et ult. C. 24. qu. 3.* inquit, *ideo divina providentia multos diversi* erroris *haereticos esse permittit, ut cum insultant nobis, et interrogant nos ea, quae nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, et divinas Scripturas nosse cupiamus.* Idipsum tradit S. Doctor *lib. 16. de civ. Dei cap. 2., et lib. 16. cap. 51.*

(6) 2. Petri *cap. 2. vers. 1., et 2.* Id quod iam praedixerat Christus Matth. 24 11. *Exurgent multi pseudo-Christi, et pseudo-Apostoli, et multos fidelium seducent.* Et rursus *cap. 7. vers. 15. Multi venient in nomine meo, extrinsecus ovium pellibus induti, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, *et spiritum* erroris (1). *Hi autem*, scribit S. Iudas Apostolus *quaecumque quidem* ignorant, *blasphemant . . . Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes* (2). Hae quidem Apostolorum sententiae quum designent speciatim haereticos a via veritatis evangelicae procul abire, eosque doctrina Spiritus Dei carentes non intelligere apostolicam sapientiam, et quaecumque ignorant blasphemare, mendaces magistros, ducesque sectarum perditionis: palam hinc fit, quod criminosa haeresis reapse sit *error* hominis Christiani sese a probatis Christifidelibus per dementiam segregantis. Haereticos autem *interfectores veritatis* iure merito appellat Tertullianus.

III. *Schisma* graece scissuram latine sonat. Hocce vocabulum late acceptum convenit cum haeresi, quae sectas perditionis per falsa dogmata, diversasque a veritate opiniones abscindit a grege Domini. Apostolus ampliori hac notione utens *obsecro vos fratres*, ait ad Corinthios, *ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis* schismata: *sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia* (3). At stricte sumptum schisma est *discessio ab Ecclesiae catholicae unitate, eiusque summo Capite Pontifice Romano* (4). Quia *in unitate scissura esse non potest* (5). B. Hieronymus inter haeresim, et schisma hoc interesse arbitratur, *quod* haeresis *perversum dogma habeat:* schisma *propter episcopalem dissentionem ab Ecclesia pariter separat. Ceterum nullum* schisma *non aliquam sibi confingit* haeresim, *ut recte ab Ecclesia recessisse videatur* (6). Propterea Graecos imperio Tur-

(1) Ioan. *ep. 1. cap. 4. vers. 1., et 6.*

(2) Ep. B. Iudae Apost. *vers. 10., et 19.*

(3) I. ad Corinth. *cap. 1. vers. 10.* Rursus I. ad Ephesios *cap. 4. vers. 3.* ait: *Soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, unum corpus, unus spiritus. Et vers. 13. Donec occurramus omnes in unitatem fidei.. ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.*

(4) S. Cyprianus ad Magnum *ep. 6.*, in *can. denique 9. C. 7. qu. 1.*, docet, *quam sit inseparabile* unitatis *Sacramentum, et quam sine spe sint, et perditionem sibi maximam adquirunt, qui* schisma *faciunt, et relicto Episcopo alium sibi foris pseudo episcopum constituunt.* Idque Sanctus Doctor multis sacrorum Bibliorum auctoritatibus declarat. Idipsum explicat in *can. loquitur 18., et can. alienus 19., can. didicimus 31. C. 24. qu. 1.* S. Ambrosius in *can. advocavit 33. eod. C. et qu.* fert etiam, quod Lucifer quidam schismaticus *quanquam pro fide exulasset, et fidei suae reliquisset haeredes:* non potuisset ex sententia S. Cypriani veram *fidem in schismate* habere. *Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cuius patiebantur velut quosdam artus dividi, et membra lacerari.* S. Hieronymus ad Damasum Papam inquit: *quicumque tecum non colligit, spargit: h. e. qui Christi non est, Antichristi est, can. quoniam 25. C. 24. qu. 1.* Consonant S. Augustinus in *can. ubi sana fides non est 29.*, Pelagius in *can. pudenda 33.*, *et can. schisma 34.*, Beda in *can. quicumque 27. eod. C., et qu.*

(5) Ex *cit. can. schisma 34.* S. Epiphanius *haer. 42.* enarrans Marcionis haeresiarchae furorem haec irato animo in Ecclesia Romana protulisse: *Ecclesiam vestram ego dissociabo, in eoque schisma sempiternum immittam.*

(6 Hieronym. in *can. inter haeresim 26. C. 24. qu. 3.* S. Augustinus *ad Ecclesiam non pertinent*, ait, *qui separationis aperto* sacrilegio *manifesti sunt.*

cico subiectos, qui suae caput Ecclesiae Constantinopolitanum Patriarcham agnoscunt, et Anglos, Batavosque Romani Pontificis primatum respuentes, quamvis varias haereses profiteantur, *schismaticos* passim appellant. At vero qui uni supremo Ecclesiae capiti subsunt, quamvis resilient ab Episcoporum suorum obedientia, inter schismaticos non recensentur. Nam Ioannes quum dixisset: *Praeceptor vidimus quemdam in nomine tuo eicientem daemonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum*, ait ad illum Iesus: *nolite prohibere, qui enim non est adversum vos, pro vobis est* (1).

IV. *Apostasia* vox etiam graeca idem est, ac *sacrilega desertio vel fidei, vel religionis, vel ordinis*. Primi generis apostasia (2) omnium deterrima ab Imperatoribus catholicis facinus *violatae, atque desertae christianae Religionis* appellatur (3), *et apostatarum sacrilegum nomen* (4). S. Augustinus *retro abeuntem* apostatam denominat (5), et *desertorem fidei* (6): qui nimirum a suscepta semel fide orthodoxa ad superstitiones paganorum, vel sectam Haebream secedit. Innocentius III. autem perfidis eiusmodi apostatis eos etiam accenset, qui ad sacri undam baptismatis voluntarie accesserunt, et prioris ritus, aut superstitionis, aut sectae reliquias retinent (7). Primitiva Ecclesia ferventibus tyrannorum persecutionibus christianos plurimos ad idolatriam *lapsos* retro abiisse condoluit, fidem Christi abnegantes, aut sponte, aut metu suppliciorum alios thure diis incenso, et idolothytorum esu, alios per munera, et libellos eiuratae fidei securitatem sibi, suisque adeptos a magistratibus persecutorum: unde duplicem *lapsorum* classem ea tunc recensuit, *sacrificatos* nimirum, et *libellaticos*, dum ii ad ipsam redirent poenitentia ducti (8).

(1) Lucae *cap. 9. vers. 49., et 50.*

(2) De ea S. Cyprianus *ep. ad Cornelium*, scribit *eos, qui velut* apostataverunt. *et ad saeculum, cui renunciaverunt, reversi gentiliter vivunt, vel ad haereticos transfugae facti contra Ecclesiam pernicialia arma suscipiunt.* Hinc apostatae comparantur militiae desertoribus, de quibus loquitur iurec. Arrius Menander in *l. desertorem 3. §. 3. D. de re militari.*

(3) Gratian. Valent., et Theodos. in *l. si quis 2. C. de apostatis.*

(4) Theod., et Valent. in *l. apostatarum 4. C. eod. tit.*

(5) S. Augustin. in *can. can. non observetis 16. C. 26. qu. 7., et ult.* A pseudo-Isidoro in commentitia epistola Anacleti Papae in *can. beatus 2. C. 3. qu. 4., transgressores sponte legis suae, eiusque violatores, et recedentes*, apostatae *nominantur.*

(6) S. Augustinus *lib. 31. de civ. Dei cap. 25. num. 3.* inquit. *Cum peior utique sit* desertor, fidei, *et ex desertore oppugnator eius effectus, quam ille, qui non deseruit, quam nunquam tenuit.*

(7) Innoc. III. in Conc. gen. *cap. quidam 3. de apostatis.*

(8) S. Cyprianus *ep. 52.* ad Antonianum, *ideo placuit, frater carissime*, scribit, *examinatis caussis singulorum* libellaticos *interim suscipi.* sacrificatis *in exitu subveniri, quia exomologesis apud inferos non est. . . . Cum inter ipsos, qui sacrificarint multa sit diversitas: quae inclementia est, quam acerba duritia libellaticos cum illis, qui* sacrificaverint, *iungere? Quando is, cui* libellus *acceptus est, dicat*: ego prius legeram, et Episcopo tractante cognoveram non sacrificandum idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere, et ideirco ne hoc facerem, quod non licebat, cum occasio *libelli* fuisset oblata, ad ma-

V. Supparem apostasiam a *religione*, vel *ordine* speciatim canones execrantur in monachis, professisque Regularibus habitum, vitamque religiosam deferentibus, aut clericis sacrorum ordinum ad vota saecularia, et vitam laicam transilientibus. *Eos, qui semel in Clero taxati fuerint, sive in monasterio deputati*, sanxit Synodus Chalcedonensis, *neque ad militiam, neque ad honores saeculares venire*, id vero ausos et non poenitentes anathematizari (1). *Qui relicta professione ad militiam, vel ad nuptias devolutus est, publicae poenitentiae satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia, et honestum potest esse coniugium, electionem tamen meliorem deseruisse*, transgressio *est*, ait S. Leo (2).

VI. Haereticos, schismaticos, apostatas in fide Christi non manentes ab Ecclesia foras eiiciendos divina lex iubet. *Si quis in me non manserit*, ipsemet Dominus ait, *mittetur foras, sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardebit* (3). Hinc nascentem Ecclesiae fidem quum vexarent haereses. Simonis magi (4), Menandri (5), Saturnini, Basilidis (6), Cerinthi, Ebionis (7), Nicolaita-

gistratum vel veni vel alio eunte mandavi, christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me hoc proemium, ne quod non licet, faciam. *Nunc tamen etiam iste; qui* libello *maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse, etsi manus eius pura sit, et os eius feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen eius esse pollutam, flet auditis nobis, et lamentatur.* Tertullianus *de fuga in persecut. cap. 12.*, insectans *libellaticos* ait: *Tu autem pro eo paciscaris cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo Praeside sub tunica, et sinu, quod aiunt ut furtivo, quem coram toto mundo Christus emit, imo et manumisit?* De istis etiam loquuntur *can. 61. 62., et 63.* vulgo *Apostolorum.*

(1) Syn. Chalced. in *can. eos qui semel 3. C. 20. qu. 3.*

(2) S. Leo ad Rusticum in *can. propositum monachi 1. ead. C.* et *qu.* Consonant Conc. Tolet. VI. in *can. prochris 2.* ibidem, et Synod. Arelatens. II in *can. ult. dist. 50.*, Alexand. III. in *cap. 1. de apostatis*, et Conc. Turonense in *cap. nan magnopere 3. ne clerici, vel monachi.*

(3) Ioannis *cap. 15. vers. 6.*

(4) Primus omnium haereticorum vexillarius ille Simon Samaritanus, *posteaquam damnatus* a B. Petro *cum pecunia, flevit, conversus ad veritatis expugnationem, quasi pro solatio ultionis; fultus etiam artis suae viribus ad praestigia virtutis alicuius Helenam quandam Tyriam de loco libidinis publicae eadem pecunia redemisse* fertur a Tertulliano *lib. de anima cap. 34* Blasphemabat *se in monte Sina legem Moysis in Patris persona dedisse Iudaeis, tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse, post ea se in linguis ignei Spiritum S. super Apostolos venisse: Christum autem nec venisse, nec a Iudaeis quidquam pertulisse,* ex S. Aug. *lib. de haeresib. ad Quodvultdeum cap. 1.*

(5) Menandrum quoque Samaritanum Simonis magi discipulum, et praestigiis pariter abutentem sese ad servandos homines coelitus demissum; iactasse, perpetuam a senio, et morte immunitatem tinctis lavacro suo pollicitando, ferunt S. Irenaeus *lib. 1. cap. 1.*, S. Epiphanius *haeresi 22.*, S. Iustinus *apol. 2.*, Tertull. *de anima cap. 50.*

(6) Saturninus Antiochenus in Siria, Basilides Alexandrinus in Aegypto errores Menandri propagarunt variis insuper ineptiis adauctos.

(7) Ex S. Irenaeo fert Eusebius *lib. 3. hist. Eccl. cap. 22.*, tum ex S. Polycarpo Beda in *can. omnis qui 24. C. 24. qu. 1.*, Ioannem vix conspecto in

rum (1), eos, eorumque asseclas a consortio fidelium abiicere, et execrari studuerunt Apostoli. S. Ioannes in illos haec sedulo scripsit. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem : hic est seductor, et antichristus. . . omnis, qui recedit, et non permanet in doctrina Christi , Deum non habet . . . si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec* ave *ei dixeritis. Qui enim dicit illi* ave, *communicat operibus eius malignis* (2). S. Ignatius secundus a B. Petro Episcopus Antiochenus, et martyr: *cum Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur , singularum nihilominus civitatum quas ingrederetur Ecclesias sermonibus , et cohortationibus suis confirmans, monebat in primis , ut ibi a pravis haereticorum opinionibus caverent, quae tum primum in lucem emergere cum coepissent, copiosius pullulabant. Hortatusque est,ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent : quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam scriptis mandare necessarium duxit* (3).

VII. Secundo saeculo Patres, in his S. Iustinus martyr, professi sunt nullam habere communionem cum haereticis praesertim Marcianis, Valentinianis, Basilinianis, Satornilianis, ceteris sectariis (4) ; eosque sermonibus, et scriptis (5) profligabant urgentes divina Scripturarum ora-

balneis Cerintho abiisse proclamantem: *fugiamus extemplo, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis hostis moratur, subito concidens nos opprimat.* Id autem S. Epiphanius enarrat de *Ebione* inter cetera somniante Christum Dominum ex coniugio Mariae cum Iosepho genitum.

(1) Ad Angelum Ephesi Senior Ioannes in Apocalypsi *cap. 2.* iussus est ita scribere: *scio, quia odisti facta* Nicolaitarum, *quae et ego odi.*

(2) *Ep. 2.* Ioan. *vers. 7., et seqq.* Idem Apostolus *ep. 1. cap. 2. vers. 19.* ait: *nunc antichristi multi facti sunt . . . ex nobis prodierunt , sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis : permansissent utique nobiscum : sed ut* manifesti *sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.* B. Hieronymus in *catalogo Scriptor. Eccles.* de Ioanne scribit : *novissimus omnium scripsit Evangelium adversus Cerinthum, aliosque haereticos; et maxime tum Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse.*

(3) Ita Eusebius *lib. 3. hist. cap. 36.* Constat luculentius ex ipsius Episcopi et martyris Ignatii epistolis ad Ephesios , ad Magnesios, Trallenses, Romanos, Philadelphios , Smyrnaeos, Polycarpum a Iac. Usserio, Isaaco Vossio, et Cotelerio vulgatis.

(4) S. Iustinus in *dialogo cum Triphone Iudaeo num. 35.* haec habet: *Sunt igitur amici, et fuerunt permulti, qui impia, et nefanda dicere, ac facere docerent , in nomine Iesu prodeuntes... Cum horum nemine* communicamus: *quum atheos, et impios esse, ac iniustos, et exleges sciamus, ac Iesum minime colere, sed verbis tantum confiteri... Nonnulli vocantur* Marciani , *alii* Valentiniani , *alii* Basilinianì , *alii* Satornilìani, *alii aliud vocabulum habentes ex suae quisque sectae principe.*

(5) S. Iraeneus librum contra haereses conscripsit, in eoque cunctos Valentinianorum errores exponit, mox enumerat singulos haereticos a Simone mago usque ad Tatianum S. Iustini discipulum auctorem sectae Encratitarum, eosque tandem refellit. Simul tradit a S. Polycarpo magistro suo multos Valentini, et Marcionis , aliorumque sectarios ad evangelicam fidei veritatem reductos. *Adversus illos , qui sinceram Ecclesiae legem adulterabant, Irenaeus varias conscripsit epistolas* , testatur Eusebius *lib. 5. hist. cap. 20.* Tertullianus librum

cula, et apostolicam Traditionem (1). S. Polycarpus, *cum ei Marcio aliquando occurrisset, dixisseque* : agnoscis nos? *respondisse fertur:* agnosco te primogenitum Satanae. *Adeo religiose cavebant Apostoli, eorumque discipuli, ne vel sermone tenus miscerentur cum ullo eorum, qui veritatem adulterabant* (2).

VIII. Tametsi ad medium usque saeculum secundum nulla sunt Synodorum episcopalium vestigia, tamen pro apostolico fidei deposito SS. Patres invicte propugnarunt (3), monstrosas haeres undelibet grassantes proterendo assidua praedicatione, suisque encyclicis epistolis (4), perpetuum fidei, et charitatis commercium inter Ecclesias foventibus. Quam-

de Baptismo conscripsit adversus Cainitas Valentinianorum, Nicolaitarum, aliorum sobolem, ceteri. Morem eiusmodi tradit Eusebius *lib. 4. hist. cap. 24.* scribens : *Cum nihilominus hac etiam tempestate haeretici zizaniorum instar sinceram Apostolicae doctrinae sementem labefactarent, Ecclesiarum toto orbe Pastores, eos tamquam feras, atque immanes belluas ab ovile Christi fugare, atque arcere properabant, partim hortando, atque commonendo fratres, partim adversus ipsos haereticos fortiter colluctando ; quos vel propositis communs interrogationibus et confutationibus viva dumtaxat* voce, *vel* libris *accuratissime conscriptis, opiniones eorum refellentes confutabant.*

(1) S. Irenaeus *lib. 3. cap. 1.* modum refellendi haereticos aevo suo usitatum exponens, id agi commonet, quum vel ad Scripturas, vel ad eam Traditionem, quae est ab Apostolis, per successionem presbyterorum in Ecclesiis, *provocamus eos.* Tum *cap. 3., numeramus*, ait, *eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.*

(2) Id cum S. Irenaeo *lib 3.*, refert Eusebius *lib. 4. hist. cap. 14.*, *et* Beda in *cit. can. omnis qui 24. C. 25. qu. 1.*

(3) S. Augustinus *lib. 4. ad Bonifacium can. ult.* Pelagius refellens ait: *quid est ergo, quod dicunt de simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est? An vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla haeresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit? Quum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandos necessitas talis extiterit : multoque sint, atque incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandae innotescere potuerunt.*

(4) S. Ignatius *ep. 1. ad Ephesios num. 7. Soleut enim nonnulli*, ait, *dolo malo nomen quidem circumferre, sed patrant quaedam indigna Deo, quos oportet vos, ut feras evitare. Sunt enim canes rabidi, clam mordentes, quos a vobis vitari oportet, ut morbo difficulter curabili laborantes.* Mox *ad Magnesianos num. 4., et 10.*, *ne seducamini*, inquit, *alienis doctrinis, neque veteribus fabulis, quae sunt inutiles... absurdum est Christum Iesum profiteri et iudaizare.* S. Polycarpus *ep. ad Philippenses* ait : *scripsistis ad me, et vos, et Ignatius, ut si quis in Syriam proficisceretur, vestras litteras eo deferret... Epistolas omnes Ignatii, quas ad me scripsit, et quascumque demum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandastis, ad vos misimus... Ex iis magnam utilitatem percipere vobis licebit. Continent enim fidem, patientiam, cetera, quae ad augendum Domini nostri cultum pertinent.* S. Irenaeus *ep. ad Florinum, haec dogmata, Florine*, inquit, *ut parcissime, ac levissime dicam, non sunt sanae doctrinae. Haec dogmata dissentiunt ab Ecclesia, et in maximam impietatem eos coniiciunt, qui illis assentiuntur. Haec dogmata hi, qui ante nos vixere, presbyteri, qui etiam Apostolorum discipuli extiterunt, nequaquam tibi tradiderunt.*

doquidem canonicae Apostolorum epistolae ad universos ubique gentium fideles datae sunt, quamvis peculiarem nonnullae inscriptionem praeseferant (1). Idque Patribus etiam traditum accepimus (2). Cuiusmodi morem sectati potissima sunt doctores Episcopi aevo martyrum insigues (3).

(1) Iudaizantes quum damnasset in Synodo Hierosolymitana Senatus Apostolorum, suum ea de re decretum promulgavit per synodicam epistolam ita inscriptam: *Apostoli, et Seniores fratres his, qui sunt Antiochiae, Syriae, et Ciliciae fratribus, et gentibus salutem.* Eamque per Paulum, et Barnabam in Provincias profectores, eorumque comites Barsabam, et Silam transmiserunt. *Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, et congregata multitudine tradiderunt* epistolam, *quam cum legissent, gavisi sunt.* Tum Paulus *perambulabat Syriam, et Ciliciam confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et seniorum.* Dein *cum pertransirent, Civitates tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis, et senioribus, qui erant Hierosolymis*: ut liquet ex Actis Apostolorum *cap. 15., et 16.* epistolam secundam *Simon Petrus servus, et Apostolus Iesu Christi iis, qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, et Salvatoris I. C.* ita generatim inscripsit: primam vero *electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, et Bithiniae* speciatim. Quatuordecim Pauli epistolas ad Romanos, Corinthios, Galatas, ceteros nominatim datas dubitandum non est, quin ad universas Ecclesias transmiserit, dum Petrus in *cit. ep. 1. cap. 3. vers. 15. et seq.* cunctos alloquens fideles ait: *sicut, et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis loquens eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres praescientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate.* Paulus etiam ipse id patefacit initio primae suae ad Corinthios epistolae aiens: *Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis Sanctis, cum* omnibus, *qui invocant nomen D. N. I. C. in* omni loco *ipsorum, et nostro.* Mox *ep. ad Thessalonicenses I. cap. 5. vers. 27., adiuro vos per Dominum*, inquit, *ut legatur epistola haec omnibus sanctis fratribus.*

(2) S. Basilius illius, quam ad Ephesios inscriptam habemus, epistolae inscriptionem hanc genericam recitat: *Paulus Apostolus I. C. per voluntatem Dei* omnibus *sanctis, et fidelibus in Christo Iesu.* Eam ipsam ad Laodicaenos datam quum ferret Marcion, *nihil de titulis interest* (ait Tertullianus *lib. 5. adversus Marcionem cap. 17.*), *quum ad* omnes *Apostolus scripserit, dum ad quosdam.* Chrysostomus in *comm. ep. 1. ad Corinth.* observat ex ipsius inscriptione non Corinthios tantum, sed cunctos ubique fideles ab Apostolo salutatos; cum eoque consentiunt Theophilactus, et Oecumenius. *Quia* ut Beda in *comm. ad cit. cap. 3. ep. 2. B. Petri* nos conloquet, *etsi Paulus ad quosdam specialiter scripsit Ecclesias*, omnibus *tamen generaliter, quae per orbem sunt, quaeque unam catholicam faciunt, scripsisse probatur Ecclesiis.*

(3) S. Ignatius Antiochenus epistola ad *Magnesianos* inscripta iis curam demandavit ad Syros eam transmittendi, *ut Ecclesia, quae in Syria est*, ait, *mereatur per Ecclesiam vestram irrorari.* Idemque alia ad S. Polycarpum data, *decet in Deo, beatissime Policarpe*, ait *num. 7., et 8., concilium cogere decentissimum, et eligere aliquem, quem valde carum habeatis, et impigrum, qui poterit* divinus Cursor *appellari, illumque eo dignari honore, ut profectus in Syriam glorificet vestram impigram caritatem in gloriam Christi. Quoniam igitur omnibus Ecclesiis nequivi scribere, quod repente navigaverim a Troade Neapolim, ut voluntas imperat, scribas vicinis Ecclesiis, tamquam qui senten-*

IX. Eodem saeculo ad alteram medietatem declinato factum est, ut synodica Episcoporum decreta, epistolis quoque synodicis, et encyclicis vulgata, multas damnarent haereses, in primis Cainitarum, quos a Syris Mosopotamiae Sacerdotibus confestim denunciatos Antiochena synodus Episcopo Theophylo praeside proscripsit (1). Montanistae encyclicis primum litteris Martyrum Lugdunensium, Ecclesiarumque Lugdunensis, et Viennensis ad Asiae, et Phrygiae fratres, Romanumque Pontificem Eleutherum vituperati multis mox Asiae Synodis fuere a corpore fidelium abscissi (2), praesertim Hieropolitana, cui praefuit S. Episcopus Apollinarius, Phrigia sub Sota Achillarum Praesule, Antiochena sub Serapione anno circiter 178. (3). Morem Iudaicum celebrandi Paschatis Luna 14. a Montanistis novo cyclo paschali excitatum quartadecimani pertinaciter quum retinerent, S. Victor Pontifex in Concilio Romae coacto, mox Theophilus Caesareensis, et Narcissus Hierosolymitanus in Concilio Palaestino an. circiter 198., tum aliae nodum occidentales, verum orientales etiam synodi profligarunt (4) : quamvis Polycrates Ephesiorum Antistes cum aliquot Asiae Coepiscopis in concilium adscitis deserere priscam suae regionis consuetudinem detrectaret, conscripta adversus Victorem epistola synodica, contendens *se Apostoli Ioannis, et veterum auctoritatem sequi* (5).

X. Increbuerunt saeculo III. Concilia fidem catholicam vindicantia contra schismata, et haereses tunc exortas, praesertim Novatiani (6), et

tiae Dei compos sis, quod et ipsi fidem faciant, qui possunt, pedites mittant: alii vero epistolas per eos, qui a te mittentur. De S. Polycarpo loquens Eusebius *lib. 5, cap. 20. Ex epistolis illius*, inquit, *id liquido comprobari potest, quas ille partim ad vicinas Ecclesias, ut eas confirmaret, partim ad quasdam ex fratribus misit, admonens illos, atque exhortans.* Hinc tomis encyclicis collectas SS. Patruum epistolas consuevere tunc in orbem evulgare, unde pateret fidei veritas, et unitas a catholicis Doctoribus propugnata. Tomus encyclicus eiusmodi exscriptus *par. 3.* Concilii Chalcedonensis exemplar aliorum praefert absolutissimum.

(1) Auctor Praedestinati scribit, statim ac eruperunt Cainitae, *Mesopotamiani Ecclesiarum Syriae Sacerdotes ad ceteros suos Coepiscopos conscripserunt. Quos triginta duo Episcopi apud Antiochiam residentes cum eiusdem urbis Episcopo Theodoro* (alias Theophilo, qui sedit ab anno 170. annos 13.) *in praesentia confutatos damnaverunt, dicentes iis, quod S. Spiritus locutus est per Prophetam:* vae his, qui dicunt de bono malum, et de malo bonum. Cainitae Cainum, aeque ac Esau, Core, Dathan, Abiron, et Sodomitas a potentiori virtute, Abelem ab imbecilliori prodiisse delirabant, Iudam Iscariotem colebant, eius pseudo-evangelium sectantes, Baptismum ad salutem necessarium negabant, praeter alias Carpocratis, Valentini, et Nicolaitarum nefandas blasphemias, in quos calamum perstrinxere S. Irenaeus *lib. 3. adv. haereses cap. 35.*, S. Epiphanius *haer. 38.*, S. Aug. *lib. de haeresibus ad Quodvultdeum*, Theodoretus *lib. 1. haereticar. fabular. cap. 15.*, Tertull. *de Baptismo cap. 1.*

(2) Ex Anonymo, quem nonnulli putant Asterium Urbanum, apud Eusebium *lib. 5. hist. cap. 5.* (3) Hanc refert Eusebius eodem *lib. 5. cap. 19.*

(4) Ex traditis ab Eusebio *ibidem cap. 22.*

(5) Ut scribit S. Hieronymus in *catal. Script. eccles. cap. 56.*, conteste Eusebio *ibid. cap. 23.*

(6) Ex S. Cypriano *ep. 49. ad S. Cornelium*, et S. Cornelio *ep. ad S. Cyprianum, et Fabium Antiochenum.* et Eusebio *lib. 6. hist. cap. 35.*

Pauli Samosetani (1), eorumque sectarios. Rebaptizantium errorem ab Africanis, et Orientalibus Episcopis propagatum, illorumque Synodis suffultum S. Stephanus Papa feliciter evulsit (2). Berillianos Arabes, Valesios, Sabellianos, Manichaeos, Origenistas, ceteros nostrae fidei hostes debellarunt extemplo Patros coaevi. Si fortasse quaeres, cur potuissent sub ethnicis Imperatoribus memorata Concilia prisci tunc Patres concelebrare? aio Ecclesiam interpolata pace aliquando potitam sub Vespasiano, prioribus Traiani annis, sub Hadriano, Antonino Pio, Lucio Vero, initiisque Severi (3).

XI. Post pacem Ecclesiae universae a Constantino M. largitam, et catholicis exinde imperantibus utraque Potestas ecclesiastica, et saecularis conspiravit ad proterendas haereticorum sectas. Ut controversia fidei dogmata definirent Episcopi, iudiciumque de haeresiarchis, et eorum asseclis ferrent in Synodis non modo particularibus, sed etiam oecumenicis et plenariis (4), consueverunt ipsimet saeculi Principes rescribere, tum synodica iudicia publicis edictis evulgare, et brachio regio communita executioni demandare (5).

XII. Corporeas etiam poenas varias in haereticos sanxerunt leges civiles. Constantinus M. eos privilegiis catholicae Religioni indultis omnino expertes voluit (6) Gratianus, Valentinianus, et Theodosius *haeretici dogmatis infamiam sustinere* (7), atque *ab ipsis etiam urbium moenibus exterminatos furore propelli* (8). Theodosius M. decem libris auri mulctandos (9). Theodosius iunior cum et Arcadio, et Hono-

(1) Ex duabus Antiochenis synodis contra Paul. Samosaten. an. 264. et 270., sub S. Dionysio Rom. Pontifice.

(2) Ex S. Cypriani *ep. 74. ad Pompeium*, et S. Aug. *lib. 2. contra Donatistas cap. 9.*

(3) Ex Tertullian. *apologet. cap. 5.*, et fere cunctis ecclesiasticae historiae scriptoribus.

(4) Eas recensui *lib. 1. tit. VI. cap. 1.*

(5) Liquet ex Constantini M. epistolis quatuor ad Ecclesias generatim, ad Alexandrinam, et Nicomediensem, et ad universas, impressis ad calcem Nicaenae Synodi aliarumque Synodorum generalium actis. Theodosius, et Valentin. in *l. decere 3. §. 3. C. de summa Trin., et fid. cath.* Nicaenae, et Ephesinae Synodi decreta exequuti sunt, Valent., et Marcian. in *l. quicumque 8. §. 3. C. de haereticis*, ut nemo audeat contra Synodi Chalcedonensis dogmata quidquam scribere, vel proferre, sanxerunt. Iustinianus in *l. cognoscere 7. §. 4. C. de Sum. Trin.* profitetur in omnibus amplecti quatuor oecumenica Concilia, eorum dogmata et damnationes haereticorum.

(6) Constantin. in *l. 1. C. de haereticis et manichaeis.* Eamque legem ad privilegia etiam dotalia extendit Iustinianus *Nov. 119. cap. 1.*

(7) Gratian. Valent., et Theodos. in *l. 1. C. de summa Trinitate et fide catholica.*

(8) Idem in *l. nullus haereticus 2. C. eod. tit.*

(9) Theodosius M. *ep. 63. ad Dulcidium* rescribens, *non enim tu in eos*, ait, *ius gladii ullis legibus accepisti.* Tunc temporis fert S. Augustinus in *psalm. 122.*, Boeticum inimicum contra Dominum latrantem digne flagellatum fuisse. Et S. Hieronymus *ad Ctesiphontem adversus Pelagium* scribens, *quid loquar*, ait, *de Priscilliano, qui et saeculi gladio, et totius orbis auctoritate damnatus est.*

rio Manichaeos, et Donatistas publicationi omnium bonorum obnoxios, donationum, successionumque incapaces, omnique iure donandi, vendendi, et quomodolibet contrahendi, testandi etiam expertes, filiis insuper a paterna successione exclusis, qui haeresim non abiuraverint (1). Praeterea Theodosius, et Valentinianus Manichaeos tantum ultimo supplicio tradendos, ceteros a Romani imperii locis extorres fore (2): simul et eos, qui ad apostasiam christianum traduxerit (3). Cuiusmodi sanctiones alii quoque Imperatores firmarunt (4). Valentinianus, et Marcianus ultimo etiam supplicio coercendos, *qui illicita docere tentaverint*, haeresiarchas censuerunt (5). Fridericus II. Imperator cunctos haereticos infames, proscriptos, bonisque omnibus fore nudandos, quae Fisco vindicentur, edixit: eorum praeterea fautores, si ecclesiastica censura notati non resipuerint intra annum, tamquam haereticos infames a publicis officiis, et muneribus, a factione testamenti, a successionibus, actionibusque iudiciariis expulit (6).

XIII. Hoc autem in Regno speciatim Fridericus ipse cavit crimen haeresis *damnatae sectae cuiuslibet* inter crimina publica maximum, et facinore laesae maiestatis horribilibus esse per inquisitionem investigandum, atque a Praelatis ecclesiasticis examinandum; damnatos autem *Patarenos* tantum flammis ultricibus vivos comburendos (7). Horum

(1) Theod. iun., Arcad., et Honor. in *l. Manichaeos 4. C. de haereticis*: Ut poenis iisdem plectantur apostatae, cau um est *l. 1., et seqq. C. de apostatis.*

(2) Theod., et Valent. in *l. Ariani 5. C. de haereticis.*

(3) Iidem in *l. eum qui 5. C. de apostatis.*

(4) Anastasius, seu Iustinianus in *l. ubicumque Manichaei 11.*, Iustinus in *l. Manichaei 12., et seqq. C. eod. tit.*

(5) In *l. quicumque 8. §. 5. C. de haereticis.*

(6) *Catharos, Patarenos, et omnes haereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus,* Fridericus ait, *infamia, diffidimus, atque bannimus. . . . bona talium confiscentur. . . . filii ad successionem eorum pervenire non possint. . . Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesiae iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personae propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tanquam infames, et banniti ab omnibus habeantur: ita quod si sic per annum permanserint, ex tunc eos sicut haereticos condamnamus . . . Credentes praeterea, receptatores, defensores, et fautores haereticorum bannimus, firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia vel eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur; sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus praeterea ei super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur: quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causae aliquae ad eius audientiam perferantur: si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur, si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti.* Legem hanc integram habet Inn. Cironius in *V. comp. Decretal. cap. 1. de haereticis*, et Goldastus *to. 1. const. Imperial.*, eiusque fragmenta Codex Iustinianeus in Auth. *si vero*, et Auth. *credentes C. eod. tit.*

(7) Frid. II. in regni *const. inconsutilem tunicam 1. de haereticis*, *et Patarenis*, ait: *praesentis nostrae legis edicto damnatos mortem pati.* Patarenos *decernimus, quam affectant, ut vivi in conspectu populi comburantur: flam-*

autem receptatores, fautoresque (1), et apostatas (2) non ultimo supplicio, sed perpetua relegatione, bonorum publicatione, et infamia ad filios etiam extensa coercuit. Catholicus autem Rex Ferdinandus an. 1505. indulsit Neapolitanos cives numquam esse publicatione bonorum plectendos, praeterquam *pro crimine laesae maiestatis in primo capite, et haeresis*, salvis tamen in utroque casu mulierum dotibus, antefato, lucris, et iuribus dotalibus (3).

XIV. Ex recitatis canonibus, et legibus qua communibus, qua municipalibus liquet crimen haeresis ecclesiasticum in foro ecclesiastico semper cognitum eatenus fuisse, ut haereticos primum in eo convictos, et pertinaces Episcopi dioecesani, vel Concilia Episcoporum, vel suprema Sedes Romana censuris, et anathemate damnaverint, dein laica Potestas eos poenis corporeis et capitalibus affectos exterminaverint. *Merito Patres nostri*, ad Turribium S. Leo M. rescripsit, *per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur: quando etiam Principes saeculi hanc sacrilegam amentiam ita detestati sunt, ut auctorem eius, et plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Et profuit diu ista districtio ecclesiasticae lenitati: et quae si sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit ultiones, severis tamen christianorum Principum constitutionibus adiuvatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium* (4). Mos inde invaluit iure

marum commissi iudicio. Patarenos in Lyciae urbe Patara exortos, Manichaeorum sectarios, in Albigensibus redivivos, a Conc. Later. IV. sub Innoc. III. in *cap. sicut ait 5. de haereticis* tunc imperante Frid. II. damnatos, observat Emm. Gonzalez in notis ad *cit. cap. sicut ait*, verb. *Albigesio*, et verb. *Patarenos*.

(1) *Patarenorum receptatores* (Imperator ait in seq. *const. Patarenorum, de Pataren. receptator.*) *credentes, et complices, et quocumque modo fautores... publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus: et ipsorum filii ad honores aliquos nullatenus sumantur, sed infamiae perpetuae nota laborent. Uti nec in testes, nec in caussis, quibus repelluntur infames, aliquatenus admittantur.*

(2) Idem in *const. apostatantes 1. de apostatis* ita sanxit. *Apostatantes a fide catholica penitus execramus, insequimur ultione, bonis omnibus spoliamus, et a professione, vel voto naufragantes legibus coarctamus: successionem tollimus, et omne ius legitimum abdicamus.*

(3) Pragm. *3. de immun. Neapolitanor.* inter capitula, et gratias an. 1507. a Rege Catholico Ferdinando indultas.

(4) S. Leo *ep. 91.* apud Emm. Gonzalez in *not. ad cap. sicut ait B. Leo 7. de haereticis*. Synodus Caesaraugustana in Hispaniis an. 592., et Burdegalensis quum haeresis d. massent Priscillianum, eiusque sectarios, iique ad Maximum tyrannum tunc Treviris sedentem reclamasset, Ithacio Episcopo instante, ne audirentur, capitis poenas a Maximo item damnati fuerunt: nam frustra intercessit Martinus Turonensis Episcopus postulans, ne de caussa mere ecclesiastica, magistratus saecularis notionem sibi adsumeret, utque Maximus infelicium sanguine abstineret; contendebatque id sufficere, ut sententia Episcoporum iudicati, et proscripti Ecclesiis pellerentur; novum et inauditum esse, ut caussam Ecclesiae iudex saeculi iudicaret. Vix autem obtinuisse Martinum, ut quoadusque is Treviris fuit, notio caussae in foro Maximi suspenderetur, narrat Severus *lib. 2. hist. sacr.* ab Altaserra laudatus *lib. 4. de iurisd. cap. 3.*

Decretalium firmatus, ut perinde clericus, ac laicus in manifesta haeresi deprehensus, h. e. in foro Ecclesiae rite convictus, *nisi abiurata haeresi confestim ad fidem confugerit orthodoxam, saecularis iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris ultionem* (1). Et synodus Tridentina Episcopis mandat uti delegatis etiam apostolicis in quoslibet, quantumvis exemptos procedere, *secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem*, qui haereses praedicaverint, aut errores disseminaverint in populum (2).

XV. Plane heic falluntur, qui putant Episcopos olim ex Imperatorum placitis, et legibus consuevisse quaestionem *iuris* tantummodo definire, an ea scilicet opinio haeresim saperet, an non: quaestiones vero *facti*, num hic, et ille in crimen haeresis reapse incidissent, ideoque damnandi, an absolvendi forent, in foro laico ad octavum usque saeculum agitatas. Etenim res a priscis Patribus aevo martyrum gestae, et frequentia Concilia tum oecumenica, tum localia sub Constantino, aliisque Principibus christianis concelebrata patefaciunt cunctos haereticos, nedum annuentibus, sed mandantibus etiam Imperatoribus ad iudicium episcopale delatos, atque ab Episcopis auditos canonicae damnationis sententiam noxios, et pertinaces, absolutionis innoxios, et resipiscentes rite accepisse, officio magistratuum saecularium interea silente (3). Id quod historia haeresum abunde passim ostendit (4).

XVI. Saeculo XII. Albigensium immensa colluvies quum occidentales Ecclesias dogmatibus impiis, corruptisque moribus infestaret: eos Romana Sedes Inquisitione generali studuit quaquaversus extinguere. Innocentius III. in primis Arnoldum Abbatem Cisterciensem, Rodulphum, et Petrum de Castronovo eiusdem Ordinis monachos Fontisfrigidi ad serpentem haeresim evellendam in Gallias misit Legatos, et Inquisitores apostolicos (5). Mox S. Dominicum generalem in Hispania primum Inquisitorem creavit ineunte saeculo XIII. eiusque Ordinis Fra-

(1) Lucius III. in *cap. ad abolendam 9. eod. tit.*, et Alexand. IV. in *cap. Super eo. 4. eod. tit. in VI.* Honorius III. ad Nicomediensem Archiepis. (*in cap. 1. de apostatis* in V. compil. Decretal. penes Innoc. Cironium) rescripsit monachos Graecos, qui abuentes retrorsum ad Graecum Patriarcham Nicaenum schismaticum desciverant, esse *ad promissam Ecclesiae Romanae servandam obedientiam censuris ecclesiasticis compellendos, advocato ad hoc, si necesse fuerit, brachio saeculari.*

(2) Trid. in *cap. quia vero 2. §. si vero sess. 5. de ref.*

(3) Labbaeana Conciliorum collectio novissima, ceteris antiquis uberior, innumeras exhibet singulorum haereticorum damnationes iudiciarias decretis Episcoporum synodicis prolatas.

(4) Absolutam de singulis haeresibus historiam conscripsit Dominicus Bemini *to. 4.* Earumdem syllabum ad sua usque tempora S. Isidorus Hispalensis concinnavit in *can. quidam 39. C. 34. qu. 3.*

(5) Ad tres ipsos Inquisitores Innocentius III. rescripsit in *cap. per inquisitionem 26. de electione*, quorum opera, et studio innuit Gonzalez, in *notis* ad hunc textum *verb. inquisitoribus*, ex Spondano post Baronium ad *an. 1208. num. 4.*, et Manrique *to. 3. annal. Cisterc. ad an. 1205. cap. 3.*, Petrus Monachus in *hist. Albigens. cap. 3.* Vitam, et gesta eiusdem B. Petri de Castronovo fert Bollandus in *actis Sanctorum* ad diem 5. Martii.

tres Praedicatores; dein S. Franciscum, Fratresque Minores in Italia, eisque mandavit apostolicam auctoritatem inquirendi, et iudicandi, et spirituali gladio percutiendi haereticos (1). Eorumdem commilitonum virtute, quam ore, et scriptis exerebant, commoti Principes, populique orthodoxi haereticos e sua quisque ditione expellere certatim (2), bona regio Fisco addicere (3), contumaciores poenis legitimis, ultimoque supplicio prosternere curarunt (4). Mox an. 1233. in Aragoniam commigravit Inquisitio, S. Raymundo Peunafortio suadente (5). Tum an. 1683. post expulsos ex Hispania Mauritanos Xystus IV., postulante Catholico Rege Ferdinando Thomam de Turrecremata Ordinis Praedicatorum Regi a confessionibus constituit Inquisitorem generalem, et sequenti anno erexit Regium Hispaniarum Tribunal Inquisitionis generalis, Regi dumtaxat subiectum, non alio Sedi Apostolicae reservato iure, nisi confirmandi Inquisitorem a Rege nominatum, qui nutu Regis deligit singulos Provinciarum Subinquisitores (6). Deio Paulus III. an. 1535., instante Ioanne III. Lusitaniae Rege supremum alterum in Lusitania tribunal instar Hispani efformavit.

XVII. Romana inquisitio omnium praestantissima semper adhaesit primatui Sedis Apostolicae longe, lateque patens in Orbe catholico. Haeresiarcham Cerdonem secundo saeculo e Syria Romam profugisse, ibique a fidelium communione abscissum liquet (7). Marcion quoque

(1) N. Alexander. *his. saec. XIII. cap. 7. art. 5. de monach., et sanctimon. num. 5.* Idem Innocentius Raymundum Tolosanum Comitem haeretici faventem anathemate confixit, et sacrum bellum ad haeresim extirpandam indixit, Philippo Augusto ad illud consciendum excitato. Honorius III. gratias Philippo Aug. egit de bello Tolosanis haereticis illato, faustos S. Dominici, eiusque Fratrum labores collaudavit, magisque incendit, Parisiensem Academiam hortatus est, ut Theologos Tolosam demitterent ad Albigenses lectione, praedicatione, exhortatione ad fidem convertendos. N. Alex. *ibidem cap. 1. art. 10.*

(2) Concilium Lateranense IV. sub Innoc. III. an. 1215. in *cit. cap. sicut ait S. de haereticis* quum damnasset speciatim Catharos, Patarenos, et quovis vocabulo nominatos in partibus Tolosanis invalescentes sub anathemate. simul prohibuerat, *ne quis in domo, vel terra sua tenere, vel fovere, aut negotiationem cum eis exercere praesumeret.*

(3) Innocentius III. in *cap. vergentis 10. eod. tit.* quum bona haereticorum in pontificio Statu temporali publicanda iussisset, voluit, ut idipsum in aliis provinciis, et terris facerent Potestates, et Principes saeculares, comminando censuras negligentibus.

(4) Ex *cit. ep. 91.* S. Leonis, et *cit. cap. vergentis.*

(5) Id tradit Innoc. IV. *ep. ad S. Raymundum* data an. 1249., in collect. Conc. to. 11., et Ludovicus a Paramo *lib. 2. de origine, et prog. inquisit. tit. 2. cap. 8.*

(6) Mariana *lib. 24. de reb. Hispan. cap. 17.* enarrans illius tribunalis primordia, et populi querelas, testatur *edictis Inquisitionis propositis spe veniae homines promiscuae aetatis, sexus conditionis septemdecim millia virorum ultro crimina esse confessos, duo millia igne crematos, maiori numero in vicinas Provincias delapsos.* De Hispano S. Inquisitionis Officio tractatum uberem adornavit Fr. Suarez. S. I. inscriptum *Defensio Fidei.*

(7) S. Irenaeus *lib. 3. cap. 4., Cerdo qui ante Marcionem*, ait, *et his sub Hygino* saepe in Ecclesiam veniens . . . in iis *quae docebat male, abstentus est a religiosorum hominum conventu.* Id etiam refert Eusebius *lib. 4. hist. cap. 10.*

a Ponti Episcopo patre suo, sene optimo, Ecclesia expulsus, *populariuin suorum probra, ac ludibria non sustinens, clam ab oppido secessit, ac Romam post Hygini Papae obitum se contulit* (1). *Quia potentior erat*, inquit S. Irenaeus; *Romanae Ecclesiae principatus* (2). Cumque frustra petiisset inibi, ut in communionem admitteretur, *cur me*, inquit, *recipere, noluistis?* Responderunt illi *seniores, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant: nobis iniussu venerandi Patris tui istud facere non licet: una si quidem fides est, et animorum una consensio* (3). Montanistas e Phrygia exortos Zephirinus (4) damnavit saeculo V., a Melchiade proscriptos fert S. Augustinus (5), mox Pelagianos ab Innocentio I. (6). Saeculo VII. Monothelitas etiam a Theodoro, tradit Theophanes (7). Sequentis aevi exempla notiora supervacaneum heic adnumerare.

XVIII. Propagatos per Italiam Albigenses saeculo XIII. Innocentius VI. extirpandi studio sacrae in eos Inquisitionis officium delegavit Fratribus quum Praedicatoribus tum Minoribus ad varias Italiae Provincias an. 1351, (8); quum in urbe Roma ipsimet Pontifices Maximi consuevissent haereses inquirere, atque iudicare adscitis pro libito suo ministris, et auditoribus (9). Congregationem vero S. Officii supremam in urbe et orbe, Romanum scilicet Inquisitionis Tribunal, sed Cardinalibus compactum Paulus III. primum erexit an. 1542. tunc praefocandas ad Lutheri, et Calvini haereses (10), firmaruntque successores Pius

(1) Ita S. Epiphanius *haeres. 42.*

(2) S. Irenaeus *lib. 3. cap. 3.*

(3) Ita S. Epiphanius *loc. cit.*

(4) Tertullianus *lib. de ieiunio cap.* 1. ea de re loquens ait: *audio etiam decretum propositum, et quidem peremptorium. Pontifex maximus Episcopus Episcoporum dicit etc.*

(5) S. Aug. *epist. 40.*

(6) S. Aug. *contra Iulianum lib. 1. cap. 3. Per Papae rescriptum*, inquit, *caussa Pelagianorum finita est, totoque orbe post eius damnationem damnati sunt. Quoties fidei ratio ventilaretur, arbitror omnes fratres, et Ccepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest sui nominis, et honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit dilectio vestra, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in comune prodesse*, Innocentius I. rescripsit ad Synodum Milevitanam an. 416. in *can. quoties 12. C. 24. qu. 1.* Huc alludit S. Ambrosius in *can. si Petrus 17. ead. C. et qu.* inquiens. *Tollit ergo Petrus aurem. Quare Petrus? Quia ipse est, qui accepit claves regni coelorum. Ille enim condemnat, qui et absolvit: quoniam ligandi, et solvendi idem adeptus est potestatem. Tollit aurem male audientis, tollit autem gladio spirituali aurem intelligentis.*

(7) Theophanes *ad Heraclii Imp. annum 20.*

(8) Ex Innoc. IV. constitutionibus in Bullario magno *to. 1.*

(9) Card. de Luca *de relat. Rom. Curiae disc. 14. num. 3.*

(10) Paul. III. in *const. licet ab initio* 34. in Bull. Roma Apostolicos Inquisitores generalissimos negotiorum Fidei in omnibus, et singulis Christianae Reipublicae civitatibus, et terris citra, et ultra montes ubilibet, in Italia etiam, Curiaque ipsa Romana creavit sex Cardinales in unam S. Officii Congregationem cooptatos.

IV., et V. (1), Xystus V. (2). Dein Gregorius XV. vetuit licentias legendi quoscumque libros prohibitos, nonnisi ab ea ipsa Congregatione concedendas, *quae singulis hebdomadis coram nobis*, ait *haberi solet* (3). Formam inquirendi, et iudicandi haereticos tam manifestos, quam suspectos peculiarem edixerunt Innocentius III. (4), Alexander IV., pluresque successores Pontifices (5).

XIX. Regnum hoc Neapolitanum Inquisitores apostolicos tulit aegerrime statim ac asperitates eorum in sententiis, confiscationes bonorum expetitas, extraordinariam procedendi formam falsis testimoniis obnoxiam gravibus experimentis deprehendit. Friderici II. Imperatoris constitutio integram dioecesanis Episcopis notionem de haeresibus, et haereticis tunc irrepentibus reliquerat (6), quamvis Regiis etiam Officialibus mandasset eos inquirere (7). Sub Manfredo Friderici successore ad

(1) Ex Pii IV. *const. cum nos 79*, et Pii IV. *const. cum felicis 33.* in Bull. Rom. facultates, ac statuta istius Congregationis eruuntur.

(2) Xystum V. in *const. immensa aeternae Dei 72.* confirmans eidem Congregationi facultates omnes a suis praedecessoribus largitas *inquirendi* scilicet, *citandi*, *procedendi*, *sententiandi*, *definiendi in omnibus caussis tam haeresim manifestam, quam schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, Sacramentorum abusus, et quaecumque alia, quae etiam praesumptam haeresim sapere videntur concernentibus; non solum in urbe, et statu temporali nobis, et huic S. Sedi subiecto, sed etiam in universo terrarum orbe, ubi christiana viget Religio, super omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et alios inferiores, ac Inquisitores, quocumque privilegio illi suffulti sunt. . . Cui ob summam rei gravitatem Romanus Pontifex praesidere solet.*

(3) Greg. XV. in *const. Apostolatus officium* 4o. Episcopis autem libros haereticorum ideo legendos, ut ipsi eos possent confutare decrevit Synodus Carthagin IV. *can. 16. to. 2. Concil.* ibi: *ut Episcopus gentilium libros non legat, haereticorum autem pro necessitate, et tempore.*

(4) Innoc. III. in Conc. gen. *cap. excommunicamus 13. de haereticis.*

(5) Alexand. IV. ad Inquisitores haereticae pravitatis rescribens in *cap. 3. usque ad 8. de haereticis in VI.* Clemens IV. ad eosdem in *cap. 10., et 11.*, tum Bonifacius VIII. in *cap. 12. usque ad 20., et ult. eod. tit. in VI.*, Clemens V. in Conc. Viennensi *can. 1., et 2. eod. tit. Clementinis*, et Benedictus XI. *cap. 1., et 3. eod. tit. in Extravag. comm.* Exinde ordinem iudicii in caussis Fidei novis eiusmodi constitutionibus invectum tradit Eymericus in *directorio Inquisitionis.* Genuensis in *prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 84.*, ceteri.

(6) Frid. in *cit. const. inconsutilem tunicam 1. de haeret., et Patar.* sanxit, *ut eorum nequitia delegatur, nemine etiam deferente diligentius investigari.... et per Officiales nostros*, ait, *sicut et alios malefactores inquiri. Ac inquisitione notatos, etiamsi levis suspicionis argumento tangantur, a viris Ecclesiasticis, et Praelatis examinari iubemus.* Richardi a S. Germano *chronicon* haec habet: *Anno 1253. Imperator* (Frid. II.) *ad Casertanum Episcopum litteras mittit pro inquisitione facienda haereticae pravitatis, ut tam Patarenos, quam eorum fautores, quos invenerit huius criminis reos, sub suo, et Iustitiarii Terrae laboris testimonio sibi debeat intimare.*

(7) Impp. Thodosius, Arcad., et Honor. in *l. Manichaeos 4. §. 1., et 4. C. de haereticis* ad Senatorem Pr. Urb. quum rescripsissent, haeresim *esse publicum crimen. . .*, utque *in mortem quoque inquisitio extendatur:* sunt qui ea ex lege initia Inquisitionis repetunt. Pariter graeca constitutio Iustiniani, sive Iustiniani in *l. ex Manichaeo 16. C. eodem §. 1.* iubet, ut *qui in dignitatibus, et militiis sunt, sollicite eos, qui in suo consortio sunt eiusmodi* (puta Manichaei),

hasce provincias Inquisitores Pontificii, nec etiam appulere, ad varias Italiae regiones interim ablegati. At Carolus I. Andegavensis ita prono eos animo admisit singulos in singulis Regni Provinciis, ut auri augustalem quotidie singulis ex aere publico persolvi pro iis, eorumque notariis, et famulis alendis iusserit an. 1269., et seqq. (1). Carolo autem II. placuit an. 1285., ut confiscanda reorum bona tres in partes dividerentur, quorum unam Inquisitori pro alimentis expensisque, altera pro negotiis Fidei peragendis, tertia Fisco regio cederet (2). Idipsum executi sunt Reges Robertus, Ioanna I., Ludovicus, et Carolus III. Quid inde usque ad Ferdinandi Catholici Regis adventum ea de re gestum sit, monimenta silent, ac desiderantur.

XX. Profugos ex Hispania Mauros, Hebraeosque omnimodis hinc etiam profligaturus Ferdinandus idem Rex Catholicus Tribunal Inquisitionis hoc in Regno, subiectum Hispano instituere aggressus, quum animos populorum firmiter adversantes agnovisset, ab incoepto destitit (3). Supersunt in archivio regalis iurisdictionis nonnulla Proregum rescripta, Magni Ducis Gonsalvi Cordubensis an. 1504., et 1505., et Comitis Ripacursae an. 1507. ad 1509. imperantia, ne impedirentur Inquisitores haeresum ab Rege Catholico deputati munus obire suum in huius Regni Provinciis (4).

XXI. Paulo post ad avertendam hinc haeresim Lutheranam in dies gliscentem, a Bernardino Occhino, et Petro Vermiglio, aliisque sectariis transvectam, quum Prorex Petrus de Toledo mandata Caroli V perfecturus magnopere haud semel tentasset sacrae Inquisitionis tribunal introducere an. 1547: tumultum populi cruentum compescere non aliter potuit, quam opus incoeptum penitus intermittendo (5).

inquirant, et prodant. Sed laica isthec inquisitio cum episcopali, aut Pontificia non est commiscenda.

(1) Patet ex regiis Caroli I. litteris apud B. Cioccarell. *to. 8. arch.*

(2) Ex regiis Car. II. litteris *ibidem.*

(3) Praeses Tuanus *lib. 3. hist.* haec habet: *Itaque nec Ferdinandus, cum eo tempore Neapoli venisset, id impetrare potuit, et Inquisitores illuc missi Neapolitanis male accepti, et postremo Regno eiecti sunt.* P. Mariana S. I. *rerum Hispan. lib. 5. cap. 1.* Ea ipsa de re loquens, *totius Provinciae* ait, *in verae Religionis constantia, et animorum pietati satis perspecta. Inquisitionis rem, et nomen minus videri necessariam, proinde cessare, et amoveri sancitum.*

(4) Apud B. Chioccarell. *loc. cit.* Quid autem gestum heic sit a Magno Duce Prorege, fert Zurita annal. Aragon. *lib. 5., et 7., et lib. 9. cap. 76.*

(5) Henricus Spondanus ad *an. 1547.* haec habet. *Rem vero iam (rogatu Inquisitorum Romanae Ecclesiae, in quibus erat Ioannes Cardinalis Compostellanus Proregis frater) urgente eodem Prorege, tantus repente tumultus excitatus, ut post multa consilia desuper habita Proregi quoque intentatum periculum fuerit: non quidem recusantibus, Neapolitanis, quin in haereticos, et suspectos inquireretur, sed petentibus, ut ex antiqua Ecclesiae disciplina id fieret. Quorum obstinatum animum Prorex perpendens, ne quid tristius contingeret, coactus est fidem dare de Inquisitionis mentione numquam deinceps repetenda: tanta populi gratulatione, ut ignibus per tres dies, et facibus accensis laetitiam celebrarent...* Mox instaurata commotione populi ex Archiepiscopalis visitationis edicto die 11. Maii. 1547., Spondanus addit: *missis ex utraque*

XXII. Philippo II. rege populus Neapolitanus obmurmurans exhorruit gravissimum supplicium ob crimen haeresis sumptum de duobus, Ioanne Berardino Gargano, et Ioanne Francisco Caserta, truncatis capite in foro magno, et crematis die 24 Martii 1564: ratus Proregi D. Paraphano de Ribera in animo esse Inquisitionem Hispano more constituere (1). Protinus hinc P. D. Paulum de Aretio Theatinum ad Regem ablegavit Neapolitana Civitas, litterasque dedit rogantes, ut procul hinc omnimodis esset Inquisitionis tribunal, et confiscatio bonorum deleretur in caussis haeresis iure ordinario tractandis a dioecesanis locorum Ordinariis. Rex autem preces eiusmodi clementer audiens, ad eam iuxta petita rescripsit die 10. Martii 1565. (2). Exinde ferunt duos pontificios Inquisitores, alterum anno 1661. regnante Philippo IV., alterum scilicet Cavensem Episcopum Gilibertum an. 1691. sub Carolo II. iussu Proregis Comitis de S. Stephano expulsos a regno (3). Tum Carolus VI. Imperator die 15. Septembris 1709. multas huic Civitati, ac Regno largitus gratias indulsit speciatim, ut in caussis ad sanctam Fidem nostram pertinentibus non alii procedant, nisi Archiepiscopi, aliique Ordinarii locorum, *tamquam Ordinarii*, *et via ordinaria*, quae usu viget in aliis delictis, et caussis criminalibus ecclesiasticis (4). Ut autem res novae non inducantur, advigilant XXXV. viri a quinque Ordinibus Equitum, populoque Neapolitano quotannis deputati.

XXIII. Cumque hi nuper ad Carolum Regem optimum detulissent Curias episcopales in caussis Fidei adhuc usurpare formam iudicii extraordinariam toties vetitam: de voto Regalis Camarae S. Clarae ad eosdem S. Officii Deputatos Rex die 29. Decembris 1746. rescripsit plura sese, ut omnem ab eorum animis formidinem rerum novarum eriperet, iussisse. Praesertim, ut perinde clericorum, ac laicorum neminem possent ecclesiasticae Curiae ob haeresim, aliudve crimen ecclesiasticum citare, aut ad carceres trahere; nisi Rex ipse visis earumdem actis id permiserit, nec diffinitivam proferre, aut exequi sententiam, priusquam Rex inspectis iterum actis via ordinaria confi-

parte ad Caesarem legatis, venit ab eo decretum, quod inquisitionis mentione tacita cives ab armis discedere iussi sunt, et obedientiam Proregi praestare. Ea omnia fusius enarrat Ubertus Foglietta *de tumultu Neapolitano*, Mambrinus *lib. 4. hist. Neap.*, ibique Thomas Costa *in notis*, et Io. Ant. Summonte *tom. 4. hist.*

(1) Summonte *loc. cit.*

(2) Apud B. Chioccarell. *to. 8. arch.*

(3) Id refert Matthaeus Giptius in *not. Chronolog.* Itaque subinquisitores, vel ab Hispana, vel a Romana inquisitione suprema huc missos Neapolitani extrudere hinc semper conati sunt: id quod observavit Cl. Fleury *Instit. Iur. Can. part. 3. cap. 9. num. 3.*

(4) Ex *to. 2. de' privilegii, e grazie dell' Imp. Carolo VI. pag. 232.* Ubi rescriptum simul fuit ab Imp. ad Proregem Card. Grimanum, ne regium umquam placitum daretur quibusvis Bullis, aut Brevibus, aliisve quibuscumque litteris, ac decretis Romanae Congregationis supremae S. Officii, quae iudicia Inquisitionis Fidei quomodolibet spectarent.

ciendis annual. Ut reos dato vix defensionum termino e secretiori ad exteriores, civilesque transferant carceres, ubi omnimoda sit eis libertas, et scribendi, et colloquendi. Ut advocatum singulos defensurum ipsimet Deputati debeant in singulis caussis nominare, Rex autem adprobare. Utque in cunctis citationibus quorumlibet principalium, laicorumque dumtaxat testium caussa, propter quam citantur, speciatim exprimatur (1). Eaque omnia firmavit novissime Rex Ferdinandus die 8. Augusti 1761. (2).

XXIV. Multas, variasque poenas in haereticos iamdudum sancitas nihilominus leges nostrae non deminuunt: quamvis regula Iuris communis statuat multiplici poena plectendum fere neminem (3). In primis censuram excommunicationis latae iam sententiae ipso facto incurrunt (4)

(1) Videsis dicta superius *tit. 1. num. IV.*, *tit. IV. num. VI.*, *tit. IX. num. VII.*, et *tit. XI. num. IX.* Integrum Regis Caroli rescriptum prostat in marmoreo monumento, quod Deputati Equites posuere in scalis palatii S. Laurentii, litteris encyclicis Delegati Regalis Iurisdictionis ad cunctos Regni Episcopos promulgatum. Badinus Altaserra *lib. 4. de iurisd. eccles. cap. 3. in fin.* fert in Gallia Regios Iudices cumulate cum Episcopis cognoscere de crimine haeresis quoad inquisitionem, et prehensionem corporalem: sed captos Iudici ecclesiastico sententiam de iis canonicam prolaturo remittere: et ubi scandalum, et publica seductio, sacrilego facinori accesserit, post latam ab ecclesiastico Iudice sententiam, cognitio casus (ut aiunt) *privilegiati* tunc reservatur Iudici regio. Igitur haeresis quantum ad fidei dogmata, et canonicas censuras Galli ad Ecclesiae iudicium deferunt: declaratos autem haereticos ob scandalum, et populi turbationem laici Magistratus coercent poenis legitimis, et corporeis, Fleury *loc. cit. cap. 9. num. 1.*

(2) Aliis etiam encyclicis Delegati Regalis Iurisdictionis istud Regis Ferdinandi rescriptum evulgatum est, quas exhibet nova appendix monumentorum ad praxim Leonardi Riccii *tom. 1. num. 32.* recusam typis Neap. hoc an. 1762.

(3) Papinianus in *l. sanctio legum 41*, *in fine D. de poenis*, nec aequum, nec verisimile esse monet, *delictum unum eadem lege variis aestimationibus coerceri.* Et *Senatus censuit, ne quis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret* Paullus tradit in *l. Senatus 14. D. de accusation.*

(4) *Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum; et nolite tangere ab omnibus, quae sunt eis, ne simul pereatis in peccatis eorum*, Dominus ipse praecepit Numer. *cap. 16. vers. 26. Haereticum hominem devita*, ex praecepto Apostoli *ad Titum cap. 3. vers. 10.* Quod explicat S. Augustinus in *can. dixit Apostolus 29. C. 24. qu. 3.*, et S. Ambrosius in *can. quae dignior 26. ead. C. 24. qu. 1. Nec* ave *ei dixeritis: qui enim dicit illi* ave, *communicat eius malignis operibus*, S. Ioannes iubet *ep. 2. vers. 20., et 11.* quam exponit Beda in *can. omnis qui recedet 24. C. 24. qu. 1.* S. Hieronymus in *can. resecandae 16. C. 24. qu. 3., resecandae sunt*, ait, *putridae carnes, et scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota massa corpus, et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant. Arius in Alexandria una scintilla fuit! Sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Pelagius Papa in *can. apostolicae 23. C. 24. qu. 3.*, *apostolicae auctoritatis exemplo didicimus*, ait, *errantium, et in errorem mittentium spiritus tradendos esse Satanae, ut blasphemare dediscant.* Conc. Later. III. sub Alex. III. in *cap. sicut art. 8. de haereticis*, haereticos, eorumque defensores decrevit *anathemati subiacere*, ut nulla pro eis in peccato decedentibus *oblatio fiat*, *aut inter christianos accipiant sepulturam.* Eosque Lucius III. *vinculo perpetui anathematis*

summo Pontifici reservatam (1). II. Depositionem, si clerici fuerint, ab omni officio, et beneficio ecclesiastico (2). III. Omnem iurisdictionem amittunt (3). IV. Eorum filii, et nepotes secundae generationis ex paterna linea, primae tantum generationis filii ex materna beneficium ecclesiasticum, seu publicum officium obtinendi sunt incapaces (4) V. Relapsi per Ecclesiam damnati, laico magistratui traduntur corporeas poenas daturi, praevia, si clerici fuerint, sacrorum Ordinum degradatione (5), additaque pro cunctis intercessione, ut supplicium mortis evadant (6): aequitas enim canonica non patitur lapsos

innodavit, *cap. ad abolendam 9. eod. tit.* Consonat Greg. IX. in *cap. excommunicamus 15. eod. tit.*

(1) Bulla Coenae Domini §. 1. excommunicat haereticos omnes, et schismaticos eorum fautores, tum legentes, ac imprimentes eorum libros. Et §. 2. hanc habet clausulam: *a praedictis sententiis nullus per alium, nisi per Romanum Pontificem, praeterquam in mortis articulis constitutus, nec etiam tunc nisi de standO Ecclesiae mandatis, et satisfaciendo cautione praestita, absolvi possit*, ex Benedicti XIV. *const. pastoralis 41. to. 1.* Bullarii sui, contra excommunicatos ab seipso in Coena Domini an. 1741., vestigia Praedecessorum suorum persecuto. Videsis dicta superius *num. XVII.*

(2) S. Cyprianus in *can. didicimus 31. C. 24. qu. 1.*, *didicimus*, ait, *omnes omnino haereticos, et schismaticos nihil habere potestatis, ac iuris.* Idemque in *can. alienus 19. eod. C., et qu.* addit: *alienus est, profanus est, hostis est: habere iam non potest Deum patrem.* S. Augustinus *hanc domum*, inquit, *Ecclesiam si quis corripientem, corrigentemque contempserit*: sit tibi, *inquit* Dominus Matth. 16., sicut ethnicus, et publicanus, *can. omnibus 20. eod. C., et qu.* S. Gregorius M. Ecclesia *sola est*, ait, *quae intra se positos valida charitatis compage custodit. Unde et aqua diluvii arcam quidem ad sublimiora sustulit; omnes autem, quos extra arcam invenit, extinxit, can. quia ex sola 22. eod. C. et qu.* Lucius III. in *cap. ad abolenda 9. de haereticis*, sanxit, *ut quicumque manifeste fuerint in haeresi, deprehensi, si clericus est, vel cuiuslibet religionis obumbratione fuscatus, totius ecclesiastici ordinis praerogativa nudetur, et sic omni officio, et beneficio spoliatus ecclesiastico, saecularis relinquatur arbitrio Potestatis, animadversione debita puniendus.* Id firmatum est ab Inn. III. in Conc. gen. *cap. excommunicamus 13. credentes eod. tit.*

(3) Nicol. I. ad Clerum Constantinop. rescribens, *absurdum etenim est*, ait, *ut cui non licet etiam cum minimis iuxta sacras regulas communicare, liceat penes vos etiam de maioribus iudicare, can. miramur 37. C. 24. qu. 1.* Innocentius III. in *cit. cap. excommunicamus 13. §. credentes: Si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec caussae aliquae ad eius audientiam perferantur.* Ex Gregorii IX. sententia *obsolutos se noverint a debito fidelitatis dominii, et totius obsequii, quicumque lapsis manifeste in haeresim aliquo pacto quacumque firmitate vallato tenebantur astricti, cap. absolutos 16., et ult. de haereticis.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. statutum 15. de haeret. in VI.*

(5) Greg. IX. in *cap. excommunicamus 13. de haeret.* Bonifac. VIII. in *cap. ut inquisitionis 18. eod. tit. in VI.*

(6) *Poena illorum, rogo te*, ad Marcellinum scribebat S. Augustinus, *ut praeter supplicium mortis sit, et propter conscientiam nostram, et propter catholicam mansuetudinem, can. poena illorum 2. C. 23. qu. 5.* Idemque in sequenti *can. unum solum 3.*, scribens Donato ait: *Ex occasione terribilium iudicum, ac legum, ne aeterni supplicii poenas luant, corrigi eos cupimus, non necari... Si occidendos in his sceleribus homines putaveritis: deterribilis nos, ne per*

*

prima vice in haeresim tradi Curiae saeculari (1), nisi qui mysterium SS. Trinitatis, vel Iesu Christi Domini Nostri divinitatem, vel eius de Spiritu Sancto conceptionem, mortemque salutiferam, aut B. Mariae Deiparae virginitatem (2) negaverint, aut Sacramento eucharistico ad sortilegia sint abusi (3). VI. Resipiscentes, qui condignam agere poenitentiam expetant, in perpetuo carcere detruduntur (4). VII. Ecclesiastica sepultura privantur (5). VIII. Adduntur poenae Iure civili sancitae, nimirum perpetua infamia (6), ob quam a cunctis honoribus, et muneribus, et civium privilegiis haeretici arcentur (7), atque a fereu-

operam nostram ad vestrum iudicium aliquid tale perveniat Verum exemplo Davidis, qui Absolonem rebellem servare studuit, mox flevit occisum, S. Augustinus ut moestitiam Ecclesiae in suppliciis perditorum pax ei quaesita consoletur, admonet in *can. quis enim 48. ead. C.*, *et qu.* S. Cyprianus in *can. si audiens 32. ead. C.*, *et qu.* observans imperatam a Deo necem impiorum idola colentium *Deuteronomii cap. 13.*, et collaudatum in sacris Litteris Mathathiam, qui ad sacrilegam aram accedentem interfecit, *1. Machab. 25.* ita concludit: *Si ante adventum Christi circa Deum colendum, et idola spernenda haec praecepta servata sunt : quanto magis post adventum Christi servanda sunt ?* Hinc Urbanus II. Godofredo Lucano Episcopo rescribens, eos non homicidas arbitratur, quos adversus excommunicatos zelo catholicae matris ardentes aliquos eorum trucidasse contigerit, *can. excommunicatorum 47. eod. C. qu. 1.*

(1) Nam Lucius III. in *cit. cap. ad abolendam 9. de haeret.* decrevit *illos quoque, qui post abiurationem erroris, vel postquam se proprii Antistitis examinatione purgaverint, deprehensi fuerint in abiuratam haeresim recidisse, saeculari iudicio sine ulla penitus audientia relinquendos.* Novam qui haeresim amplectatur, uti relapsum iudicari sanxit Alexander IV. Inquisitoribus haereticae pravitatis rescribens in *cap. accusatus 8. §. eum vero de haeret. in VI.* Honorius III. autem Archiepiscopo Tyrensi rescripsit, ut apostatas in custodia detentos, qui nec minis, nec blanditiis ad resumendum religionis habitum inducerentur, posset *sub gravi custodia* retinēre, *ita quod solummodo sibi vitae misera reservetur, donec a suae praesumptionis nequitia resipiscant, cap. a nobis 2. de Apostatis* in V. comp. Decretal. apud Cironium.

(2) Ex Paulli IV. *const. cum quorumdam.*

(3) Ex Clementis VIII. *const.* edita an. 1603.

(4) Greg. IX. in *cap. excommunicamus 25. in fine de haeret.*

(5) Alex. IV. in *cap. quicumque 2. eod. tit. in VI.*, excommunicatos ipso facto eos declarat, qui haereticos, eorumque fautores ecclesiasticae tradere sepulturae praesumpserint; et non absolvendos, nisi propriis manibus e tumulo extracta proiecerint corpora damnatorum. At Marcianus Imp. in *l. humanum 9. C. de haereticis* permiserat haereticos legitimis sepulchris sepeliri, humanum id, et pium arbitratus.

(6) *Omnes haereticos. . . perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus,* ait Imp. in *Auth. Gazaros C. de haereticis.*

(7) Constantinus Imp. in *l. 1. C. eodem*, *privilegia*, inquit, *quae contemplatione Religionis indulta sunt, catholicae tantum legis observatoribus prodesse oportet: haereticos non solum ab his privilegiis alienos esse volumus, sed etiam diversis muneribus constringi, et subiici.* Puta onerosis tum militiae, tum personalium, et realium officiorum, ex Theod., et Valent. *l. Curiales 7. C. eodem.* Hinc Iustinus, sive Iustinianus in *l. haeretici 14. C. eodem haeretici*, ait, *collectas facere non possunt, parasynaxes, aut Synodos, aut ordinationes, aut baptismata, aut exarchos habere, aut abbatias, aut defensiones instituere, aut curare, seu administrare villas per seipsos, aut per interposi-*

do testimonio (1), tametsi in eos quilibet etiam infamis ad testificandum admittitur (2). IX. Incapacitas quum testamenta, et donationes, et contractus faciendi, tum accipiendi hereditates, ac legata, donationesque (3). X. Confiscatio bonorum omnium (4). XI. Exilium (5). XII. Ultimumque tandem supplicium (6). Poenas etiam has corporeas citra mortem maximopere commendant Patres, utpote proficuas deterrendis haereticis, et schismaticis, eisque ad Ecclesiae gremium reducendis (7).

XXV. Abluitur autem crimen haeresis resipiscentia, erroris abiuratione, professione Fidei catholicae quum voce, tum scripto libello emit-

tas personas, aut quid prohibitorum facere. Iustinianus privilegia dotis, aliaque mulieribus lege concessa ademit his, quae catholicam non participant communionem, *Nov. 119. cap. 1.*, unde sumpta est *Auth. item privilegium C. de haeret.*

(1) Imperator item sanxit *contra orthodoxos quidem litigantes nemini haeretico, vel his etiam, qui iudaicam superstitionem* colunt, esse *in testimonia communionem... inter se autem haereticis, vel Iudaeis* collitigantibus concessit testimonia proferre: at in testamentis, et contractibus haereticum adhiberi testem indulsit *l. quoniam 21. C. eodem.*

(1) Bonifacius VIII. *cap. in fidei 5. eod. tit. in VI.*

(3) Ex Imp. Friderici const. in *Auth. credentes C. de haereticis*, et Theodosii *l. manichaeos 4. C. eod.*, quam laudat S. Augustinus *lib. contra Parmenionem.* Id in ultimis quoque militum voluntatibus locum habere voluit Iustinianus in *l. divinam 22., et ult. C. eod.* et Conc. African. in *cap. si quis Episcopus 5. eod. tit.* At vero Theod., Arcad., et Hon. in *l. manichaeos 4. §. 6. C. eodem*, filiis orthodoxis, aut a paterna pravitate discedentibus ius integrum adeundi hereditatem parentis haeretici relinquit. Nedum ex testamento, sed etiam ab intestato, ex graeca Iustini, seu Iustiniani constitutione in *l. haeretici 13., et l. cognovimus 19. C. eodem.* Innoc. III. autem in *cap. vergentis 10. de haeretic.* censuit, quod *orthodoxorum exheredatio filiorum* quasi cuiusdam miserationis praetextu impedire confiscationem non denegat.

(4) Ex *cit. l. manichaeos §. 1. et Auth. Gazaros C. eodem.*

(5) Theod., et Valentin. in *l. Ariani 5. C. eod.* sanxit, ut Manichaei de civitatibus pellantur, et in Romano imperio nullibi habeant convivendi, morandique facultatem. Fridericus in *cit. Auth. Gazaros*, et infames, et *bannitos* ab omnibus haberi omnes haereticos edixit.

(6) Ex supra expositis legibus *num. XII., et seq.*

(7) S. Augustinus in *can. schismatici 1. C. 23. qu. 6., si per potestatem* ait, *quam per religionem, ac fidem Regum, tempore quo debuit, divino munere accepit Ecclesia, ii, qui inveniuntur in viis, et sepibus, idest in haeresibus, et schismatibus coguntur intrare: non quia coguntur, reprehendant; sed quo cogantur, attendant.* Et rursus in *can. si vos 35. C. 23. qu. 5.*, separatos ab Ecclesiae unitate sacrilego schismate alloquens, *vos impii, atque sacrilegi*, ait; *illi autem, qui vos pro tanto scelere tam leviter damnorum admonitionibus, vel locorum, vel honorum, vel pecuniae privatione deterrendos, coercendosque decernunt, ut cogitantes quare ista patiamini, sacrilegium vestrum cognitum fugiatis... et rectores diligentissimi, et consultores pissimi deputantur.* Idemque fusius eadem *C. 23. qu. 7.* probat haereticos, et suis, et Ecclesiae bonis iure merito expoliari. Consonant Pelagius Papa ad Narsetem in Italia ducem in *can. de Liguribus 43., et seqq. eadem C. et qu. 5.*, Liberius ad Athanasium in *can. qui contra 32. C. 24. q. 1.*, Innoc. III. in *cap. vergentis 10. de haereticis*, Bonif. VIII. in *cap. decrevit 14. eod. tit. in VI.*

tenda (1) : cuius formam oportet ita concipi , ut probe congruat eiurando quum speciales haereses in iudicium delatas , tum omnes generatim (2).

XXVI. Lapsos ultro in haeresim , Fideique desertores , ab Ecclesia damnatos prisci canones in communionem recipi fere non indulgebant , nisi post peractam diu publicam poenitentiam , quae aliorum seductoribus , et haeresiarchis diuturnior indicebatur (3). Synodus Arelatensis I. apostatis , qui poenitentiam sani non egissent , communionem in infirmitate postulantibus dari absolutionem vetuit in exitu etiam

(1) Conc. Niccan. in *can. si qui voluerint 8. C. 1. qu. 7.*, ita decrevit : *si qui voluerint venire ad Ecclesiam catholicam, et apostolicam ex Novatianis: placuit sancto Concilio, ut ordinentur, et sic maneant in Clero. Ante omnia autem hanc ab eis* confessionem per scripturas *exigi oportet, ut fateantur se communi consensu Ecclesiae catholicae, et apostolicae statuta observaturos.* Ex capitulis Martini Bracarensis *nullus Episcopus in communionem recipiat* excommunicatum quemlibet haereticum, *nisi prius in communi concilio, porrecto fidei suae libello satisfaciat omnibus, et ita liberam suam teneat purgationem, can. si quis Episcopus 22. C., 1. qu.* 7. Consonat Synodus VII. in *can. convenientibus 4. ead. C. et qu.* S. Leo M. Maximum Donatistam Episc. iam a spiritu schismaticae pravitatis alienum ea lege non repellendum ab episcopali dignitate censuit, *ut et ipse libello ad nos directo*, ait, *catholicum se esse manifestet, can. Maximum 19. ead. C., et qu.* Pariter de Donato cum sua plebe converso rescribens (in *sequ. can. Donatum 20.*) *libellum fidei suae ad nos*, inquit, *meminerint dirigendum , quo et Novatiani dogmatis damnat errorem , et plenissime confiteatur catholicam veritatem.* Tum in *sequ. can. saluberrimum 21.*, generatim rescripsit, *ut qui ad catholicam Fidem, quam iampridem amiserant, rursum reverti ambiunt; prius errores suos, et ipsos auctores errorum damnari a se sine ambiguitate fateantur.* Lucius III. in *cap. ad abolendam 9. de haereticis* haereticos poenis canonicis, et legitimis plectendos in iudicio sanxit, *nisi continuo*, ait, *post deprehensionem erroris ad Fidei catholicae unitatem sponte recurrere, et errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis publice consenserit abiurare, et satisfactionem congruam exhibere.*

(2) Formam iuramenti, et professionis Fidei redeuntibus a schismate tradit S. Gregorius M. in *can. quoties 9. ead. C. et qu.* Berengario Andegavensi diacono Nicolaus II. in Romana Synodo *can. ego Berengarius 42. de consecr. dist. 2.* Conc. Laodicenum *can. 7. de his, qui ab haereticis convertuntur*, ait, *non ante suscipiantur, quam omnes haereses anathematizent, et praecipue illam, qua detinebantur.* Genericam , et communem cunctis etiam beneficia , et dignitates cum animarum cura ingressuris proposuit Pius IV. in *const. iniunctum nobis* in appendice Conc. Trid.

(3) Inter canones poenitentiales Theodori ad calcem Decreti Gratianaei impressos *can. 41.* haec habet: *Si pro damnatione Ecclesiae Catholicae, et pro consuetudine Romanorum proiiciatur ab Ecclesia sicut haereticus , si sit impoenitens : alioqui poeniteat decem annis. Si autem relicta Ecclesia ad haereticos transierit, et alios ad hoc induxerit, poeniteat duodecim annis , tribus extra Ecclesiam , septem inter audientes , duobus extra communionem, et sic duodecimo anno communionem, sive oblationem percipiat.* Canonem hunc Iulio Papae inscriptum quoque fert Gratianus in *can. si quis dederit 41. C. 24. qu. 1.* Tertullianus *lib. de pudicitia cap. 5.*, *constitit idolatra*, inquit, *adsistit homicida, in medio eorum adsistit, et moechus, pariter de* poenitentiae *officio sedent in sacco, et cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiant, eisdem genibus exorant, eamdem invocant matrem.*

vitae : nisi revalescentes ostendissent dignos poenitentia fructus (1). S. Leo M. apostatas a Fide *ad communionem, nisi per poenitentiam publicam non admitti* rescripsit (2). Presbyteros, diaconosque ad rectam fidem, quam deseruissent, regressos in communione laica sistebant, neque ad ordinum gradus ecclesiasticos redire patiebantur (3) : nisi dispensationis gratia restitui aliquos in pristinum suaderet canonica aequitas (4).

XXVII. Haereticorum alios *natos*, aliosque *factos* distinguere heic oportet. *Natos* enim alienis, et praecipue parentum erroribus abreptos consuevit Ecclesia in gremium suum cito recipere publicam iis poenitentiam relaxans, ubi eos abiurata haeresi catholicam fidem sincere professos ad se redire conspiceret. *Factos* autem suo lapsos errore publicam subire poenitentiam adigebant, et poenas canonicas exolvere pro qualitate pertinaciae, et conditione temporum, personarumque moderatas.

XXVIII. Ex his *dubios*, et *suspectos*, ut a *manifestis* haereticis insuper discernamus, ratio postulat. *Dubius in fide infidelis est* ex canonum sententia (5) : quum certitudo fidei nostrae nullam omnino ferat lure divino haesitationem (6). Qui nimirum de veritate alicuius

(1) Synod. Arelatens. I. an. 314. *can. 22.* et Conc. Eliberitanum an. 305. *can. 1., et 2.*

(2) S. Leo *ep. 92.* ad Rusticum Narbonens. Episc., *qui convivio solo gentilium*, ait, *escis immolatitiis usi sunt, possunt ieiuniis, et manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes Sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoravere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt: ad communionem eos, nisi per* poenitentiam publicam, *non oportet admitti.*

(3) *Qui contra altare unum, atque divinum sacrificia foris falsa, ac sacrilega offerre conati sunt: eos quoque hac conditione suscipi convenit, cum reverluntur, ut communicent laici, et satis habeant, quod admittantur ad pacem, qui hostes pacis extiterint*, scripsit S. Cyprianus in *can. si qui presbyteri 1. C. 2. qu. 7.*

(4) S. Cyrillus Alexandrinus post *can. didici 15. eadem C., et qu.* ad Maximum diaconum Antiochenum, haec ad suae calcem epistolae scripsit: *Si sunt qui a Nestorio aliquando steterunt, nunc vero ex animo resipiscentes a nugis illis discedere, mutataque voluntate rectam, inculpatamque fidem complecti cupiunt; eos placide suscipere oportet, nec cuiquam illorum, praeteritorum gratia, conviciun facere: ne qua ratione ansa quibusdam praebeatur, ut cunctantius ad meliora festinent.* S. Athanasius *ep.* ad Rufinianum *act. 7.* Synodi oecumenicae: *non modo comministris*, ait, *qui per Graeciam passim habetant, verum etiam in Gallis, et Hispania communi decreto placuit, ut et hic, et ubique gentium quicumque lapsi fuissent proprio arbitrio, et* antesignani *fuissent impietatis, si resipiscerent, ignoscendum quidem illis; verum non restituendos in Cleri numerum. Qui vero non auctores, sed necessitate, et violentiae compulsi fuissent, visum est illis quidem ignoscendum, et in Cleri locum restituendos.*

(5) Stephan. *in cap. dubius 1. de haereticis.*

(6) *Coelum, et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt*, Christus ipse ait Matth. *cap. 24. vers. 35. Numquid incredulitas hominum fidem Dei evacuabit? absit: est enim Deus verax, omnis autem homo mendax*, Apostolus docet scribens ad Romanos *cap. 3. vers. 3., et 4.* Sit unusquisque fide-

dogmatis ab Ecclesia catholica traditi haesitans conceptam deponere dubitationem renuat pertinaciter : hunc velut haereticum damnant canones. Secus autem de iis iudicandum , qui pravam dubitationem suggestionibus, vel ignorantia, seu errore involuntario exortam suo non adprobant animo ad rectam fidem proclivi ; aut de dubio dogmate ab Ecclesia non definito ita disputant ancipites , suum ut animum futuro Ecclesiae iudicio obsequentissimum spondeant (1). In hisce dubiis *Iuris* quaestio est.

XXIX. Ad *suspectos* autem iudicandos usuvenit quaestio *facti* multiplex, variis ex adiunctis rerum decernenda. Etenim suspicio *levis* ex levibus coniecturis , infirmisve indiciis ducta eos, qui suum in iudicio dubium crimen abnegent , facilius diluitur sincera fidei professione , nullamque valet haeresis externam notam inurere (2). Tametsi Imperatores censuerunt *haereticorum vocabulo* contineri , *et latis adversus eos sanctionibus succumbere , qui vel* levi *argumento a iudicio catholicae religionis, et tramite detecti fuerint deviare* (3). Sane Lucius III. , et Innocentius III. inventos sola suspicione notabiles arbitrio Episcopi ad ostendendam congrua purgatione innocentiam admittunt (4). Ad classem hanc spectare videntur insordescentes ad annum , et ultra in excommunicatione, et contemptu clavium Ecclesiae: *quum huiusmodi pertinacia non careat scrupulo haereticae pravitatis*, inquam cum Honorio III. (5). *Excommunicatus vero quicumque* , addit Synodus Tridentina , *si post legitimas monitiones non resipuerit ... et obdurato animo censuris innexus in illis per annum insorduerit , etiam contra eum tanquam de haeresi* suspectum *procedi possit* (6).

lium ex B. Iacobi epistola *cap. 1. vers. 6., in fide nihil haesitans : qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur.* Propter ea *nisi quis fideliter , firmiterque crediderit , salvus esse non poterit* ex B. Athanasii symbolo.

(1) Ex supradictis *num. XXV.*

(2) S. Cyrillus in *cit. ep.* ad Maximum, *Perpendat igitur aequitas tua* , inquit, *utrum tandem, qui dicuntur convenire* , palam, *atque* impudenter *Nestoriana, et sentiant, et cum aliis etiam loquantur : an aliquando quidem* cauteriatam *habuerint* conscientiam , *nunc etiam ideo conveniant, quod ipsos poenituerit erratorum, quibus simul abrepti fuerant, pudeat autem fortasse lapsum suum* fateri. *Solet enim fere tale quiddam iis , qui decepti sunt , usuvenire. Quod si illos nunc ad rectam fidem conversos videas, malorum praeteritorum memoriam depone. Malumus enim eos videre* negantes , *quam defendentes Nestorii vitia.*

(3) Grat. Valentin., et Theodos. in *l. omnes 2. §. 1. C. de haereticis.* Hanc porro legem plerique sentiunt in eos latam , qui in aliquo etiam *levi* , hoc est minimo fidei articulo aberrant.

(4) Luc. III. in *cap. ad abolendam 9. de haereticis* ait : *qui vero inventi fuerint sola* suspicione *notabiles , nisi ad arbitrium Episcopi iuxta considerationem* suspicionis, *qualitatemque personae , propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, simili sententiae subiacebunt.* Id quod iisdem verbis firmavit Innoc. III. in Conc. gen. *cap. excommunicamus 13. §. qui autem eod. tit.*

(5) Honor. III. in *cap. gravem 13., et ult. de poenis.*

(6) Trid. in *cap. quamvis excommunicationis gladius 3. in fin. sess. 25. de reform.*

XXX. At *vehementem* ubi efficiant suspicionem indicia graviora, tunc poenas haereticorum *suspecti* non eludunt. Propterea transilientes, vel regressos ad ritum Iudaeorum, eorumque fautores; perinde ac fautores, receptatores, et defensores haereticorum, tamquam haereticos aequa lance damnandos quoties id confessi, vel convicti in iudicio fuerint, censuit Alexander IV. (1). Simul et contumaces in caussa fidei excommunicatos, qui per annum pertinaci animo censuram sustinuerint: *quum contumacia suspicioni praesumptionem adiiciat vehementem* (2). Idem hinc Pontifex *magnam*, *et vehementem* de haeresi suspicionem asperiori iudicio, quam *levem*, et *modicam* expendit (3).

XXXI. Ne quis curator animarum haereat anceps, an debeat supectae fidei hominibus praesertim aegris sacram Eucharistiam administrare: ea norma utatur, quam summus Ecclesiae magister Benedictus XIV. Clero Gallicano tradidit in refractarios Bullae *Unigenitus*. Publicos, et notorios a suspectis, et occultis secernens, iis constanter deneget, his vero ministret Sacramentum pacis, et communionis. Publicos, primum, ac notorios eos putet, quos iudex competens sententia in iudicio rite prolata lapsos iam declaraverit, sive sponte confessos, sive convictos, nec non qui suam perfidiam adhuc profiteantur palam, et publice; aut aequipollentia signa pertinaciae suae ita evidenter praeferant, ut obduratum in errore animum suum ostendant morali certitudine. Alios non item, quoties crimen in eos vulgatum, illiusque probatio nititur coniecturis, praesumptionibus, incertisque rumoribus plerumque fallacibus. Inter hos qui ad mensem eucharisticam consueverunt sani accedere paschali, praesertim tempore, ab ipsa infirmi non sunt arcendi: ceteros urgentibus licet indiciis suspectos minister prudens antea remotis arbitris sedulo admoneat, sese iudicium sibi manducaturos, nisi ex corde resipiscant, divinum epulum iam iam accepturi (4).

XXXII. *Si quis clericus*, *aut laicus synagogam Iudaeorum*, *aut haereticorum conventiculum ingressus fuerit*, *ut preces cum illis coniungat*, *deponitor*, *et a communione secluditor*, ex priscis canonibus (5). Civiles etiam leges haereticis templa, et loca publica, congregationes, synaxes, litanias vetant (6).

§. I. *De Iudaeis Saracenis aliisque infidelibus.*

XXXIII. Tametsi cunctos extra Ecclesiam natos quum Hebraeos,

(1) Alex. IV. in *cap. contra Christianos 13. de haereticis in VI.*
(2) Idem in *cap. cum contumacia 7. eod. tit. in VI.*
(3) Idem in *cap. accusatus 8. eod. tit. in VI.*
(4) Benedict. XIV. in *ep.* decretali ad Clerum Gallicanum data 16. Octobris 1756., seu *const. ex omnibus 61. to. 4.* Bullarii sui. Praedocuit S. Augustinus *non temere, aut quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiae communione: ut si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potius. can. multi 18. C. 2. qu. 1.*
(5) *Can. 63.* vulgo Apostolorum.
(6) Arcad., et Honor. in *l. cuncti 3. C. de haereticis*, Iustinian. *Nov. 32.*

tunc Paganos iudicio Domini d relictos Ecclesia non iudicat (1) : verumtamen optata eorum conversio ad fidem, et publica christianae Reipublicae utilitas faciunt, ut fidelibus liceat cum iis habere colloquia, et convivia ad normam canonum, et legum. *Infideles non possumus Christi lucrari*, docet S. Augustinus, *si eorum colloquium vitamus, et convivium. Unde et Dominus cum publicanis, et peccatoribus manducavit, et bibit. In his vero infidelibus, qui intus sunt, putredo resecanda est* (2). Apostolus enim cum fratribus nostris maledicis, ebriosis, rapacibus, idolis servientibus prohibet nos *commisceri*, aut *cibum sumere* (3) *: si quis vero*, ipsemet addit, *vocat vos infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam* (4). Alias quoque rationes huiusce rei adfert S. Augustinus: *Per omnes gentes dispersi sunt Iudaei*, ait, *testes iniquitatis suae, et veritatis nostrae Ipsi habent Codices, de quibus prophetatus est Christus, et nos tenemus Christum. Et si quando forte aliquis paganus dubitaverit, cum eis disserimus prophetias de Christo, de Codicibus Iudaeorum probamus. Librarii denique nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos Codices ferre* (5). Et rursus inquit, *Ecclesia catholica utitur gentibus ad materiam operationis suae, haereticis ad probationem doctrinae suae, schismaticis ad documentum stabilitatis suae, Iudaeis ad comparationem pulchritudinis suae* (6).

XXXIV. Idipsum suadet comperta commercii publici utilitas cum exteris nationibus (7), et commune societatis humanae vinculum. Nam *aliquando quae in contractibus civilibus consistunt, propter utilitatem necessarii, usus sine ulla distinctione permittuntur iis, quibus alias permitti non deberent*, Iustinianus commonuit (8).

(1) I. ad Corinth. *cap. 5. vers. 12. quid mihi*, ait Apostolus, *de iis, qui foris sunt, iudicare, nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit.*

(2) S. August. in *can. infideles 17. C. 23. qu. 4.*

(3) I. ad Corinth. *cit. cap. 5. vers. 10., et seq.*

(4) Ibidem *cap. 10. vers. 27.* Id explicans B. Chrysostomus in *can. ad mensam 24. C. 11. qu. 3.*, inquit ; *ad mensam paganorum, si volueritis ire, sine ulla prohibitione permittimus . . .* (si enim quis frater, *inquit* Apostolus, nominatur inter vos) *fratrem in hoc loco omnem fidelem simpliciter intellige, non monachum tantum. Quid autem est, quod facit fraternitatem, nisi lavacrum regenerationis ?... Cum autem de paganis ageret, non ita.*

(5) S. Aug. *in psalm. 56. serm. 77.*

(6) Idem *lib. de vera relig. cap. 6.* In Iudaeos haec Prudentius *vers. 608.*

Exiliis vagus huc, illuc fluctuantibus errat
Iudaeus, postquam patria de sede repulsus
Supplicium pro caede luit, Christique negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.

(7) Commendant commercii usum in primis Plato *lib. 1. de republica*, Petrus Gregorius *eod. tract. lib. 1. cap. 2., et 3.*, Bodinus *lib. 1. cap. 6.*, ceteri.

(8) Iustinian. in *l. quoniam 21. C. de haereticis.* Alexander II. in *can. dispar. 12. C. 24. qu. 8.* Episcopi Hispaniae rescripsit in Saracenos, qui Christianos persequuntur, iuste pugnari: secus in Hebraeos, qui *ubique servire parati sunt.*

XXXV. Hinc est, cur speciatim Hebraeis habere domicilia in Christianorum regionibus indulserint quum Principes catholici, ut paganos sileam (1), tum Romani Pontifices. Arcadio, et Honorio placuit, ut *Iudaei communi Romano iure viventes in caussis, quae tam ad superstitionem eorum, quam ad forum, et leges; ac iura pertinent, adeant solemni more iudicia, omnesque Romanis legibus conferant, et excipiant actiones* (2). Mox Honorius, et Theodosius ut ne Iudaei laederentur, neve insolescerent, sanxere (3). Tum Theodosius, et Valentinianus eis veteres tantum synagogas restaurare hoc pacto indulserunt, ut novae nullatenus erigerentur (4). Permultas idcirco leges de Iudaeis qua coercendis, qua tuendis, habet Codex Iustiniani.

XXXVI. Multos plures editae insuper in eos, et pro eis ecclesiasticae constitutiones huc una conspirantes, ut periculum subvertendi fideles, omnisque iniuria christianae Religionis amoveatur a susceptis ubivis Hebraeorum domiciliis. Synodus Agathensis convivia Iudaeorum clericis, et laicis ex eo vetuit, quod cibos a Christianis oblatos ii tamquam immundos contemnerent (5). Toletana IV. baptizatos Iudaeorum filios a parentum consortio separandos decrevit, ne corrumperentur in fide (6) : nullamque cum perfidis suae nationis communionem conversos ad fidem habere (7). Sexta Synodus oecumenica interdixit christiano cuilibet azyma Iudaeorum comedere, cum iis cohabitare, in balneo lavari, quempiam illorum sua in aegritudine adsciscere, medicinam ab eis accipere (8). Ut mancipium christianum, quod Iudaeus emerit, duodecim solidis redimatur, ne serviat blasphemo Christi,

(1) *Eos, qui Iudaicam superstitionem sequuntur*, Impp. *Verus, et Antoninus honores* (puta decurionatus) *adipisci permiserunt*; *sed et necessitatem eis imposuerunt, quia superstitionem eorum non laederent*, Ulpianus tradit in *l. generaliter 3. D. de decurionibus*. Decurionatus enim potius onus est, quam honor, quadam velut necessitate subeundum, *l. si quis magistratus 9. D. de munerib., et honor.* Idemque Antoninus In *l. 1. C. de Iudaeis, et caelicolis* rescripsit de universitate Iudaeorum Antiochiae constituta. Coelicolas autem ideo appellabant Iudaeos ; quia ut canit Iuvenalis *sat. 14. vers. 19. nil praeter nubes, et coeli numen adorant.* Simul Petronius in *catalectis* Iudaeum irridens concinit, *et coeli summas advocat auriculas.*

(2) Arcad., et Honor. in *l. Iudaei 8. C. de Iudaeis.* Tum Honor., et Theod. in *l. si qua 15. C. eod.* contentiones inter Christianos et Iudaeos non a senioribus Iudaeorum, sed ab ordinariis iudicibus dirimendas rescripsit. Hinc Robertus Maranta noster in *spec. aur. par. 4. dist. saeculare, vel Ecclesiasticum num. 67.*, arguit Iudicem laicum de caussa etiam spirituali inter Iudaeos incidente cognoscere: quum eos non curet Ecclesia iudicare. Alexander III. in Conc. Lateran. III. *cap. Iudaei 21. de testibus* decernit *testimonium Christianorum adversus Iudaeos in omnibus caussis* (*cum illi adversus Christianos testibus suis uti praesumant*) *recipiendum esse.*

(3) Hon., et Theod. in *l. nullus 14. C. eod. tit.*

(4) Theod., et Valent. in l. *haec valitura 19.*, *et ult. C. eodem.* Id firmavit S. Greg.M.in *cap.Iudaei 3.de Iudaeis.*,*et* Alexander III.in *cap.consuluit 7.eod.tit.*

(5) Syn. Agathens. in *can. omnes 14. C. 27. qu. 1.*

(6) Toletana IV. in *can. Iudaeorum filios 11. eod. C. et qu.*

(7) In seq. *can. saepe malorum 12.*

(8) Sexta Synodus in seq. *can. nullus eorum 13.*

cautum in Synodo Matisconensi I. (1). Retinere si quis Iudaeus audeat servos christianos, in libertatem afferendos fore: colonos autem originarios pro loci conditione retinendos rescripsit B. Gregorius M. (2). Tum Lateranense III. Concilium sub Alexandro III. anathemate sanxit, ne contubernales cum Iudaeis christiani essent, nec suum iis operam assiduo famulatu locarent, nec hebraeos infantes in eorum domibus nutrices christianae lactarent (3). Idem Pontifex ut ostia, et fenestras Iudaei toto Parasceves die clausas tenerent iussit (4). Innocentius III. in Concilii generalis Iudaeis, et Saracenis distinctum gerere habitum, quo a fidelibus discernantur, in omni christiana provincia imperavit: vetuitque prodire in publicum Dominica Passionis, diebusque lamentationis (5); necnon officia publica, seu magistratus in christianos adsumere (6).

XXXVII. Post urbis Ierosolymitanae excidium profugos Iudaeos, dispersosque in occidentalibus quoque regionibus novas sibi sedes quaesivisse, intra romani etiam imperii fines romanorum Principum clementia vel toleratas, vel concessas, compertum est (7). Lapso Romanorum imperio colluviem Iudaicam in Italia gliscentem coaeva indicant monimenta. Theoricus enim Rex multa Hebraeis per Italas regiones effusis privilegia largitus est (8). Apud Gallos Imperatores gratiam tan-

(1) Conc. Matiscon. I. in *cap. 1. de Iudaeis.* Idque rescripsit etiam Gregorius IX. in *cap. nulli 19., et ult. eod. tit.*

(2) Greg. M. in *cap. multorum 2. eod tit.* Synodus Ravennatensis an. 1311. decrevit gestandum a Iudaeis *certum signum*, quo possent a christianis discerni, nec alicubi recipiendos ad incolatum ultra mensem, nisi in locis, ubi sinagogam haberent.

(3) Conc. Lateran. III. in *cap. Iudaei 5., et cap. tit. adhaec 8. eodem tit.*

(4) Alex. III. in *cap. quia super his 4. eod. tit.*

(5) Innoc. III. in *cap. in nonnullis eod. tit.*

(6) Idem in sequ. *cap. cum sit minus 16.* Idipsum firmavit Gregorius IX. in *cap. ex speciali 18. eod. tit.*

(7) Ex Veri, et Antonini lege, quam tradit Ulpianus in *cit. l. generaliter 3. D. de decurionibus.* Eiusdem Antonini Pii rescripto permissum Iudaeis filios circumcidere suos: qui tamen viros non eiusdem religionis circumciderint, castrantis poena afficiendos fert Modestinus in *l. circumcidere 11. D. ad leg. Cornel. de Sicariis.* Petrus Cuneus *de republ. Hebraeor. lib. 1. cap. 7.* scribit, quod Iudaeis Hadrianus Imp. secundo aerae Christianae saeculo permisit, *uti semel in anno audirent sanctae urbis* Ierosolymorum *deformes reliquias, atque ibi lugerent, deplorarentque miseram gentis suae sortem;* instar luctus filiae Iephte anniversarii in Israel, quem sacer textus habet Iudicum *cap. 11. vers. ult.* Eo etiam aevo vilem Iudaeorum conditionem in urbe Roma fert Iuvenalis *sat. 3. vers. 13., et 14.*, ita canens.

Nunc sacri fontes, nemus, et delubra locantur
Iudaeis, quorum cophinus, foenumque suppellex.

Adde posteriores Christianorum Principum leges de Iudaeis in Codice Theodosiano, et Iustinianaeo vulgatas, nimirum Constantini M. Gratiani, Valentiniani, Theodosii, Arcadii, Honorii, et Iustiniani. De Samaritanis Iudaeorum sobole schismatica item loquitur Iustinianus *Nov. 129.*, et Iustinus *Nov. 144.*

(8) Apud Cassiodorum *lib. 5. ep. 37.* Rutilius Numantianus in *suo itinera-*

tam inivere famulatu mercaturae, ut maximopere insolescerent (1).

XXXVIII. Per Siculas, et Neapolitanas interea provincias eatenus excreverunt Hebraeorum coloniae, ut plura earum loca illius perfidae nationis vocabulo *Iudaeas* passim nuncuparent. Rogerius Apuliae Dux anno 1090. donavit Salernitano Archiepiscopo *totam Iudaeam huius nostrae* (inquit) *Salernitanae civitatis cum omnibus Iudaeis, qui in hac eadem modo habitantes sunt, et fuerint* (2). S. Henricus Imperator Casinense monasterium quum adisset dolore illum vexatus, mox acceptam curationis gratiam S. Benedicto remuneraturus inter alia, quae obtulit dona, redemit a Iudaeis pretiosam vestem eis pignori datam pro quingentis aureis (3). Hinc historiae civilis Neapolitanae auctor procul vero putavit commigratos huc Iudaeos non ante saeculum XII. (4). Friderici Imperatoris constitutio *de defensis* (eas nunc nostri appellant *mandata poenalia* de personis non offendendis, possessionibusque non turbandis) regium patrocinium, tutelamque Iudaeis etiam, et Saracenis quum aperte indulsisset, ne ipsi opprimerentur innoxii (5): sat patefacit utrosque in hisce regionibus iamdiu propagatos. Addit Richardus a S. Germano legem ab eodem Imperatore latam *contra Iudaeos, ut in differentia vestium, et gestorum a christianis discer-*

rio, quod saeculo V. scripsit, arrogantiam Iudaeorum perniciosam brevi disticho insectatur.

Latius excisae pestis contagia serpunt,
Victoresque suos Natio victa premit.

(1) S. Galli Monachus *de gestis Caroli M. lib. 1. cap. 18.* maximam cuiusdam Iudaei familiaritatem cum Carolo M. enarrat, *qui terram repromissionis saepius adire, et inde ad Cismarinas provincias multa pretiosa, et incognita solitus erat adferre.* Agobardus Lugdunensis Episcopus ad Ludovicum Pium Aug. libellum *de insolentia Iudaeorum* inscripsit, alterumque ea ipsa de re composuit Amolon eius successor. Videsis L. A. Muratorium *de antiqu. Ital. dissert. 16.* In vita B. Nili Rossanensis, qui floruit prope finem saeculi X. Abbas Ord. S. Basilii in Calabria, a P. Martene fertur Hebraeus rediens a negotiatione interemptus, eiusque *occisor Iudaeis traditus, ut pro interfecto homine crucifigatur:* qui tamen beneficio B. Nili supplicium evasit.

(2) Ex diplomate Ducis Rogerii, quod refert Muratorius *loc. cit.* Uni ex regionibus huiusce urbis Neapolitanae adhuc exinde adhaeret vocabulum *iudeae*, *la Giudeca*, praeter alias alibi.

(3) Leo Ostiensis *lib. 2. Chron. Casinens. cap. 43.*, pia S. Henrici munera enumerans, *recollegit a Iudaeis*, ait, *vestem unam de altario S. Benedicti, quae quondam fuerat Caroli Regis, quam iidem Iudaei, retinebant in pignore pro quingentis aureis.* Idem Henricus V. Imp. Romam an. 1111. ingressus, *ante portam a Iudaeis, in porta a Graecis cantando exceptus* fertur a Petro Diacono *chron. Casinens. lib. 4. cap. 37.* Alexandro III. Pontifici quoque obviam iverunt Hebraei *cum signiferis, scriniariis, iudicibus, et Clero, legem suam deferentes in brachiis*, ex Murator. *loc. cit.*

(4) *Lib. 3. hist. civ. cap. 1.*

(5) Fridericus in huius regni *const. si quis in posterum lib. 1. tit. 18. de defensis impositis* ita edixit: *Iudaeis, et Saracenis etiam, et pro eis aliis Officialibus nostris scilicet in praescriptis casibus imponendi defensas concedimus facultatem, quos non propterea quod Iudaei, vel Saraceni sunt, arctari volumus innocentes.*

nantur (1). Petro Aragonio Regi Messanam urbem ingresso an. 1282. occurrerunt *Synagogae Iudaeorum legem aperientes* (2). Ex rescripto Ioannae II. ad Ludovicum Andegavensem Calabriae Ducem dato die 18. Octobris 1429., trientem nummi aurei quum singuli Iudaeorum utriusque sexus persolvissent, ad compensandos reipublicae Christianae sumptus in sacro bello contra Turcas, qui suadentibus Asiae Iudaeis Terram sanctam occupaverant: immensa exinde pecunia coacervata est (3). Ad maiorem illius generis cumulum accessere huc turmatim alii Hebraeorum, quos Hispaniis omnes expulsit Ferdinandus catholicus anno 1492. (4). Tum Carolus V. eos hinc quoque abigere meditatus legem imperavit primum de domiciliis eorum Neapoli, alibique in Regno unum in locum cogendis, coloratoque tegmine capitis palam gestando (5): ne promiscuus eorum convictus contagione scelerum christianos inficeret: mox regiis edictis a Petro de Toledo Prorege latis reapse expulit (6).

XXXIX. Audax eorum perfida, nefariorum facinorum origo indeficiens, nimia ex mutuis frequentissimis foenora christianas familias ad egestatem redigentia (7), assiduae populorum in eos querelae ipsis exterminandis caussam dederunt. Ut autem commoditas habendi mutuam pecuniam egenis regnicolis non deficeret: institutus paulatim in hac civitate a piis concivibus mons Pietatis (8), a quo eam gratis dato pignore accipiant hactenus ad summam usque ducatorum decem, pro quantitate maiori ducatos quinque in singulos 100. quotannis pendunt, ad compensandas impensas pii operis necessarias.

(1) Apud Muratorium *loc. cit.*

(2) Id tradit Barth. Neocastrensis *hist. cap. 53.*

(3) Ex relatis a P. Fiore *lib. 1. Calabr. illustr. par. 1. cap. 5. num. 3.*

(4) Summonte *hist. Neap. part. 4. lib. 7. cap. 4* P. Mariana *de reb. Hispan. lib. 26.*, eam enarrans expulsionem Hebraeorum ait: *centum, et septuaginta familiarum millia, quidam ad octingenta millia capitum secessisse aiunt, qui Africam, Italiam, et Orientis oras tenuerunt, ad quas copiarum Hispaniae magnam partem, aurum, argentum, vestemque pretiosam detulere.*

(5) Prima Pragmaticarum collectio edita Neapoli an. 1570., tum Venetiis an. 1590., in fine habet Caroli V. *Pragm. un. de Iudaeis*, datam Matriti die 11. Nov. 1539., promulgatam Neapoli a Petro de Toledo Prorege die 7. Febr. 1540. in posterioribus collectionibus omissam. *Quia perfidorum Iudaeorum cum Christianis conversatio, atque commixtio periculosa* (Imp. ait) *indecentia facinora producere plerumque consuevit, sique propterea inconveniens, quod alius non distinguatur ab alio: et ideo pro Dei servitio, et bono publico illos a civitate Neapolis, totoque regno decreverimus quam citius expellere: non obstante conventione cum eis per Proregem nostrum habita. Volumus interim donec id, quod decrevimus executioni demandetur, illos a christianis quoad possibile est, secernere etc.*

(6) Toppius *orig. tribunal. par. 2. lib. 1. cap. 4. num. 34.*

(7) Leo IV. in Conc. gen. an. 1215. *can. 68.* ea de re iamdiu id praecavendum censuit: *Quanto amplius christiana Religio ab exactione compescitur usurarum, tanto gravius super has Iudaeorum perfidia increbrescit, ita quod brevi tempore christianorum exhauriunt facultates...* Principes *a tanto gravamine Iudaeos studeant cohibere.*

(8) Caes. Eugenii Caraccioli *Neapoli sacra cap. del Monte della Pietà.*

XL. Utriusque Siciliae Rex Carolus, suos ut populos opibus augeret amplitudine commercii cum longinquis nationibus, solertioresque faceret negotiatores: proficuam reipublicae operam Hebraeorum putavit, quum illos ea in arte peritiores nonnulli praedicarent. Fidem idcirco publicam regio edicto Hebraeis dedit die 3. Febr. 1740., ad annos quinquaginta duraturam, ut eis liceret sua in hisce regnis, et provinciis domicilia figere, ac negotia exercere, multa propterea ipsis privilegia, immunitates, exemptiones, gratiasque largitus (1). Ad sex inde annos non alii Hebraeorum huc appulere, nisi pauperiores pecunia, censu, nominibus debitorum expertes, eo quidem animo, ut Christianorum opes usuris, aliisque improbis artibus abriperent. Itaque multas ab iis noxas, iacturas, perniciem, turbas in diem respublica nostra aegerrime tulit pro imaginaria commercii utilitate. Spe autem sua frustratus Rex optimus ex mala Hebraeorum fide, magistra rerum experientia in consilium adhibita, sese novit ab omni datae fidei vinculo solutum. Hinc abrogatis, quae indulserat, privilegiis, imperavit die 18. Septembris 1746., expulsionem Hebraeorum omnium intra menses novem perficiendam hac lege, ut nulla eis iniuria, molestia, ludibrium fieret. Idque populis alio edicto denunciavit die 30. Iulii 1747., ut plenam ubilibet sortiretur executionem.

(1) Regium istud edictum fidei publicae pro Hebraeis articulos 37. complectitur. 1., et 29., commeatum largitur immunis adventus, ac transitus, quinquagenariae morae, tum recolligendi intra quinquennium sarcinulas, nisi ad aliud ea tempus prorogaretur. 2., asylum, immunitatemque personalem, ac realem ab externis actionibus qua civilibus, qua criminalibus, usumque liberum coeremoniarum legis Iudaicae, vetitis tamen usuris quam manifestis, tum palliatis. 3, exemptionem a Consulibus artium. 4., privilegia, immunitatesque civium domiciliariis, exterarum nationum transeuntibus. 5., et 32., exemptionem a cunctis vectigalibus pro rebus usui eorum destinatis, et militum hospitio; at merces venales vectigalibus tantum fore obnoxias. 6. 7. 8. 11. 12., et 20. 21. 27. 28., ut in caussis civilibus eorum cum christianis, et criminum ultra relegationem capitalium Regio Delegato parerent, solvendo consuetas sportulas cum observatione feriarum sabathi: in ceteris inter ipsos Hebraeos emersuris magistri scholarum Hebraicarum iudicarent secundum ritus Mosaycos. 9., consulit sociis, et commissariis in casu decoctionum. 10., legitima dotium privilegia ad Hebraeas extendit. 13., quos delegati reviderint libros, retinere iis liceat. 14. Medicinam, et chirurgiam exercere, dummodo Christiano ea indigenti adsit Christianus etiam professor. 15. Utriusque artis lauream obtinere, clausis tamen ianuis, et praestito Hippocratis ut aiunt iuramento. 16. 30., et 36., singulas Neapoli, Panormi, et Messinae scholas Hebreas aperire, ubi suas ipsorum 40. familiae domos fixerint, in aliis urbibus saltem conscio Delegato, suosque Magistros constituere: et agrum ad sepelliendos mortuos habere. 17. Testamenta facere, intestatas vero hereditates iudicio Scholae disponendas. 28., et 19., quomodo eorum contractus probentur. 22. Pueros. 13. annorum sponte baptizatos portione legitima a parentibus Hebraeis non privandos. 23., servos christianam fidem amplexos in libertatem soluto dominis Hebraeis pretio revocandos. 34., nutrices, famulosque Christianos habere, in Hebraeorum domibus, nonnisi cum Ordinarii licentia cohabitaturos. 24., instar civium carnes emere, sibique lanienam habere. 25., cunctas exercere artes, et negotiationes. 26, arma non prohibita deferre. 33., nullisque iniuriis affici, 37., utque favorabilem pro iis interpretationem.

TIT. XV.

De sortilegiis et magiis.

I. Affines cum haeresi magiae, ac sortilegia cum superstitione sunt. Sors porro naturalis, *et* divina *secernenda est a* superstitiosa, *et* diabolica.

II. Sortis naturalis *purus, et simplex usus omni culpa vacat, divino, et humano iure probatissimus.*

III. Casus quippe fortuitos obvenientes ab ea ex Dei providentia solum expectant sortientes innocui.

IV. Quoties honeste ludunt aut caducas res ambiguae fortunae, aut mutua iura exponunt sine dolo, ac fraude, cum conditione pari, et aequa lance, in rebus dubiis, quae mentis consilium et rationem non exquirunt.

V. Divina *sors a viris dumtaxat sanctissimis, et inspiratis probe adhibetur, ad indicandam, in dubiis humanis divinam voluntatem.*

VI. Qui sine afflatu divino ad res futuras, occultasque inquirendas Deum sortibus, et signis ambiguis temere tentant, vel canonicas electiones consilio, et rationi ex legibus remissas coecae fortunae, urnaeque sortilegae committunt, procul dubio peccant.

VII. Si necessitas urgeat, firma fide, communibusque precibus tunc licebit sortibus Deum consulere.

VIII. Hebraeis Deus ipse imperavit, ut ipsum sortibus divinis ex arca foederis, aut ex ore Prophetarum, aut ex Rationali sacro lucem, et veritatem ostentante consulerent.

IX. Nova Christi lex, abolitis eiusmodi externis divinarum sortium signis, Deum temere tentantibus, docet sola in Deum fide viva christicolas divina mandata implentes, omnia quaecumque petierint adepturos.

X. Quamobrem quas apostolicas, *vel* sanctorum sortes *falso nuncupant, ex rebus sacris, et divinis petitas vanis observationibus, eas tamquam superstitiosas, et improbas omnino execratur Ecclesia.*

XI. At extraordinaria prophetiae, ac miraculorum dona in Sanctis Christi cultoribus non defecisse palam est ex rebus in Ecclesia gestis.

XII. Superstitiosa, *et* diabolica sortilegia *sacrae utriusque Testamenti litterae damnant apertissime.*

XIII. Ea porro fallacibus portentis, et signis infirmos animos ad sacrilegam superstitionem, et nefarium daemonis cultum abdu-

cit: quamvis ad nostram fidem probandam sinat quandoque Deus veritatem sortilegos divinari.

XIV. Potestas illudendi, et tentandi homines diabolicis praestigiis, et sortilegiis, nonnisi Deo permittente, daemonibus est.

XV. Tanta scilicet, quantam Deo placuit concedere, magna plane ante Christum in idolatras.

XVI. Minima, et ferme nulla post nostram Christi Domini redemptionem divinam.

XVII. Apostoli pseudoprophetas, et magos praestigiatores miraculis patentibus, et virtute longe potentiori debellarunt.

XVIII. Daemoni olim datam in filios diffidentiae potestatem non extendi super fideles Deum timentes, et invocantes docent Apostoli, et Patres.

XIX. Magorum praestigia quamvis portentosa in speciem naturales diaboli vires non excedunt limitatas, et subiectas Naturae legibus. Divina vero miracula, quae a sanctis viris patrantur dono Dei gratuito, supra Naturam sunt, legesque naturales dissolvunt.

XX. Acumen mentis angelicae, maxima velocitas, penetratio corporum, tria dona gratis data spiritibus, tam superis, quam inferis una cum experientia rerum longissima vires diabolicas naturales fecerunt mirificas, et praepotentes in praestigiis magorum vulgatissimis.

XXI. Naturalia cuncta humano ingenio etiam superiora hinc facile daemon investigat: at ubique semper non est, non videt, neque scit omnia, vel praeterita, vel praesentia, et futura prorsus ignorat ex naturalibus caussis non obvenientia.

XXII. Hinc artis magicae inania, et incerta portenta; hinc ambigua, obscura, vel falsa pleraque idolorum oracula, et pythia responsa.

XXIII. Praedictiones magorum aliquando veridica efficit casus, et imperscrutabilis voluntas Dei O. M.

XXIV. Diabolica praestigia homines ad rebellionem a Deo, cultumque superstitiosum incitant.

XXV. Primus idololatriae, et magicae artis magister post Adae lapsum diabolus.

XXVI. Magia superstitiosa multas complectitur species. Theurgiam ad invocandos inferorum spiritus exercebant arioli, pythones, pythonissae, incantatores. Necromantiam ad exciendos mortuos; hydromantiam, pyromantiam, ceteras id genus ad praestigia ostentanda ex aqua, igne, creaturis ceteris profitebantur praestigiatores, strigones, striges, sagae, lamiae, auspices, augures.

XXVII. Astronomiam naturales astrorum leges docentem faedant astrologi futura contingentia vaticinantes, ac fatidici genaethiaci, et horoscopi, quibus adduntur chiromantici, et physiognomici.

XXVIII. Tum maleficí, et venefici carminibus magicis, incantatisque rebus abutentes ad dolum, et fraudem.

XXIX. Somniorumque interpretes.

XXX. Medicinam quoque foedando circulatores superstitiosi abutuntur pharmacis, amuletis, veneficis poculis, fascinationibus veneficis, variisque rerum incantationibus, amatoriis philtris, ligaturis coniugalibus, ceteris eiusmodi technis dolosis, et inanibus.

XXXI. Tum noxiis magis, quam proficuis medicaminibus ad avertenda maleficia, et fascina, et morbos, vel tuendam inani panacea salutem, vel acuendam aqua fabulosa, aut confectione anacardina memoriam.

XXXII. Superstitiosis amuletis, rebusque ceteris imitari divina miracula nunc frustra conantur inferi spiritus, eorumque magi.

XXXIII. Magiam naturalem, puram scilicet de arcanis Naturae phaenominibus cognitionem philosophicam strigones dolosi nefarie usurpant lapidibus magneticis, et electricis ad superstitiosum doemonis cultum.

XXXIV. Nigra hinc, et superstitiosa magia dolos nectit varios, abutendo viribus Naturae occultis, vel veris, vel fabulosis, et iactando mirificas phaenices, remoras, equas, anseres, aquas, herbas, lapides, cetera id genus.

XXXV. Magica enim vero instrumenta sunt innumera ex rebus creatis sursum, et deorsum desumpta.

XXXVI. Quae nonnisi pauperes vilissimi, et fanatici, et mulierculae venditant ad turpem quaestum.

XXXVII. Tredecim canonicae sententiae ex iam dictis erutae satis, superque ostendunt rationem tutam recte iudicandi de sortilegiis, et magiis.

XXXVIII. Aliae octo proponuntur idoneae ad secernendas fabulas a veridicis testimoniis in rebus tam gestis, quam gerendis.

XXXIX. Pravitatem cuiusque sortilegii certo indicant pactum cum doemone, superstitiosus cultus, rei sacrae abusus, maleficа voluntas, et dolus.

XL. In huiusce criminis reos ultimum supplicium sanxerunt post legem Mosaycam leges humanae, et caesareae.

XLI. Tum Italiae Principes Gothi, et Langobardi, et Carolus M.

XLII. Eosdem poenitentiis canonicis expiare, mox censuris, et anathematismis comprimere sategerunt prisci Patres, et Concilia.

XLIII. Romani Pontifices non modo canonicis poenis, et censuris, sed corporeis etiam acrioribus, implorato saeculari brachio ad profligandos ubique superstitiosos conspirarunt.

XLIV. Episcopales quoque synodi hoc in regno, praesertim neapolitanae.

XLV. Iudicia in eos quum clericos, tum laicos exercere dioecesani Episcopi consueverunt, mox etiam haereticae pravitatis Inquisitores pontificii.

XLVI. Concordatorum lex novissima an. 1741. nullum de sortilegiis verbum expressit. Ea si haeresim redoleant, ad classem criminum ecclesiasticorum *remissa videntur : aliter ad aliam* mixti fori.

Appendix de purgatione vulgari.

XLVII. Purgationes in utroque foro vulgares olim frequentissimas procul dubio superstitiosas palam execrantur, et vetant pontificiae decretales.

XLVIII. Quae scilicet more paganorum fiebant aqua, vel frigida vel ferventi, igne, ferro candenti, prunis ardentibus, duello ; legibus Principum saecularium imperatae, vel permissae.

XLIX. Corruptio morum, et ignorantia clericos etiam ad eas adhibendas abduxit.

L. At vero ex iis nonnulli sunt viri, mulieresque sanctitate insignes, qui, quaeve suam ostenderunt innocentiam incolumes quum evaserint ex trucibus eiusmodi purgationibus.

LI. Rescisso iam synodi Triburiensis erroneo decreto de furibus aqua fervida, vel candenti ferro purgandis, Romani Pontifices, tum Episcopi, et Patres unanimi sententia damnarunt omnes, et singulas purgationum eiusmodi species.

I. Affinitatem cum haeresi habent sacrilega sortilegia, magiaeque superstitiosae (1). Triplicem sortem, *naturalem*, *divinam*, et *diabolicam*, seu *superstitiosam* in primis distinguamus oportet (2), ne ambiguitate vocabuli hallucinemur. Sors *naturalis* non aliud mihi esse videtur, nisi experimentum arbitrarium fortuiti eventus in quavis re condicta, vel ad contentiones ambiguas dirimendum, vel munia, et onera ex aequo distribuenda, vel aequandam in ludis, et contractibus mutuam lucri spem, iacturaeque formidinem sine superstitione, aut fraude. Sors

(1) B. Hieronym. in *can. sed illud 9. C. 26. qu. 2.*, Aegyptiacam idololatriam superstitiones baptizatorum sapere docet.

(2) Hanc distinctionem aliis aptiorem praedocuit Petrus le Brun *histoire critique des pratiques superstitieuses lib. 2. cap. 3. num. 5.* Qui sortem *divisoriam*, *consultoriam*, *et divinatoriam* tripartiuntur: scopum videntur non adamussim attigisse.

divina speciatim est, quae nonnisi Deo inspirante adhibetur, totam mortalibus agendi rationem indicans in rebus obscurissimis et desperatis, vel arcana quum praeterita, et praesentia naturaliter ignorata detegens, vel futura contingentia praemonstrans. *Diabolica* tandem, et *superstitiosa* iudicatur, quoties ad investiganda arcana, et futura, vel ad cienda prospera, aerumnasque avertendas sortilegi abutuntur signis natura sua inanibus, et praestigiis fallacibus, rebusve sacris cum invocatione, aut cultu daemonum, vel incantationibus, et fascinationibus, vim divinam rebus naturalibus, et creaturis tribuentes Singularum nodos exolvere pro virili conabor.

II. Omni culpa vacare usum sortis *naturalis*, nisi ea fraudibus, aut superstitione corrumpatur, indubium est (1). Eam profecto sacrae utriusque Testamenti litterae probant, primum in dirimendis contentionibus. *Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque diiudicat*, Salomon ait (2). II, in communibus agris, rebusque dividendis. Nam terram Chanaan Deus filiis Israel quum dedisset : *cum dividetis vobis sorte*, inquit . . . *singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur haereditas, per tribus, et familias possessio dividetur* (3). Iure hinc civili, quod naturalis ratio peperit, cautum : *si omnes iisdem ex partibus heredes sint, nec inter eos conveniat, apud quem potius esse debeant, sortiri eos oportet* (4). III, in distributione munerum, onerumque

(1) *Quid enim sors est ?* quaerens Cicero *lib. 2, de divinat.*, inquit. Idem propemodum quod micare digitis, *quod talos iacere, quod tesseras : quibus rebus temeritas, et casus, non ratio, nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis, aut ad quaestum, aut ad superstitionem, aut ad errorem.*

(2) Proverbior. *cap. 18. vers. 18.* Symmachus *lib. 10. ep. 22. Malo fremitum Martiae vallis exponere, atque illam quadrigarum distributionem, in qua sibi quum fortunatior videtur, cui electionem mox urna tribuebat, par, vel potior erat, quem sors fecerat extremum.* Athletarum in certaminibus, et ludis probe usurvenit sortitio locorum, armorumque. In certamine navali quum Aeneas signum dedisset, nautae *tum loca sorte legunt*, ex Virg. *lib. 5. Aeneid.*

(3) Numeror. *cap. 33. vers. 54., et sequ., et cap. 34. vers. 13.* Eam promissionis terram ingressi hinc possederunt, *sorte omnia dividentes, sicut praeceperat Dominus*, Iosue *cap. 14. vers. 2.* Sacerdotales etiam urbes filiis Aaron sorte distributae sunt, I. Paralipomenon *cap. 6. vers. 54.* Regressis e Babylone Ierosolymam Iudaeis edicto Cyri Persarum Regis, *habitaverunt principes* populi in Ierusalem : reliqua vero plebs *misit sortem, 2.* Esdrae *cap. 11. vers. 1.* Cellulae conclavis Cardinalium pro novo Pontifice eligendo sortitione singulis vetusto more adsignantur. Hinc Cicero *lib. 1. de officiis*, recte docet, *quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit* (*lege, pactione, conditione*, sorte *id quisque teneat, ex quo si quis sibi plus appetet, violabit ius humanae societatis*

(4) Inquit Gaius in *l. si quae sunt 5. D. familiae erciscundae.* Consonant Theod., et Valentin. in *l. meminimus 2. C. quando, et quibus quarta pars.* Iustinianus etiam sanxit, *in omnibus huiusmodi casibus rei iudicem* fortunam, *et* sortem *inter altercantes adhibendam : ut quem* sors *praetulerit, is quidem habeat potestatem eligendi, ceteris autem aestimationem praestet contingentium eis partium, l. si duobus 3. C. communia de legatis.* Sors etiam praecipitur in servis manumittendis, ex Ulp. in *l. generaliter 24 §. 17. D. de fideic. liber.* in liberis dividendis, *Nov. 126 Nov. §. 3. in fin.* In iudiciis *sors, et ur-*

civilium, et sacrorum David cum segregasset ex Levitis cantores, et prophetas in domo Domini servientes : *miserunt* sortes *per vices suas ex aequo tam maior quam minor , doctus pariter , et indoctus* (1). Zacharias *quum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae ante Deum secundum consuetudinem sacerdotii* , sorte *exiit, ut incensum poneret* (2). Totius orbis regiones ad praedicandum sortibus etiam divisisse inter sese Apostoli feruntur (3). Natura duce apud gentes fuit ea sortiendi species usitatior, perinde in superstitioso idolorum cultu (4), ac publicis muniis (5). IV , in convivalibus cibis , et alimentis. Talmudistae morem hebraicum sortiendi res convivales cum filiis sacro die Sabbati , cum aliis extraneis quovis profano die tradunt. Huc alludit Ezechiel deplorans nullam partem ex olla nimio igne adusta superfuisse ,

na iudicem assignat , Plinius in *panegyr.* Traiani. Huc spectat illud Poetae *lib. 5. Aeneid. Interea Aeneas urbem designat aratro, sortiturque domos.*

(1) I. Paralipom. *cap. 25. vers. 8.* Idipsum de ianitoribus traditur in *seq. cap. 26. vers. 13.* Quum adulterii suspecta mulier esset ad sacerdotem ducenda in templum, ut in porta *Nicanoris* ab Hebraeis dicta iudicaretur secundum legem Moysis, Numeror. *cap. 5. vers. 5. et seq.* Talmudici tradunt eum destinari sorte consuevisse; contra Petr. Cuneum *lib. 1. de republ. Hebr. cap. 12.* opinantem id munus ei Sacerdoti demandatum, qui e synedrio esset.

(2) Lucae *cap. 1. vers. 9.* S. Augustinus *ep. 180. ad Honoratum* scribit deligendos per sortem aliquot ex presbyteris aeque idoneis, qui belli, aut pestis tempore intra urbem ceteris abeuntibus remaneant. Idque usurpatum in Ecclesia Bohemica anno 1467., sortitione trium presbyterorum ex duodecim narrat auctor historiae persecutionis Bohemicae *cap. 20.*

(3) A Rufin. *hist. eccl. lib. 10.*

(4) Cic. *act. 4. in Verrem* inquit: *Syracusis lex est de religione , quae in annos singulos Iovis sacerdotem* sortito *capi iubet ; quod apud illos amplissimum sacerdotium putatur. Cum suffragiis tres ex tribus generibus creati sunt, res revocatur ad* sortem. Ad infausta Troianorum , quae extremum urbis excidium minitabantur, *Lacoon ductus Neptuni sorte sacerdos*, fertur a Virgilio *Aeneid. lib. 2.* Livius *dec. 1. lib. 2. cap. . . .* enarrat : *Nondum dedicata erat in Capitolio Iovis aedes, Valerius, Horatiusque Coss.* sortiti, *uter dedicaret; Horatio* sorte *evenit.* Vestales virgines sorte electas tradunt Svetonius *in Augusto cap. 31.*, et Gellius *noct. Act. lib. 1. cap. 22.* In sodalium Augustalium sacerdotio *sorte ducti a primoribus civitatis unus, et viginti*, feruntur a Tacito *lib. 1. annal.*, et Svetonio *in Claudio cap. 6.* Mulierbre sacerdotium apud Achaeos, *si plures forte petant , sorti creatio committitur* scribit Pausania *lib. 7. in Achaicis.*

(5) Leonardo Aretino interprete Aristoteles *lib. 6. politic. cap. 2.* inter popularia iura recenset, *per sortem tribuere magistratus, vel omnes penitus, vel omnes saltem, qui non peritia indigent, et arte.* Romanorum Consules, Praetores, plerosque Magistratus, et loca, et tempus, et munia inter Collegas sortiri consuevisse, notius est , quam testimoniis oporteat ostendere. Aequas Didonis reginae leges collaudans Poeta *lib. 1. Aeneid.* canit.

» *Iura dabat, legesque viris, operumque laborem*
» *Partibus aequabat iustis, aut* sorte *trahebat.*

Pariter addit Aeneid. *lib. 9.*

» *Omnis per muros legio* sortita *periclum*
» *Excubat, excercetque vices, quod cuique tuendum est.*

quam Iudaei sortirentur iam reprobi (1) S. Augustinus inter plures ex aequo pauperes unam, quae individua foret, eleemosynam sorte licita dari docet (2). V, in proemiis, praedisque militum distribuendis (3). VI, in plurium reorum aliquibus ad supplicium ducendis, aliis ad vitam servandis (4). VII, in ludis honestis, et aequis (5).

(1) Ezechielis *cap. 24. vers. 7. Vae civitati sanguinum*, ait, *ollae in qua spuma eius est, et spuma non exiit ex illa; per frusta eius extraxit illam, non cecidit super illa* sors. Hoc nimirum symbolo convivalis ollae praedixit excidium Ierosolymitanum, ex quo nulla sors vitae reliqua est, spe salutis penitus adempta ab irato Domino. Hinc illud ab Aristophane, et Homero, et Plutarcho vulgatum proverbium. *Priusquam sortiaris, communia devoras*, Plutarchus in *Catone Uticensi* fert, *etsi prima carnium divisarum pars eius* sorte *non fuisset*, amicis ut eam tamen caperet hortantibus, habere se illam invita Venere dicebat.

(2) S. August. *lib. 1. de doctr. Christ. cap. 28.*

(3) Morem vetustissimum dividendi praedas militum sortitione, sacrae Litterae innuunt: Ioelis *cap. 3. vers. 3*: terram meam *diviserunt, et super populum meum miserunt* sortem, Nahum *cap. 3. vers. 10. Aucta est in captivitatem, et super inclitos eius miserunt sortem*, Isaia *cap. 17. vers. 14., et ult. haec pars eorum, qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos.* Ore Davidis *psalm. 21. vers. 19.* Dominus praedixit: *diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt* sortem, quod impletum evangelia conducent. Virgilius *Æneid. lib. 9.*

Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri
Contigerit victori, et praeda ducere sortem.

Homerus praedam Ulyssis acceptam sorte canit *lib. 5. Odyss.* tum Achillis *lib. 6. Iliad.* Teste Plutarco, Iulius Caesar *multa Italiae praedia sorte divisit.* Brutus ad Ciceronem *epist. 20. lib. 11.* scribit: *aequaliter, aut* sorte *aegros legionibus assignari puto oportere.*

(4) Cic. *or. pro Cluentio* poenalem eiusmodi sortitionem in militari disciplina probat, in censura morum secus, inquiens: *statuerunt maiores nostri, ut si a multis esset flagitium rei militaris admissum,* sortitione *in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet omnes, poena ad paucos perveniret... Hoc tu idem facies Censor in Senatu legendo? si erunt plures, qui ob innocentem condemnandum pecuniam acceperint, ut non animadvertas in omnes?* Seneca *lib. 2. de ira* scite monet: *in singulos severitas Imperatorum distringitur; at necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus. Quid tollit iram sapientis? turba peccantium: intelligit quam iniquum sit, et periculosum irasci publico vitio.* Hinc decimum quemque militum seditiosorum, vel quadragesimum, vel centesimum, vel quotumcumque arbitrio Ducis per sortem iuste damnatos, ceteris venia exceptis, fert passim historia.

(5) Theologi consentiunt, ludum sortis, seu cuiusvis incertae aleae, aut solo casu fortuito, aut magis casu, quam industria administratum Iure naturali non vetitum licere, quoties adhibeatur ad laxi animi refectionem, vel ad convivium honeste incundum ex lucro lusorio, vel sortiendum ex pactione dubium, incertumque lucrum cum certa iactura modicae pecuniae, aut par inter ludentes lucrum, et damnum ex aequo dubium: dummodo fraus procul omnino absit, et aequalis erit ludentium conditio, ex S. Thom. *2. 2. qu. 95. art. 8., et qu. 16. 8.;* Azor. *instit. moral. par. 3. lib. 5. cap. 24. ad 27.* Humanis vero legibus, iisque iustissimis, qua canonicis, qua civilibus multae ludorum eiusmodi species quum prohibeantur: eas quidem improbas, illicitasque simul denunciant ex rerum adiunctis, videlicet respectu personarum suo ab officio desciscentium, aut

VIII, in pactionibus conditionalibus (1).

III. Hisce sortitionibus, quas *naturales* dixi, ut cunctis omnino rebus, certe quidem praesidet supremus naturae Auctor, et Rector Deus O. M., suaque eas providentia ineffabili moderatur. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*, monet Salomon (2). *In manibus tuis sortes meae*, ad Dominum conversus David canit (3). *Ego sum Dominus faciens omnia*, per Isaiam inquit (4). *Vincenti dabo calculum candidum*, per Ioannem (5). Quoniam *in ipso vivimus, movemur, et sumus* (6): necesse est sortes quaslibet nobis ab eius arbitrio iustissimo obvenire; casusque fortuitos, quos athei fatis, potentique Fortunae falso tribuunt.

IV. *Naturales* autem ideo appellandas reor, quia ipse Naturae Conditor ludens in orbe terrarum non vetat, quin homines habeant arbitrium sortibus eiusmodi puris, et probis utendi, aut ludentes honeste, aut de caducis rebus ambiguo marte contendentes: quippe quae nullum naturae ordinem turbant, nec naturalem iustitiam ullatenus laedunt; sed potius fovens aequando mutua sortientium iura in rebus dubiis, ubi, utra sint potiora, non valent imbecilla mens humana diiudicare. Si fraus, et dolus intercesserit, aut impar conditio sortientium; tunc iniusta sit sortitio ex alterutrius damno, et iniuria naturalem iustitiam, et aequitatem violante (7). Si extra ordinem naturalem adhi-

loci, temporis, aut dissolutae pecuniarum profusionis, aut immoderatae frequentiae, aut morum corruptionis. Ex *can. 41.* vulgo *Apost. sacerdos aleator, nisi desinat, deponitor.* Consonant Synodus VI. *can. 50.*, Eliberitana *can. 79.*, Lateranens. IV. sua Inn. III. in *cap. clerici 15. de vit., et honest. cleric.* Tum rubricae Pandectarum, et Codicis *de aleatoribus, l. ult. C. de episc. aud. Nov. 115. cap. 13.*

(1) Paulus iurec. in *l. in facto 60. de condit.*, *et demonstr.* tertiam conditionum speciem in *eventu* ponit. Papianus in *l. 75. D. eodem tit. nec interest*, ait, *in potestate fuerint accipientis conditiones*, an *in* eventum *collatae.*

(2) Proverbior. *cap. 16. vers. 33.* Tum Isaiae *cap. 34. vers. 17.*, *ipse misit eis* sortem, *et manus eius divisit eam illis.* Tertullianus *de pallio* apposite inquit: *Deus, qui saecularium sortium quasi arbiter, et ad urnam tamquam praetor sedet, ut inde varias sortes populorum, et regum, ceterorumque hominum ducat.* Veritatem hanc norunt et pagani. Virg. *lib. 3.* Æneid.

. . . . . *sic fata Deum Rex*
Sortitur, volvitque vices, hic vertitur ordo.

(3) Psalm. *30. vers. 16.*

(4) Isaiae *cap. 44. vers. 24. Idem Deus, qui operatur in omnibus*, Apostolus ait *1. ad* Corinth. *cap. 12.*

(5) Apocalypsis *cap. 2. vers. 17.* Arethas Caesareensis Episc. *in comm. Apocalyps.* apud Xystum Senensem *lib. 1. biblioth. sacr.* hunc locum ad sortitiones alludentem ita exponit: *Vincenti diabolum pollicetur Deus* calculum candidum, *quod is notus esset his, qui in theatris, ac stadiis certabant, et vincentibus tradebatur.* Pagani profecto sibi prosperam a Diis quoque sortem augurabantur. Olympius Plauti *in Casina act. 2. sc. 5.*, *quid sors aliter*, ait, *quam voles, evenit?* St. *Benedice*: *Diis sum fretus, Deos superabimus.*

(6) Actorum *cap. 17.*

(7) Apud Plautum *in Casina* Olympius fraudem in sortitione suspicatur, ne

beatur in rebus divino iudicio reservatis, vel deliberato rationis consilio secundum legem Dei, et Ecclesiae definiendis: tamquam abnormis, et irreligiosa, et irrita repudiatur ob iniuriam Deo, quem tentat, illatam. Si demum ad superstitionem deflexeris, evadit nefaria, et diabolica.

V. *Divinam* sortitionem, stricte acceptam fas est Prophetis, virisque sanctis duntaxat a Deo specialim inspiratis extraordinario iure usurpare, ceteris hominum iure ordinario nequaquam. Ad hanc spectat S. Augustini definitio : *sors non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem* (1). Perplura huius sortis exempla in sacris Bibliis patent. Senior Abrahami servus domino suo sanctissimo divinum auxilium spondenti quum obtemperasset, cito invenit consanguineam Isaaci sponsam divina sorte, quam is tentavit in potu aquae sibi, suisque camelis accepto a puella vota eius obsecundante (2). Iosue iussu Dei per sortes triplas deprehendit furem Achan, damnavitque ad supplicium anathematis (3). Gedeon spiritu Domini indutus prosperam populi sortem agnovit in vellere primum rorato, et area sicca, mox in arido vellere, areaque madefacta (4). Pariter Samuel Saulem iam unctum Regem Israel quaesivit coram populo, inventumque sortibus ter iactis per tribus, familias, et viros rite proclamavit (5). Saul missa inter se, filiumque suum Ionatham sorte, detexit

levior una sortium in sitellam aqua plenam proiiceretur, altera ponderosior, animum in id suum advertit : mox interrogatus, *quid tu id curas*? respondit, *quia enim metuo in aqua, ne summa natet.* Cicero *act. 4.* Verrem criminatur ob sacerdotium Iovis apud Syracusanos fraudulenta sortitione datum Theomnasto, aiens: in lege *scriptum erat, ut quot essent renunciati suffragiis, tot in hydriam sortes coniicerentur, cuius nomen exisset, ut his haberet sacerdotium. Homo ingeniosus, et peracutus*, optime, *inquit*... quot ergo sunt renunciati? *nihil moratus coniici iubet tres, in quibus omnibus scriptum esset nomen Theomnasti Fit clamor maximus, quum universis indignum, atque nefarium videretur.*

(1) S. Aug. in *can 2. C. 26. qu. 2.* Discrimen inter *naturalem*, ac *divinam* sortitionem novit, et Cicero *de divinat. lib. 1.*, aiens. *Oracula etiam habenda sunt non ea, qua aequalis sortibus ducuntur, sed illa, quae* instinctu, divino afflatuque *funduntur: et si ipsa sors contemnenda non est, et si auctoritatem habet vetustatis.* Item Iamblichus *de mysteriis,* Marsilio Ficino interprete, *vaticinium ipsum*, ait, *nec ab arte, nec a natura, nec a naturalibus vel animalibus rationibus, motibusque efficitur, neque fit ullo modo; sed utique sempiternum est, missum ad nos usque divinitus, totaque potestas praesaga refertur ad Deos, et omnis huius auctoritas consistit in eis, atque inde traditur : divinisque operibus* signisque *perficitur.*

(2) Genesis *cap. 24. vers. 7., et seq.* dixit Abraham, *Dominus Deus coeli, qui tulit me de domo patris mei... ipse mittet Angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo.* Profectus exinde servus, dixit: *Domine Deus domini mei Abraham occurre, obsecro, mihi hodie... ecce ego sto prope fontem aquae . . , igitur puella, cui ego dixero:* inclina hydriam tuam, ut bibam; *et illa responderit:* bibe, quin et camelis tuis dabo potum; *ipsa est, quam praeparasti servo tuo Isaac.* Ita res prospere cessit.

(3) Iosue *cap. 7.*

(4) Iudicum *cap. 6. vers. 37., et seq.*

(5) I. Regum *cap. 10, vers. 20., et 21.*

Ionatham fracti ieiunii reum ex melle vix gustato (1). Vir Dei sacrilego Ieroboamo futuram sacerdotum excelsorum caedem sub Iosia rege conficiendam praedixit hoc signo: *ecce altare scindatur, et effundatur cinis , qui in eo est* (2). Elisaeus duplici sortitione , iactu sagittae , et percussione terrae non amplius , quam ter telo facta, praenunciavit Ioaso Regi Iudae victoriam contra Syros, at non usque ad consumptionem (3). Ionas a facie Domini fugiens sorte a nautis deprehensus in mare proiicitur (4). Mathiam novum Apostolum electum sorte inter eum et Barsabam ab Apostolis inspiratis data ex Actis liquet (5).

VI. Probum efficit usum divinarum sortium divina tantum inspiratio. *Non enim voluntate humana allata est Prophetia, sed Spiritu S. inspirante* , docet Apostolorum Princeps (6). *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes prophetae ? numquid omnes virtutes ?* (7). Eos hinc peccare quidem intelligimus , qui audeant instar prophetarum incomprehensibilem Dei voluntatem in rebus futuris , aliisve naturaliter latentibus perscrutari signis , et sortibus temere ductis , Deum cogentes ad prodigia, praeter necessitatem sine afflatu divino, fideque non integra. *Altiora te ne quaesieris , et fortiora te ne scrutatus fueris.... non est enim tibi necessarium ea, quae abscondita sunt, videre oculis tuis,* sacrae iubent Litterae (8). Exemplis propheticis sortium a Deo inspiratarum agere cuique nefas est : *quum privilegia singulorum non possint legem facere communem* , Patres commonent (9). Itidem electiones in ecclesiasticis Dignitatibus conferendis , quae sortito fierent apostolico Matthiae exemplo , damnatae sacris canonibus iure merito sunt (10). Nam quae nonnisi consilio, et ratione librata oportet peritis, et dignioribus viris deferre munia , stultum , et iniquum est ea coeco fortunae iudicio , et sortilegae urnae committere (11).

(1) Ibidem *cap. 14. vers. 42.*
(2) III. Reg. *cap. 13.*
(3) IV. Reg. *cap. 13. vers. 15., et seq.*
(4) Ionae *cap. 1.* De qua S. Hieronym. in *can. non statim 2. C. 26 qu. 2.*
(5) Act. Apostol. *cap. 1. vers. 23. ad 26 , et ult.*
(6) Ep. 2. Petri *cap. 1. vers. 21., et ult. Si quis fuerit inter vos propheta; in visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad eum,* ipse Dominus inquit Numeror. *cap. 13.*
(7) I. ad Corinth. *cap. 12. v. 29.*
(8) Ecclesiastici *cap. 3. vers. 22., et 23.*
(9) S. Hieronym. in *cit. can. non statim* 2., et Beda in *can. non exemplo Mathiae 4. C. 26. qu. 2.*
(10) Ex S. Hieronymi, et Bedae sententia *loc. cit.* Lucius III. etiam Lucensi Capitulo rescribens, *sortis usum in electionibus perpetua prohibitione* damnavit, *cap. ult. de sortilegis.* Videsis dicta superius *lib. 1. tit. XIX. de elect. num. III.* Quum Pontifex Hebraeorum iure haereditario , et populi suffragio eligi consuevisset: Phanniam tamen, alias Phanesum Samuelis filium, cuius in pontificatu contigit urbis, et templi excidium Vespasiano imperante , quamvis indignum, et notoria rusticitate ignarum a populo tumultuoso electum sorte , quam antiquo more usitatam falso iactabant, fert Iosephus *hist. lib. 20. cap. 8., et de bello Iudaico lib. 4. cap. 5.*
(11) Philo *lib. de creatione Principis* initio notat *quibusdam placere* sortito *creari principes nullo sane subditorum commodo ;* sors *enim ad felicitatem* ,

VII. Si quaeres, cur sortis naturalis iudicium solummodo probum, et aequum habeatur, iniquum vero, et fallax hoc alterum divinae sortis, quum utriusque urnae Deum O. M. praesidere dubitandum non sit? Inquam, supremum Naturae gubernatorem consuevisse irrita facere vota, et signa temere sortientium, ut omnis homo mendax tunc agnoscatur potissimum, ubi humanis cupiditatibus divinam servire voluntatem temere polliceatur, speque improba expectet Naturae ordinem extraordinario miraculo ad libitum suum praeverti. Si quis unquam erit adeo firmae fidei, ut verbo Christi Domini fretus valeat precibus suis in mare montes deiicere (1): huic utique licebit, dum necessitas postulaverit; prophetica, et apostolica exempla divinarum sortitionum rite usurpare, rite inquam. Beda etenim docet: *si qui necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum: videant hoc ipsos Apostolos, nonnisi collecto fratrum coetu, et precibus ad Deum fusis egisse* (2).

VIII. Hebraei sortes divinas Deo ipso imperante consulebant, aut ex Arca foederis in tabernaculo (3), aut ex ore Prophetarum, aut ex

ait, *non ad virtutem attinet.* Itaque *saepe accidit, ut ad principatum* sors *eveheret, quos vir bonus non ferret in subditorum numero . . . Certe in aegrotis curandis sortium nemo meminit, nec enim sorte capiuntur medici, sed peritissimus quisque eligitur. Item cum de prosperitate, saluteque navigantium agitur, non sorte decernitur, qui gubernaturus puppim ascendat, ne forte aliquis imperitus vel in tranquillitate, ac serenitate asciscat naufragium: sed quaeritur aliquis, qui artem gubernandi a iuventute didicerit . . . Et postea civitates magnas, populosas, plenas habitatoribus, earumque administrationem, et curam rerum privatarum, ac publicarum, sacrarum, at profanarum (quam merito quis artem artium, et scientiam scientiarum dixerit) committemus incertae rei, fortunaeque, reiecto veritatis examine?*

(1) *Amen dico vobis*, Christi verba sunt, *si habueritis fidem, et non haesitaveritis . . . si monti huic dixeritis: iacta te in mare, fiet. Et omnia quaecumque petieritis in oratione, credentes, accipietis,* Matth. *cap. 21. vers. 21., et 22.* Tum Apostolus 1. ad Corinth. *cap. 13. vers. 2., si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Haec Apostoli verba innuunt prophetiam viris etiam infidelibus, et idolatris sine gratia sanctificante aliquando datam a Deo, ut gloriam suam manifestaret. Nam Philistaeorum idolatrae sacerdotes, ac divinatores voluntatem divinam sortito coniecerunt in duabus vaccis lactentibus, quae plaustro iugatae arcam Dei Israel recta duxerunt sine duce in agrum Bethsames terrae Iudaeorum, I. Reg. *cap. 6.*

(2) Beda in *cit. can. non exemplo 4. C. 26. qu. 2.* Addo rationem agendi servatam ab Apostolo, eiusque discipulis, et nautis ab Iudaea in Italiam navigantibus, qui maximo in periculo naufragii versantes ieiunio 14. dierum transacto, mox gratias Deo in conspectu omnium quum egisset Apostolus, incolumes omnes 276. viri fracta navi evaserunt in Melitensem insulam, ut Paulus ab Angelo in somnis admonitus eis praedixerat, Actor. *cap. 27.* Ioppenses etiam nautae cum Iona in Tarsum tendentes, navi iam periclitante, *clamaverunt viri ad Deum suum,* Ionae dormienti dicentes: *surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus,* mox navis gubernator, *reuite,* inquit, *et mittamus sortes, et sciamus, quare hoc malum sit nobis. Miserunt sortes, et cecidit sors super Ionam,* Ionae *cap. 1.*

(3) Locutus Dominus ad Moysen, dixit: *loquere filiis Israel ... facient mi-*

Rationali sacro ostentante *Urim*, *et Thumim*, h. e. *Doctrinam*, seu *Lucem*, et *Veritatem*, quod summus Sacerdos gerebat in pectore, pretiosis 12. gemmis compactum (1). Saul in Gelboe castris Philistiim perterritus *consulit Dominum, et non respondit ei, neque per* somnium, *neque per* sacerdotes, *neque per* prophetas (2). Ex Urim, et Thumim splendidior lux vel emissa propitium consulentibus eventum, vel subtracta infaustum indicabat certissime. Ad eam prodigiosam lucem saepius alludens David ait : *brachium eorum non salvavit eos : sed dextera tua, et brachium tuum, et* illuminatio *vultus tui, quoniam complacuisti in eis* (3). Et rursus : *emitte* lucem *tuam, et* veritatem *tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum* (4). *Misit Deus misericordiam suam, et* veritatem *suam* (5). *Deus . . .* illuminet *vultum suum super nos, et misereatur nostri* (6). Quandoquidem David ipse ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech : *applica ad me Ephod*, vestem puta pontificalem, seu Humerale summi Sacerdotis cum adnexo Rationali sacro. *Et applicavit Abiathar Ephod ad David, et consuluit David Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, an non ? Dixitque ei Dominus: persequere, absque dubio enim comprehendes eos, et excuties praedam* (7). Post aedificationem templi Salomonis nullum in sacris Litteris exemplum suppetit consultationis eiusmodi : at Flavius Iosephus tradit gemmas Urim, et Thumim suboscuras iam omnino desivisse ducentis inde annis oracula divina splendoribus fundere : nimirum annos circiter decem supra centum ante Christi nativitatem (8).

hi sanctuarium, et habitabo *in medio eorum : iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi,* Exodi *cap. 25. vers. 1., et 8.* Hinc sacerdotes in domo Domini excubantes responsa dare Israelitis consulentibus, quae a Domino in somnis plerumque accipiebant, consuevere.

(1) *Rationale quoque iudicii facies* Dominus ad Moysen inquit, *opere polytimo . . . quadrangulum erit, et duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine, quam latitudine. Ponesque in eo quatuor ordines lapidum : in primo versu erit lapis sardius, et topatius, et smaragdus : in secundo carbunculus, sapphirus, et iaspis: in tertio ligurius, agathes, et amethystus: in quarto chrysolytus, onychinus, et berillus, inclusi auro erunt per ordines suos. Habebuntque nomina filiorum Israel duodecim nominibus coelabuntur . . . Pones autem in Rationali iudicii* Urim, et Thumim, h. e. Doctrinam, et Veritatem, *quae erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino : et gestabit iudicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper*, Exodi *cap. 28. vers. 15. ad 30. vestivit Pontificem . . . et desuper Humerale imposuit . . .* in *quo erat* Doctrina et Veritas, Urim, et Thumim, Levitici *cap. 8. vers. 7., et 8.*

(2) Inquit sacer textus I. Regum *cap. 28. ver. 6.*

(3) Psalm. 43. *ver. 4., et 5.* (4) Psalm. 42. *vers. 3.*

(5) Psalm. 56. *vers. 5.* (6) Psalm. 66. *vers. 1.*

(7) I. Regum *cap. 30. vers. 7., et seq.* Aliud *Ephod* lineum erat Levitarum Sacerdotumque indumentum, de quo ita in I. Paralipom. *cap. 15. vers. 27. Elegi eum, ut portaret Ephod coram me.* Et Samuel *ministrabat ante faciem Domini puer accinctus ephod lineo*, I. Regum *cap. 2. vers. 18.*

(8) Svetonius in *Vespasiano cap. 5.* haec scribit: *apud Iudaeam Carmeli Dei oraculum consulentem ita confirmavere sortes, ut quidquid cogitaret, volveretque animo, quantumlibet magnum, id esse proventurum polliicerentur.* Sed

IX. Nova lex Christi abruptas iam consultationes earum sortium divinarum, quas in Rationali Pontificio palam speculabantur Iudaei, tantum abest, ut instauraverit, ut omnino aboleverit, ceu superfluas, et Christiana fide indiguas. Signa non dantur fidelibus, sed infidelibus. Id unum signum salutis indeficiens nobis sua in Ecclesia esse constituit Christus Dominus; vivam fidem in ipsum. Deumque Patrem misericordiarum, sortiumque omnium dispensatorem. Fide non haesitante possumus, et ficulneas arefacere, et in mare montes abigere. *Omnia quaecumque petieritis*, ait, *in oratione credentes, accipietis* (1). *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici . . . scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis* (2). *Pater vester, qui in coelis est, dabit bona petentibus se* (3). *Nolite soliciti esse in crastinum* (4). *Non tentabis Dominum Deum tuum* (5). Quivis ergo nostrum orans a Deo signa expectaverit patentia in fidem acceptam graviter peccabit: quia et Deum tentat ad patranda miracula, et voluntatem Dei paternam respuit contumaciter, ubi a Deo, quod cupiat, temere flagitet, ignorans quid sibi petat, proficuum ne, an perniciosum erit.

X. Eadem ratione fit, ut ab Ecclesia merito damnentur consultationes nimia religione ex rebus divinis, et sacris petitae, quas *apostolicas*, vel *Sanctorum* sortes falso dictitant, et nimia credulitate usurpant mentes infirmae: quum eae non aliud redoleant, nisi vanas observationes, fallacem pietatem, religionem importunam (6). Odit Dominus *observantes vanitates supervacue*, monet Propheta (7). *Sicut qui multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria*, Salomon docet (8). *Ne superstitioni locus aliquis detur*, synodus Tridentina decrevit, *edicto, et poenis propositis caveant* Episcopi, *ne sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias caeremonias, et preces in Missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probata, ac frequenti, et laudabili usu receptae fuerunt. Quarundam Missarum, et candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera Religione inventus est, omnino ab Ecclesia removeant* (9). Eiusdem furfuris est praesagium vitae longioris ex

quali sortium divinarum specie faustum nomen Vespasianus acceperit, scriptor silet.

(1) Matth. *cap. 21. vers. 21., et 22.* (2) Ibidem *cap. 6. vers. 7., et 8.*
(3) Matth. *cap. 7. vers. 11.* (4) Ibidem *cap. 6. vers. 34., et ult.*
(5) Ibidem *cap. 4. ver. 8.*, et Deuteronom. *cap. 6. vers. 14. Numquid non tentatio est vita hominis super terram?* Iob. *cap. 7.*

(6) S. Augustinus *lib. 10. confession. cap. 35. num. 55., in ipsa Religione Deus tentatur*, ait, *cum signa, et prodigia flagitantur non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.*

(7) Psalm. 30. *vers. 7.* Et Deuteron. *cap. 12. vers. 32. quod praecipio tibi*, Dominus inquit, *hoc tantum facito, neque addas quidquam, nec minuas.*
(8) Proverbior. *cap. 25. vers. 27.*
(9) Trid. *sess. 22. in decr. de observ., et evit. in cel. Missae.* Franc. Torreblanca Hispanus *lib. 1. in epitome delict. magiae cap. 28.* plura Missarum nomina cultu nimio, et superstitioso deturpata memorat, praesertim Missas *lucis*.

unius inter plures cereos accensos lumine superstite, quibus nomina Sanctorum singulatim inscriberentur (1). *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta* vitae, *quae Pater posuit in sua potestate,* Christus nos docet (2). *Non est in hominis potestate consilium tuum*, Sara Dominum orans inquit sapienter (3). Culpa nec etiam vacant sortes quaesitae in fortuita sacrorum Bibliorum apertura, et prima, quae occurrat, lectione (4). *Sunt* enimvero *sortilegi*, definit S. Isidorus, *qui sub nomine fictae religionis per quasdam, quae* Sanctorum, *seu* Apostolorum *vocantur*, *sortes*, *divinationis scientiam profitentur*, *aut quarumcunque Scripturarum inspectione futura promittunt.* Ad internam animi consolationem, spiritualemque doctrinam, non ad futura profana, et transitoria vaticinanda, et sortienda sacras debemus paginas nedum evolvere fortuito, sed lectitare (5): ne ad vanam gentilium sortitionem ex libris poetarum deflectamus (6).

in solis ortu peragendas, *S. Amatoris, trigesimi revelati*, seu *Comitis Imperatricis*, *unius animae*, omnes merito praescriptas, ex Valentina Synodo Provinciali an. 1566. *sess. 3. cap. 6.*, S. Vinc. Ferrerio *hom. 2.* in Dom. IV. Adv., Martin. del Rio *magicar. disquisit lib. 3. par. 2. qu. 4.*

(1) B. Chrysostomus in *cap. 2. ep. 1. ad Corinthios* id enarrat. *Nomen Sancti alicuius imposituri cereos complures accendebant, suum cuique nomen adsignantes, atque eius demum, qui cereis extinctis supervixerat, nomen quasi longioris aevi accipientes puero imponebant.* Eo ritu Imperatorem Andronicum, ut foemina quaedam suaserat, Simonidis nomen imposuisse puellae sibi post alias immature praemortuas natae ex cereo superstite S. Simonis Apostoli, fert Pechymerius in *hyst. Byzantina.* Quemadmodum et primo Aragoniae Regi Iacobo devotam eius matrem cereo S. Iacobi Ap. fert P. Stengelius.

(2) Actor. Apost. *cap. 1. vers. 7.*

(3) Tobiae *cap. 3. vers. 20.*

(4) Thalmudistae ferunt Hebraeos consuevisse nil gravioris negotii inchoare, nisi antea ex sacris Bibliis consilium sortito caperent. Hieronymus, sive Augustinus, sive alius quispiam Patrum in *ep. de celebratione Paschatis*, ait: *Hi vero, qui de paginis evangelicis sortes legerunt, etsi optandum est, ut hoc potius faciant, quam ut ad daemonia consulenda concurrunt: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia saecularia, et ad vitae huius vanitatem propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere.* S. Aug. in *can. hi, qui de paginis 3. C. 26. qu. 2.* Auctor vitae S. Aniani Episc. Aurelian. fert electionem ab eius praedecessore propositam, mox ore infantis indicatam, dein triplici Sacrorum Codicum apertura firmatam, ex quibus prima hoc obtulit psalmi 65. versiculum 5: *Beatus quem elegisti.* Altera illud I. ad Corinth. 3. 11., *fundamentum aliud nemo potest ponere.* Tertia illud Matth. 16. 18. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Plura huius generis exempla videsis apud Martinum Mauritii in *tract. philolog. de sortitione veterum cap. 15. §. 5., et seq.*, et Martinum del Rio *loc. cit.*

(5) Ad rem Martinus del Rio, *Sancti librum aperiebant*, ait, *non ut futuris certiores redderentur, sed ut consolatorium aliquid, vel exhortatorium in sacra pagina reperirent, ut testatur ipsemet Gregorius: et sic solent hodie multi pii viri, cum tentantur, aperire libellum illum aureum* Thomae de Kempis de contemptu mundi, *eo quod semper aliquid in eo occurrat, quo roborari se, et confirmari sentiunt, quod sane expers est superstitionis.*

(6) Socrates in carcere quum audisset fortuito illud ab Homero de Achille dictum carmen: *Tertia lux vectos patriis nos sistet in oris*: fertur suam Aeschini mortem post dies tres futuram praedixisse. Claudio Imperatori, qui tres

XI. Extraordinaria vero prophetiae, miraculorumque dona gratuita non defecisse in Ecclesia Christi, sat compertum est. Id aperte praedixit per Ioelem Dominus aiens: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae, senes vestri somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos, et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Et dabo prodigia in coelo*, et *in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi* (1). Hinc repleti Spiritu Sancto Apostoli quum loquerentur variis linguis magnalia Dei, eosque mustò plenos dicerent nonnulli irridentium, Petrus dixit: *non, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est, quod dictum est per prophetam Ioel* (2). Tum super eos, qui Petrum in Caesarea praedicantem audiebant, cecidit Spiritus S., sicut et initio super Apostolos (3). Ab ierosolymis Antiochiam paulo post profecti Prophetae, in iis Agabus leguntur (4). *Et quosdam quidem*, scribit Paulus, *posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum . . . Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult* (5). *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei* (6). Quod ergo Matthaeus habet: *omnes prophetae, et lex usque ad Ioannem prophetaverunt* (7): non eo quidem sensu a Christo dictum docet S. Hieronymus, ut futuras, in sua Ecclesia prophetias, negaret, sed ut completas iam esse in adventu suo praeteritas omnes de seipso locutas ostenderet. Plane Sanctorum acta sincerissima redundant prophetiae donis, et miraculorum signis non intermissis, gloriosum, et mirabilem in Sanctis suis Deum nostrum confitentibus, et enarrantibus.

XII. *Diabolicum*, et vere *superstiosum* denique sortilegium ex sese nefarium esse quis dubitaverit? Flagitiosum doemonis cultum, seu idololatriam in eo admissam ecquis non execrabitur? Nihil est, quod magis iram Dei provocat, quam honor divinitatis ad spiritus diabolicos translatus, Dei simios, qui *latrones divinitatis* fieri conantur, ex Ta-

annos regnavit, sortem eiusmodi praenunciatam illo Virgilii carmine, Aeneid. I. *Tertia dum Latio regnantem viderit aestas*. Alias de Bruto, Gordiano, Traiano, Aureliano, ceteris id genus sortitiones; plerumque fabulosas habet M. Mauritii *cit. cap. 15*. Instar omnium erit testimonium Horatii in arte poetica.

Sic honor, et nomen divinis vatibus, atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus
Tyrthaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit, dictae per carmina sortes.

(1) Ioel *cap. 2. vers. 28., et seq.* Concinit Isaias *cap. 44. vers. 3.*
(2) Actorum *cap. 2. vers. 15., et seq.*
(3) Actor. *cap. 11. vers. 15.* (4) Ibidem *vers. 28.*
(5) I. ad Corinth. *cap. 12. vers. 11., et 28.*
(6) Ad Ephesios *cap. 4. vers. 13.*
(7) Matthaei *cap. 11. vers. 13.*

tiani proverbio (1). Hoc prior Decalogi tabula imperat, ut Deum omnium Creatorem unum colamus, alienos deos detestemur conflatiles, et falsos. *Si surrexerit in medio tui Propheta*, Dominus ipse proclamat, *aut qui somnium dicat se vidisse, et praedixerit signum, atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi :* eamus, et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis : *non audies verba Prophetae illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non* (2). Et rursus inquit: *Non inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem. Omnia enim haec abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo* (3). Atque iterum: *Non declines ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ne polluamini per eos* (4). *Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos* (5). *Nolite audire prophetas vestros, et divinos* (6). *Mortuus est Saul* nece turpissima, et reprobatus a Domino, nedum quod iussum Amalecitarum excidium non perfecerit, *sed insuper etiam Pythonissam consuluerit* (7). Tum Christus : *multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos : et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum . . . . pseudoprophetae dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce praedixi vobis . . . nolite exire . . . nolite credere* (8). Apostolus scribit : *nolo vos socios fieri doemoniorum* (9), mox addit : *ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis: non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur, velut ministri iustitiae : quorum finis erit secundum opera ipsorum* (10).

XIII. Proprium sortilegii superstitiosi character est illusio, et mendacium. *Quod in nomine Domini propheta praedixerit, et non evenerit; hoc Dominus non est locutus*, ex oraculo Dominus (11). *Ego sum Dominus*, per Isaiam inquit, *irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens, convertens sapientes retrorsum, et scientiam eorum stultam faciens* (12). Ille (diabolus) *homicida erat ab initio*, per S. Ioannem docet, *et in virtute non stetit : cum loquitur men-*

(1) Tatianus *orat. contra Graecos num. 12.* Videsis dicta superius *lib. II. tit. III. num. II. ad V.*

(2) Deuteronomii *cap. 13.* (3) Ibidem *cap. 18. vers. 10.*

(4) Levitici *cap. 19. vers. 31.* (5) Ibidem *cap. 20. vers. 27.*

(6) Ieremiae *cap. 27.* (7) I. Paralipom. *cap. 10. vers. 14.*

(8) Matth. *cap. 24. vers. 12., et 24.* De his etiam reprobis prophetis, et praestigiatoribus Christus ait Matth. *cap. 6. vers. 22. Multi dicent mihi in illa die:* Domine *nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo doemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; quia numquam novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem.*

(9) I. ad Corinth. *cap. 10. vers. 20.*

(10) II. ad Corinth. *cap. 11.* (11) Deuteronomii *cap. 18. vers. 2.*

(12) Isaiae *cap. 44. vers. 24., et 25.*

dacium, *ex propriis loquitur*; *quia mendax est* (1). Si veritatem quandoque divinentur diabolica sortilegia : id certe Deus ad nostram fidem probandam (sicuti ex recitata lege Deuteronomii didicimus) permittit (2), iubens interea nos signis, et portentis eiusmodi adduci non debere ad nefariam, et sacrilegam superstitionem. Aliquando ut puniat populum impium, Dominus quoque dirigit sortitiones ariolorum, sicuti rectam fecit divinationem Regis Babylonis (3), et Balaam (4).

XIV. Potestatem tentandi, et illudendi homines a Deo doemonibus concessam, certo certius est (5). In sacro libro Iob dixit Dominus ad Satan : *ecce universa, quae habet* Iob, *in manu tua sunt* : *tantum in eum non extendas manum* (6). Ita nimbos, fulgura, tonitrua, tempestates excitavit in viri sancti agros, et domum. *Non est potestas, quae comparetur ei, qui factus est, ut nihil timeat* (7). Apostolus ad Ephesios aperte scribit homines huius mundi ambulasse olim *secundum principem potestatis aeris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae, in quibus et nos*, ait, *aliquando conversati fuimus . . . et eramus natura filii irae, sicut et ceteri* (8). Mox addit : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli : quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et* potestates, *adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus* (9). Tatianus hanc apostolicam doctrinam explicans, inquit : *Universorum autem Dominus tamdiu illudere eos* (doemones) *sinit, dum mundus*

(1) Ioannis *cap. 8. vers. 44.* Apostolus 2. ad Thessalonic. *cap. 2. vers. 10.*, commonet, *operationem Satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus.* B. Chrysostomus in *Ioan. hom. 18. Hoc vel maxime opus Dei est*, inquit, *quod neque doemones immutare possunt, quamvis maiorem in modum adnitentur: in miraculis enim saepe sub veritatis umbra decipi possumus: praedictis futurorum immortalis Dei dumtaxat opus est, quod si quando doemones aliquid praedixerint, stultum, et incautum vulgus deceperunt: eorum namque vaticinia passim falsa deprehenduntur.*

(2) Lactantius *de orig. error. lib. 2. num. 17.* quaerenti : *Cur ergo Deus haec fieri patitur? nec tam malis succurit erroribus?* Respondet, *ut mala cum bonis pugnent, ut vitia sint adversa virtutibus, ut habeat alios quos puniat, alios, quos honoret. Ultimis enim temporibus statuit de vivis, ac mortuis iudicare.*

(3) Ad Ezechielem factus est sermo Domini dicens : *Et tu fili hominis pone tibi duas vias, ut veniat gladius Regis Babylonis : manu capiet coniecturam, in capite viae civitatis coniciet. Viam pones, ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, et ad Iudam in hierusalem munitissimam. Stetit enim Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum* divinationem *quaerens, commiscens sagittas, interrogavit idola, et ea consuluit. Ad dexteram eius facta est* divinatio *super hierusalem . . . ipse recordabitur iniquitatis ad capiendum.*

(4) Numeror. *cap. 23.* S. Hieronymus in *ep. ad Ephesios 7.*, inquit : *mittit Dominus iram, et furorem suum per angelos pessimos.*

(5) *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei, omnia a te expectat*, ad Deum inquit David *psalm. 103. vers. 27. Ipse est principium viarum Dei; qui fecit eum, applicabit gladium eius*, Iob. *cap. 40. vers. 14.*

(6) Iob *cap. 1. vers. 12.* (7) Ibidem *cap. 41.*

(8) Ad Ephesios *cap. 2. vers. 2., et 3.* (9) Ibidem *cap. 6, vers. 12.*

ad finem perductus dissolvatur . . . Spiritus igitur in stellis, spiritus in Angelis, spiritus in plantis, spiritus in hominibus, spiritus in animalibus (1). Permulta enim scientia pollens, acumine angelico, et velocitate maxima valet miranda efficere portenta, humanis viribus longe maiora (2).

XV. Si quaeras, quanta sit in praestigiis operandis potestas diaboli, trucissimi hominum hostis? Fateor eam semper arbitrio Dei omnipotentis adeo limitatam, ut quo maior ante Christum ea ex sacris Litteris, profanisque simul scriptoribus fuisse videatur, eo postea minor appareat: Magi Pharaonis *fecerunt etiam ipsi per incantationes aegyptiacas arcana quaedam similiter, ac Moyses. Proiecerunt singuli virgas suas, quae versae sunt in dracones: sed devoravit virga Aaron virgas eorum* (3). Simul aquas tactu virgarum suarum verterunt in sanguinem, ranasque dein eduxerunt: at sciniphes quum educere non perinde, ac Moyses potuissent malefici, dixerunt ad Pharaonem: *digitus Dei est hic* (4). Asmodaeum daemonem, qui septem Sarae sponsos Deum oblitos interfecerat, Raphael Angelus apprehendit, et religavit in deserto superioris Ægypti, ne Tobiae Deum timenti noceret Sarae iam desponsato (5). Rex Propheta praedixit surdam aspidem non exaudire *vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter* (6). Nam *ego*, Dominus inquit, *mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio* (7). *Daemonium non potest caecorum oculos aperire*, ex oraculo Christi (8). Quoad irae filii sese olim Satanae arctius manciparent publica idololatria, innumeris deorum templis, theurgicis purgationibus, tot inexpiabilibus initiis, et carminibus, suffimentis,

(1) Tatianus *cit. orat. contra Graecos n. 12.*

(2) Ezechiel. *cap. 25.* de Satana loquens ait: *Tu signaculum similitudinis Altissimi, plenus sapientia et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti.* Tertullianus in *apologet. cap. 22: daemones momento sunt ubique.* Cum S. Augustino Rabanus in *can. nec mirum 14. C. 26. qu. 5.*, angelicum acumen daemoni relictum scribit. Philostratus in Apollonii vita fert, Apollonium Ephesi morantem proclamasse, daemone id suggerente, Domitianum eo ipso momento Romae necari. Vaticinium de victoria Syllae, et Capitolio incenso a servo L. Pontii datum Tarenti memorat S. Aug. *lib. 2. de Civ. Dei cap. 24.* Aliud exemplum eiusmodi habet A. Gellius *noct. act. lib. 15. cap. 18., alia alii* permulta.

(3) Exodi *cap. 7. vers. 12.*

(4) Ibidem *cap. 8. vers. 19.* S. Augustinus *lib. 3. de Trinit. cap. 9. to. 8.* id ita exponit: *Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas, serpentesque fecerunt, nisi quia maior aderat dominatio prohibentis Dei per Sp. S., quod etiam ipsi magi confessi sunt dicentes:* digitus Dei est hic. *Sic et illi Angeli quaedam possunt facere, si permittantur ab Angelis potentioribus ex imperio Dei.*

(5) *Recordatus itaque Tobia sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones vivos. Tum Raphael Angelus apprehendit daemonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti*, Tobiae *cap. 8.*

(6) Psalm. *57. vers. 6.*

(7) Ieremiae *cap. 8. vers. 17.*

(8) Ioannis *cap. 10. vers. 21.*

lustrationibus, immolatitiis epulis, et libaminibus, assidua falsorum numinum invocatione holocaustis, et victimis, ludicris solemnibus, flagitiosis inquinamentis, eumque divinis honoribus ubilibet colerent : permagna tunc potestas idcirco doemonibus erat in praestigiis mirificis, et portentosis, quae iratus Deus, aut sufflaminare, aut evertere nollet.

XVI. Sed divina Redemptoris nostri gratia sensim doemones, eorumque ministros maleficos exauctoravit. Quum approquinquaret Christi adventus in mundum, eatenus obmutuere simulacra gentium, silentio oraculis eorumdem celeberrimis indicto coelitus, ut eorum cultus evanesceret apud vulgus, et philosophis derisui esset (1). Cicero ex ignorata illius silentii caussa Graecos exagitans, quaerit, *cur iam oracula Delphis non eduntur non modo nostra aetate, sed iamdiu ? Hoc loco cum urgentur, evanuisse aiunt vetustate vim loci eius, unde anhelitus ille terrae fieret, qui Pythia mente incitata ederet* (2). Doemonia ipsa, duos Gerasenorum obsessos vexantia, Christo Domino vix conspecto clamaverunt: *quid nobis, et tibi Iesu fili Dei ? venisti huc ante tempus torquere nos . . . si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum* (3). Dein coeco, et muto, qui doemonium habebat, quum Christus loquelam, et visum reddidisset, mox Pharisaeos confutaturus dicentes eum in Beelzebub principe doemoniorum eiicere doemones, dixit eis : *Si Satanas Satanam eiicit, adversus se divisus est : quomodo vero stabit regnum eius ? Si autem ego in spiritu Dei eiicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem ? et tunc domum illius diripiet* (4). *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet* (5). Ingressus Ierosolymam Dominus, *nunc iudicium est mundi,* ait; *nunc princeps huius mundi eiicietur foras* (6). Discipulis autem suis Paraclitum Spi-

(1) Iulius Caesar (sicut de eo narrat Svetonius *num. 59.*), *ne religione quidam ulla a quoquam incoepto absterritus umquam, vel retardatus est. Cum immolanti aufugisset* hostia, profectionem adversus Scipionem *et Iubam non distulit. Prolapsus etiam in egressu navis, verso ad melius homine,* teneo te Africa, *inquit. Sic elusit semper vaticinationes.* Horatius contempta a sapientioribus Romanis praestigia, et auguria descripturus ita canit *lib. 6. ep. 2. Somnia, terrores magicos, miracula, sagas, Nocturnos lemures, portentaque Thessola rides ?*

(2) Cic. *lib. 2. de divinat.* Seraphis doemon proximam praevidens eversionem templorum, idolorumque cultoribus suis eam prodidit, *ut suam quasi divinitatem recedens, vel fugiens commendaret,* ait Rabanus in fine *can. sciendum est 2. C. 26. qu. 5.*

(3) Matth. *cap. 8. vers. 29., et seq.* Marci *cap. 5.*, Lucae *cap. 8.*

(4) Matth. *cap. 12. vers. 22. ad 29.*

(5) Lucae *cap. 11. vers. 21., et 22.* Huc alludit illud Apostoli ad Coloss. *cap. 2. vers. 15. Expolians principatus, et potestates.* Et I. ad Corinth. *cap. 15. vers. 24: cum tradiderit regnum Deo, et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.*

(6) Ioannis *cap. 12. vers. 31.*

ritum promittens, qui de iudicio arguet mundum, ait, *quia princeps huius mundi iam iudicatus est* (1). Mox vidit S. Ioannes Angelum descendentem de coelo, qui ligavit catena magna draconem serpentem antiquum, diabolum, et Satanam (2).

XVII. Consummato divinae redemptionis opere, *subiectis* iam Christo *Angelis*, *et Potestatibus*, *et Virtutibus* (3), Apostolos colluctari oportuit adversus pseudo-prophetas praestigiatores adhuc superstites, arma nequitiae totis diaboli viribus tunc moventes pro tuendo regno tenebrarum, et idololatriae iam iam collabente; eosque undecumque profligare signis reapse divinis, et potentioribus, et insuperabilibus. *Quemadmodum Iannes*, *et Mambres* (magi Pharaonis) *restiterunt Moysi: ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed ultra non proficient, insipientia enim reorum manifesta erit omnibus, sicut et istorum fuit*, ad Timotheum scripsit Paulus noster (4). Simonem in primis magum samaritanum, signis, et virtutibus magicis Samaritanos seducentem, S. Petrus debellavit, deterruit, contrivit (5). Circumeuntes Iudaei quidam, Scevae principis sacerdotum filii, quum exorcizarent obsessos in nomine Iesu, quem Paulus praedicabat, spiritus nequam dixit eis: *Iesum novi, et Paulum scio: vos autem qui estis?* Et insiliens in eos habens daemonium pessimum nudos, et vulneratos fugavit (6). *Multi autem ex eis, qui fuerunt curiosa sectati* (artem puta magicam) *contulerunt libros*, dum Apostolus in Asia esset, *et combusserunt coram omnibus*, ad pretium usque denariorum quinquaginta millium (7).

XVIII. Nunc restat limites diabolicae potestatis ex sacris paginis definire. Quum Apostolus doceat datam diabolo potestatem, *in filios diffidentiae* (8): consequitur eam non extendi super filios fidei Deum ti-

(1) Ioannis *cap. 16. vers. 11.* (2) Apocalypsis *cap. 20.*
(3) I. Petri *cap. 3. vers. 22.* (4) II. ad Thimoth. *cap. 3. vers. 8. et 9.*
(5) Actor. *cap. 8. vers. 9., et seq.* Simon describitur *seducens gentem Samariae, dicens se esse aliquem magum . . . multo tempore magiis suis* dementasset eos... videns etiam signa, et virtutes maximas fieri ab Apostolorum Principe Petro, stupens admirabatur . . . dein perterritus dixit: *precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quae dixisti.* Quid in Simonem magum S. Petrus gesserit, quid de ara Romae inscripta, vel *Simoni Deo Sancto*, ut habent S. Iustinus *apologia 1. num. 26.*, Tertull. *in apologetico* Eusebius *lib. 1. hist. eccl.* vel (ut Baronio, et Marchioni Maffeo in *ep. dell'arte magica dileguata* magis arridet *Sanco Sancto Semoni Deo Fidio*, doctiores edisserant. Haec illius praestigia feruntur a pseudo Clemente *lib. 2. recognition. Statuas faciebat ambulare, in ignem prosiliens non urebatur, in aere subvolabat, ex lapidibus panes faciebat, in alias, atque alias formas migrabat; effecit, ut ianuae clausae sua sponte aperirentur, vasa domestica sponte moveri ad usus humanos.* (6) Actor. *cap. 19. vers. 13., et seq.*
(7) Ibidem *vers. 19.* Tertullianus *lib. de idololatria, post Evangelium,* inquit, *nusquam invenies, aut sophistas, aut Chaldaeos, aut incantatores, aut coniectores, aut magos, nisi plane punitos. Ubi sapiens? ubi litterator? ubi conquisitor huius aevi? Nonne infatuavit Deus sapientiam huius saeculi.*
(8) Ad Ephesios *cap. 2. vers. 2.* Et Dominus ad Iob *cap. 4. vers. ult.* ait: *omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiae.*

mentes, et invocantes contra doemonis nequitias. *Subditi, ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis,* B. Iacobus monet (1). Angelus Raphael Tobiam instruens, *audi me*, inquit, *et ostendam tibi, qui sunt, quibus praevalere potest doemonium. Qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et a sua mente excludant, et suae libidini vacent, sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem doemonium super eos. Tu autem . . . accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequaris* (2). S. Augustinus diabolum cani catena constricto aequiparat, qui mordere probos Christifideles non potest ab eo remotos, et procul stantes (3). Si quem momorderit, sibimetipsi tribuat stultus accedens ad illum. *Est enim piaculum maximum*, cum Lactantio inquam, *addicere se potestati eorum, quibus si iustitiam sequare, potentior esse possis, et eos adiuratione divini nominis expellere* (4). Itaque sola tentandi Christicolas ei relicta facultas est, qui et ipsum Christum valuit in deserto tentare ad nefariam adorationem.

XIX. Vires diaboli quantumlibet ingentes supra filios irae, ac diffidentiae, quae hominis ingenium, et humanas vires longissime superant, ita subsunt naturae legibus, ut naturalem Angeli potentiam creatam non excedant, nec valeant idcirco naturalem rerum ordinem solvere, aut mutare instar Creatoris naturam omnem ab se conditam nutu suo variantis. Hinc praestigia mira, quae videntur hominibus portentosa, et prodigia mendacia possunt magi ope diabolica efficere: non item vera miracula extra, vel supra Naturae ordinem. *Non subiecit Deus Angelis orbem terrae futurum*, docet Apostolus (5): addens versari *operationem Satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt* (6). S. Augustinus multa miracula per homines artibus doemoniacis, et per ipsos doemones patrata fatetur, *quae si negare voluerimus*, inquit, *eidem ipsi, cui credimus, sacrarum Litterarum adversabimur veritati* (7). *Sed nos*, idem Doctor commonet, *non habemus necesse omnia credere, quae continet historia gentium: quum et ipsi inter se*

(1) Ep. Iacobi *cap. 4. vers. 8.* (2) Tobiae *cap. 6. vers. 16., et seq.*
(3) S. August. *serm. 197. de tempore.*
(4) Lactant. *lib. 2. de origine erroris num. 17. in fine.*
(5) *Ep.* ad Hebraeos *cap. 2. vers. 5.*
(6) II. ad Thessal. *cap. 2. vers. 10*: *Oculi tui videbunt extranea*, Salomon ait Proverb. 23. *vers.* h. e. *visiones admirandas* ex versione Chaldaica.
(7) S. August. *de Civ. Dei lib. 21. cap. 16.* Hinc merito refelluntur, qui spiritus, eorumque in terris operationes negant cum Democrito, Epicuro, Averroe, Simplicio, Sadducaeis, ceteris id genus. Porphirius philosophus *ep.* ad Anebontem Aegyptium quaerit, veluti dubitans, utrum in divinantibus, et quaedam mira facientibus animae sint potentiores, an aliqui spiritus extrinsecus veniant, per quos haec valeant: et potius venire extrinsecus coniicit, eo quod lapidibus, et herbis adhibitis, et alligent quosdam, et aperiant clausa ostia, vel aliquid eiusmodi mirabiliter operentur, apud S. August. *lib. 10. de Civ. Dei cap. 11.* Idemque *lib. 7. cap. 19.*, *omnia miracula magorum*, ait, *quos recte sensit esse damnandos, doctrinis fiunt, et operibus doemonum.*

historici, *sicut ait Varro*, *quasi data opera*, *et quasi ex industria dissentiant*, *sed ea*, *si volumus*, *credimus quae non adversantur libris*, *quibus non dubitamus oportere nos credere.* (1).

XX. Tria dona gratis data, acumen ingenii angelici, maxima in motu spirituum velocitas, et penetratio corporum, quibus accessit quam longissima rerum experientia, sunt quae profecto doemonem faciunt sua ipsius natura praepotentem, ac mirificum (2). Non aliis propterea viribus producta magorum praestigia commonent, et explicant theologi, philosophique nostri (3). Ita serpentes coram Pharaone a magis non creati quidem, sed aliunde a doemonibus invisibiliter conquisiti, citoque illuc producti putentur: quemadmodum et ranae instar Moysis (4). Elementa concussa, tonitrua, turbines, procellae ad Iob tentandum commotae celerato ventorum, et nubium appulsu ex horizonte inferiori. Longinqua, et remota confestim (5) nunciata. Mortuorum umbrae ima-

(1) S. Aug. *lib. 21. de Civ. Dei cap. 6.*

(2) Cum S. Augustino Rabanus *de magorum praestigiis* loquens in *can. sciendum est 2. C. 26. qu. 3.*, haec habet. *Duabus rebus quantum ad aerium corpus attinet*, *praeditis*, *hoc est* acumine *sensus*, *et* celeritate *motus*, *multo ante cognita praenuntiant*, *vel nuntiant quae homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam doemonibus per tam longum tempus*, *quo eorum vita protenditur*, *rerum longe maior* experientia, *quam potest hominibus propter brevitatem vitae provenire. Per has efficacias*, *quas aerii corporis natura sortita est*, *non solum multa futura praedicunt doemones*, *verum etiam multa mira faciunt: quae quoniam homines dicere*, *ac facere non possunt*, *eos dignos quidam quibus serviant*, *et quibus divinos honores deferant*, *arbitrantur: instigante maxime vitio curiositatis propter amorem felicitatis falsae*, *atque terrenae*, *et excellentiae temporalis.*

(3) Idem Rabanus S. Augustini doctrinam secutus in *can. nec mirum 14. C. 26. qu. 5.*, scribit. *Non enim fuerunt creatores draconum nec magi*, *nec angeli mali*, *quibus ministris illa operabantur. Insunt enim rebus corporeis per omnia elementa mundi quaedam occultae seminariae rationes*, *quibus cum data fuerit opportunitas temporalis*, *atque causalis*, *prorumpunt in species debitas suis modis*, *et finibus: et sic non dicuntur angeli*, *qui ista faciunt*, *animalium creatores*, *sicut nec agricolae segetum*, *vel arborum . . . Quod autem isti faciunt visibiliter*, *hoc illi invisibiliter.*

(4) *Ars magica moliri nihil aliud*, *quam ad circumscribendos oculos valet*, Lactantius monet *lib. 4. de vera sapientia num. 15.* Et *cit. lib. 2. de orig. error. num. 14*, *Magorum ars omnis*, ait, *ac potentia horum aspirationibus constat*, *a quibus invocati visus hominum praestigiis obcoecantibus fallunt; ut non videant ea*, *quae sunt*, *et videre putent illa*, *quae non sunt. Hi*, *ut dico*, *spiritus contaminati*, *ac perditi per omnem terram vagantur*, *et solatium perditionis suae perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis*, *fraudibus*, *dolis*, *erroribus complent; adhaerent enim singulis hominibus*, *et omnes ostiatim domos occupant*, *ac sibi geniorum nomen assumunt. Sic enim latino sermone daemonas interpretantur. . . qui quoniam sunt spiritus tenues*, *et incomprehensibiles*, *insinuant se corporibus hominum*, *et occulte in visceribus operti valetudinem vitiant*, *morbos citant*, *somniis animos terrent*, *mentes furoribus quatiunt: ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.*

(5) *Castor*, *et Pollux bello Latino apud lacum Iuturnae visi feruntur equorum sudorem abluentes*, *cum aedes eorum*, *quae iuncta fonti erat*, *sua sponte patuisset: iidemque bello Macedonio equis albis insidentes P. Vatino Roman*

ginesque ab ipsis aereo corpore conflatae (1). Phantasmata, et somnia perturbatione sanguinis, et spirituum animalium excita (2), aut praeparata diurnis sermonibus, et studiis, curisque vanis (3): quum bruta etiam somniare cernantur (4). Voces oraculorum ab iis non aliter

nocte venienti se obtulisse dicuntur, nuntiantes eo die regem Persen victum, atque captum, quod paucis post diebus litterae Paulli verum fuisse docuerunt, Lact. *cit. lib. 2. num. 7.*

(1) Facessit hoc negotium Samuel a pythonissa instante Saule excitatus, Rabanus in *cit can. nec mirum 14., quomodo fieri poterat*, inquit, *ut arte magica attraheretur vir, et nativitate sanctus, et vitae operibus iustus; aut si non attractus est, consensit? quod utrumque de iusto credere adversum est.* Ne ratio sacrae historiae inanis fiat, idipsum non ad veritatem rei, *sed ad visum, et intellectum Saul* putat esse referendum. *Historicus enim*, addit, *mentem Saul, et habitum Samuelis describit, ea quae dicta, et visa sunt exprimens; praetermittens si vera, an falsa sint. . . Si enim illi vere Samuel apparuisset, non utique vir iustus permisisset se adorari, qui praedicaverat Deum solum esse adorandum. Et quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiae, dignum ardore gehennae*: cras mecum eris. *His duobus titulis subtilitate fallaciae suae prodidit se improvidum Satanas; quia et adorari se permisit sub habitu, et nomine Samuelis contra legem; et virum peccatis pressum. . . cum Samuele iustissimo futurum mentitus est.* In textu autem sacro Ecclesiastici *cap. 46.* collaudatur Samuel nedum ex iustis vitae suae operibus, sed etiam quia post quam *dormivit, notum fecit Regi, et ostendit illi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Hunc mihi locum Rabani sententiae adversantem iudicavit vir sapientia, moribusque insignis D. Cyrus de Alteriis Monopolitanus primum, dein Acerranus Episcopus. Singula facta eliquare, meum non est. Ad hoc istud nimis controversum videsis Dictionar. Biblic. eximiis notis adauctum a P. Prospero de Aquila Congr. Montis Virg. S. Scripturae Interprete in hac nostra Studiorum Universitate Neap. *verb. Saul.*

(2) Ancyrana Synodus in *can. Episcopi 12. C. 26. qu. 5.*, execratur sceleratas mulieres, quae *doemonum illusionibus, et phantasmatibus seductae credunt, et profitentur se nocturnis horis cum Diana dea paganorum, vel cum Herodiade, et innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, et multarum terrarum spatia intempestae noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus velut dominae obedire, et certis noctibus ad eius servitium evocari.*

(3) *Multas curas sequuntur somnia . . . ubi multa sunt somnia, plurimae sunt vanitates, et sermones innumeri, tu vero Deum time*, monet Ecclesiastes *cap. 5. ver. 2., et 6.* Claudianus eleganti metro id canit. *Omnia, quae sensu volvuntur vota diurno, Corpore sopito reddit amica quies. Venator defessa toro cum membra reponit, Mens tamen ad silvas, et sua lustra redit. Iudicibus lites, aurigae somnia currus, Unaquaque nocturnis meta cavetur equis.*

(4) Lucretius *lib. 3. Quippe videbis* equos *fortes, cum membra iacebunt In somnis, sudare tamen, spirareque saepe. Et quasi de palma summas contendere vires . . . Venantumque* canes *in molli saepe quiete Iactant crura tamen subito, vocemque repente Mittunt et crebras reducunt naribus auras, ut vestigia si teneant inventa ferarum.* Concinit Petronius *in fragmentis:* Et *canis in somniis*, cum Scaligeri *commentariis*, Aristoteles *de divinatione per somnia, de somnis leporis vestigia latrat.* Somniorum caussas edisserunt Hippocrates *de somno, et vigilia* cum Themistii *paraphrasi*, Caesar Merli *lume notturno, o pratica de sogni*, Scipion Dupleix *les causes de la veille, et du sommeil des songes, etc.*

emissae, quam ignota obsessis idiomata (1). Infirmis restituta salus idoneis medicaminibus, aegritudo sanis immissa vel aere infecto, vel damnosis potibus, et cibis. Internae hominum cogitationes ex motibus, et signis corporeis (2), futura naturalia ex praeviis dispositionibus corporum, elementorumque perquisita. *Protegunt umbrae umbram eius* Behemot, ad Iob respondens Dominus dixit . . . *ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur . . . Reputabit quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum aes. Non fugabit eum vir sagittarius. Quasi stipulam aestimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam. Sub ipso erunt radii solis, et sternet sibi aurum, quasi lutum. Fervescere faciet, quasi ollam profundum mare. Post eum lucebit semita. Non est super terram potestas, quae comparetur ei* (3). His addidere magi callidiores, immundique spiritus occultas olim artes, et naturae scientias ad superstitionem (4), praesertim astronomiam, et mathematicam : adeout in sortilegorum classem exitiosam olim redigerentur mathematici (5).

XXI. Cave hinc putes, omnia penitus Naturae arcana daemonem scire, praeterita universa, et praesentia ubique nosse, ac videre. Apage sis : eum porro faceres immensum, et omnituentem instar Dei. Tametsi naturalia cuncta humano etiam ingenio superiora possit facile doemon investigare : at vero is non ubique semper est, non omnia videt, non omnia scit (6). S. Ignatius martyr hac ratione ductus ignotam diabolo fuisse divinam Christi conceptionem, eiusque nativitatem ex intacta Virgine, quamvis desponsata censuit. Futura contingentia penitus ignorat, vix praenoscens ex naturalibus caussis existentibus futuros, eosque necessarios effectus.

XXII. Patescunt iam caussae multiplices variantium praestigiorum, quae incerto fato ars magica ostentat aliquando, at efficere non semper valet. Perpetuum certe ingenium doemoni est seductoris malefici, hostisque saevissimi, tanquam leonis esurientis, et semper illudendi praestigiis voluntas obduratissima. Eius furorem nihilominus videmus iam cohibitum froenis multiplicibus, supremo in primis arbitrio Dei O. M.

(1) P. August. Calmet *dissert. de obsess., et possess. doemonum*, P. Car. Lud. Ricard. *sur la possession des corps, et sur l'infestation des maisons par les demons.*

(2) S. Aug. in *can. quodam loco 3., et ult. C. 26. qu. 4.*

(3) Iob. *cap. 40. vers. 17., et seq., et cap. 41. vers. 18. ad 24.*

(4) Tertullian. *lib. de habitu muliebri* ita docet : *Nam cum et materias quasdam bene occultas, et artes plerasque non bene revelatas saeculo multo magis imperito prodidissent, si quidem et metallorum opera nudaverant, et herbarum ingentia traduxerant, et incantationum vires promulgaverant, et omnem curiositatem usque ad stellarum interpretationem designaverant.*

(5) Iustiniani Codex habet rubricam *de maleficis, et mathematicis, et ceteris similibus*, multasque in ea Principum sanctiones ad illos coercendos. S. Augustinus *lib. 7. conf. cap. 6. num. 8., iam etiam mathematicorum*, ait, *fallaces, divinationes, et impia deliramenta reieceram.*

(6) Petr. le Brun. *cit. lib. 2. histoir. critique cap. 3. num. 13.* Franc. Perreauld. *Demonologie, ou des demons, et sorcier, de leur puissance, et impuissances.*

mox tutela christifidelium bonis Angelis demandata, Deum timentium, et invocantium fide, nec non limitata spirituum stygiorum potestate, ac scientia. Hinc vel ambigua, et obscura, vel falsa plerumque fuerunt oracula idolorum, et pythia responsa versutiora, quam rota figularis, et mutabilia plusquam cerea Daedali numismata, eatenus, ut contemnerentur etiam a philosophis gentium (1).

XXIII. Si quando verum praenunciarunt in iis, quae divinam postulant cognitionem, casu potius id, quam ex certa praescientia contigit, nimirum ex imperscrutabili Dei voluntate. *Quis est enim, qui totum diem iaculans, non aliquando collineet? quid est tam incertum, quam telorum iactus? tamen nemo est, quin saepe iactans, venereum aliquando iaciat, nonnumquam etiam iterum, ac tertium. Num igitur, ut inepti, Veneris id fieri impulsu malumus, quam casu dicere* (2)? Deploranda igitur est, vel deridenda cum S. Augustino eorum stultitia, qui *ipsum praestigiatorem, nihil aliud, quam fallaciam profitentem, diligenter intuentur, et cautissime observant: et si eluduntur, quia sua non possunt, illius delectantur scientia, eos eludit* (3).

XXIV. Non aliud intendit praestigiorum effector diabolus, nisi homines ad rebellandum a Deo incitare, atque ad superstitiosum cultum traducere. *Illi autem, qui desciverunt a Dei ministerio*, docet Lactantius, *quia sunt veritatis inimici, et praevaricatores Dei, nomen sibi, et cultum deorum vindicare conantur: non quod ullum honorem desiderent, quis enim honor perditis est? nec ut Deo noceant, cui noceri non potest; sed ut hominibus, quos nituntur a cultura, et notitia verae maiestatis avertere, ne immortalitatem adipisci possint, quam ipsi sua nequitia perdiderunt. Offundunt itaque tenebras, et veritatem caligine obducunt, ne dominum, ne patrem suum norint, et ut illiciant, facile in templis se occultunt, et sacrificiis praesto adsunt; eduntque saepe prodigia, quibus obstupefacti homines fidem commodent simulacris divinitatis, ac numinis. Inde est, quod ab augure* Accio Naevio coram Tarquinio Prisco Romanorum rege *lapis novacula incisus est, quod Iuno Veiensis migrare se Romam velle respondit, quod Fortuna muliebris periculum denuntiavit, quod Clau-*

(1) Cicero *lib. 2. de divinatione* haec sapienter scripsit: *tuis* Apollo *oraculis Chrysippus totum volumen implevit partem* falsis, *ut ego opinor, partim* casu veris, *ut fit in omni oratione saepissime; partim* flexiloquis, et obscuris, *ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes; partim* ambiguis, *et quae ad dialecticum referenda sint.* Ambigua dein responsa ex Apollinis oraculo data Chraeso, et Pyrrho, quae utrumque fefellerunt, carpit. *Sciunt illi quidem futura multa, sed non omnia; quippe quibus penitus consilium Dei scire non licet, et ideo solent responsa in* ambiguos *sensus temperare*, Lactantius ait *cit. lib. 2. num. 14.* Plutarch. *de superstit.* ait: *Superstitionis ridicula sunt opera, atque effectus, verba, motus, praestigiae, incantationes, circumcursitationes, tympanorum pulsiones, lustrationes impurae, sordidae castimoniae etc.*

(2) Ait Cicero *ibidem.*

(3) S. Aug. *lib. de vera religione num. 94.*

diae manum navis secuta est, *quod in sacrilegos*, *et Iuno nudata*, *et Locrensis Proserpina*, *et Ceres Milesia vindicavit*, *et Hercules de Appio*, *et Iuppiter de Atinio*, *et Minerva de Caesare. Hinc quod serpens urbem Romam pestilentia liberavit Epidauro accersitus* (1). Propterea Satanas se Angelum lucis esse mentitur, suosque ministros magia imbutos per speciem probos, et iustos viros non raro ostentat, ad faciliorem humani generis seductionem (2).

XXV. Æque idololatriam, ac magicas artes post Adae lapsum diabolus idem initio praedocuit (3). S. Iustinus affirmate docet a malis angelis *genus humanum sibi in servitutem addictum partim scriptis magicis*, *partim sacrificiis*, *suffimentis*, *et libaminibus edocendis* (4). A scelesto Caino in primis, et maledicto Cham post diluvium, eorumque progenie acceptam, et propagatam una cum deorum cultu magiam ferunt Patres, et quem Zoroastrum magiae primarium in Orientalibus regionibus auctorem dictitent historici, non alium, nisi Cham filium Noe fuisse (5). Hinc innumera disciplinae magicae volumina a Syris, Babyloniis, Ægyptiis, Graecis, Latinis (6), Afris doemonum discipulis evulgata ad cultores doemonum augendos, et scholas magorum (7). *Hinc omnia miracula magorum doctrinis fiunt*, *et operibus daemonum*, docet S. Augustinus (8). Ex Dei O. M. gratia factum est,

(1) Lactantius *lib. 2. de orig. error num. 16.*

(2) S. Aug. in cit. can. *nec mirum C. 26. qu. 5. Porro autem hoc est praestigium Satanae*, *quo ut plurimos fallat*, *etiam bonos in potestate se habere confingit. . . in habitu viri iusti se subornavit.* Dominus ad Iob. *cap. 41. vers. 4. et seq. Quis revelabit faciem indumenti eius ? portas vultus eius quis aperiet ? De ore eius lampades procedunt*, *sicut taedae ignis accensae. De naribus eius procedit fumus*, *sicut ollae succensae aquae ferventis. . . Cum sublatus fuerit*, *timebunt angeli*, *et territi purgabuntur.*

(3) Idolatriae ortum iam indicavi superius *lib. II. tit. III. num. II. ad V.*

(4) S. Iustinus *apologia 2. num. 5.*

(5) Ex antiquis X. *libris recognitionum* S. Clementi falso inscriptis *lib. 4.*, quos memorant Origenes, S. Epiphanius, plerique priscorum Patrum. S. Augustinus *lib. 21. de civ. Dei cap. 14.*, Zoroastrum Bactianorum regem, quem Ninus rex Assyriorum debellavit, inventorem magicarum artium perhiberi scribit.

(6) Numam Pompilium Romanorum regem ab Ægeria nympha ritus religiosos, quos conscripsit, accepisse Varro testatur, eosque in illius sepulchro inventos, *Patres conscripti*, *Praetor ut combureret*, *censuerunt*, S. Aug. *cit. lib. 7. c. 34.* Apuleius librum *de Deo Socratis conscripsit*, nimirum doemone.

(7) S. August. *cit. lib. 21. de civ. Dei cap. 6. Ut autem illiciantur*, inquit, *doemones ab hominibus*, *prius eos ipsi astutissima calliditate seducunt*, *vel inspirando eorum cordibus virus occultum*, *vel etiam fallacibus amicitiis apparendo*, *eorumque paucos discipulos suos faciunt*, *plurimorumque doctores. Neque enim potuit*, *nisi primum ipsis docentibus*, *disci quid quisque illorum appetat*, *quid exhorreat*, *quo invitetur nomine*, *quo cogatur*, *unde magicae artes*, *earum*, *que artifices extiterunt.* Tatianus initio orationis adversus Graecos urget a barbaris eos instituta sua accepisse, ex eo quod artem ex somniis divinandi Telmessenses invenerunt, praenoscendi ex astris Cares, auspicia Pryges, et Isauri, haruspicinam Cyprii, astronomiam Babilonii, magiam Persae.

(8) S. Aug. *lib. 8. de civ. Dei cap. 19.* Hesidodus *in thoephonia* suum cum Musis commercium praedicans scribit : *in universum antiquissimis Graecorum poetarum singularis quaedam cum doemonibus familiaritas intercessit. Certe*

ut Iosephus Israelita Ægyptios doceret veram de Deo, et Angelis sapientiam, naturalesque scientias, praesertim utiliorem agriculturam, geometriam, astronomiam (1). Dein Daniel Assyrios, et Persas (2). At veritates ab iis Patriarchis acceptas corruperunt superstitionibus innumeris idolatrae quum seductores gentium, tum seducti.

XXVI. *Magia* vox persica sapientiam latine, philosophiam graece sonabat. In sacris autem Litteris, et Patrum scriptis accipitur speciatim pro *mantia*, h. e. *divinatione*. Ea ex multis, quas complectitur, artibus divinandi scientiam iactantibus, consuevit variis appellari vocabulis. *Theurgia* in primis dicebatur, quae traderet artem invocandi deos, seu doemones certis caeremoniis, carminibus, sacrificiis, et consecrationibus, quas *teletas* vocabant, h. e. perfectas expiationes ad suscipiendum, videndumque spiritus doemonum idoneas (3). Eam exercebant *arioli* ita dicti, quod nefarias preces circum aras idolorum funderent, iisque litarent: nec non *aruspices*, qui victimas in ara immolatas inspicerent, omen capientes ex hostiae, vel viventis motibus, vel mactatae extis (4), flamma, fumo (5). *Pythones* etiam, et *pythonissae* a pythio Apolline

tales in vulgus sese voluisse censeri, ipsorum carmina non loquuntur, sed clamant. Omnem vero illam Magiam ex Ægypto primum advenisse Iuvenalis *sat. 15. Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens Ægyptus portenta colat* Ovidius divinationem a diis obvenire canit: *Est Deus in nobis sunt, et commercia coeli, Sedibus aethereis spiritus ille venit.*

(1) Pharaon agnita Iosephi sapientia dixit ad ministros suos *num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* Mox ad Ioseph: quia ostendit tibi *Deus omnia, quae locutus es, numquid sapientiorem, et consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Genesis *cap. 41. vers. 38., et sequ.* Ita *constituit eum dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae, ut erudiret principes sicut semetipsum, et senes eius prudentiam doceret, psalm. 104. vers. 21., et 22.* Traditas a Iosepho praecipuas scientias tunc rudibus Ægyptiis fert Artabanus in *comm. Iudaeorum* laudatus ab Eusebio *lib. 12. praep. evang. cap. 23.* Hinc falli, et fallere eos patet, qui cum Iustino historico Iosephum patriarcham calumniose ferunt Ægyptiorum magorum fuisse discipulum.

(2) Danielem *rex Nabuchodonosor principem magorum, incantatorum Chaldaeorum, et aruspicum constituit: quia spiritus amplior, et prudentia, intelligentiaque, et interpretatio somniorum, et ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inventa sunt in* eo, Danielis *cap. 5. vers. 11., et 12.* Tum ipse Daniel a Balthassare Babylonis rege *potestatem habuit tertio in regno suo*, confirmatam a Dario Medo eius successore, *qui cogitabat constituere eum super omne regnum*, Danielis *cap. 5. vers. 29., et cap. 6. vers. 2., et seq.* Assyrios inde, et Persas Daniele eruditos narrat. Fl. Iosephus *lib. 10. antiqu. cap. 12.*

(3) Ex Porphyrio philosopho, et mago apud S. Aug. ibid. *lib. 10. cap. 9.*

(4) Sylla in vitulino iecore speciem coronae aureae imperium ominantis vidisse, quum Tarenti sacrificaret, fertur apud S. Aug. *lib. 2. de civ. Dei cap. 24.*

(5) *Capnomantes* appellabant graeci divinatores ex fumo arae. De iis, quales fuerunt Cyrenes germanaeque nymphae, ita Virgil. 4. *Georg. vers. 384., Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam, Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit, Omine, quo firmans animum, sic incipit ipsa.* Romani omnium superstitiosissimi Collegium aruspicum, et augurum habuere publicis legibus institutum. Sed Cato sapiens *mirari se aiebat, quod non rideret arur-*

divinatorum principe nomen, a theurgicis vero expiatoribus pythium spiritum habentes. *Incantatores* insuper, qui conceptis verbis, carminibusque sacris, vel rectius inquam execrandis, doemones allicere putabant ad obsequendum votis, explendas cupiditates (1), et quaevis mira patranda. *Necromantiam* Graeci appellarunt, quae ritum exciendi mortuos, larvas nimirum lemures, et phantasmata mortuorum, spiritusque inferos ad opus divinationis adhiberet (2). Quae vero ars ederet praestigia e terra *geomantiam*, ex aqua *hydromantiam*, ex pelvi *lecanomantiam* (3), ex variis machinationibus *manganiam*, ex aere *aeromantiam*, ex igne *pyromantiam* (4) ex speculo *catoptromantiam* denominare consueverunt. Pariter a securibus, et dolabris instar gnomonis in gyrum actis *axinomantiam*, a talis *astragalismum*, a sagittis *belomantiam*, a clavi *chleidomantiam*, a virgis, et lignis *rabdomantiam*, a carminibus poeticis *rapsomantiam*, a nominis sortitione *onomantiam*, a fumo arae *capnomantiam*, a somnis *oniromantiam*, a cribro *coscinomantiam* (5), a numeris *arithmantiam*, a numerorum litterarumque tradita significatione, et commutatione ad vaticinandum artem *cabalisticam* Rabini hebraeorum effinxerunt. Eas qui profiterentur, *praestigiatores* dicti, quia oculos intuentium ita *praestringerent*, ut dolus in spectris, et visionibus, et manuum dexteritate illudens inspici non posset, resque aliter quam revera esset, videretur (6). *Stri-*

pex, *aruspicem cum vidisset*, ex testimonio Ciceronis *lib. divin. n. 51.*, eam sententiam collaudantis, ut fallacem ostenderet auspiciorum eiusmodi religionem.

(1) Huc illud Virgilii *eclog. 8. Frigidus in prato* cantando *rumpitur anguis*, Tibulli etiam *lib. 1. eleg. Ipseque ter circum lustravi fulfure puro*, Carmine *cum* magico *praecinuisset anus.*

(2) Constantin. Imp. in *l. multi 6. C. de maleficis*, *et mathematicis*, necromantici dicuntur diis *Manibus accitis* audere *vitam insontium labefactare.* De his Rabanus in *cit. can. nec mirum 14. C. 26. qu. 5.* Mortui divinationem sonat ea vox apud latinos, a νεκρος, h. e. mortuus μαντειας, divinatio. *Mox etiam* lemures *animas dixere silentum*, canit Ovidius *fastor. 5.* Hinc festa *lemuria* mense Maio instituta, de quibus ita Ovid. ibidem. *Ritus erit veteris nocturna lemuria sacri: Inferias tacitis Manibus illa dabunt.* Consulendi hac de re Henricus Kormannus *de miraculis mortuorum*, et L. Christ. Frid. Garmannus *in eodem tractatu.* Io. Mich. Sontagius *de spectis*, *et hominibus morientium.*

(3) Numa iam dictus Romanorum rex hydromantia usus est, *ut videret in aqua imagines deorum*, *vel potius ludificationes doemonum*, *a quibus audiret*, *quid in sacris constituere*, *utque observare deberet. Quod genus divinationis Varro a Persis dicit allatum*, *eoque ipsum Numam*, *et postea Pythagoram usum fuisse commemorat*, S. Augustinus *cit. lib. 7. cap. 35.* Leconomantiam facere dicebantur, pelvim aqua plenam adhibentes, a λεκων, h. e. pelvis, de quibus Strabo *lib. 5.*

(4) Eiusmodi species magiae recensentur omnes in *cit. can. igitur.*

(5) Auctores de singulis eiusmodi magicarum artium differentes videsis in cathalogo D. Langlet *to. 2. par. 2. cit. recueil de dissertations.*

(6) Ex *cit. can. ne mirum 14.* Spectra larvarum, quae vigilantes videant, vento, et somno aequiparat Poeta, ita canens. *Ter conatus ibi collo dare brachia circum*, *Ter frustra comprensa manus effugit imago*, *Par levibus ventis*, *volucrique simillima somno.*

gones strictim confoederati consiliis, operibusque magicis ad decipiendum, simul et *striges* (1). *Sagae* a *sagiendo* dictae, quasi multa sat scire, et agere valeant. *Lamiae* item voracissimae, et speciosae, alias *laniae* a laniendis carnibus humanis appellatae (2). *Auspices* ab inspiciendis avibus praetervolantibus (3), *augures* ab eo, quod aves gererent, spectando (4), dixerunt hetrusci, et latini. Eiusmodi magicas artes calluere apud Indos Gymnosophistae, et Brachmanes, apud Gallos Druidae, et Bardi, ubique gentium malefici praestigiatores, et fanatici, omnes quia mendaces abhorret pagana etiam philosophia (5).

XXVII. *Astrologia* fallacissimam pollicetur ex compertis astrorum legibus (quas proba tradit Astronomia) scientiam divinandi, et vaticinandi futura contingentia, et vitae humanae quum prospera, vel adversa, tum brevitatem, vel longitudinem (6). Ea abutuntur fatidici *gene-*

(1) Io Fr. Pici Mirandulani *strix*, seu *de ludificatione daemonum*.

(2) Barth. Spina *de strigibus*, *et de lamiis*, et Franc. Ponzinibius *de lamiis* in thes. magno Iuricons. *to. 15.*, Io. Wierus *de lamiis*, Paull. Grillandus *de sortilegis*, *et lamiis*. Georg. Godelmannus *de magis*, *veneficis*, *et lamiis*. Hocce vocabulum derivant a graeco verbo λαιμάω, h. e. *devoro* nimia ingluvie: aut λαιμὸς, h. e. sacra victima. Nam pueros immolatos devorare lamiae feruntur. Hiuc Horatius: *neu pransae lamiae puerum vivum extrahat alvo*. Et Chrysostomus *orat. 55*: *soles mirari leones*, *aquilas*, *et scyllas*, *et cyclopes*, *non aliter*, *quam solent nutrices pueros*, lamiae *adventum narrantes*.

(3) Cui spectio erat avium, auspex trabea, h. e. augurali toga amictus, sedens vultu ad orientem converso aliquam coeli partem lituo, scilicet incurvo baculo designabat, qua *templum* dicebatur: dein observans sedulo qua eius templi parte, quae aves, quo cantu, gestuque sese ostenderent: ex visis dextrorsum plerumque infaustum omen sinistrorsum felix pronunciabat, ex Dion. Halicarnass. *lib. 11. cap. 5.*, Lucano *lib. 3.* Hinc faustum Galatheae navigaturae omen a laevo pico datum Lambinus sensit contra Io. Bond. in ea Horatii carmina *lib. 3. ode 27. vers. 15. Sis licet felix ubicumque mavis. . . Teque nec* laevus *vetet ire picus*, *Nec vaga cornix*. At Vigilio *Bucolic. 1. vers. 18.*, infortunium visa est praedicare sinistra cornix. Nec sane mirum, quia in nugis divinationi eiusmodi maxime dissentiebant opiniones et vulgi, et philosophorum. Praeclarum est hac in re testimonium Ciceronis *lib. 2. de divinat. num. 76.*, *et 93. Externa*, inquit, *auguria*, *quae sunt non tam artificiosa*, *quam superstitiosa*, *videamus. Omnibus fere avibus utuntur non admodum paucis. Alia illis sinistra sunt*, *alia nostris. Solebat ex me Deiotarus percontari nostri augurii disciplinam*, *et ego ex illo sui*, *Dii immortales quantum differebant. . . . Haec quanta dissensio est? quid*, *quod aliis ossibus utuntur*, *aliis signis. Aliter observant*, *aliter respondent. Non necesse est fateri partim harum errore susceptum esse*, *partim superstitione multa fallendo?*

(4) Cicero *de amicitia lib. 2.*, tradit augures tunc proprie *commentari*, quum omen captarent ex volatu, vocibus, esu avium, quas *oscines*, aut *oricines*, ubi canerent, vocabant; *praepetes* quae volarent, eorumque caveam *auguraculum*. Tametsi auguria etiam ex terrae, animantibus, tum ex fulminibus, tonitruis, rebusve aliis contingentibus *commentari* consueverunt.

(5) Cic. *lib. 2. de divinat. quomodo id*, ait, *quod temere fit eaeco casu*, *et volubilitate fortunae praesentiri*, *et praedici potest? . . . Si falluntur ii*, *qui nihil sine aliqua probabili coniectura*, *ac ratione dicunt*, *quid existimandum est de coniectura eorum*, *qui extis*, *aut avibus*, *aut ostentis*, *aut somniis futura praesentiunt?*

(6) Per inspectionem astrolabii, ait Alexander III. in *cap. ex tuarum 2. de*

thliaci, et *horoscopi*, natalem cuiusque diem, vel horam speculantes, ut ex noto astronomis cursu, et aspectu constellationum, syderum, planetarum praesagia venditent sua, aut dies fastos a nefastis discernant. Horum superstitionem proscripsit Apostolus ad Galatas scribens: *dies observatis, et tempora, et menses, et annos: timeo, ne frustra laboraverim in vobis* (1). Liberum hominibus arbitrium a Deo datum ea lege, ut agentes bona opera gaudium aeternum, mala vero ignem ab ipso Remuneratore iustissimo expectent; simul et libera ipsius Dei O. M. providentia, humanarumque sortium distributio omnino repugnant necessariis astrorum fatis (2). Adoratores vero Christi nati Magos sortilegis eiusmodi auguribus adnumerare non debemus, sed philosophos tantum putare syderalis scientiae peritos ex communiori Patrum sententia: quum mos orientalibus sit suos sapientes appellandi magos. Astrologorum sectatores sunt etiam *chyromantici* ex manuum lineamentis, et *physiognomici* ex vultu, naevis, et naturalibus membrorum affectionibus divinantes.

XXVIII. Ex tot tantisque magorum officinis prodierunt *maleficí*, et *venefici* incantatores. Isaias Babyloni perniciem ex maleficiis, et magicis incantationibus properatam praedixit (3). Innumera veneficorum prodi-

sortilegiis. Cicero *lib. 2. de divinat.* ridet fatum Romanae urbis praefixum in iugo Lunae a L. Tarutio Chaldaea astrologia erudito. S. Augustinus *de civ. Dei lib. 5.* in prioribus capitibus falsam refellit opinionem de fati necessitate, quod in stellarum positione supponunt astrologi. Videlicet quod Mars ita positus homicidam facit nascentem, Iuppiter dominatorem, et felicem, Saturnus infelicem, Venus incontinentem etc. Enimvero in mentes humanas liberas suaque sponte agentes nullam omnino potestatem corpora coelestia possunt habere. Experientia vero fallacia dudum detexit astrologiae vaticinia ex diversis geminorum motibus, vita, fortuna, quales fuere cum primis Iacob, et Esau, ex disparitate sexus, et dissimili plerumque valetudine. Tum risui habet S. Doctor rotam figularem a Nigidio mathematico coelestibus spheris comparatam. *Assyrii, Chaldaei. . . diuturna observatione syderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset: Aegyptii longinquitate temporum innumerabilibus saeculis eamdem etiam artem consecuti putantur.* Cic. *lib. 1. de divinat. num. 2.*

(1) Ep. ad Galatas *cap. 4. vers.* Hunc locum explicans S. Augustinus in *can. quis aestimaret 17. C. 26. qu. 7.*, *magnum peccatum* esse docet *dies observare, et menses, et annos, et tempora, sicut observant qui certis diebus sive mensibus, sive annis volunt, et nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta, vel infausta existiment tempora.* Idem S. Doctor *lib. 10. confess. cap. 35. Inest animae per eosdem sensus corporis quaedam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem vana, et curiosa cupiditas nomine cognitionis, et scientiae palliata . . . Hinc ad perscrutanda Naturae secreta, quae praeter nos est operata, proceditur. Hinc etiam siquid eodem perversae scientiae fine per artes magicas quaeritur.*

(2) Effatum illud astrologorum: *ducunt volentem fata, nolentem trahunt:* pagani etiam sanae mentis adeo respuunt, ut supremum fatorum arbitrum Iovem fatererentur non coactum, sed voluntarium, cum Annaeo Seneca *ep. 8*, quem laudat S. Augustinus *lib. 6. de civ. Dei cap. 8.* Homerus *odyss. 18. talis mens est terrestrium hominum*, ait, *qualem in diem ducit hominum, deorumque pater.* Eamque sententiam M. Tullio placuisse notat S. Aug. *ibidem.*

(3) Isaias *cap. 47. vers. 9., et 12. Venient tibi dico haec subito in die una,*

gia fabulantur poetae, paganique scriptores, vel carminibus magicis effecta (1), vel virgis, annulis, lapidibus, herbis, poculis, cibisque incantatis, praesertim Circaeas transformationes (2), Tiresianas, et Ovidianas metamorphoses (3), asinum aureum Apulcii, lycanthropos luporum rabiem, et formam indutos a daemonibus Archadum, volucres Diomedaeas, Medaeam volantem. *Haec vel falsa sunt, vel tam inusitata, ut merito non credantur*, monet S. Augustinus: quum nonnisi phantasmata brutorum potuisset daemon ostentare, vel praestigiis oculos fallentibus, vel ex venefico potu, aut cibo dormientibus graviter, et somniantibus brutas induisse formas (4). *Non amat falsum auctor veritatis, adulterium est, apud illum omne, quod fingitur*, Tertullianus monet (5). Idcirco Deus *perdet omnes, qui loquuntur mendacium* (6).

XXIX. Falsis divinatoribus adduntur somniorum interpretes (7), qui *somnialia scripta* sub ementito Danielis nomine sectantur (8), et *Onei-*

sterilitas, et viduitas propter multitudinem maleficiorum *tuorum, et propter duritiem* incantationum *tuarum . . . sta cum* incantatoribus *tuis*. Manasses propter *magos, et incantatores*, quos habuit secum, reprehensus est, II. Paralipom. *cap. 33. v. 6.*

(1) Venefícam tali arte pollentem fert Virgilius *Aeneid. 4.*, ita canens: *Haec se carminibus promittit solvere mentes. Quas velit, est aliis duras immittere curas, Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro, Nocturnosque ciet manes, mugire videbis, Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.* Apud S. Augustinum *lib. 10. de civ. Dei cap. 11.*, Porphyrius narrat a Chaeremona mago scriptum, quomodo Aegyptii Isidem, et Osiridem deos magicis carminibus cogerent ad postulata efficiendum, ubi nimirum ii comminarentur eos, vel prodere, vel evertere, vel membra dissipare, si iussa negligerent.

(2) Famosa Cyrce fertur scyllam puellam in monstrum marinum convertisse, socios Ulyssis in porcos, uxorem Pici Latinorum regis in avem Canentem; eaque, ut canit Tibullus *lib. 4. apta, vel herbis, Aptaque, vel cantu veteres mutare figuras*, Ovidius: *Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulcro Mutari credunt humanas* angue *medullas.*

(3) Tiresias *Thebanus* vates baculo percussas angues in muliebrem formam commutasse, iterumque in virilem ab Ovidio fertur inter innumeras ipsius fabulas. Ausonius *lib. epigramm. Nec satis antiquum, quod Campano in Beneventio Unus epheborum virgo repente fuit.* Empedocles Agrigentinus a Philostrato *lib. 1.* ita locutus effingitur: *Et puer ipse fui, nec non quandoque puella.* Nabuchodonosoris divinam transformationem ita aemulari daemones videntur.

(4) S. Aug. *lib. 18. de Civ. Dei cap. 18. num. 2.* ubi fert a quodam Praestantio indicatum, patrem ipsius manducato caseo venefico plures dies in lecto suo altius obdormisse, postea evigilantem narrasse, quomodo is in equum commutatus annonam inter alia iumenta baiulasset militibus ad Rhaetias. Addit philosophum quemdam Platonicum cuidam, ab eo nonnulla didicisse fatebatur, respondisse: *non feci, sed me fecisse somniavi.* Sic *alteri per imaginem phantasticam exhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somnis*, concludit S. Doctor.

(5) Tertullianus *de spectaculis cap. 23.*

(6) Psalm. *5. vers. 7.*

(7) Manasses rex Ierusalem adolescens in sacris Bibliis redarguitur, quod *observabat somnia, sectabatur auguria maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos, et incantatores . . . coram Domino, ut irritaret eum*, II. Paralipom. *cap. 33. vers. 6.*

(8) *Can. non observetis dies 16. C. 26. qu. 7.*

romantiam (1), velut artem, scientiamque peritiis comparatam (2). Pithagoras, et Plato, *quo in somnis certiora videamus, praeparatos quodam cultu, atque victu proficisci ad dormiendum iubent* (3), id irridens Cicero scribit, *videri* enim *possunt permulta somniantibus falsa pro veris* (4). Permultae gentes herbis, radicibus, suffimentis, coeremoniis superstitiosis adscire sibi somnia putabant (5). *Explodatur haec quoque somniorum divinatio pariter cum ceteris: nam ut vere loquamur*, Tullius recte docet, *superstitio fusa per gentes oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit* (6). Quum nullam in se vim naturalem futura praesentiendi habeant somnia, consequitur ea omnino inania esse, et fallentia. Ex sacris Litteris *vana spes, et mendacium viro insensato*, et somnia *extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum: sic et qui attendit ad visa mendacia... Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium vanitas est. Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis* (7). Itaque excipiuntur so-

(1) D. de Mirbel Advocatus Parisiensis libellum inscripsit le *palais du prince du sommeil, ou est insegneé l'Orinemancie, autrement*, l'art de deviner par les songes, Artemidorus Ephesius *oneirocritica*, seu *de somnior. interpretat*, Iosuel Hunepaei *onirocriseos* liber. Langlet *recueil de dissertations sur les apparitions, les visions, et les songes* qui *to. 2.* catalogum exhibet Scriptorum de spiritibus bonis, et malis, de apparitionibus, et revelationibus, de somniis, de magia, et sortilegiis, de spectris, et operationibus doemonum, de obsessis, et exorcismis, de iudiciis, et poenis sortilegorum.

(2) *Quemadmodum sensu confirmatur memoria* (inquit Aristoteles *de Oneiromantia*) *ex memoria vero eiusdem rei saepius obtenta nascitur peritia, ex pluribus peritiis cumulatur ars, et scientia: simili ratione oportebit et circa somnia incedere.* In eadem sententia fuit Synesius *de somniis.* Rerum species et phantasmata, quae videre somniantes putant, quid boni, vel mali hominis significent, post Artemidorum, Apomazar, et ceteros in tabulam alphabeticam redegit antedictus Mirbel apud Langlet: instar eius, qua desipientes nimirum utuntur ad quinos ex nouaginta numeros in ludo sortitionis aritmeticae divinandos, eorumque binarios, et ternarios: quamvis eam malo suo inanem in dies experiantur.

(3) Boetius addit: *Tu quoque si vis lumine claro cernere verum, tramite recto carpere callem, gaudia pelle, pelle timorem, nec dolor adsit spemque fugato, nubila mens est, vinctaque froenis, haec ubi regnant.*

(4) Cic. *lib. 2. de divinatione.* Seneca *in Herculo furente*, canit: *Somnus veris miscens falsa: futuri Certus, et idem pessimus auctor.* Somnia Orestis fabulosa in proverbium cessere. Tibullus *eleg. lib. 3: somnia fallaci ludunt temeraria nocte, Et pavidas mentes falsa timere iubent.*

(5) Hinc Virgilius. *In dubiis responsa petunt, huc dona, sacerdos Contulit, et Caesarum ovium sub nocte silenti, Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.* Ovidius, ni fallor, canit. *Praescia venturi laurus fert signa salutis. Subdita puluillo somnia vera facit.* Saturnum uti contemplationis deum, somnique principem colentes conceptis verbis solebant ab eo somnia expetere. Mirbel *cit. dissert. cap. 9.* (6) Cic. *lib. 1. de divinat.*

(7) Ecclesiastici *cap. 34. vers. 1.. et seq.* Ieremias *cap. 23. vers. 25: audivi, quae dixerunt prophetantes in nomine meo mendacium, et dicentes somniavi, somniavi.*

lummodo, quae Deus ingesserit aliquando (1), hominesque ab eo inspirati explicaverint, instar Iosephi, et Danielis, quorum alter Pharaonis, alter Balthassaris visa obscurissima certo indicarunt. Nam *intelligentia opus est in visione*, inquit Daniel (2), h. e. divina revelatione. *Vir in multis expertus cogitabit multa, et qui multa didicit, enarrabit intellectum*, Ecclesiasticus addit (3). Plura etiam per somnum placita sibi Deus palam revelavit nedum Prophetis suis, sed aliis etiam hominibus. Ad Abimelech regem Gerarae *venit Deus per somnum nocte, et ait illi*: en morieris *propter mulierem* Saram, *quam tulisti: habet enim virum* Abraham... *redde viro suo uxorem, quia propheta est, et orabit pro te, et vives* (4). Huc spectat illud Eliu ad Iob: *semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit. Per* somnium *in* visione *nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulis: tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit* (5). Gentes vero seductae a diis suis expetebant somnia (6), et inferorum Manibus (7).

XXX. Ut astronomiam astrologi, ita medicinam faedarunt magi, spiritusque tartarei, blandientibus primum pharmacis, et amuletis, mox veneficis poculis, et fascinationibus (8). Deos primum, deasque sanandis aegris praepositos effinxerunt, Æsculapium, Isidem, Serapidem (9). Dein animantibus, metallis, lapidibus, plantis, radicibus, herbis,

(1) *Terrebis me per somnia, et per visiones horrore conculies*, ad Dominum inquit Iob *cap. 7. vers. 14.* Daniel in somno quatuor bestias e mari ascendere cum vidisset, perterritus veritatem visionis ab uno adsistentium Prophetarum quaesivit, et invenit. Danielis *cap. 7. vers. 15., et 16. Si quis fuerit inter vos propheta, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*, Dominus inquit Numeror. *cap. 12.*

(2) Daniel *cap. 10. vers. 1. Non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas*, Amos *cap. 3. vers. 7.*

(3) Ecclesiastici *cap. 4. vers. 21.*

(4) Genesis *cap. 20. vers. 3., et seq.*

(5) Iob *cap. 33. vers. 14., et 15.*

(6) Orphei carmina id satis testantur. *Nuncie futurorum*, ait, *vaticinator maxime, Accedis ad animas somni quiete demulctas, Easque compellans suscitas mentem. Sententias numinum beatorum eis per somnium subinseris, Silens silentibus animis ventura pronuncias.*

(7) Virg. *Aeneid. lib. 6. Sunt geminae somni portae, quarum altera fertur Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris: Altera candenti perfecta nitens elephanto, Sed falsa coelum mittunt insomnia Manes.* Ovidius autem *metamorph. lib. 11.*, Regem somni effinxit palatium inhabitare in profundo antro sine ianuis.

(8) Plinius *lib. 30. cap. 1. Medicina primum*, ait, *natam magiam specie salutari irrepsisse, velut altiorem, sanctioremque, quam Medicam, nemo dubitat, blandissimis, desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus.* Tertullian. *lib. de anima* monet, *quae in speciem benignitatis, et utilitatis comparata, veluti beneficia eo subtilius fallunt, dum per ea, quae iuvant, ab inquisitione verae divinitatis adducit diabolus ex insinuatione falsae, et eo magis laedit iuvando.*

(9) Fana hinc celebrata ex mirificis eiusmodi curationibus, non sine fraude vulgatis, ostentatisque. Hunc alludit Tibullus *lib. 3. eleg. 3. Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi, Picta docet templis multa tabella tuis.*

liquoribus ceteris rebus astrum cuique sympaticum statuerunt, mox lustrationem religiosam, incantationemque addidere ad praestigia, et divinationes (1). Hinc amatoria philtra (2), et maleficia ad necem tabe lenta inferendam (3), ad somnum immittendum, ad perferendam inediam, ad abortum, ad sterilitatem, ad odium vel benevolentiam, ligaturae multiplices ad officia coniugalia (4), ad partum (5), actionesque liberas qua hominum, qua brutorum impediendas (6), veneficae puerperarum fascinationes (7), rhachitis puerorum (8), nimiae lau-

(1) Iamblicus *par. 3. de mysteriis Aegyptiorum cap. 16. et 17.* inventas ab Aegyptiis artes divinationis superstitiosae enarrat, ab iisque ad Graecos translata cum diis, et caeremoniis fert Herodotus *lib. 2. hist.*

(2) Philtrorum inanitatem peritissimus Ovidius patefacit *lib. 2. de arte amandi*, ita canens: *Fallitur, Aemonias si quis decurrit ad artes, Datque quod a teneri fronte revellit equi. Non facient, ut vivat amor Medeides herbae, Mixtaque cum magicis mersa venena sonis. Phasias Aesonidem, Circe tenuisset Ulyssem, Si modo servari carmine posset amor. Hippomanes* ad id a Virgilio *lib. 4. Aeneid.* dicitur *Nascentis equi de fronte revulsus, et matri praereptus amor.* Non philtris, sed ipsius Ovidii testimonio, *moribus, ac forma conciliatur amor.* Olimpiades Philippi Macedonum regis uxor quum conspexisset elegantem puellae formam, quam rex deperibat, vana de philtro calumnia reiecta, *tu*, inquit, *in te philtra habes.* Lapsae naturae fomes, ad malum prona adolescentia, venantes oculi, prava colloquia philtrum lethale animabus propinant.

(3) Lunam cantu magico in terras pertractam in herbas despumare venditabant, iisque ita vim magicam infundere: nisi crepitu dissono averteretur. Ovid. *lib. 7. metamorph. fab. 2. Te quoque Luna traho, quamvis Temesaea labores Aera tuos minuant.* Et Martial. *lib. 9. epigr. 30. Quae nunc Thessalico lunam deducere rhombo sciet.*

(4) De iis ita Virgilius *eclog. 8. Necte tribus nodis ternos Amarylli colores: Necte Amarylli nodos, et Veneris die vincula necto.* S. Hieronymus eos dicit *rei uxoriae hostes, qui vel perpetuas, vel nimium diuturnas nuptiarum ferias feriali carmine, et nodo indicunt.*

(5) Pausanias in *Baeoticis* haec habet: *Pharmacidas Thebam a Iunone missas aiunt, ut parturienti Alcmenae impedimento essent: sed eas, dum Alcmenae partum inhiberent, a Trieriae filia Historide tali commento delusas. Ex eo namque loco, unde illae facile audire possent, clamavit* peperisse iam Alcmenam. *Illas ea voce deceptas statim abiisse, Alcmenam illico puerum enixam.* Apuleius *lib. 1. de asino* item fabulatur, *ea amatoris sui uxorem, quod in eam dicaciter probrum dixerat, iam in sarcinam praegnationis obsepto utero, et repugnato foetu perpetua praegnatione damnavit. Ut cuncti numerant, octo annorum misella illa onere, velut elephantum paritura distenditur.*

(6) Plinius *lib. 28. cap. 2.* incantatores irridens ait: *Figlinarum opera multa rumpi credunt tali modo: non pauci etiam serpentes ipsos incantari.* Virgil. *eclog. 8. Frigidus in pratis* cantando *rumpitur anguis.* Mendacem incantationis vim non ignorans incantator non audebit ad serpentem, in quem carmen magicum susurraverit, appropinquare. *Quis enim miserebitur incantatori a serpente percusso?* Ecclesiastici *cap. 12. vers. 13.*

(7) Ad eas referunt aniles nugae monstrosos foetus, quum animatos, tum inanimes, aut mortuos: daemonesque incubos, et succubos cum lamiis coentes.

(8) Rhachitis morbus physicis notissimus, quo tenellae puerorum manus, pedes, pectus, caput sic turgescunt, et intorquentur, iique ita aegri, et imbecilli fiunt, ut pedibus insistere, aut incedere non valeant. Huiusce naturalis morbi causas, et medicamina proficua iam norunt medici. Ad veneficos quod attinet af-

des (1), oculique fascinantes, (2), ceterae id genus technae, quae ignaro vulgo imponunt, carmina ad procellas, ad grandines ciendum, locustas, et brucos, et incendia.

XXXI. Hinc medicamina etiam superstitiosa, in quibus *doemones quasi beneficia praestando magis nocentes, quia magis decipientes* utique sunt, ex B. Augustini sententia (3). Latet anguis in herba, quam bifrons mercurius adfert, vel pharmaceutria saga. Excantationes magicae ad avertenda maleficia, et fascina (4), signorum fascini fractiones, transplantationes morborum, antidota, amuleta (5) ad arcendos

flatus S. Augustinus *lib. 2. de Civ. Dei cap. 23, num. 3.* ait: *Contra millefarmes daemonum incursus quis innocentia sua fidit? quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil est innocentius aliquando sic vexant, ut in eis maximo Deo sinente ista monstretur huius vitae flenda calamitas, et alterius desideranda felicitas.*

(1) *Si ultra placitum laudarit, bacchare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro*, Virgil. *eclog. 7.*

(2) Plutarchus *lib. 5. Sympos. cap. 7. Haud sane ignoras, quod et amicis, et familiaribus, et parentibus nonnulli oculum fascinantem esse existimant, usque adeo, ut mulieres non ostendant illis pueros, nec diutius ab huiusmodi hominibus inspectari sinant.* Hinc illud adagium: *mantis te vidit*, in eos dictatum, qui ab oculis fascinantibus male affecti putarentur. *Mantis* autem apud graecos locustae genus est veneficum.

(3) S. Aug. *de civ. Dei lib. 8. cap. 24. num. 3. in fine.* S. Cyprianus *lib. 1. ep. 8. Mentitur diabolus, ut fallat, blanditur, ut noceat, bona promittit, ut malum tribuat, vitam pollicetur, ut interimat, salutem offert, ne quis ad salutem perveniat.* S. Aug. *lib. 2. de doctr. Christ. cap. 24. Illi enim spiritus, qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus cum irretitum per suspiciones, et confessiones eius viderint.*

(4) Nugatorias excantationes nasute ridens Horatius *lib. 2. carm.* inquit. *Quae saga, quis te solvere Thessalis Magus venenis, quis poterit Deus?* Lucanus *lib. 6. Carmine Thessalidum dura in praecordia fluxit, Non fatis adductus amor... Mens hausti multa sanie polluta veneni Excantata perit.* Iosephus *antiq. Iudaic. lib. 8. cap. 2.* narrat, quomodo Eleazarus quidam coram Vespasiano, et filiis, tribunis, et militibus multos arreptitios incantato annulo curaret. *Admoto naribus daemoniaco annulo*, ait, *sub cuius sigillo inclusa erat radicis species a Salomone indicatae, ad eius olfactum per nasum extrahebatur daemonium et collapso mox homine adiurabat id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, et incantationes ab illo inventas recitans.*

(5) *Amuleta*, ab amoliendis, arcendisque malis dicta, conflare incantatores consueverunt: nimirum imagunculas, numismata metallica, lapillos gemmarum, annulos, fragmenta ossium, aut radicum, aliusve rei, figuris, characteribus, cyphris obsignata, quae tutelam adversus maleficos, et antitodum ea gestantibus pollicebantur. Basilidiani parvis eiusmodi numismatibus virtutes astrorum, angelorumque alligare iactabant, relatis a Baronio ad *an. 120.*, quorum nonnulla nomen Iesu Christi, vel SS. Petri, Pauli, Michaelis incisum praeferebant, ut facilius imponerent credulis. Apollonius Thyanaeus (sicuti narrat Ioannes Malela Antiochenus) *telesmata ibi plurima confecit adversus ciconias, et Lycum fluvium, qui urbem Antiochiae secat mediam, testudines item, et equos ferocientes: alia etiam mirabilia operatus est Byzanzio, deinde discedens aliis etiam in urbibus telesmata confecit.* Mox addit superstitiosas aperte caeremonias, quibus aliud rogantibus Antiochenis telesma confecit adversum culices eam urbem infestantes apud Petr. le Brun *loc. cit. lib. 3. cap. 4. num. 2.*

morbos, et maleficia, vox *abracadabra* vel prolata ore, vel scripta pro avertenda febre tertiana, stigmata magiae candidatis impressa, potiones narcoticae, vel unctiones, vel schedulae sensum doloris in equuleo torquendis adimentes ad servandam taciturnitatem, non aliud revera efficiunt, nisi rudes animos ad superstitionem allicere. Inanes amuletorum eiusmodi virtutes naturales, quum ars physica, tum experientia docet (1). Quemadmodum et vanas de *palladio* (2), Troiae, ac Romae opiniones, videlicet simulacro Palladis, perpetuam incolumitatem urbi, quoad in ea illud existeret, spondente: deque diis Penatibus, ac tutelaribus (3). Ad classem hanc referantur aquae fabulosae ad acuendam memoriam haustae ex fonte Mnemosynis matris Musarum apud Triphonem specum: cuiusmodi virtutem anacardinae confectioni ex anacardiis Indicae arboris fructibus, variisque aromatibus nunc tribuunt dolosi circulatores, non secus, quam panaceae vim omnes morbos curandi, ut insipientes circumveniant. Qui dicunt, *faciamus mala, ut veniant bona, eorum damnatio iusta est*, ex Apostoli sententia (4).

XXXII. Miracula quidem divina studet, imitando effingere Satanas veterrimus cum superstitiosis amuletis, rebusque ceteris. Nimirum serpentem aeneum pro signo positum a Moyse iussu Domini, quem igni-

Telesman vox Arabica, alias *Tilseman* est imago magica, quales sub certo horoscopo insculpi rebus, et consecrari solebant ad certam efficaciam, ex definitione Woetii *to. 3. disp. select.* Gotfr. Christ. Rathius inscripsit librum *de imagunculis Germanorum magicis, quas* Alrunas *vocant.*

(1) Froman *de fascinatione lib. 1. par. 2. sect. 2. cap. 19., et 20.* Apud eumdem Teophrastus *de plant. hist. lib. 9. Potius absurda illa putentur, quae alligata, et veneficiorum adversantia vocantur, et tum corporibus, tum domibus unice opitulari creduntur: quae commenta hominum esse plane videntur, qui suas artes magnificare, celebrareque cuperent.* Cardanus *de rer. variet. lib. 16. cap. 90. Hi sunt*, ait, *characteres dolosa mente excogitati, quorum virtutem nullam esse certum est. Nam quid his characteribus cum planetis ipsis commune est? At ne nomina putes, aut Arabica, aut Chaldaea, aut Hebraea, aut Graeca: quod si etiam forent, quid plus eis virtutis esset, quam Latinis? Igitur figmenta esse oportet, nulliusque virtutis. Quod si concedas habere, nonnisi pacto daemonum esse potest. Non quis talia potuit invenire, nisi daemonum persuasionibus.*

(2) Firmicus Maternus *de error. Proph. Religion.* ideo inventum fert *Palladium, ut Deus fieret, qui orbes, et regna servaret. Sed nec servavit aliquando, nec profuit, et qui se manente, ex urbium, in quibus fuit, casibus vidit? Incensa est Troia a Graecis, a Gallis Roma, et ex utroque incendio* palladium *reservatum est. Sed reservatum non propriis virtutibus, sed humano praesidio: ab utroque enim loco homines liberarunt, et translatum est, ne humano flagraret incendio.*

(3) Obsessas urbes debellari non posse, nisi tutelares antea dii exin discessissent rogatu obsidentium, gentes opinabantur. Ob id Virgilius *Aeneid. lib. 2.* canit: *Excessere omnes adytis, arisque relictis Dii, quibus imperium hoc steterat.* E Sereno *lib 5. recondit. rer.* Macrobrius refert formam precum, qua Romanus dux deos Carthaginis tutelares, inde ut discederent, Romamque demigrarent, rogavit: *si ita feceritis*, ad extremum precis ait, *voveo vobis templa, ludosque facturum.*

(4) *Ep.* ad Romanos *cap. 3. vers. 8.*

tis serpentibus percussi cum aspicerent, sanabantur (1). Sonum buccinarum muros Ierichuntis destruentem (2). Aquam sanctam pulvere tabernaculi commixtam, quae adulterio pollutas indicabat (3). Aquas in Ierico pessimas ab Elisaeo sanatas (4). Iordanis aquas septem lotionibus ab eodem Propheta imperatis, Naaman Syrum a lepra mundantes (5). Piscis cor, fel, iecur ad expellendos daemones, et sanandam coecis albuginem (6). Piscinam mirabilem angelico motu infirmos curantem (7). Lutum de sputo coecis natis aperientem oculos (8). *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius* (9). Quis igitur adeo stultus erit, ut immemor Dei O. M., a quo una vita omnium, et mors pendet, salutem expectet a daemoniacis amuletis, quae sunt venenatis pomis fallaciora? *Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?* Elias monente Angelo dixit ad nuncios Regis Samariae Achab. Mox ad Regem ipsum in lecto iacentem ait: *quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo possis interrogare sermonem; ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Mortuus est ergo iuxta sermonem Domini* (10).

XXXIII. Abstrusae rerum naturalium indoles, caussae, effectus, qualitates philosophis etiam primariis occultae ansam magis dederunt, ut magiam naturalem cum superstitiosa commiscerent sycophantae strigones, ignoratis Naturae arcanis, quae ii vel studio, vel casu, vel ope tartarea explorassent, abutendo ad fidem sibi, suisque spiritibus conciliandam (11). Magnetibus lapidibus sursum positis simulacra numinum, quae ferratum crinem haberent, in aere pendentia per miraculi speciem ostentarunt (12): *ut quae mirifica humanis artibus fiunt, quae-*

(1) Numer. *cap. 21. vers. 8. et seq.*
(2) Iosue *cap. 6. vers. 20.*
(3) Numer. *cap. 5. vers. 17., et seq.*
(4) IV. Regum *cap. 6. vers. 22.*
(5) Ibid. *cap. 5. vers. 10., et seq.*
(6) Tobiae *cap. 6. vers. 6., et seq.*
(7) Ioannis *cap. 5. vers. 2., et seq.*
(8) Ibidem *cap. 9., et 10.*
(9) Psalm. 110. *vers. 2.*

(10) IV. Regum *cap. 1.* S. Augustinus *in psalm. 34., multi in inopia*, inquit, *in angustiis, in morbis constituti quaerunt auxilium a daemonibus, perreptitios daemones consulunt, sortilegos quaerunt. Quid hoc aliud, quam invisibiles hostes nostros adire, qui animam nostram expugnant, et nobis persuadent non esse nobis in Deo salutem? Obsurduerunt illi ad vocem Dei dicentis:* salus tua ego sum. *Hunc nos audiamus, nec aliam salutem requiramus, propter Dominum Deum nostrum. Si de aliqua creatura, ut ex aliquo medicamento, aut medico, illisque mediis ordinariis mihi liberatio suggeritur, a Deo est! a Deo est, si per hominem subvenit, ab ipso est, si per Angelos suos.*

(11) Georg. Abraham Merklinus *Sylloge physico-medic. casuum incantationi vulgo adscribi solitorum.* Tertullianus *lib. de habitu muliebri. Cum et materias quasdam,* ait, *bene occultas, et artes plerasque non bene revelatas saeculo multo magis imperito prodidissent, si quidem et metallorum opera nudaverant, etherbarum ingenia traduxerant, et incantationum vires promulgaverant, et omnem curiositatem usque ad stellarum interpretationem designaverant.*

(12) Id a Dinochare aulico Aegyptii regis Ptolomaci architecto gestum in simulacro puellae Arsinoes, canit Ausonius *idyllio 10. vers. 311., et seq. Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulae Dinochares . . . Arsionem Pharii su-*

que nesciunt, opinentur esse divina . . . . quasi numinis potestate penderent, S. Augustinus monet (1). Paleas, et levia corpora, quae ad sese attraherent succini, pluresque lapidum electricorum, a spiritibus moveri effutiebant : quemadmodum et in tenebris coruscantem lucem phosphori mercurialis, et barometrici, vel artefacti. *Pyritem* lapidem Persicum adurere manu eius, qui eum nimis premat: in *Selenite* Persico item lapide candorem internum cum luna crescere, ac deficere : *Asbeston* Arcadiae lapidem semel accensam extingui numquam posse (2) : unde fieri lucernam in quodam fano Veneris ardentem, et inextinguibilem, potuisse arguit S. Augustinus (3). Quid vero scelestius, quam vera Naturae miracula non Deo Creatori, sed daemonibus attribuere ? *In multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui*, David ait (4): qui *de execratione, et mendacio annunciabuntur in consummatione* (5). Quid vicissim stultius, quam omnem lapidem nitidum adorare? utar adagio Clementis Alexandrini (6). Nostra hinc interest maximopere, ne illudamur, mirabilem potestatem artis, et Naturae, abditasque rerum caussas naturales Philosophia duce discernere, atque a sycophantiis magorum segregare (7). Ita magiam *albam*, ut aiunt a *nigra*, bonam a mala scite distinguemus (8) : quum oporteat nos cognoscere *distantiam boni, et mali* (9).

XXXIV. Nugatorias etiam, et falsas una cum veris Naturae caussis obiectas popello suevit ad suam utilitatem referre captiosa magia, ut animos mirificis Naturae arcanis, partim veris, partim fabulosis commo-

spendit in aere templi. Spirat enim tecti testudine vera magnetis, Affictamque trahit ferrato crine puellam. Plinius *lib. 34. hist. nat. cap. 14. num. 41.* scribit : *Magnete lapide Dinocharen architectus Alexandriae Arsinoes templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulacrum eius e ferro pendere in aere videretur. Intercessit mors, et ipsius, et Ptolomaei, quid id sorori suae iusserat fieri.* Cassiodorus *lib. 1. ep. 45.* eadem arte suspensas Mercurii, et Cupidi statuas memorat. His addidere Mahometi tumulum.

(1) S. August. *lib. 2. de civ. Dei cap. 6.*

(2) Ex Plinio, Tacito, Solino, Fl. Iosepho refert S. Augustinus *ibidem cap. 5.* de *albesto* lapide, *qui cum ignem nullum habeat proprium, sic ardet alieno, ut nunquam extinguatur.* Adde fatuos nocturnos ignes, adde lampyrides seu cinelas noctilucas ex insectorum genere, et lampyros pisces : laternam magalographicam, vulgo magicam, machinam electricam ; cetera id genus nunc exploratissima.

(3) Ibidem *cap. 6.* (4) Psalm. 65. *vers. 2.*

(5) Psalm. 58. *vers. 14.* (6) Clem. Alexandrin. *lib. 7. stromatum.*

(7) Consulendi propterea sunt in primis Rogerius Bacon *de mirabili potest. artis, et Naturae*, Fernelius Henrici II. medicus *de abditis rerum caussis*, Petrus le Brun. *hist. critiq. des pratiques superstitieuses avec les principes pour discerner les effets naturales.* Pierquin *oeuvres physiques, et geografiques dissert. 18. ad 23.*, ubi rationibus physicis ad examen reducuntur caussae, et effectus phantasmatum, et spirituum, et naturalis obsessionis, magicarumque illusionum.

(8) S. Aug. *lib. 12. de civ. Dei cap. 4.*, docet Naturae bona, quae ultio malae voluntatis vitientur, mala effici ; in quantum vero Naturae sunt, proba quidem esse.

(9) Ex divino oraculo Ecclesiastici *cap. 6. vers. 6.*

tos ad superstitionem, ac sortilegia facere proniores (1). In iis numerantur phoenix rediviva, et immortalis (2), remora pisciculus magnas naves retinens (3), equae in Lusitania vento concipientes (4), anseres Irlandiae, Scotiae; Angliae absque ovis nascentes (5), fons ardens (6), fons Salmacis viros effoeminans (7), chelonites lapillus in capite testu-

(1) Seneca *natural. quaest. lib. 7. cap. 16.*, *quidam*, ait, *incredibilium, relatu commendationem parant, et lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes sunt: quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet. Illi non evitant, hi appetunt.*

(2) Herodotus *lib. 2.* primus omnium narrat Heliopolytanos plura minus credibilia praedicare de longaeva phoenice ad solis templum ex Arabia in Aegyptum adveniente, ut ibi revirescat. Ubinam gentium revera sit phoenix, dissentiunt inter se scriptores, eorumque nemo eam vidisse, nisi pictam fatentur. Tacitus *lib. 6. annal. num. 28.*, aspici aliquando in Aegypto eam volucrem non ambigit. Mas, an foemina, an neutrum, nullus definit. *Ut poscit nasci, haec appetit ante mori. Ipsa sibi proles, suus est pater, et suus haeres, Nutrix ipsa sui semper alumna sibi:* apposite canit incertus auctor Phoenicis, ad calcem operum Lactantii. Plinius *hist. nat. lib. 10. cap. 2. num. 2. fert unum in toto orbe phoenicem, nec visum magnopere, haud scio, an fabulose*, ait. Idemque *lib. 13. cap. 4. num. 9.* tradit ex *palmae* arbore in Chora, et apud Syagros ex sese renascente, quae et graece *phoenix* dicitur, avis fabulosae nomen acceptum. Quum in *psalm. 91. vers. 13.* Propheta dixisset: *iustus ut palma florebit*: nonnullis placuit graeco vocabulo retento legere: *iustus ut phoenix florebit*: P. le Brun. *loc. cit. lib. 1. cap. 5. num. 16.* Plerique Patrum cum S. Augustino *de origin. anim. lib. 4. cap. 33.* nonnisi dubitanter de ea volucre sunt loculi. *Si tamen, ut creditur*, S. Aug. ait, *de sua morte renascitur.*

(3) Hunc pisciculum *echenein* graeci appellant, quo *carinis adhaerente, naves tardius ire creduntur*, fert Plinius, rectius dixisset, fabulantur.

(4) Varro *de rustica lib. 2., res*, ait, *incredibilis est in Hispania, sed est vera* (rectius falsissima) *quod in Lusitania ad Oceanum . . . quaedam equae concipiunt e vento certo tempore . . . sed ex his equis nati pulli, non plus triennium vivunt.*

(5) Maier *in epigramm. Non ipsi pater est, materve, nec editus ovo, Semine nec foetus, ova nec ulla serit. Sed nova progenies naturae proditur.* At Deusingius in *dissert. de anseribus Scoticis* eos ova parere, et incubare, ut volucres omnes, detexit, et vulgavit.

(6) Duos fontes, unum in Epiro, alterum in Gallia prope Gratianopolim, ubi faces extinguantur ardentes, et accendantur extinctae, S. Augustinus sic memorat *lib. 21. de civ. Dei cap. 7., ut testes aliquos idoneos, a quibus, utrum vera essent*, audiret, non reperisse fateatur. Sed P. le Brun. *cit. lib. 1. cap. 4.* refert in eo loco, qui adhuc dicitur fons ardens in castro de Mirabel, ab urbe Gratinopolitana novem millia passuum circiter dissito, sese nihil extra Naturae ordinem inspexisse. Terram porro sulphuream invenit, unde flamma, et fumus erumpit assidue, admotas paleas, et ligna, et faces incendentem, quae ut aere nubilo, aut levi pluvia magis inflammatur, ita copioso imbre ventoque vehementi restinguitur. Nullum vere fontem aquae in ea existere, sed frigidum rivum dumtaxat per imam illius terrae partem fluere, in quo ardentes faces, ut in quavis aqua fit, extinguuntur.

(7) *Cui non audita est obscoena Salmacis unda?* Ovid. *metamorph. 15.* Fons in Cura prope Halicarnassum Salmacis, *quae masculos molles facit*, Tertull. *adv. Valentinian. num. 15.* Strabo *lib. 14.* Salmacis fons *nescio, quam ob rem calumniatus, tamquam emolliens eos, qui inde bibant. Hominum enim mollities non videtur ab aere, vel aqua proficisci, quum ea minime sit caussa mollitiei, sed divitiae, et victus incontinentia.*

dinis Indiarum genitus vim divinandi tribuens (1), actites partum efficiens faciliorem, et fures detegens (2), chelidonia coecos illuminans (3), semina resurrectionis in cadaveribus, et sanguine quum humano, tum brutorum figuras mortuorum excitantia (4), baculus, seu virga coryli venas auri, argentique, thesauros, pecuniasque latentes spontaneo flexu indicans (5), lapis philosophicus alchimistarum ferrum, et metalla in aurum convertens (6), seu chrysopacia, telescopium Iulii Caesaris usque ad Britanniam e Galliis protendens aspectum (7), Gygis annulus, gigantes, et pigmaei, centauri, cyclopes, Cercopes in simias versi, Gorgones monoculi, Pegasus Bellorophontis equus volans, Cerberus triceps, Harpyae, Syrenes, Tritones tubicines, Nereades nymphae, satyri (8), monstra cetera fabulosa.

XXXV. Genera hinc sortilegiorum, magicarumque artium instrumenta, seu materias tot esse dices, quot placita voluntatum, quotve

(1) Plinii narrationem *lib. 37. cap. 10.* Marbodus Episc. Rhedonensis saec. XI. his carminibus expressit: *Indica testudo mittit lapidem* cheloniten... *Quem si sub lingua loto quis gesserit ore, Posse magi credunt tunc divinare futura Orto mane die sextam dumtaxat ad horam, Tempore, quo lunae succrescens cernitur orbis.*

(2) Lapis veluti praegnans alium intra se lapidem concutiendo sonantem gerit, in aquilarum nidis repertus, de quo Plinius, et Dioscorides.

(3) Chelidonia herba hirundines pullis suis obcaecatis oculos restituere fabulantur cum Plinio *lib. 8. cap. 17.*

(4) Vanderberetum, Gaffarellum, Borellium, ceteros ea semina opinatos refellit P. le Brun. *cit. lib. 1. cap. 5. num. 20., et 21.*.

(5) Peucerus apud M. Mauritii cit. *lib. de sortil. vet. Hebr. cap. 13. de rabdomantia, sive sortitione per virgas §. 10.* haec habet: *Divinationes metallariis usitatae fiunt sciotericis, et* virgula *divina. Est ea ex corylo decisus bifidus baculus, quo venas illi auri, argentive seraces explorant, inclinante sese eo virgula, qua sub terra venae feruntur, atque incedunt. Qua vi id soli corylorum praestent surculi... obscurum est, nisi quod conficio sympathiam habeat corylos ad metalla connatam, et occultam.* Consulendum opusculum *illusion des Philosophes sur la gavette*, et P. le Brun. *cit. lib. cap. 9 num. 7., et seq.* Divinantes virgas Dominus odit, inquiens per Oseam *cap. 4. vers. 12. Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus eius annunciavit ei: Spiritus enim fornicationum decepit eos.*

(6) Spondent, quas non exhibent divitias pauperes alchimistae, nam haud dubie huiusce artis alchimiae alterutrum se professores ludificant . . . dissimulant falsitatem, ut quod non est in rerum natura, esse verum aurum, vel argentum sophistica transmutatione confingant, ait Ioannes XXII. in *cap. un. de crimine falsi* Extravag. commun. Eam nugatoriam artem pertractant in primis Cosmus Panopolita, Aenaeas Gazaeus e Graecis, Geber Arabus, Triarus Paracelsus.

(7) Rugerius Bacon *lib. de mirabili pot. artis, et Naturae* de speculis agens refert, *quod Iulius Caesar per littus maris in Galliis deprehendisset per ingentia specula dispositionem, et situm castrorum, et Civitatem Brittanniae minoris.* Io B. Porta *lib. 7. magis naturalis cap. 11.* verba itidem facit *de Ptolomaei speculo, quo sexcenta millia pervenientes naves conspicientes.* Qui orbiculatam figuram globi terraquei vel ignorant, vel non advertunt, isthaec mendacia facile deglutiunt.

(8) Fr. Hedelin *des satyres, brutes, monstres, et demons.*

species rerum creatae sunt in mundo sursum, et deorsum. Sydera, aer, ignis, aqua, terra; animantia, volucres, pisces, bruta, reptilia, insecta; vegetabilia, plantae, semina, herbae, ligna, lapides, corpora quum naturaliter tum artefacta, et sacra copiosam strigonibus materiam praebuere ad sortilegiorum, et divinationis abusum. At ea omnia inanimata quisquis, cui sana mens erit, consideraverit, aperte videt nullam penitus vim habere praesentiendi, aut indicandi occulta divinae voluntatis placita, et quam ipsa non habent divinationem, dare humanis animis eo minus posse. *Gallinaceum fel, vel tauri opimi iecur, aut cor, aut pulmo quid habet naturale, quod declarare possit quid futurum sit?* sapiens Tullius inquit (1): Addit Seneca: Cleonae *aiunt esse in sanguine vim quandam potentem avertendae nubis, ac repellendae. Sed quomodo in tam exiguo sanguine potest esse vis tanta, ut in altum penetret, et eam sentiant nubes? Quanto expeditius erat dicere: mendacium, et fabula est* (2).

XXXVI. Vilissima tandem conditio personarum artes magicas profitentium, quibus sunt verba sine penu, et pecunia, non modo suspectam, et dubiam, sed fallacem prorsus, ac dolosam indicat fidem sortilegiorum, et superstitiosae divinationis ad turpem quaestum adhibitae (3). *Prophetae eius in pecunia divinabant*, per Michaeam Dominus praemonuit (4). Nonnisi pauperes plane videmus, et miseros fanaticos vendita re divinationes, et arcana superstitiosa. *Deforme malum, et sceleri proclivis egestas*, inquit Petronius Arbiter. Congerrones zingari sunt itidem, qui tum furtis, et rapinis, tum divinationibus victum quaeritant (5). Maleficas obstetrices, et fascinantes mulierculas

(1) Cic. *lib. 2. de divinat. num. 29.*

(2) Seneca *lib. 4. quaest. natur. cap. 7.*

(3) Ennius in *fragmentis. Non habeo denique nauci Marsum augurem, Non vicanos aruspices, non de circo astrologos. Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium: Non enim ii sunt aut scientia, aut arte divini, sed superstitiosi vates, impudentesque arioli, aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat; qui sui quaestus caussa fictas suscitant sententias; qui sibi semilam non sapiunt, alteri monstrant viam; quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam petunt; de divitiis deducant drachmam, reddant cetera.* Iuvenalis *sat. 6. Non enim sunt ii aut arte divini, aut scientia, sed superstitiosi vates, impudentesque arioli.* Tum Virg. *heu vatum ignarae mentes!*

(4) Micheae *cap. 3. vers. 11.*

(5) Pragm. *un. de zingaris, seu Ægyptiis* Prorex Petrus de Toledo sanxit die 12. Aprilis 1585., eos e toto regno expellendos intra menses duos indicta iis poena triremium ad sex annos, et multa duc. mille Baronibus, et Gubernatoribus, qui eos alicubi commorari indulserint: quoniam permulta furta, rapinas, *maleficia*, et scelera patrabant. Dissertationem *de Cingaris* conscripsit praeclarus Thomasius, eorumque originem ex Cicilia Syriae proxima, ex Nubia et conterminis Ægypti regionibus, ad quos accessit excreata ceterarum gentium colluvies, et sentina, innuunt Polydorus Virgilius *lib. 7. cap. 8.*, et Voetius *to. 2. disput.* Spondanus *ad an. 1417. num. 13.*, *turba est*, ait, *congerronum, praestigiatorum, et furum impune ubique latrocinantium, et stolidam plebem fatuis suis divinationibus, ac rerum permutationibus decipientium: quos sane miramur a Principibus, et magistratibus non solum permitti, sed etiam protegi, ac defendi.*

puerperae pusillanimes, coturniculae animum habentes, plerumque sic formidant, ut sibi eas benevolas muneribus efficere studeant. Ut paucis concludam : artes magicas diabolico spiritu conceptas parturit, alit, fovetque radix omnium malorum, cupiditas, ignorantia gentium quae seducuntur, astutia magorum, qui seducunt, et fraudes moliuntur, gangraenam superstitionis exitialem superfoetantes.

XXXVII. Tutos canones, unde valeat unusquisque recte iudicare de sortilegiis, et magiis, ex hactenus dictis nunc recolligere prodest. 1, damnatos daemonum spiritus existere, Deoque permittente circumvagari. 2, iis homines tentari, atque impelli ad omne malum hostili, et implacabili animo. 3, ipsis tentatoribus a Deo O. M., quoties vult, dari facultatem agendi praestigia, et maleficia ad illudendum, fidemque nostram probandam. 4, obsessos in Ecclesia Christi etiam vexari daemonibus, quamvis nunc rarissimos. 5, incantationes, divinationesque superstitiosas, nonnisi permittente Deo, effectum suum aliquando, et perraro sortiri. 6, Sacris Scripturis, et ecclesiasticae traditioni eos adversari, qui generatim negant daemones praestigiorum aliquot mirabilium auctores. 7, nullam hominibus necessitatem agendi ex fatis astrorum impositam. 8, humanam voluntatem liberam auxilio Dei nunquam deficiente posse, ac debere tentationibus, illusionibusque daemonum resistere, easque superare, atque abigere. 9, ministros diaboli, et socios daemoniorum fieri, qui superstitionibus vacant ex pacto vel expresso, vel tacito, atque a religioso Dei cultu desciscentes sectantur superstitionem. 10, longe aberrant, qui salutem, felicitatem, divitias, bona quaevis caduca non a Dei providentia expectant, sed posthabitis modis Naturae ordinariis ad ea assequenda idoneis sortilegos, et creaturas eas virtute benefica expertes consulunt. 11, divinationes futurorum, et praescientiam arcanorum divinae voluntatis in rebus mundanis, quae humana mens nequit ex naturalibus caussis inquirere, superstitiosas omnino esse, ac temerarias. 12, creatas res omnes, et spiritus etiam angelicos, et stygios virtute divinandi, et praesentiendi futura naturaliter carere : quemadmodum, et variandi Naturae ordinem, patrandive miracula extra, vel supra vires Naturae. 13, usu ordinario rerum naturalium nihil nos mereri, nec demereri : nisi ad eum accesserit voluntaria virtutis, aut vitii alicuius operatio.

XXXVIII. Quo vero ad facta, resque gestas, vel gerendas, quae narrantur, et solent aspersione mendaciorum in fabulas verti : non omnia credere, nec omnia negare, sed aequa dubitatione veritatem ex idoneis testimoniis, et argumentis inquirere in primis oportet (1). 2,

(1) Incredulos generatim Phirronios sui tantum oculis fidem adhibentes, quibus *tota regula credendi est consuetudo cernendi*, ut ait S. Augustinus, procul habeamus. *Non enim sumus ii* (cum Tullio inquam *lib. 4. academic. quaest.*) *quibus nihil verum esse videatur: sed qui omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicamus tanta similitudine, ut nulla insit certa iudicandi et disserendi nota.* Idemque *lib. 1. de nat. Deor. num. 88.* scribit : *Numquid tale Epicure vidisti ? Ne sit igitur sol, ne luna, ne stella : quoniam nihil esse potest, nisi quod a.tigimus, aut vidimus. Quid? Deum ipsum numne vidisti ? cur igitur cre-*

si haec res est, quomodo est? et si non est, quomodo non est? 3, fabulas poetarum allegoricas plerumque ad veram historiam reconditam vel mores. 4, arcana naturae multa usque adeo abstrusa, et in alto puteo demersa, ut rationem, et systema certum nequierit adhuc mens humana concipere. 5, virtutes, quae praedicantur naturales corporum qua coelestium, qua sublunarium partim fabulosas partim veras. 6, ex naturalibus mechanicae, staticae, motusque legibus vim materiae subtilissimae, et ethereae longe aliam esse, quam gravis, et ponderosae. 7, spirituum angelicorum, et stygiorum ingenium acrius, et vires potentiores, quam mortalium hominum. 8, praestigia, operationesque malorum spirituum a praestigiis naturalibus, et humanis ita differre, ut ordinarios corporum effectus naturales ab extraordinariis spirituum motibus valeat philosophia discernere. 8. Quae vulgo aut scriptoribus feruntur magorum praestigia plerumque vel falsa, et mendacia, vel naturalia: extraordinaria vero spirituum cooperantium rariora.

XXXIX. Quinque potissimum notae intimam cuiusque sortilegiis, reique magicae pravitatem certo indicant. 1, pactum cum daemone, suisque scelestis ministris vel expressum, vel tacitum (1). 2, cultus superstitiosus vel notorius, vel praesumptus (2). 3, sacrilegus rei sacrae abusus (3). 4, mendacium fallax (4). 5, malefica voluntas (5). 6, dolus ad defrau-

dis esse? Tollamus ergo omnia, quae aut historia nobis, aut nova ratio affert... Si de elephanto quis diceret, etiam irrideri te putares? Ut Xenocratis fidum testimonium Athenienses, ita gravium auctorum fidem vereri quisque debet.

(1) Pacta nefaria homines dementissimos cum doemonibus inivisse, palam innuit Isaias *cap. 28. vers. 15. Viri illusores dixistis: Percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.* Nonne pactum eiusmodi cum Christo D. N. inire iam infatuatus diabolus tentavit? ubi dixit: *haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Eo pacto quum expresso, tum tacito leoninam fieri societatem cum diabolo Apostolus docet ita praecipiens: *nolite fieri socios doemoniorum,* I. ad Corinth. *cap. 10. vers. 20.* Vae miseris agnis cum dracone sociatis. Dominus dixit ad Iob. *cap. 40 vers. 20., et seq. An extrahere poteris Leviathan* doemonem *hamo, et fune ligabis linguam eius?.. numquid pones circulum in naribus eius? numquid feriet tecum* pactum, *et accipies eum servum sempiternum? Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis cum ancillis tuis?* Et *cap. 31. vers. 24.: non est super terram potestas, quae comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeat.*

(2) Ex supradictis *hoc tit. num. XXIV.*

(3) Baltassar rex Chaldaeorum quum adhibuisset vasa aurea et argentea templi Ierosolymitani in profano convivio, et biberet *in eis rex, et optimates eius, uxores, et concubinae illius, et laudarent deos suos aureos, et argenteos, aereos, ferreos, ligneos, et lapideos; in eadem hora apparuerunt digiti manus scribentis* divinam sententiam mortis in regem, divisionisque regni Medis, et Persis, Danielis *cap. 5. vers. 3., et seq.*

(4) Isaias *cap. 28. vers. 16., et 18. Posuimus* mendacium *spem nostram, et* mendacio *protecti sumus. Idcirco haec dicit Dominus Deus... subvertet grando spem* mendacii... *Et delebitur foedus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.* Iob. *cap. 40. vers. ult.* Ecce spes eius *frustrabitur eum, et videntibus cunctis praecipitabitur.*

(5) Ex supradictis *num. XXVIII.*

dandam insipientibus, et corde levibus pecuniam (1). Ex hisce notis, vel una sufficit ad operationes magicas omnimodis exercendum : tametsi plures earum insimul in una, eademque re saepe confluant. Ubi nulla earum adsit: fas quidem erit Naturae, humanique ingenii vires in tentandis praestigiis naturalibus, et innocuis experiri bona fide, aut ad ludum honestum, aut ad aliquam vitae utilitatem, vel necessitatem. *Si res dubia est, vincat humanitas*, cum Nazianzeno inquam (2). *Si quid rerum vides, gratias age Naturae Conditori, potentissimus potentissimam condidit: hoc supponis, sublatere aliquod pactum, aut daemonis interventum ? quousque videam evidenter, non credam* cum Caramuele (3). B. Chrysostomus, *potiones*, ait, *a medicis propinatas sumendas esse, nec curiose, inquirendum quales eae sint, imo ut sanitati conducentes habendas esse: at si sint veneficorum, magorum, vel excantantium, non solum esse exquirendum quales sint; verum etiam, et vocem esse fugiendam, utpote lethiferam* (4).

XL. Hinc rationes iam patent, cur leges quum civiles, tum ecclesiasticae, quas operae pretium est mox recensere, poenis acerbioribus profligare undelibet magos, et sortilegos, eorumque diabolicas artes reipublicae non minus, quam saluti animarum perniciosissimas extinguere sanxerint. Mosayca lex pythios, et pythonissas ad mortem lapidibus damnavit (5). Plato vates praestigiatores morte plectendos, ceteros arbitrio iudicum mulctandos censuit (6). Ex legibus XII tabularum fragmenta supersunt in eos, *qui malum carmen incantassit; qui fruges incantassit: ne alienam segetem pellexeris.* A paganis etiam legum latoribus magicas artes severis poenis vetitas tradit S. Augustinus (7). Ex lege Diocletiani, et Maximiani *ars mathematica* (astrologorum puta vaticinantium) *damnabilis est, et interdicta omnino* (8). Constantinus M. aruspices igne absumendos, qui eos advocaverit, in insulam deportandum sanxit (9): addens legum severitatem in eos locum habere, qui magicis artibus, aut *contra salutem hominum* molirentur aliquid, aut *pudicos animos ad libidinem* deflecterent, non in alios, qui reme-

(1) Ibidem ex supradictis *num. XXXII.*

(2) S. Greg. Nazian. *orat. 40.*

(3) Caramuel. *lib. 3. theolog. moral. num. 1381.*

(4) Chrysostomus *de fato serm. 7.*

(5) Eam superius exscriptam videsis *num. 12.* Executus eam legem *Saul sustulit magos de terra, et interfecit eos, qui pythonem habebant in ventre*, I. Regum *cap. 3. vers. 28.*

(6) Plato *de legibus lib. 11. Si quis vinculis, aut illectamentis, vel incantationibus, aut eiusmodi quibuscumque veneficiis nocenti similis indicatus fuerit; si vates sit, aut prodigiorum consultus, morte plectitor; sin earum artium expers veneficium fecisse pronunciatum sit, de hoc quoque consilium iudicum, qua poena, vel mulota afficiendus sit, censeto.*

(7) S. Aug. *lib. 17. de civ. Dei cap. 19., porro adversus magicas artes. . . nonne ipsam publicam lucem testem citabo ? Cur enim tam graviter ista plectuntur severitate legum, si opera sunt numinum colendorum ? an forte istas leges Christiani instituerunt, quibus artes magicae puniuntur ?*

(8) Diocl., et Maxim. in *l. artem 2. C. de malefic., et math.*

(9) Constantin. in *l. nullus 3. C. eodem.*

dia humanis corporibus quaererent, aut avertendis imbribus, ventis, grandinibus (1). Constantinus, et Iulianus aruspices, mathematicos, ariolos, augures, vates, Chaldaeos magos, ceteros quosque maleficos gladio ultore prostrandos censuerunt, iisque nullam dignitatis praerogativam suffragari (2). Valentinianus, et Valens aeque noxium, qui docet, et qui discit prohibita maleficia, iudicarunt (3). Valentinianus, Theodosius, et Arcadius consciis etiam, qui comperta maleficia non deferrent in iudicium, ultimum supplicium comminati sunt (4). Leo Imperator abrogata Constantinianae legis differentia, *si quis aliquo modo*, ait, *incantamentis usus fuerit, sive id restituendae, conservandaeve valetudinis, sive avertendae a rebus frugiferis calamitatis caussa fecerit, is apostatarum poenam subiens supremum supplicium sustineto* (5).

XLI. Gothi etiam, et Langobardi maleficos profligare non destiterunt. A Theodorico anno circiter 504., tum ab Atalarico Italiae regibus iudices speciatim deputatos ad inquirendos, coercendosque legitimis poenis artem magicam sectantes, fert Cassiodorus (6). Luitprandi Langobardorum regis an. 715. cir. extat sanctio poenalis in eos, *qui ad arborem, quam rustici* sanctivam *vocant, atque ad fontanas adoraverint, aut sacrilegium, aut incantationem fecerint*: vetans ne quis adiret *ariolos, aut ariolas, vel aruspices, aut alios qualescumque ad responsum ab illis accipiendum* (7). Carolus M. constituit, *ut nemo sit, qui ariolos sciscitetur, vel somnia observet: nec sint malefici, nec incantatores, nec pythones, aut circulatores, nec tempestarii, nec obligatores . . . ut observationes, quas stulti faciunt ad arbores vel petras, vel fontes, ubicumque inveniuntur, tollantur, et destruantur* (8).

(1) Idem in *l. eorum 4. C. eodem.*

(2) Constant., et Iulianus in *l. 5. 6., et 7. C. eod.* Ammianus Marcellinus *de aula Constantii lib. 16.* scribit: *Si quis super accentu soricis, vel occursu mustelae, vel similis signi gratia consuluisset quemquam peritum, aut anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem, quod medicinae quoque admittit auctoritas, reus unde non poterat opinari delatus, raptusque in iudicium poenaliter interibat.* Et *lib. 29.* addit: *Anum quamdam simplicem intervallatis febribus mederi leni carmine consuetam occidit, ut noxiam.*

(3) Valent., et Valens in *l. culpa similis 8. C. eodem.*

(4) Valent. Theod., et Arcadius in *quicumque 9., et ult. C. eod.*

(5) Leo Imp. *Nov. 65.*

(6) Cassiodor. *lib. 4. ep. 22., et lib. 9. ep. 17.*

(7) Ex Langobard. legibus *lib. 6. l. 30.* Bollandus ad diem 19. Febr. in vita S. Barbati Beneventani Episcopi ad an. 670. circiter haec de eo promit. *Repente securim arripiens, et ad votum pergens suis manibus nefandam arborem, in qua per tot temporis spatia Longobardi exitiale sacrilegium perficiebant defossa humo a radicibus incidit, ac desuper terrae congeriem fecit, ut nec indicium ex ea quis postea valuerit reperire.* L. A. Muratorius *antiqu. Ital. dissert. 59.* ex chronico MS. Milanensi hoc insuper addit: *Postea supervenerunt Longobardi, qui viperam auream, et quasdam arbores adorabant, et Arianam haeresim sapiebant.*

(8) Carol. M. *capitular. to. 1. pag. 518.* edit. Baluzii. Agobardus Lugdunensis Archiep. eodem Imperatore *lib. de grandine* refert, refellitque pertinacem

XLII. Ecclesiae Patres, Concilia, Pontifices expiare magicos errores poenitentiis primum canonicis, mox censuris, et poenis ecclesiasticis pro qualitate criminis, et conditione temporum, locorumque sategerunt. Ex poenitentiali *can. 35.*, *sortilegus 40. diebus poeniteat*: ex *can. 36.*, *qui videt*, *in astrolabio poeniteat duobus annis* (1). Canones vulgo Apostolorum a communione excludunt quum surripientes oleum sacrum, illudque ad sacra gentilium deferentes: tum daemonem habentes (2). Synodus Ancyrana in Galatia an. 304 quinquennalem poenitentiam indixit expetentibus sortilegas divinationes (3). Laodicaena in Phrygia an. 320., vel 364. *proiici ab Ecclesia* iussit clericos, et sacris officiis deditos, qui magias, et incantationes, et phylacteria facerent (4). Carthaginensis IV. an. 408 quemlibet auguriis, incantationibus, et iudaicis superstitionibus et feriis inhaerentem iussit a conventu Ecclesiae separari (5). Venetica sub Leone I. clericos auguriis, et sortibus *Sanctorum* ad scientiam divinationis abutentes, ab Ecclesia extraneos fore sanxit (6). Agathensis in Gallia an. 506, et Aurelianensis I. an. 411. ab Ecclesiae communione pellendos censuit clericos, et laicos, qui auguriis, et sortibus Sanctorum commentitiis divinandi artem profiterentur, vel eam docerent, aut consulerent (7). Tum Antissiodorensis an. 578. sacrilega maleficia *ad sacrivas arbores* anathemate confixit (8). Concilium Martini Bracharensis in Lusitania an. 363.

in Gallicanis regionibus opinionem pro *tempestariis* libitu suo grandines, et tonitrua commoventibus, navibusque eorum volantibus, quae frumenta, ceterasque fruges ad *Magoniam* regionem transferrent.

(1) Textus decretalium in *cap. 1. de sortilegiis* hunc ex Poenitentiali Theodori canonem habet: *in tabulis, vel codicibus, aut aliis sorte furta non sunt requirenda: nec divinationes aliquas in aliquibus rebus quis observare praesumat. Qui autem contra fecerit, 40. dies poeniteat.*

(2) Apost. can. 70. *Si quis Christianus oleum ad sacra gentilium, aut in synagogam Iudaeorum detulerit, aut lucernas incenderit, a communione excludatur.* Can. 71: *Si quis clericus, aut laicus ceram, aut oleum ex sancta surripiat Ecclesia; a communione seiungitor.* Can. 78. *Si quis daemonem habeat, clericus non efficitor, sed neque cum fidelibus preces fundito: mundatus vero recipitor, et si dignus fuerit, clericus efficitor.*

(3) Ancyrana Synodus in *can. qui divinationes 2. C. 26. qu. 5*: *qui divinationes expetunt, et morem gentilium subsequuntur, vel in domos suas huiusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte maleficа, aut expiandi caussa; sub regula* quinquennii *iaceant secundum gradus poenitentiae definitos.* Alterum canonem ex Concilio Ancyrano Gratianus profert in *can. Episcopi 12. eod C. et qu.* ad extirpandas episcopali sollicitudine magicas artes, illusionesque diabolicas. At monent Romani Correctores canonem istum in graecis, et latinis codicibus Ancyranae Synodi nullatenus inveniri, sed solum in vetusto codice XVI. librorum partialium.

(4) Laodicaena in *can. non oportet 4. eod. C. et qu.*

(5) Carthag. IV. in *can. auguriis 11. eod. C. et qu.*

(6) Venetica *can. 4.* apud Gonzalez in *commen. ad cap. 1. de sortilegiis.*

(7) Agathens. in *can. aliquanti 6.*

(8) Conc. Antissiodorense, de Auxerre, *cap.* 4. apud Emm. Gonzalez in *comm. ad cap. 1. de sortilegiis: Non liceat ad sortilegos, vel auguria respicere, nec ad characteres, nec ad sortes, quas* Sanctorum *vocant, vel quas de li-*

quinque annos ad poenitentiam iis obeundam decrevit, qui more gentilium ex inanibus astrorum signis observarent dies propitios ad aedificandum, vel plantandas segetes, et arbores, sociandave coniugia, aut maleficia, et lustrationes paganorum facerent (1). Toletanum IV. an. 633., et Toletanum XII. an. 683. Episcopos, presbyteros, et quoslibet clericos, qui magicam artem vel profiterentur, vel consulerent, honore dignitatis, et gradus depositos ad perpetuam in monasterio poenitentiam damnarunt (2). Ex decreto Concilii Romani sub Gregorio II. an. 721: *si quis ariolos, aruspices, vel incantatores observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit* (3). Concilium Turonense III. an. 813 definivit magicas artes, et incantationes ad curandos aegros nihil proficere: sed laqueos esse, et insidias antiqui hostis: *si quis eas exercuerit, clericus degradetur, laicus anathematizetur* (4). Nannetense an. 890. nefarios cultores fontium, et arborum, quas *sacrivas* vocabant, anathematis gladio exterminavit (5). Tandem Tridentina Synodus oecumenica superstitionem quamlibet haud semel proscripsit (6).

XLIII. Pontifices Romani potissimum ad exitialem superstitionis pestem ubilibet comprimendam sedulo conspirarunt. Innocentius I. ut divinantes astrologos profligaret, imperiale brachium imploravit, missis ab eo una cum Senatu Romano legatis ad Honorium Imperatorem tunc Ravennae degentem, postulaturis legem adversus illos opportunam, quae lata iam fuit die 25. Ian. 409. (7). Gelasius an. 496. nefanda. Lupercalia delevit, quae in Romana urbe colebantur adhuc stata die 15. Frebruarii pro sterilitatis remedio (8). S. Gregorius M. (an. 590.)

gno, aut pane faciunt, aspicere, sed quaecumque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat.

(1) Conc. Bracarens. in *can. non liceat 3. C. 26. qu. 5.*, *et can. non licet 13. eadem C. 26. qu. 7.*

(2) Toletan. IV. in *can. si quis Episcopus 5.*, et Toletan. XIII. in *can. quicumque Sacerdotum 13. ead. C. et qu.*

(3) Roman. sub Greg. II. in *si quis 1. ead. C. et qu.*

(4) Conc. Turonens. III. in *can. admoneant 15. C. 26. qu. 7.*, quem S. Augustino Gratianus falso inscripsit.

(5) Nannetense in Gallia *can. 20.* penes Murator. *loc. cit.*

(6) Trid. in decr. *de obs., et evit. in celebr. Missae sess. 22.*, quod superius exposui *num. 10.* Tum *sess. de Purgatorio* ea prohibuit, *quae ad curiositatem quamdam, aut superstitione speciant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala, et fidelium offendicula.* Mox in seq. *decr. de invoc., et vener. reliqu. SS. et sacr. imagin.* edixit, *ut omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, et imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quaestus eliminetur.*

(7) Hanc paullo superius recitavi *num. XXXIX.* ex *l. 12. C. Th. de maleficis et mathematicis*, Gothofredus in notis ad eamdem legem satis ostendit eam legationem ab Innocentio una cum Senatoribus Romanis ideo mandatam, quia Pompeianus Romae Praefectus aruspicum incantationes adhibuit ad fugandos Gothos Alarico rege obsidentes Romanam urbem anno 480. Id quod constat ex Orosio *lib. 2. hist. cap. 36.*, Sozomeno *lib. 9. cap. 6.*, et Baronio *ad an. 408.* Nugas agit propterea per calumniam Zosimus paganus *lib. 5. hist.* scribens incantationibus illis Papam sanctissimum consensisse.

(8) Baronius ad *an. 466. num. 39.* ex *to. 5.*, Conciliorum fert libellum Ge

Notarii Hadriani zelum, et collaudavit, et incendit ad incantatores, et sortilegos *districta ultione* proterendos (1). Mox Ianuarium Episcopum hortatus est, ut pastoralibus primum sermonibus idolorum cultores, aruspices, sortilegos ad veram religionem reduceret, dein obduratos in erroribus comprehenderet, servos *verberibus*, *cruciatibusque*, liberos *inclusione digna*, *districtaque poenitentia* castigaturus (2). Zacharias Papa (an. 751.) ad S. Bonifacium scribens, *hoc*, inquit, *sortilegium et nobis*, *et omnibus christianis detestabile*, *et perniciosum esse iudicamus* (3). Idemque Pontifex in Concilio Romano eos anathematizavit, qui paganos kalendarum ritus observarent (4). Leo IV. (an. 847) ad Episcopos Britanniae rescripsit, *sortes* in cunctis eorum *iudiciis* exerceri consuetas nihil aliud, quam *divinationes*, *et maleficia* esse, easque *sub anathematis interdicto* damnavit, et prohibuit (5). Nicolaus I. (an. 558.) ad consulta Bulgarorum respondit respuendam omnino esse divinationem sortilegam ex apertura Codicis, qua Graeci abutebantur (6). Alexander III. Gradensi Patriarchae mandavit, ut presbyterum, qui furtum Ecclesiae *inspectione astrolabii* sine invocatione doemonis detegere aggressus erat, poenitentia per annum et amplius arbitrio suo suspenderet *ab altaris ministerio* (7). Ex hactenus expositis legibus, et canonibus pronum est aequam animo rationem concipere moderandi poenas sortilegorum, easque modo mitiores, modo gra-

lasii Papae *adversus Andromachum Senatorem*, *ceterosque Romanos*, *qui Lupercalia secundum morem pristinum colenda constituebant*. In eo tractatu Pontifex ait: *si pro sterilitate iactatis*, *cur nunc Oriens omnium rerum copiis exuberat*, *et abundat*, *qui nec celebravit unquam* Lupercalia, *nec celebrat? Numquid cum haec celebrarentur*, *a Gallis Roma non capta est*, *et saepenumero ad extrema quaeque pervenit? Numquid bellis civilibus sub hac celebritate non concidit? Numquid* Lupercalia *deerant*, *quando urbem Alaricus evertit? Et nuper cum Anthemii*, *et Ricimeris civili furore subversa est*, *ubi sunt* Lupercalia? *Curistis minime profuerunt . . . Multa sunt*, *quae singulis Pontificibus diverso tempore sublata sunt noxia*, *vel abiecta. Non enim simul omnes in corpore curat medicina languores.*

(1) In *can pervenit 8. ead. C. et qu.*

(2) In *seq. can. si quis 9.*

(3) Ep. 1. ad *S. Bonifacium.*

(4) Zacharias *in can. si quis 14. C. 26. qu. 7. Si quis kalendas Ianuarias et brumam ritu paganorum colere*, *vel aliquid plus novi facere propter novum annum*, *aut mensas cum dapibus*, *vel epulis in domibus praeparare*, *et per vicos*, *et plateas cautiones*, *et choros ducere praesumpserit*, *quod magna iniquitas est coram Deo anathema sit.*

(5) Leo IV. in *can. sortes 7.*

(6) Nicol. I. ad cons. Bulgar. *cap. 77. refertis*, ait, *quod Graecorum quibusdam codicem accipientibus in manibus clausum*, *unus ex eis accipiens parvissimam particulam ligni*, *hanc intra ipsum codicem condat*, *et si undecumque aliqua vertitur ambiguitas*, *per hoc affirmant se scire posse quod cupiunt: vos vero consuluistis*, *si sit obtinendum*, *an respuendum? Utique respuendum est*, *scriptum est enim.* Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, et non respexit ad vanitates et insanias falsas.

(7) Alex. III. in *cap. ex tuarum 2. de sortilegiis.* Ex hisce pontificiis decretalibus apertissime constat falsum sortilegi crimen Lutheranos, in his Fromanum, nostris obiectare Pontificibus.

viores pro minori, vel maiori noxa irrogandi. Ut simplicitas (1), et prompta resipiscentia veniam promeretur, ita vindictam, et poenae acerbitatem voluntarius error, et pertinax.

XLIV. Hoc in regno ferme omnes Episcoporum synodi quum antiquae, tum recentiores ore uno execrantur sortilegia, cunctasque magicas artes, et superstitiones multiformes censuris latae sententiae : quae plane faciunt coniecturam inextinguibilis zizaniae, quod in agro Domini tartareus hostis ingerere numquam desistit. Singulas autem enumerare quum nimis longum esset : instar exempli synodicas huius Neapolitanae Ecclesiae saltem constitutiones proferam. Ioannes Ursinus Archiepiscopus Neapolitanus anno 1328. ipso facto excommunicatos declarat nedum veneficos, sortilegos, divinatores quoslibet, eisque operam, consilium, favorem dantes (2); sed olea etiam sancta dantes, et accipientes ad sortilegium, aliumve illicitum abusum (3). Marius Caraffa Neapolitanus item Archiepiscopus in Provinciali Synodo an. 1576. eadem censura, aliisque poenis arbitrio Episcopi coercendos fore sortilegos constituit (4) ; pravasque simul superstitionum corruptelas multiplices pro-

(1) S. Paulinus *in natali S. Felicis* ad rem hanc ita canit: *Ignoscendum tamen puto talia parvis Gaudia, qua ducunt epulis, qua mentibus error Irrepsit rudibus, nec tantae conscia culpae Simplicitas pietate caret, male credula Sanctos Perfusis halante mere gaudere sepulcris.*

(2) In constit. Synod. Ioannis Ursini Arch. Neap. latis an. circiter 1328., quas Archiep. Alexander Caraffa confirmavit, typisque vulgandas iussit an. 1542., *const. 4.* his concepta est verbis : *Ad veneficorum, sortilegorum, et divinatorum damnabilem astutiam elidendam, excommunicamus sententialiter in his scriptis omnes, et singulos, qui praetextu captandae dilectionis, vel odii inserendi aliquod poculum, sive cibum alicui dederint, et incantationes, sive divinationes facientes per invocationem daemonum, proiectionem plumbi, sive cerae liquefactae vulgariter dictae* lusive, *fabarum, salis, ovi in aqua, et orinali, vel aliter, et generaliter omnes veneficos, sortilegos, et divinatores, et qui ad eos accesserint praedictis sortilegiis, veneficiis, et divinationibus, eorumque participes, ac praedictis personis, vel ipsarum alteri quoad praedicta praestantes auxilium, consilium, et favorem.*

(3) Eiusdem Synodi *const. 5.: Nonnulli Sacerdotes,et alii clerici saeculares dare, et exhibere consueverunt de* chrismate, *et* oleo sancto *nonnullis personis, qui illo in operibus divinationum, veneficiorum, aut sortilegiorum utuntur, seu in alios usus illicitos illud converterunt... excommunicamus dantes, et recipientes huiusmodi de cetero ipsum* chrisma, *vel* oleum sanctum, *et dictam excommunicationis sententiam ipsos incurrere volumus ipso facto.*

(4) Neap. Synod. Provinc. Marii Caraffae an. 1475. *cap. 7. de maleficiis, et veneficiis* ita sanxit. *Malefici, qui se quibusdam ligaminibus, nodis, characteribus, verbisque obscoenis sacra profanis immiscendo mentes hominum, quo volunt, movere,ac perturbare pollicentur, ac omnes quovis beneficii genere tacite, vel expresse pacta cum daemonibus ineuntes acriter ab Episcopo puniantur, iamque ipsis, quam ipsorum opera utentibus excommunicationis poena, aliaque a sacris canonibus statuta adhibeantur. Mulierculae etiam, si huiusmodi artificium exercere fuerint convictae, nec non homines, qui verbis etiam sacris, vel cantionibus, vel quibusdam pagellis ... vulnerata corpora curant, vel morbos pellere profitentur, sub excommunicationis poena, aliisque secundum sacrosanctos canones, et arbitrium Ordinarii omnino prohibeantur.*

scripsit (1). Idemque Archiepiscopus in dioecesana Synodo, an. 1567. sanxit, ne equi in Ecclesias, vel earum coemeteria introducantur, neve bestiis ullus ad eas pateat accessus (2). Altera Synodus Provincialis Neapolitana, quam an. 1699. Iacobus Cardinalis Cantelmus Archiepiscopus celebravit, sex decreta in sortilegos, veneficos, et magos habet. 1, *quicumque ad superstitiosos, aut ridiculos sensus sacrae Scripturae verba detorserit, gravissimis poenis contra violatores verbi Dei canonice praescriptis, aliisque arbitrariis coerceatur.* 2, *qui signa, aut verba etiam sacra medendi usum adhibuerint, et omnes universim remedii fiduciam collocantes in rebus naturali sanandi virtute destitutis superstitiosi sunt, et propterea denunciandi: sicut et qui cabalisticam artem exercent, aut necromantiam, astrologiam iudiciariam, artem magicam profitentur, iuxta terminos bullae Xysti V.* 3, *excommunicationis sententiae Ordinario reservatae ipso facto subiaceant omnes utriusque sexus personae, quae daemoni spondent obsequium, thus, et sacrificia offerunt, quamvis sine errore intellectus. Insuper quicumque sive suo, sive alterius nomine condunt, aut condere faciunt imagines, annulos, aut quodvis aliud artefactum, in quo daemonem constringant.* 4, *in eumdem excommunicationem Ordinario reservatam ipso facto incidant quicumque vel per se, vel per alium de SS. altaris Sacramento, chrismate, oleo san-*

(1) Eadem Synod. *cap. 8. de pravis, et superstitiosis consuetudinibus* haec habet: *In primis caveatur, ne posthac ante, vel circa templorum, aut sacrarum aedium fores* choreae *ducantur, neve dum* processiones *sibi invicem occurrunt ad Christi in Cruce pendentis imaginem exosculandam, reliquiae imaginesve ad se mutuo applicentur. Prohibeatur vulgatus illorum usus, qui ad suum arbitratum* compatres *vocantur, aut* commatres: *sed ii tantum hoc sibi nomen sortiantur, qui in Baptismo, vel Confirmatione patrini fuerint.... Ridiculas* divinationes *iuxta SS. Patrum decreta condemnantes districte praecipimus, ut interdicatur Ægyptiis mulieribus, quas* Cingaras *appellant, aliisque meris* chiromantiae *nugis deditis, ut futura ex quibusdam manuum lineamentis ne divinent, ac praedicant.* Similiter omnes *aliae divinationes tam ex* astrologia, *quam ex* geomantia, *et* idromantia, *et aliis diabolicis inventis fiunt, explodantur.... Ab illa corruptela abhorreant, et recedant, qua post alicuius suorum obitum* templum *Dei per* annum, *vel aliquot* menses *non adeunt, prohibente Apostolo,* ut non contristemur, sicut ceteri, qui spem non habent ... *Omnem superstitiosum cultum magnopere declinent . . . venam die Ascensionis vel S. Io. Baptistae incidere, pedes abluere, in mari natare, carduos, herbarumque semina nocte, quae diem divo Ioanni sacrum anteit, colligere, panem scriptum alteri dare, ovum Annunciationis, vel Ascensionis, vel sextae feriae maioris hebdomadae reservare, infantium primos calceos necessario ex lupina pelle conficere. Cum aberraverit bestia, nemo astra adiuret, sibique persuadeat eo in loco illam esse, quem versus moveatur astrum; sponsorum umbellam a pueris tantum, qui parentes superstites habeant, sustineri oportere; iubere sponsam, cum sponsi domum primo ingreditur, ovum pede frangere, vel in eam frumentum proiicere, alia Ecclesiae ianua egredi oportere, quam qua ingressi fuerint. Parentes etiam sponsis in templo bene dicentes piis verbis utantur sublato quovis abusu, et superstitione. Obstetrices super puerperae lectum superstitiosa verba non proferant. Ceram e sigillis Sepulcri Domini in superstitiosum cultum non conservent.*

(2) Neap. Syn. Dioec. Marii Carafae an. 1567. *pag. 141.*

cto, sive quacumque alia re consecrata ad veneficia, divinationes, sortilegia, aut ad alium usum, quam fuerint ordinata, quomodolibet abutantur, quique de praedictis ad praedictos fines aliquid alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abusu minime secuto. 5, venefici etiam, et veneficae omnes, necromantes, divinatores, sortilegi, lamiae, striges, sive quovis alio nomine nuncupentur ex utroque sexu, qui cum expressa daemonis invocatione ad captandam dilectionem, vel odium concitandum sive ad inveniendos thesauros, aut ad alium finem utuntur incantationibus, aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis a naturali, et legitimo matrimonii usu coniuges avertunt, ac scienter in praefatis cooperantes, aut quovis modo consentientes. 6, circulatores, qui praestigiis quibusdam, et fallaciis vulgus suspensum detinent, procul eiiciantur (1).

XLV. Quisnam sit proprius iudex in sortilegos, et magos nunc edisserendum superest. Leges quidem civiles paullo superius memoratae (2) ultimo supplicio nonnullos eorum, alios deportatione, bonorumque publicatione plectendos quum iubeant : videntur iudicium in ipsos reservasse Potestati saeculari, quia Ecclesia nescit iudicium sanguinis. Versa vice canones, et ecclesiasticae constitutiones qua communes, qua dioecesanae, quas etiam innui (3), nedum clericos, verum etiam laicos magica superstitione contaminatos, et censuris spiritualibus, et poenis insuper corporeis arbitrio Episcoporum expiandos, corrigendosque mandant (4). Nec exempla desunt laicorum utriusque sexus, in quos Episcopi dioecesani ob crimen magiae vinculis mancipatos, et rite damnatos flagellis, et corporis castigatione animadverterunt (5). Alexander IV. ad Inquisitores haereticae pravitatis ab Sede Apostolica deputatos rescripsit, *in divinationibus, aut sortilegiis, nisi haeresim saperent manifestam, intromittere se non debere, nec punire talia exercentes : sed eos relinquere suis iudicibus puniendos* (6). At Xystus V., abolita distinctione inter sortilegia infecta haeres, vel non statuit, ut Inquisitores cumulate cum Episcopis locorum Ordinariis, servato nimirum iure praeventionis, notionem haberent iudiciariam de cuiuslibet magiae criminibus (7).

(1) Provinc. Neap. Synod. Card. Cantelmi *tit. 1. cap. 4. de blasphemiis, et superstitionibus a num. 5. ad 10., et ult.*

(2) Hoc tit. *num XXXIX., et XL.*

(3) *Num. XLI., XLII., et XLIII.*

(4) Hinc Abbas Panormitanus in *cap. cum sit generale 8. de for. compet.* monet sortilegium ad utriusque fori notionem pertinere.

(5) Dadin. Altaserra *lib. 4. de iurisd. cap. 4.*, post Gregor. Turones. *lib. 7. cap. 44.*, fert Episcopum Viridunensem in Gallia de muliere pytonissa, quae futura praecinebat, notionem habuisse : aliamque synodica sententia Episcoporum apud Moguntiam flagellis publice caesam. Io. Paponius *lib. 22. tit. 3.* tradit tres mulieres sortilegii crimine in Senatum Parisiensem delatas ad Episcopum Parisiensem remissas ob haeresim ex invocatione daemonum, et abnegatione fidei coniunctam. Idipsum scribit Petro Tolosanus *syntagm. iur. uniu. lib. 34. cap. 15.*

(6) Alex. IV. in *cap. accusatus 8. §. sane de haeretic. in VI.*

(7) Xystus V. in *const.* data Nonis Ian. 1586., quam laudat Torreblanca in

XLVI. In Concordatis nostris hac de re nil expresse cautum. Sed quoniam ea ipsa maiorem Episcopis iurisdictionem in caussis fidei, et haeresis, quam in caussis sacrilegii, et Sacramentorum abusus concedunt (1): fit exinde, ut distinctio duplices magiae haeresim habentis vel non adnexam, ab Alexandro IV. adhibita, locum heic obtineat. Itaque iudicio Episcoporum nostrorum clericos, et laicos perinde ob scelus magiae redolentis haeresim, atque ob haeresim ipsam parere necessum est, adeo ut carcerem fori ecclesiastici, poenasque corporeas citra sanguinem evadere non possint, dummodo ritus procedendi regiis rescriptis, litterisque encyclicis imperatus observetur: in aliis vero magiis, et maleficiis haeresi expertibus laicos censuris tantum, poenisque spiritualibus coerceri (2). Pactum expressum cum daemone, quod realem esse apostasiam a fide consentiunt cum S. Thoma Doctores, vel manifestus daemonis cultus, vel idololatria, vel nefarius abusus SS. Eucharistiae Sacramenti, haeresim procul dubio magiae adnectit: superstitiones aliae ad alterum genus magiae pertinent.

De purgatione vulgari appendix.

XLVII. Silentio tandem praetereunda non est profligata iamdiu superstitio purgationis vulgaris, quae olim in iudiciis etiam ecclesiasticis, proh nefas! irrepserat. Aquae *redargutionis* pulvere tabernaculi commixtae, et exorcismis praeparatae, quas divina lex Mosayca iussit, ut ex vase fictili biberent peracto zelotypiae sacrificio coniugatae mulieres ad purgandam adulterii suspicionem (3), putantur exemplo fuisse variis purgationibus vulgaribus, quas gentium superstitio temere invexit, et *iudicia Dei* nuncupavit. Idolatrae tum gentes iudicio aquae vario sunt abusae (4). Ad indicium vel innocentiae, vel culpae Artecomii, et Daphnopoli fons ferebatur suspectas virgines eum ingressas aquis perlucidis, corruptas turbidis continuo indicare (5). Stygius fons alius prope Ephe-

cit. epitome delictor. invocat. daemon. lib. 3. cap. 9. in fine, et Scaccia *lib. 1. de iudiciis cap. 12. num. 53.* At eam usu non receptam fert Dominicus Crispus *tract. 2. prax. crim. cap. 6. num. 1.*

(1) Ex iam dictis superiori *lib. III. tit. VI., num. III. IV. et V.*

(2) Sanfelicius *dec.* 233. in fine, et Caravita *Inst. crim. lib. 1. §. 3. cap. 28. num. ult.* stylum huius regni tradunt remittendi sortilegos laicos de haeresi suspectos ad iudicem ecclesiasticum, quos deinde viso exitu iudicii episcopalis legitimis poenis plectit forus laicus.

(3) Numeror. *cap. 5. vers. 13., et seq.* Eas textus sacer aquas *maledictionis* appellat, poculum *redargutionis* Philo Iudaeus *lib. de specialibus legibus.*

(4) Claudia Vestalis virgo pudicitiam suam suspicione stupri offuscatam patefecisse fertur a Livio, V. Maximo, Ovidio, tum SS. Augustino, et Hieronymo, dum suo navim cingulo duxit in vado Tyberis, quam multa hominum millia trahere vix nequissent.

(5) Eustach. *lib. 7., et 11. de amoribus Ismenii* apud Gonzalez in *cap. 3 de purg. vulg. num. 4.*

sum immota aqua innoxios intumescente periuros reos detegere (1). Germani dubiam prolem recenter natam Rheni aquis explorabant, opinantes legitimam illuc proiectam incolumem supernatare, spuriam gurgitibus abripi (2) : colentes flumen velut iudicem, vindicemque fidei coniugalis. In Sardinia iuratores aqua oculos tingebant (3). Virgo Vestalis apud Romanos perhibetur innocentiam suam ostendisse prodigio aquae ex cribro non effluentis, quod ea e Tyberi ad templum in capite gestavit. Aquae frigidae iudicium ad reos furti, aliorumque criminum infamatos detegendum diu viguit a Caroli M. temporibus, quam sacerdos benedicens adiurabat, ut ea noxios ab se respuendo efferret supernatantes, innoxios autem suscipiens intra se contigeret (4). Verum ad vitandam suffocationem chorda circa lumbos alligabantur, qui eam ingrederentur, eos in tempore sursum eductura, ne periclitarentur innoxii deorsum tendentes (5). Utque fidem sibi ea in re conciliarent, primos purgationis eius[illegible] architectos Leonem III., et Eugenium II. Pontifices, et Carolum M. Imp. coaevum fuisse, falso rumore nunciarunt (6). Lucius III. Curensi Episcopo rescribens irritam habuit episcopalem sententiam pro quodam presbytero, qui *iudicio aquae frigidae suam innocen-*

(1) Achilles Tacius de amorib. Clitophon. apud Gonzal. *ibidem*. Alium eiusmodi fontem memorat Aristotiles *lib. 2. de admirandis auditionibus*.

(2) Cluverius *lib. 1. Germaniae antiquae cap. 21.* Hinc Claudianus : *Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus*. Et S. Greg. Nazianzen. *Celtae quidem explorant prolem, Rhenique fluento exponunt.*

(3) Plinius *lib. 31. cap. 2.* apud Gonzalez *ibidem*.

(4) L. A. Muratorius *antiqu. Ital. dissert. 38.* duos Milanensis Ecclesiae libros memorat, quorum alter inscriptus ita est : *Ordo ad faciendum iudicium ad aquam frigidam*, alter: *Benedictio aquae frigidae ad furtum*. In eis, aliisque Ritualibus a Iureto, a Lindebogio, Goldasto, Mabillonio, Martenio, Bignonio, Du Cangio, vulgatis, formulas precum, et adiurationis aquae videre licet. S. Gregorius Turonensis Episcopus, qui VI. saeculo floruit, *lib. 1. de gloria martyrum cap. 66., et 70.*, scribit duas foeminas ob adulterii accusationem, *ut aquis immergerentur, diiudicatas*, quarum altera super *aquas ferri caepit; alteram stylus sub aqua tenuit, ne ad fundum fluminis perveniret :* hanc propterea innocentem, illam ream opinione miraculi habitas fuisse. Tum Hincmarus Rhemensis Archiep. IX. saeculo talem purgandi criminis ritum commendavit in libello *de divortio Lotharii, et ep. 39.*

(5) Ex relatis a Martenio, Hincmaro, et Lotarii I. lege 55. Langobardica, et Mabillonio *annal. Benedictin. ad an. 1021., et 1030.*, apud Murator. *loc. cit.* Idemque inter fabulas reiicit Caroli I. Andegavensis Siciliae Regis statutum ms. a D. Cangio relatum de accusatis in aquam, ut suffocarentur proiiciendis, quos aqua nequibat innoxios absorbere.

(6) Quum Remigianae membranae saeculo IX. confectae, quas Mabillonius exscripsit *to. 1. vetere analector.* ferunt Eugenium II. primum aquae purgationis auctorem ; eae ipsae iam tali macula abluunt Leonem III. praecessorem Pontificem. Et quoniam Ludovicus Pius Imp. in suis Capitularibus an. 829. *cap. 12.* (quod firmavit Lotharius Aug. eius filius Langobard. *lege 55.*) sanxit, *ut examen aquae frigidae, quod hactenus faciebant, a Missis nostris interdicatur, ne omnino fiat;* nullum interea verbum de adversis Eugenii Papae, et Caroli M. legibus abrogandis fecit, quas religiosissimus Imp. si revera praecessissent, non abrogasset. Id quod recte observant N. Alexander *hist. saec. IX. cap. 1. art. 4.*, et Murator. *cit. dissert. 38.*

tiam purgaverat : *quia peregrina*, inquit : *iudicia sunt inhibita* (1).

XLVIII. Ferventi etiam aqua, et igne, et ferre candenti, prunisque ardentibus reos, et periuros ab immaculatis discernere per trucem superstitionem pagani sueverunt (2), quemadmodum et monomachia, seu duello (3). *Duello liberi*, *ferventi aqua servi innocentiam suam probant*, prisco iure Langobardorum (4). Cum iis ipsis efferis gentibus ad Italiam, aliasque Occidentis regiones eadem superstitio commigravit. Luitprandus Langobardorum Rex de cruentis duellorum iudiciis loquens, *propter consuetudinem gentis nostrae*, ait, *Langobardorum legem impiam vetare non possumus* (5). A Carolo M. inter Langobardorum leges cautum, ut patrasse homicidium accusatus negaverit, *ad novem*

(1) Lucius III. in *cap. ex tuarum 7. de purg. can.* Hanc decretalem ad Curensem Episcopum Italiae ex Prov. Valeriae datam observat *ibidem* Gonzalez.

(2) *Scelus exuritur igne* canit Virgilius *Aeneid. 6.*, tum *lib. 11.* addit : *medium freti pietate per ignem Cultores media premimus vestigia pruna.* Aput Plinium *lib. 7. cap. 2*, Apollinis Sacerdotes in Soracte monte *super ambustam ligni struem ambulantes non aduri tradebantur.* AEthiopes ignem sacrum habuisse instar infallibilis innocentium experimenti narrat Heliodorus *lib. 10.* Deam Feroniam colentes nudis pedibus prunas accensas perambulasse, insimul per aquam, et sulphur se purgasse fert Apuleius *de asino lib. 11.*, et Ovid. *de arte amandi*, ita canens: *Et veniant, quae lustret anus, lectumque, locumque Referat, et tremula sulphur, et ora manu.* Cum Antigonus fratrem suum Polinicem clam sepellisset, quod Creon rex vetuerat, custodes regii de spreto edicto regio insimulati ad suam innocentiam ignea purgatione ostendendam sese obtulere: ut canit Sophocles *in Antigono: Nemo deprehensus est, nosque latuit: sumus vero parati, et candens ferrum manibus tollere, et per ignem serpere. Deosque iurare, Nec nos fecisse, nec fuisse conscios.*

(3) Certamen singulare, quod puer David afflante Deo iniit cum Goliath I. Regum *cap. 17.*; nequit exemplum legitimum impiis duellantibus praebere. Plura quum duella descripserint poetarum principes, quaestiones acriores dirimentia: barbaros ea in re mores gentium pandunt. Livius *lib. 28. cap. 21.* enarrans gladiatorum ludum Hispanis a Scipione oblatum in nova Carthagine, scribit : *Quidam* ex Hispanis, *quas disceptando finire nequiverant, aut noluerant, pacto inter se ut victorem res sequeretur, ferro decreverunt:* mox addit, Corbum, et Orsuam patrueles *de principatu civitatis, quam* Ibem *vocabant, ambigentes ferro se certaturos, nec alium Deorum, hominumve, quam Martem se iudicem habituros.* Velleius Parteculus *lib. 2.* fert Tiberio imperante Germanos Quinctiliano Varo Romanae militiae duci gratias egisse, *quod lites Romana iustitia finiret, et* solita armis *discerni*, iure *terminarentur.*

(4) Ex l. Langob. *tit. 9. l. 1*, quam refert Gonzalez in *comm. cap. 2. de cler. pugnant. in duello num. 6.*

(5) Ex legum Langobard. *lib. 1. tit. 9. de honor. eius. liberi hom. l. 23.*, quam memorat Cuiacius *lib. 1. de feudis tit. 1. §. in autem controversia.* Sed Carolus M. Imp. lege 10. Langobard. edixit *de eo, qui periurium fecerit . . . si accusator contendere voluerit de ipso periurio, stent ad Crucem.* Idemque diviso inter filios suos regno iussit, ut *numquam pro tali caussa cuiuslibet generis* pugna, *vel* campus *ad examinationem iudicet.* Idemque in duelli vicem subrogavit Carolus M. examen Crucis. Nimirum sicuti narrat Ughellius *tom. 3. de Veronens. Episc. duo in Ecclesia S. Io. Baptistae ad Crucem steterunt*, h. e. manibus sursum elatis, *ambo ab introitu Missae usque ad mediam Passionem secundum Matthaeum . . .* mox alter *in terram velut exanimis corruit : alter vero pacificus usque ad finem Passionis stetit.*

vomeres ignitos iudicio Dei examinandus accedat (1). Ludovicus Pius anno 819. hanc etiam legem Langobardorum indixit contra homicidas sacrilegos: *si proprius servus hoc commiserit, iudicio ferventis aquae examinetur, hoc sponte, an se defendendo fecisset: et si manus eius exusta fuerit, interficiatur* (2). Rugerius I. Siciliae Rex inter foedera cum Bariensibus civibus conventa anno 2132. ita spopondit. per *ferrum, caccavum, pugnam, aquam vobis non iudicabit, vel iudicari faciet* (3). Ex Friderici I. Imperatoris lege militari, *servus culpatus non in furto deprehensus, sequenti die expurgabit se iudicio igniti ferri, vel dominus iuramentum pro eo praestabit* (4).

XLIX. Quoad ergo tales viguerunt saeculi leges, quid mirum, si altas longe, lateque radices egerint impiae vulgares purgationes? Clerici etiam partim collapsis moribus abducti, partim leges Principum plus aequo veriti, utrique ignorantia, et falsa pietate decepti eas putarunt *iudicia Dei*, quas nonnisi paganorum superstitio, et barbaries invexerat. Hinc ad eas ipsas praeparandas accesserunt sacrificia, et sacerdotales preces, adiurationes, ritusque in iudiciis aquae tum frigidae tum fervidae, et igniti ferri, et prunarum, flammarumque ardentium, humano, et aberrante ingenio contra canones adhibita (5).

L. Viros etiam, et foeminas sanctitate insignes (6), monachos, et

(1) Carol. N. *Langobard. leg. 105.*

(2) Ex capitulari Ludovici Pii, apud Balutium, et Murator. *cit. diss. 38.*

(3) Ex Ughellio *Ital. sacr. de Bariens. Episc.* et Murator. *cit. diss. 38. in fine.*

(4) Ex Radevico *lib. 1. de gestis Friderici cap. 26.*

(5) Ea commemorant, et describunt Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib. 4.*, In Ciron. *in paratitl. Decretal. de purgat. vulg.* et Murator. *cit. dissert. 38.* ex Martenio *de antiqu. Eccl. ritib.* Pez, aliisque Scriptoribus plures Ritualium libros etiam ms. promit, in quibus prostant *Ordo ad faciendum iudicium aquae frigidae, benedictio aquae frigidae ad furtum, benedictio super aquam ferventem, benedictio ad iudicium faciendum etc.*

(6) Cedrenus fert sub Anastasio Imp. catholicum Episcopum in Oriente an. 506. hanc Ariano Episcopo legem indixisse, *ut per ignem, cuius esset fides verior, probarentur. Recusante facere Ariano, orthodoxus intrans per ignem illaesus evasit.* Petrus cognomento *Igneus*, Vallisumbrosae Monachus, mox Cardinalis, et Episcopus Albanensis, ut Theuzonem ad Florentinae Ecclesiae Episcopatum simoniace electum ostenderet, partem populi cum accusantis sustinens an. 1068., iussu S. Io. Gualberti per mediam struem lignorum ardentium incolumis omnino pertransiit, ex actis S. Io. Gualberti, ex Baronio, Ughellio, ceteris. Hincmarus *lib. de divortio* Lotharii miraculosum ferventis aquae iudicium exemplis quoque comprobat. Sancta insuper Cunegunda Imp. S. Henrici Imp. coniux fertur *in eius vita*, quod omnem de pudicitia sua suspicionem delersura *expurgationis gratia ad vomeres candentes illud sibi iudicium delegit, quod propter duritiam hominum institutum est. . . Stupentibus, et flentibus universis qui aderant, vomeres candentes, nudo vestigio calcavit, et sine adustionis molestia secura pertransit.* Muratorius id revera, an non gestum sit, dubitat *cit. diss. 38.* B. Hildegundis furto accusata ferro ignito sese innocentem ostendit, apud Manrique *to. 3. annal. Cisterc. an. 1146. cap. 7. num. 8.* Alia id genus prodigia contestantur Caesarius *lib. 10. de miraculis cap. 35.*, Greg. Turonens. *de gloria Confess. cap. 76.*, Trithemius *in chron. cap. 22.*, Niceph. Calixtus *lib. 15. hist. cap. 28.*

sacras virgines (1), Episcopos insuper (2) eodem iudicio probatos evidenti miraculo suam ostendisse innocentiam, fidemque integram, quam evasissent incolumes, tradit historia. Sed extraordinaria Sanctorum opera, et prodigia non sunt ad ordinariam, et communem legem trahenda, ex B. Chrysostomi sententia (3): quidquid aliter senserint Ivo Carnotensis (4), Hincmarus, et alii. Qui firmam Deo fidem haberent, omnemque spem in ipso collocarent, eos calumniis oppressos a Deo O. M. miraculis protectos fatemur: ceteros hominum infirmae plerumque fidei ad purgationes vulgares adigere, nihil aliud erat, nisi delirare, Deumque tentando ad iracundiam provocare, contra canones.

LI. Una dumtaxat synodas Triburiensis in Germania an. 895. purgationem ferri candentis, vel aquae fervidae indixit ad expiandum crimen furti, et periurii (5). Istud vero decretum synodicum tantum abest,

(1) P. Sirmondus *in not. ad Goffred. Vindocinens. ep. 39. lib. 3.* scribit Theodoricum S. Albini Abbatem, cui cum Halmerico Visconte lis erat, se Halmerico paratum exhibuisse, *aut calidi ferri iudicio secundum legem* monachorum *per suum hominem probare, aut scuto, et baculo iuxta legem saeculariurn defendere* Mabillonius *to. 4. annal. Benedict.* ex quodam scripto refert Monasterii Maioris monachos ad litem definiendam uti *solito candentis ferri iudicio* deliberasse.

(2) Gregorius Turonensis *lib. 2. hist. cap. 1.* narrat, B. Bricium Episc. Turonens. falso crimine infamatum ardentes prunas in byrro suo positas usque ad sepulcrum S. Martini spectant populo gestasse, mox proiectis ante sepulcrum prunis vestem suam inustam ostentasse. Idipsum de Montano Archiep. Toletano ferunt Ildephonsus *in praef. de viris Eccles.* Mariana *lib. 5. hist. cap. 6.*

(3) S. Io. Chrysostomus in *can. occidit 14. C. 23. qu. 8. Occidit Phinees hominem*, ait, *et reputatum est illi ad iustitiam . . . Petrus geminum fecit homicidium* (Actor 5.,) fuit tamen *opus spirituale quod factum est. Non sola igitur respiciamus opera, sed tempus, et caussam, et voluntatem, et personarum differentiam.* S. Aug. in *can. quaeritur 22. C. 22. qu. 2. Quaeritur*, inquit, *cur Patriarcha* Abraham *mentiri voluit, ut diceret Saram sororem suam; et non potius Deo commisit, qui si vellet, eius pudicitiam apud Pharaonem servare posset. Sed veritatem voluit celari, non mendacium dici: soror enim dicitur, quia filia fratris erat. Et in hoc ostenditur, quod nemo debet* tentare *Deum suum, dum habet quod rationabili consilio faciat. Fecit quod potuit; quod non potuit, Deo commisit, in quem speravit: nec eum fides, aut spes fefellit.* Nicolaus Papa ad Bulgaros rescripsit in *c. si nulla 15. C. 23. qu. 8.* licere bellum iustum, et necessarium inire contra hostes quadragesimali etiam tempore: *ne videlicet Deum videatur homo* tentare, *si habet quod faciat, et suae ac aliorum saluti consulere non procurat, et sanctae religionis detrimenta non praecavet.*

(4) Ivo Carnotens. Episc. *ep. 252. Non negamus tamen, quin ad divina aliquando recurrendum sit testimonia, quando praecedente ordinaria accusatione humana desunt testimonia: non quod lex hoc instituerit divina, sed quod exigat incredulitas humana.*

(5) Conc. Triburiense in *cap. 1. de purgat. canon. Si antea deprehensus fuerit in furto, aut periurio, aut falso testimonio, non admittatur ad iusiurandum: sed ei (sicut qui ingenuus non est) purgatio indicatur*, ait ex Conc. Trib. textus Decretalium. Emm. Gonzalez *ex prima comp. Decretal. cap. 1. de purg. vulg.* ita legit: *ferventi aqua, aut candenti ferro se expurget.* Consonat Gratiani Palea in *can. nobilis 15. C. 2. qu. 5.* Tum ex *can. 22. eiusdem Conc. Trib.* haec alia recitat verba Gonzalez: *aut confiteatur et poeniteat*,

ut aliae Ecclesiae, sapientioresque Patrum admiserint, ut immo reprobaverint (1), canonicam sequentes auctoritatem Romanae Sedis Apostolicae. Nicolaus I. (an. 858.) Carolo Regi Lotharii patruo de divortio Lotharii, et Tietbergae rescripserat nullatenus licere monomachiam legibus Langobardorum, et Capitularium constitutam permittere patronis utriusque partis ad probandum adulterium: *cum hoc, et huiusmodi sectantes*, ait, *Deum solummodo tentare videnter* (2). Paullo post Stephanus V. (an. 885.) Humberto Moguntino Episcopo rescripsit, quod *ferri candentis, vel aquae ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones: et quod SS. Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est praesumendum . . . Occulta, et incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum* (3). Alexander II. (an. 1061.) Raynaldi Cumani Episcopi arbitrio sic remisit purgationem canonicam Guillandi presbyteri de sui Episcopi morte infamati, ut apostolica auctoritate prohiberet *vulgarem, et nulla canonica sanctione fultam legem, ferventis scilicet sive frigidae aquae, ignitique ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inventionis* (4). A Lucio III. proscriptum aquae frigidae iudicium superius monui (5): Coelestinus III. nec duella, nec purgationes alias vulgares tolerandas umquam esse rescripsit (6). Innocentius III. in Concilio generali sanxit, *ne quisquam purgationi aquae ferventis, vel frigidae, seu ferri candentis ritum cuiuslibet benedictionis, aut consecrationis impendat: salvis prohibitionibus de monomachiis sive duellis antea promulgatis* (7). Innocentius III. Visitatoribus Lombardiae mandavit, ut Albiganensem Episcopum amoverent, nisi monitus eo se abdicasset, quia adfuerat iudicio candentis ferri, furemque eo combustum annuit suspendio necari (8). Idemque Pontifex rescripsit, ut Spoletani Consules bona omnia restituerent iis, quos per duellum reos furti iudicaverant falsissime, quum eorum innocentiam detectis postea furibus aliis Dei providentia revelasset (9). Mox

aut Episcopo, vel suo Misso discutiente per ignem candenti ferro caute examinetur.

(1) Agobardus Lugdunensis Archiep. circa an. 823. librum conscripsit *contra damnabilem opinionem putantium divini iudicii veritatem igne, vel aquis vel conflictu armorum patefieri.* Id quod observat Muratorius saepe *cit. diss. 38.*

(2) Nicol. I. in *c. monomachiam 22. C. 1. qu. 5.*, ibique RR. Correctores.

(3) Stephan. V. in *can. consuluisti 20. C. 2. qu. 5.* Wan-Espen *par. 3. tit. 8. num. 32.* hanc inter Stephani Papae epistolas negat inveniri.

(4) Alexand. II. in *can. super causso 11.*, *et can. Mennam vero 7. C. 2. qu. 5.* Fragmentum epistolae Alexandri ad Cumanum Episcopum Gratianus errabundus attexuit epistolae S. Greg. M. ad Brunichildam Reginam Francorum in *cit. can. Mennam.*, quod Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratiani dial. 12.*, et Romani Correctores in eodem *can. Mennam* recte commonent pertinere ad Alexandri II. epistolam.

(5) Luc. III. in *cap. ex tuarum 8. de purgat. canonica.*

(6) Coelest. III. in *cap. sententiam 1. de purgat. vulgari.*

(7) Innoc. III. in *cap. sententiam 9. ne clerici, vel monachi saecularib. negot. se immisceant.* (8) Innoc. III. in *cap. ex litteris 10. de excess. Praelator.*

(9) Idem in *cap. significationibus 2. de purgat. vulgari.*

Honorius III. sanxit per censuram ecclesiasticam cogendos fore Templarios, ceterosque temporalem potestatem in Livonia exercentes, ut ne subditos suos criminibus infamatos *ferri* candentis iudicium subire adigerent : *cum huiusmodi iudicium sit penitus interdictum ; utpote in quo Deus tentari videtur* (1). A Patribus tandem Tridentinis anathematismo latius profligatus *detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur* (2).

TIT. XVI.

De Simonia.

I. Damnatum iure divino veteris Testamenti crimen hoc peculiarem accepit nomenclaturam a Simone mago in Ecclesiae primordiis.

II. Non aliud est, nisi permutatio doni spiritualis cum pecunia, vel quavis re temporali. *Eaque ex adiunctis qualitatibus vel* mentalis, vel conventionalis, vel realis, vel confidentialis *appellatur.*

III. Eam in sacris ordinationibus, aliisque Sacramentis ab initio canones, et Concilia ecclesiastica proscripserunt poena depositionis, et anathemate.

IV. Varias alias poenas pro varia factorum, personarum, temporum conditione sanxerunt canones synodici ad undecimum usque saeculum.

V. Alique subsecuti veteris disciplinae.

VI. Mox posteriores novae disciplinae.

VII. Tum pontificiae decretales innumerae.

VIII. Simoniae materiam temporalem praebent munera obsequii, manus, *et* linguae, *seu* preces, pretium, *et* obsequium.

IX. Velamina caussae impellentis, et gratuitae compensationis procul amovit Innocentius XII., proscribens inter damnatas propositionem XLV.

X. Spontaneas fidelium oblationes, et munuscula prorsus voluntaria Lex evangelica, Patresque sanctissimi non improbent.

XI. Dummodo dantis, et accipientis qualitas, et quantitas muneris, et donationis tempus nullam ingerant suspicionem.

XII. Et nisi lex humana speciatim vetuerit oblationes etiam gratuitas.

XIII. Necessitas alendi sacros ministros probas efficit sponta-

(1) Honor III. in *cap. dilecti 3., et ult. eod. tit.*, quam decretalem ad Archiep. Rigensem metropolitam Livoniae datam observat Gonzalez *ibidem.*

(2) Trid. in *cap. detestabilis 19. sess. 25. de ref.* Cuiusmodi sanctionem ad duella minus solemnia, quae sine patrinis, aut spectatoribus fiant, extendunt Greg. XIII. in *cap. ad tollendum*, et Clemens VIII. in *const. illius vices.*

neas eleemosynarum oblationes, ac mercedes publicis legibus imperatas.

XIV. Alteram simoniae materiam exhibent res aut spirituales, *nimirum sacramenta, sacramentalia, et sacramentalis potestas, aut* spiritualibus adnexae. *Beneficiorum collationes, electiones, praesentationes, status religiosus, et claustralis, ceterae id genus.*

XV. Divino iure in rebus spiritualibus prohibitam simoniam execrantur saepius iteratae sanctiones ecclesiasticae.

XVI. Simul et in quavis alia re spiritualibus adnexa iure accessionis.

XVII. Hanc secundi generis vetitam humano tantum iure mobili Doctores nonnulli tenent: unde ansam errandi, et criminandi arripiunt male feriati cerrones.

XVIII. Mediis nunc, olim integris unius anni fructibus beneficiariis, taxatisque Romanae Cancellariae mercedibus nullam esse labem simoniae patefaciunt rationes inconcussae.

XIX. Divina lex antiqua summo Sacerdoti decimam decimarum leviticarum quotannis debitam imperans, tum nova Lex evangelica fructum vineae, et lac gregis indulgens ei, qui plantat, et pascit, legitimum indicat in Summo Pontifice nostro ius praecipiendi canonicam portionem ex communibus Ecclesiae universae proventibus.

XX. Hinc ab aevo Apostolorum Episcopis datum ius nedum per OEconomos distribuendi priscas fidelium oblationes, sed accipiendi etiam quartas episcopales, tum synodatica, et cathedratica.

XXI. Idipsum exinde ius adhaesit Episcoporum Episcopo Christi Vicario universum christiani Orbis gregem pascenti, qui episcopales quoque dioeceses instar vinearum plantavit in uno totius Orbis agro dominico.

XXII. Eo ex iure supremae Sedis Apostolicae, profluxit pontificia potestas disponendi de omnibus ecclesiasticis beneficiis, pensiones reservandi, et decimas quum ordinarias, tum extraordinarias imponendi super ecclesiasticis redditibus universis, annuosque B. Petri denarios undelibet colligendi.

XXIII. Prisco B. Petri patrimonio ad nihilum redacto Clemens V, eiusque Successores Avenione sedentes ecclesiasticos unius anni fructus vacantium Ecclesiarum, et beneficiorum sibi ad necessariam sustentationem reservarunt, Gallis tunc suadentibus.

XXIV. Mox renuentibus novis Ecclesiarum possessoribus collectos a se fructus primi anni Fisco pontificio exolvere; nova lex Bonifacii IX. statuit, ut singuli beneficia impetrantes exol-

vant in antecessum dimidios tantum unius anni fructus, quam iustam, et aequam aestimant iuremerito sinceri Doctores contra nonnullos hanc temere criminantes.

XXV. Canonica priscarum oblationum portio Romanae Sedi Apostolicae olim contributa, mox vigesima fructuum ecclesiasticorum pars quotannis, instar decimae Aaronicae, quum defecissent, ambas oportuit instaurare annalibus fructibus vacantium Ecclesiarum perpetuo in rem iure.

XXVI. Ven. Gersonius pontificias eiusmodi portiones labe simoniaca nullatenus affectas palam tradit, declarans modum dumtaxat exactionis vitiari ab hominibus extrinsecus posse. Hanc sententiam firmissimam evertere studio partium attentarunt frustra in suspectis etiam Constantiae, et Basileae Comitiis Patres magis infensi.

XXVII. Inania illorum argumenta sex refelluntur.

XXVIII. Illaesum hac in re divinum Ius agnoscentibus subditis, ut illicitum est honorem, vectigalia, tributa iure debita fraudari; ita et mobiles carpere leges humanas modum, ac tempus exactionis varium indicentes pro varia temporum conditione.

XXIX. Ceteras omnes pecuniarias solutiones, quae pios in usus non convertantur in quavis beneficiorum collatione, aut institutione, improbas, et cuivis collatori, aut electori vetitas declarant canonicae sanctiones.

XXX. In Ecclesiae fabricam, et ornatum, dimidii primi anni fructus beneficiorum probo iure reservantur, et impediuntur: in stipendia Ecclesiis inservientium secus.

XXXI. Pro mercede laboris debita tam scriptoribus, et officialibus Apostolicae Sedis taxam aequam a Romanis Pontificibus indictam, quam episcopalibus Innocentianam excedere nullatenus licet.

XXXII. Confidentia, seu fraudulenta receptio, aut retentio beneficii contra ius damnata sanctionibus pontificiis est.

XXXIII. In quatuor videlicet improbis resignationibus, aut cessionibus cum pacto regressus, vel solvendae pensionis.

XXXIV. Quae suspectas infirmorum, debitorum, aliorumque id genus resignationes complectuntur.

XXXV. Beneficia per confidentiam eiusmodi resignata vacant ipso iure, fiuntque Sedi Apostolicae affecta, et reservata: nisi ea sint de iure patronatus, et sine pacto fiduciario dimittantur.

XXXVI. Per simulatas etiam personas beneficia frustra impetrantur, et fiunt Apostolicae Sedi affecta.

XXXVII. Pacta extinguendi pensionem anticipatis solutionibus, et venditionem annuorum fructuum unico pretio irrita, et simoniam redolentia proscripsit Benedictus XIV.

XXXVIII. Fiduciaria, et suspiciosa eiusmodi pacta humanis tantum legibus vetita consuevit ex caussis adprobare Sedes Apostolica, ubi divinum ius videantur ea non violare.

XXXIX. Permutationes beneficiorum nonnisi ob perspectam Ecclesiae necessitatem, vel utilitatem adprobandi arbitrium dant Episcopis ecclesiasticae constitutiones.

XL. Electiones, nominationes, praesentationes, quoque ad beneficia ecclesiastica, quoties pactis corrumpantur simoniacis, irritae omnino fiunt.

XLI. Transactiones insuper pecuniarias tam inter electos, et praesentatos, quam inter patronos iura vetant: gratuitas, et sinceras permittunt.

XLII. Quaesitum in *beneficio, vel* ad *beneficium ius certum ab iniusta collitigantis vexatione fas est pecunia redimere, non item quaerendum, vel ambiguum. At dant iura facultatem iudicis arbitrio sine pactione alterutri collitigantium reservandi pensionem, quoad vixerit alter beneficium adipiscens,*

XLIII. Intuitu fructuum beneficii temporale quidpiam ex pacto accipere simonia est.

XLIV. Vicissim offerens bona sua clericus cum pacto ea retinendi pro sua praebenda, vel canonicatu simoniam incurrit: sine pacto secus.

XLV. Pro ingressu, et professione regularium pacta solvendi pecuniam, ut simoniaca execrantur canones.

XLVI. Spontaneas oblationes non item: quae sunt in utilitatem, nonnisi communem monasteriorum monialium erogandae.

XLVII. Dotes autem sacrarum Virginum pro necessario earum victu iure comprobantur.

XLVIII. Rerum sacrarum temporalis quaelibet materia ob Ecclesiae utilitatem, vel necessitatem iusto pretio probe distrahitur, nil penitus augendo ex adnexa qualitate sacra.

XLIX. Simoniacos pluribus censuris, et poenis ipso facto coercent sacri canones.

L. Quos pro varia criminis qualitate moderabitur aequi, et boni viri iudicium.

LI. Ut denunciare simoniacos debet, ita et accusare unusquisque potest. Accusati, vel confessi, vel convicti ad canonicas poenas damnantur: non confessos, neque convictos canonica purgatio expiabit.

LII. Dispensationem apostolicam, remissionemque poenarum ii difficillime obtinent, ad amissa vero beneficia regressum fere numquam.

LIII. Eam in foro interno petentibus respondet sacra Poenitentiaria: dimittat, moneat, et restituat.

LIV. Ad forum ecclesiasticum pertinet huius criminis notio, et punitio.

I. Proximum haeresi crimen est insuper simonia, quam Patres unanimi sententia *simoniacam haeresim* appellant (1). Quamquam in veteri Testamento fertur Giezi minister Elisaei argentum, et vestes a Naaman Syro, quem Propheta Iordanis aquis a lepra mundaverat, adeo criminose accepisse, ut perpetua lepra eius etiam semini adhaesura damnatus Prophetae sententia fuisset (2), et Michaea exprobasset in Israel quod *principes eius in muneribus iudicabant, et sacerdotes eius in mercede docebant, et Prophetae eius in pecunia divinabant* (3), et Iason emisset sacerdotium (4): in Lege tamen evangelica ei crimini peculiare *simoniae* nomen adhaesit ex Simone mago Samaritano. Is enim a Philippo baptizatus, mox primus haereticorum *videns, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, ut eamdem acciperet potestatem. Petrus autem dixit ad eum: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri* (5). Quandoquidem Christus Dominus quum potestatem dedisset Apostolis suis, continuo iussit: *gratis accepistis, gratis date* (6).

II. Quid hinc aliud est simonia, nisi *permutatio doni spiritualis cum pecunia* (7), seu quavis re temporali? In scholis cum Lancellot-

(1) Tarasius Constantinop. Episc. ad Hadrianum in *can. qui studet 11. C. 1. qu. 1.*, quem S. Greg. Nazianz. inscribit perperam Gratianus, ait: *Spiritus S. donum pretio comparare, quid aliud est, quam capitale crimen, et simoniaca haeresis?* Idem in *can. eos qui 21. ead. C., et qui* tollerabilem Macedonii, quam Simoniacam haeresim fatetur. Consonant S. Greg. M. in *can. presbyter 3, et seq. can. cum liqueat, 13., can. cum omnis 20., can. fertur simoniaca haeresis 28., can. quibusdam 117. ead. C., et qu.* Conc. Triburiens. in *can. dictum est 105., ibidem.* Innoc. III. in *cap. per tuas 32. de simonia* rescripsit, *propter immunitatem haeresis simoniacae ad eius comparationem cetera crimina pro nihilo reputari.*

(2) IV. Regum. *cap. 5. vers. 22., et seq.* De quo S. Ambrosius in *can. cito turpem 16.*, et Tarasius in *can. qui studet 11. C. 1. qu. 1.*

(3) Micheae *cap. 3. vers. 11., et seq.*, de quo S. Hieronymus in *can. iudices 23. C. 1. qu. 1.*

(4) 2. Machab. *cap. 1., et 4.*, S. Aug. in *can. sicut eunuchus 29. ead. C. et qu.*

(5) Actorum *cap. 8. vers. 19., seq.* S. Epiphanius Cypri Episcopus *lib. 1. haer. 21., Simon iste*, ait, *animo, ac mente depravatus. . . . . Apostolo Petro pecunias obtulit, ut is sibi largiendi manuum impositionem, Sp. S. potestatem conferret: eumdem quippe Spiritum in alios transfundere cogitabat, atque ita maximam sese pecuniarum vim collecturum, atque ingens omnino lucrum cum exiguo pretio commutaturum sperabat.* S. Aug. *tract. 10. in Io. cap. 11. Simon ille ideo volebat emere Sp. S., quia vendere volebat Sp. S., et putabat Apostolos mercatores esse, quales Dominus de templo flagello eiecit. . . . De illis erat qui columbas vendunt: etenim in columba apparuit Sp. S.*

(6) Matthaei *cap. 10. vers. 8.*

(7) S. Aug. in *can. totum 6. C. 1. qu. 3., totum* ait, *quidquid homines possident in terra, omnia quorum domini sunt*, pecunia *vocatur: servus sit, vas,*

to passim definitur, quod sit *studiosa voluntas emendi, vendendi pro temporali pretio quidquam spirituale, vel spiritualibus adnexum.* A sola emendi, vendendi voluntas congruit *mentali* tantum simoniae, quam Ecclesia de occultis non iudicans, Deo puniendam relinquit (1): non item *conventionali*, neque *reali*, neque *confidentiali*, seu *praesumptae* ad forum externum Ecclesiae pertinentibus, in quas locum habent poenae canonicae, legitimaeque. Omnes has autem simoniae species complecti videtur vocabulum *permutationis*, in qua iureconsulti sentiunt contractum genericum iniri voluntate paciscentium, eumque perfici, et impleri traditione rerum conventa. Utrasque res hinc spirituales, aut spiritualibus adnexas, hinc temporales, in quibus permutandis versatur simonia, tum singulas simoniae species, et poenas nostrum est nunc edisserere ex sacris canonibus, decretis synodicis, pontificiis decretalibus, et perpetua catholicae Ecclesiae doctrina.

III. Ex canone XXVIII. vulgo Apostolorum, *si quis Episcopus, aut presbyter: aut diaconus pecuniae interventu hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor tam ipse, quam qui eum ordinavit, et omnino a communione abscinditor.* Eliberitana synodus decrevit, *ut qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant: ne sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur* (2). OEcumenica synodus Chalcedonensis inter simoniacos recensuit promotos per pecuniam, nedum ad Ordines qua sacros, et maiores, qua inferiores Cleri, sed etiam ad officia oeconomi, defensoris, mansionarii, et cuiuslibet personatus, vel dignitatis ecclesiasticae: sanxitque Ordinatorem gradu suo deponendum, ordinatos, promotosve ab Ordine officiove suscepto alienos fore, mediatores clericos depositione, laicos, aut monachos anathemate plectendos (3). Tum sexta Synodus decrevit, ut Episcopus, presbyter, diaconus, qui *a percipiente gratiam communionis aliquod pretium exegerit, deponatur* (4). Trullana Synodus, tum septima (5), et octava Synodi oecumenicae poenam depositionis in ordinatos, et Ordinatores per pecuniam firmarunt (6).

IV. Concilium Bracarense I. antiquae Patrum definitioni de ordinationibus ecclesiasticis inhaerens, *anathema danti, et accipienti* fulminavit (7). Bracarense II. statuit, *ut nullus Episcoporum pro modico balsami, quod benedictum pro Baptismi Sacramento per Ecclesias*

ager, arbor, pecus .... quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant. Ulpianus in *l. pecuniae 178. D. de verb. sing.* simul docuit pecuniae *verbum non solum numeratam pecuniam complecti, verum etiam quidquid homines habent corporale, et incorporale.*

(1) Innoc. in *cap. III. sicut tuis 33.*, *et cap. tua nos 34. de simonia.*

(2) Eliberitan. in *can. emendari 104. C. 1. qu. 1.*

(3) Syn. Chalcedon. in *can. si quis Episcopus 8. C. 1. qu. 1.*

(4) Sexta Synodus in *can. nullus Episcopus 10. ead. C. et qu.*

(5) Septima Synodus in *can. si quis 2. C. 1. qu. 7. Omnis Episcopus, vel presbyter, aut diaconus convictus, quod pro muneribus ordinationem dederit, vel acceperit, a sacerdotio cadat.*

(6) Octava Synodus in *can. qui pecunias 9. ead. C., et qu.* ibique Romani Correctores addunt canonem Trullanum, et VII. Synodi.

(7) Bracarens. I. in *can. placuit 22, ead. C. et qu.*

datur, *qui singuli tremissem pro ipso exigere solent*, *nihil ulterius exigat* (1). Utque *hi*, *qui infantes suos ad Baptismum offerunt*, *si quid voluntarie pro suo offerunt*, *voto suscipiatur ab eis : si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habeant quod offerant*, *nullum eis pignus violenter tollatur a clericis* (2). Et *quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur*, *non quasi ex debito munus aliquod a fundatore requirant*, *sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit*, *non respuatur ; si vero aut paupertas illum*, *aut necessitas retinet*, *nihil exigatur ab illo* (3). Concilium Toletanum XI., si quis *pro baptizandis*, *consignandisque fidelibus*, *aut collatione Chrismatis*, *vel promotionibus graduum pretia quaelibet*, *vel praemia* (nisi *voluntarie oblata*) *susceperit*: id sciens Episcopus et non impediens *duobus mensibus excommunicationi subiaceat*, *presbyter quatuor mensium*, *diaconus trium*, *subdiaconus vero*, *vel clericus his cupiditatibus serviens*, *et competenti poena*, *et debita excommunicatione* plectatur (4). Synodus Triburiensis *simoniacae haeresis semen detestata* cum anathematismo statuit, *ut de cetero*, *nec pro Ordinatione*, *nec pro Chrismate*, *vel Baptismo*, *vel pro balsamo*, *nec pro sepultura*, *vel communione quidquam exigatur* (5). Cabilonensis addit, sicuti *pro dedicandis basilicis*, *et dandis Ordinibus nihil accipiendum est* : *ita etiam pro balsamo sive luminaribus emendis* (6). Meldensis interdixit *Episcopis*, *et omnibus sublimioribus Potestatibus*, *atque cunctis fautoribus*, *electoribus*, *consentientibus*, *ordinatoribus*, *ut nemo per simoniacam haeresim regiminis locum obtineat per se*, *aut per submissam personam* (7). Ex Moguntina Synodo, *qui alium in Ecclesia ordinatum extruderit pecunia*, *eamque sibi taliter vindicaverit*, *omnimode deponatur* (8). In Romana Synodo S. Gregorius definit : *sicut non debet Episcopus manum*, *quam imponit*, *ita nec minister*, *vel notarius in ordinatione eius vocem*, *vel calamum vendere. Pro ordinatione igitur vel usu pallii*, *seu chartis*, *atque pastellis eum*, *qui ordinatur*, *aliquid dare* prohibuit (9). S. Gregorius VII. in Romana etiam Synodo falsas iudicavit ordinationes simoniacas *interveniente pretio*, *vel obsequio*: quoniam non intrantes per ostium *fures sunt*, *et latrones* (10).

(1) Bracarens. II. in *can. placuit 102. ead. C. et qu.*
(2) Idem in *can. placuit 103. C. 1. qu. 1.*
(3) Idem in *can. placuit 1. ead. C. 1. qu. 2.*
(4) Tolet. XI. in *can. quidquid 101. ead. C. et qu.* Ubi Romani Correctores monent in Regio Codice Synodico abesse dictionem *nisi*, ideoque voluntarias quoque oblationes a Patribus Bracarensibus post Eliberitanos vetitas fuisse.
(5) Triburiens. in *can. dictum est 105. ead. C. et qu.*
(6) Cabilonense Carolo M. Imp. in *can. statuimus 106. ead. C. et qu.*
(7) Meldens. in *can. cavendum est C. 1. qu. 7.*
(8) Moguntin. in *cap. qui alium 2. de simonia.*
(9) S. Greg. M. in *cap. ordinando 1. de simonia.* Hocce *cap.* Gonzalez integrum recitat ex Romana Synodo, quam S. Greg. M. anno 5. sui Pontificatus habuit.
(10) S. Greg. VII. in Rom. Syn. an. 1078. *can. ordinationes 113. C. 1. qu. 1.* Tum *can. nullus 154. ead. C. et qu. et can. si quis 3. C. 1. qu. 3.*

V. In Concilio Melphiensi Apuliae Urbanus II. constituit, ut *nullus Abbas pretium sumere, vel exigere ab eis, qui ad conversionem* (puta religionem) *veniunt, aliqua pacti occasione praesumat . . . nulli unquam de ordinationibus aliquid omnino accipiendum esse, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione* pastelli (1). Idemque Papa in Concilio Alverniae damnavit pravitatem simoniacam in Ecclesiis, vel decimis, quae *altaria* nuncupabantur, vendendis, vel redimendis, praebendisque venumdandis, *venalitatem omnem tam ex rebus, quam ex ministeriis ecclesiasticis propellens* (2). Tum in Concilio Placentino, *quidquid vel in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus data, vel promissa pecunia adquisitum esset, irritum, et nullas unquam vires habere* censuit (3). In Romana Synodo Innocentius II. eosdem canones firmavit (4).

VI. In Concilio Turonensi Alexander III. prohibuit, *ne ab iis, qui ad religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur. Nec prioratus, vel capellaniae monachorum, vel clericorum annua distractione vendantur: nec ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione ullum pretium exigatur. Pro sepultura quoque, et Chrismatis, et Olei receptione nulla cuiusquam pretii exactio attentetur: nec sub obtentu cuiusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur* (5). In Concilio Lateranensi III. idem Pontifex districtius vetuit, *ne pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis: seu collatis aliquid exigatur*, quia simoniacum (6). Pariter Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. damnatos cum Giezi, et Simone declaravit, qui per nefariam corruptelam turpes, et pravas exactiones, et taxas facerent *pro consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, et Ordinibus clericorum* (7). Simul et pro recipiendis in monasterium religiosis quum virginibus, tum viris (8). Tum pro instituendis Ecclesiarum rectoribus, pro ingressu militis, aut clerici in domum religionis, vel sepultura apud religiosos electa (9). Tandem *pro exequiis mortuorum,*

(1) In Conc. Melph. Urbani Papae *can. nullus Abbas 3. C. 1. qu. 2.*
(2) In Conc. Alverniae in *can. quaesitum est 4. C. 1. qu. 3.*
(3) In Concilio Placent. *can. ea quae 5. eam C., et qu.*
(4) In Romana Syn. Inn. II. in *can. si quis 15., et ult. C. 1. qu. 3. Si quis praebendas, vel prioratum, seu decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam ecclesiasticam, seu quodlibet Sacramentum ecclesiasticum, utpote Chrisma, vel Oleum S., et consecrationes altarium, vel Ecclesiarum per pecuniam comparaverit: honore male adquisito careat, et* emptor, *atque* venditor, *et* interventor *nota infamiae percellantur: et non pro pastu, nec sub obtentu alicuius consuetudinis ante, vel post a quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare praesumat, quoniam simoniacum est.*
(5) Alex. III. in Conc. Turon *cap. non satis 8. de simonia.*
(6) Idem in Conc. Lateran. III. *cap. cum in Ecclesiae 9. eod. tit.*
(7) Innoc. III. in Conc. Lateran. IV. *cap. sicut 39. eod. tit.*
(8) Ibidem *cap. quoniam. 40..*
(9) *Cap. audivimus 41.*

et benedictionibus prohibuit *pravas exactiones fieri*, at *pias consuetudines observari* iussit: statuens insuper, *ut libere conferantur ecclesiastica Sacramenta* (1). Accessere sanctiones Tridentinae inferius recitandae (2).

VII. Pontificiis quoque decretalibus proscripta undelibet est simoniaca haeresis (3). Bonifacius I. Calaritanae Ecclesiae caenobitis respondit alienum a lege Dei, et apostolicis moribus exigere munera ab iis, qui ad Dei cultum convertuntur. S. Leo M. *gratia si non gratis detur, vel accipiatur*, ait, *gratia non est. Simoniaci autem non gratis accipiunt, igitur gratiam, quae maxime in ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiant* (4). Gelasius, *quos constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri . . . dantem pariter, et accipientem damnatio Simonis involvit. Baptizandis, consignandisque fidelibus sacerdotes pretia nulla praefigant . . . periculum subituri proprii honoris*, ad Episcopos Lucaniae rescripsit (5). Consonant Symmachus ad Caesarium Arelatensem Episcopum (6), Hormisda ad Episcopos Hispaniae (7), et Pelagius I. (8). Ex multis S. Gregorii M. epistolis quicumque pretio simoniaco sacrum ordinem mercatur, Sacerdotium inaniter concupiscit, h. e. sacerdotii honore spoliabitur (9). Adeodatus cuilibet catholico libertatem accusandi simoniacos attribuit (10): eosque accusatione pendente a divinis administrandis suspendit (11). Leo II. pravam consue-

(1) *Cap. ad apostolicam 42. eod. tit.*

(2) Trid. *cap. 1. sess. 21. de ref. et cap. 14., et 18. sess. 25. de ref.*

(3) Lucius in *cap. sicut 6. eod. tit.* pestem simoniacam propellere studuit. Primus ne, an. II., an alius Lucius fuerit huius decretalis auctor: Gonzalez ignotum fert.

(4) S. Leo M. in *can. gratia 1. C. 1. qu. 1.*

(5) Gelasius in *can. quos constiterit 6, et c. baptizandis 99. eod. C., et qu.*

(6) Symmachus *ep. 1.* ad Caesarium in *cap. 1. C. 1. qu. 6: si quis Episcopatum desiderat, data pecunia potentes personas minime suffragatrices adhibeat . . . praevaricatores iuxta venerandos canones propriae communionis subire iacturam.* Idipsum rescripsit ad eundem in *can. nullus 118. C. 1 qu. 1.*

(7) Hormisda *ep. 25.* ad Ep. Hisp. rescripsit, ne benedictionem, quae divina esse creditur per impositionem manus, quis pretio comparet . . . Metropolitani citra parochias suas custodiant, ut nec electio Praesulis empta detur pretiis .., si nulla sint in templis emptionum semina, nulla erant fomenta discordiae.

(8) Pelagius I. vix ad Pontificatum evectus (uti fert Anastasius in eius vita) cuncto populo, et plebi dixit: Peto, ut petitionem meam confirmetis, ut si quis ille est, qui promovendus est in S. Ecclesia, ab Ostiario usque ad gradum Episcopatus, neque per aurum, neque per aliquas promissiones proficiat: vos enim omnes scitis, quia hoc simoniacum est.

(9) S. Greg. M. in *can. quicumque 3., presbyter, benedictio 4., quisquis 5., cum liqueat 13., cum omnis avaritia 20., fertur 28., sunt nonnulli 114., si quis 115., de ordinationibus 116., quibusdam 117., estote 119., pueri ad sacros 120 can. 1. qu. 1. can. audivimus 1., et can. si quis dato 2. can. 1. qu. 3. can. Ecclesia 11. C. 1. qu. 4., can. ego autem 2., et can. sicut is 3. C. 1. qu. 7.*

(10) Adeodatus in *cap. si dominus 3., et cap. tanta est 7. de simonia.*

(11) Idem in *cap. accusatum 4., et quoties 5. eod. tit.*

tudinem persolvendae pecuniae pro usu pallii archiepiscopalis damnavit (1) : simul et Zacharias (2). Hadrianus I. vitiosas consecrationes, quae per simoniacam haeresim in Italia, et Thuscia irrepserant, delere studuit (3). Leo IV. damnatos in Synodo Britannorum simoniacos noluit inconsultis Episcopis restituere, vetuitque munera in Baptismo infantium, infirmorum reconciliatione, et sepultura mortuorum (4). Nicolaus I. Ioanni Ravennati Archiepiscopo scripsit, ut ab Episcopis per Æmiliam consecrandis *nullam dationem*, *quam sacri canones non praecipiunt*, *aliquando exigat* (5). Ioannes VIII. venalia sacerdotia Gallis, et Germanis exprobravit, et vetuit (6). Nicolaus II. triplicem simoniae haeresim execratur (7). Alexander II. nullam fore misericordiam simoniacis impertiendam, sed eos gradu suo penitus deiiciendos iuxta canonicas sanctiones (8). S. Gregorius VII. Gotofredum simoniacum, qui Mediolanensem Ecclesiam *quasi vilem ancillam praesumpsit*

(1) Ex Anastasio bibliothecario in vita Leonis II., et Adonis martyrologio ms. Hincmarus *opusculo 10.* ad Ludovicum Balbum Galliae Regem ostendendum sibi sumpsit, ut Ecclesiae in isto regno per occasionabiles circadas, et per indebitas consuetudinarias exactiones, quae tempore Pipini, Caroli, et Ludovici non fuerunt, ante annos 20. impositas non affligantur.

(2) Zacharias *ep. 2.* ad Bonifac. Archiep. *cap. 11. to. 1. Concil. Absit a nobis et a nostris clericis*, ait, *ut donum quod per Sp. S. gratiam suscepimus, pretio venundemus :* dum et illa tria pallia, quae te suggerente sumus flagitati, nullum ab eis quispiam commodum expetiit. Insuper et chartas, quae secundum morem a nostro scrinio pro tua confirmatione, atque doctrina tribuuntur, de nostro concessimus, nihil ab eis auferentes : absit, ut sic quippiam a tua fraternitate criminis nobis simoniaci obiiciatur.

(3) Hadrianus I. *ep. 85.* ad Carolum M. nos omnium Ecclesiarum pastoralem curam habentes, ait, divina praedicare praecepta non sinimus de consecrationis vitio, quod in partibus Italiae, et Thusciae per haeresim simoniacam fit... absit a nobis, ut super tales viros veritate comperta munus consecrationis imponeremus.

(4) Leo IV. *ep.* ad Brittanniae Episcopos rescribens, nos quidem (inquit) convictis, qui tam detestabile nefas *simoniae*, quod iam multis est damnatum conciliis, peregisse noscuntur, nulla poenitentia possumus subvenire, et tot spiritualibus Patribus obviare. Tum *hom. de cura pastoris* inquit: nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis pretium, aut munus exigat... nullus per pecuniam Ecclesiam alterius supplantet.

(5) Ex Anastasio biblioth. in *vita* Nicolai I.

(6) Ioannes VIII. *ep. 94.* ad Arelatens. Archiep. scribit: Agnovi quod in Galliarum, et Germaniae partibus nullus ad sacrum Ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio; quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit . . . qui in templo Dei columbas vendere praesumpserunt, eorum Deo iudice cathedrae occiderunt. Idipsum nunciavit *ep. 95. ad Episcopos Galliae.*

(7) Nicol. II. in *can. statuimus 107. C. 1. qu. 1.*

(8) Alex. II. in *ep. 5.* synodica ad omnes Episcopos de gestis in Conc. Romano an. 1063. Id etiam scripsit *ep. 2.* ad Haraldum Northomannorum Regem contra Episcopos data pecunia in Anglia, vel Gallia pessime ordinatos, apud Adamum Bremensem Canonicum *lib. 3. hist. eccl. cap. 19.* Tum *ep. 6., 7., 11., et 12.* ad Gervasium Archiep. Rhemensem, *ep. 10.* ad Willelmum Regem Anglorum, et alia ad Clerum Mediolanensem.

emere, *et simoniacae haeresis scelere maculare*, excommunicatum denunciavit (1) : et Guidonem ab Abbatiam S. Launomari simoniace promotum sine mora deponendum rescripsit (2) : simul inter simoniacos recensuit Episcopum, qui decimas, et oblationes non clericis distribuat, sed laicis, vel militibus, vel consanguineis (3). Recentiores decretales Alexandri III. (4), Lucii III. (5), Clementis III. (6), Coelestini III. (7), Innocentii III. (8), Honorii III. (9), Gregorii IX. (10) simoniam unanimi sententia proscribentes habet Gregorianus textus Decretalium.

VIII. Quum a spiritualibus donis procul habenda sit omnis retributio temporalis : triplex idcirco munus *obsequii*, *manus*, *et linguae* materiam simoniae praebere docet B. Gregorius M. (11). Tum S. Gregorius VII. falsas, et furtivas censuit ordinationes, quae interveniente *pretio*, vel *precibus*, vel *obsequio* fierent (12). Ex Urbani II. sententia, qui res ecclesiasticas ad propria lucra munere *linguae*, vel indebiti *obsequii*, vel *pecuniae* largitur, vel adipiscitur, *simoniacus est* (13). Alexander III. simoniacum utrumque iudicavit, qui quem-

(1) S. Greg. VII. *lib.* 1. *ep.* 11. ad Beatricem, et eius filiam Mathildem, *ep.* 15. ad omnes fideles Langobardiae, *ep.* 27. ad Albertum Aquens. Episc.

(2) Idem *ep.* 32. ad Araldum Carnotens. Episc. In alios quoque simoniacos calamum prestrinxit *ep.* 34. ad Rodericum Cabilonens. Episc., *ep.* 69. ad Guillelmum Dinensem Comitem, *ep.* 77. ad Beatricem, et eius filiam Mathildem, *ep.* 80. ad Aniciensem Clerum, et populum, *ep.* 82. ad universos Christianos, tum *lib.* 2. *ep.* 10. ad Udonem Trevirens. Archiep., *ep.* 30. ad Henricum Regem Romanorum, *ep.* 45. ad Rodulfum Sveviae Ducem, *ep.* 55. ad Laudensis Ecclesiae filios, *ep.* 61. ad Dietwinum Leodiensem, ceteros permultos.

(3) Idem in *can. pervenit* 13. *C.* 1. *qu.* 3.

(4) Alex. III. Vigiliensi Episcopo in *cap. cum sit Romana* 10., Toletano Arch. in *cap. de hoc autem* 11., Eboracensi in *cap. cum essent* 12., Castrensi in *cap. insinuatum* 13., *et* 14., Vigoriensi in *cap. querelam* 15., *et seq.* Strigonensi in *cap. etsi quaestiones* 18. *ad* 21. *de simonia.*

(5) Luc. III. in *cap. de simoniace ordinatis* 22., *cap. Matthaeus* 23., *cap. ad aures* 24. *eod. tit.*

(6) Clem. III. in *cap. regularibus* 25., *et cap. ex insinuatione* 26.

(7) Coelestin. III. in *cap. nobis* 27., *et cap. dilectus* 28. *eod. tit.*

(8) Innoc. III. in *cap. suam nobis* 29., *dilectus* 30., *licet Heli* 31., *per tuas* 32.. *sicut tuis* 33., *tuas nos* 34., *per tuas* 35., *in tantum* 36., *per tuas* 37., *et cap. consulere* 38. *de simonia.*

(9) Honor. III. in *cap. ne Dei* 43. *eod. tit.*

(10) Greg. IX. in *cap. Iacobus* 44., *si quis* 45., *mandato* 46. *eod. tit.*

(11) S. Greg. M. in *can. sunt nonnulli* 114. *C.* 1. *qu.* 1. Gratis non tribuunt, ait, qui de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris . . . Quia aliud est munus ab *obsequio*, aliud a *manu*, aliud a *lingua*. Munus quippe ab *obsequio* est subiectio indebite impensa. Munus a *manu* pecunia est. Munus a *lingua* favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Id etiam explicat, et firmat in *sequ. can. si quis* 115., *de ordinationibus* 116., *quibusdam* 117., *pueri* 120. *eod. C.*, *et qu.*

(12) S. Greg. VII. in *can. ordinationes* 113., *eod. C. et qu.*

(13) Urban. II. in *can. Salvator* 8. *C.* 1. *qu.* 3. Concinit Alex. III. in *cap. cum essent* 12. *de simonia.*

quam poenitentem *gratia*, vel *favore* ad reconciliationem adducat, vel quocumque livore digne poenitentem a reconciliatione removeat (1).

IX. Inter plurimas ab Sede Apostolica damnatas propositiones hanc speciatim XLV. proscripsit Innocentius XII.: *dare temporale pro spirituali non est simonia, quum non daretur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale esset solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra.* Caussa igitur impellens, et gratuita compensatio non aliud revera sunt, nisi velamina simoniae, quippe quae nefariam permutationem doni spiritualis pro re temporali non excludunt, sed contegunt. Propterea nil proficiet ad eluendam simoniae labem, si temporale quidquam post acceptum spirituale donum, vel in ipso actu simul, vel antea detur, quoties prava permutandi voluntas danti, vel accipienti fuerit (2).

X. Secus est in oblationibus piorum fidelium omnino spontaneis, et munusculis itidem voluntariis, quae animo sic puro dentur, vel accipiantur, ut neutra pars ullatenus concupiscat, inhietve spiritualia cum temporalibus commutare, vel compensare, aut morosum impellere ad mutuam gratiam. Christus ipse Dominus non respuit munus ad altare offerri post offerentis reconciliationem cum fratre suo (3). Ab aevo inde Apostolorum consueverunt communicantes opulenti ad altare panem, vinum, res alias offerre, quibus agapae communes, seu ecclesiastica pauperibus convivia instruerentur (4). *Qui copiosiores sunt, et volunt,* ait S. Iustinus martyr, *pro arbitrio quisque suo, quod visum est, contribuunt, et quod ita colligitur, apud Praepositum deponitur, atque ille inde opitulatur pupillis, et viduis*, ceteris indigentibus (5). Hinc Bonifacius Papa Calaritanis coenobitis rescripsit conversos ad re-

(1) Alex. III. in *cap. nemo 14. de simonia.*

(2) Tarasius Constantinop. in *can. eos, qui* 21. *C.* 1. *qu.* 1. alienum a Sacerdotio pronunciatum priscis canonibus commonet, *qui quocumque tempore dederit, vel acceperit, sive ante ordinationem, sive in ordinatione, sive post ordinationem. Accipere enim est quandocumque accipere.*

(3) Matth. *cap. 5. vers. 23., et seq.* Si ergo offers munus tuum ad altare... vade prius conciliari fratri tuo. . . . et tunc veniens offeres munus tuum. Ex hoc divino praecepto oblationum originem in Ecclesia repetit Optatus Milevitanus *lib. 6.*

(4) Quum Corinthii vero suam quisque rem in Ecclesiam oblatam sibi praecaperent ad manducandum inibi, egenisque ita pudorem inuterent: Apostolus eos redarguit inquiens: Convenientibus in unum. . . unusquisque suam coenam praesumit ad manducandum: et alius quidem esurit, alius autem ebrius est... et confunditis eos qui non habent, I. ad Corinth. *cap.* 11. *et* 21., *et* 22.

(5) S. Iustin. *apolog.* 1. *num. 67.* Tertullianus *apol. cap. 39.* contestis inquit modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quam velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. S. Cyprianus de opera, et eleemosyna non offerentes divites increpat, aiens: Locuples, et dives es, et dominicum celebrare te credis, quae corbonam omnino non respicis? quae in dominicum sine sacrificio venis? quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis? S. Augustinus *serm. 205.* de tempore: oblationes, quae in altario consecrentur, offeres; erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.

ligionem posse aliqua munera Ecclesiae suae largiri, *quasi subsidii gratia*, *dum tamen omnis absit pactio*, *omnis cesset conventio*, *et gratis Deo servire incipiat* (1). Concilium Toletanum XI. *voluntarie oblata* censuit sine vitio accipi pro baptizandis, vel chrismate signandis, vel promovendis ad gradus ecclesiasticos (2). Bracarense II., *si quid voluntarie pro suo offerunt voto* qui suos ad Baptismum infantes adferant, id recipi quoque consensit (3). S. Gregorius M. pariter in Romana Synodo non prohibendum putavit, quod ordinatus *non ex placito*, seu pacto, *neque exactus*, *neque petitus post acceptas chartas*, *et pallium aliquid cuilibet ex Clero gratiae tantummodo caussa dare voluerit: quia eius oblatio*, inquit, *nullam culpae maculam ingerit*, *quae non ex ambientis petitione processit* (4). Leo IV., *ut arbitror*, ait, *non sunt rationabiliter quaerendae, nec ultro delatae respuendae* eulogiae (5), puta munera, quae suis deferunt Praelatis ultro subditi. *Illud gratanter recipi poterit sine taxatione gratis oblatum* rescripsit ad Cantuariensem Archiepiscopum Innocentius III (6).

XI. *In accipiendis* autem, *vel dandis muneribus tria sunt maxime attendenda*, ut monet Alexander III: *personae scilicet dantis*, *et accipientis qualitas*, *quantitas muneris*, *et donationis tempus. Qualitas personarum*, *ut a quo*, *et cui*, *videlicet*, *an a paupere*, *diviti*, *vel e converso*, *sive a divite locupleti datum fuerit*: *aestimatio muneris*, *et donationis tempus*, *si magni vel minoris pretii res data existat*, *et an instante necessitate*, *seu alio tempore conferatur* . . . *Quod autem scriptum est*: beatus qui excutit manus suas ab omni munere: *de illis donis dictum est*, *quae accipientis animum allicere*, *vel pervertere solent*: *quoniam si ipsa persona electi offerat ordinatori*, *vel consecratori suo electuarium*, *aut de vino*, *sive de aliis huiusmodi*, *quae modici pretii fuerint*, *et quae voluntatem recipientis inclinare*,

(1) Bonifacius in *can. quam pio 2. C. 1. qu. 2.* Consonant Urbanus IV., alias V. in Extravag. sane 1. de simonia inter comm. ibi: illa dumtaxat quae personae ipsae ingredientes pure, et sponte, et plena liberalitate, omnique pactione cessante dare, vel offerre Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus, et locis huiusmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi. Tum Prosper in *can. si quis 8. C. 1. qu. 2.*

(2) Tolet. XI. in *can. quidquid* 101. *C. 1. qu.* 1., ex vulgata huius canonis littera in cunctis codicibus, praeter quam in Codice Regio, unde abesse dictionem *nisi*, iam supra monui cum Romanis Correctoribus.

(3) Bracarense II. in *can. placuit* 103., *ead. C. et qu.*

(4) S. Greg. M. in *can. sicut Episcopum 4. C. 1. qu. 2.*

(5) Leo IV. in *can. de eulogiis 8. dist.* 18.

(6) Innoc. III. in *cap. dilectus 30. de simonia.* Idemque ad Decanum Belnacensem in *cap. tuas nos 34. eod. tit.* rescripsit: si pure, ac sine pacto, vel conditione qualibet offerat. . . huiusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniace pravitatis... Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia valeat adipisci, et clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam ille, quam isti apud districtum iudicem (qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles iudicantur.

vel movere non debeant: non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem (1).

XII. At vero gratuitas oblationes quantumlibet innoxias, divinoqueiure non vetitas, si quando lex humana prohibuerit pro conditione locorum, temporum, personarum, rerumque: eas tamquam improbas, et malas accipere tunc non licebit (2). *Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet:* Tridentina synodus sanxit, ut *nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsurae, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec alia quacumque de causa etiam sponte oblatum Episcopi, et alii Ordinarii collatores, aut eorum ministri quovis praetextu accipiant* (3).

XIII. Necessitas quoque alendi sacros Ecclesiae ministros, et operarios efficit, ut ii vel spontaneas eleemosynarum oblationes, vel mercedes publicis etiam legibus imperatas probo iure accipiant sine scrupulo simoniacae labis. *Dignus est enim operarius cibo suo*, alias *mercede sua*, Christus Dominus ait (4). Cuiusmodi oraculum Apostolus exponens, scribit: *Quis militat suis stipendiis unquam? . . Scriptum est enim in lege Moysi:* non alligabis os bovi trituranti. *Qui altari deserviunt, cum altare participant* (5). S. Gregorius M. Siciliae Episcopos commonuit, ut summam consentientibus ipsis praefixam, *pro labore clericorum*, dum sacerdotes ad consignandos infantes egrederentur, custodiendam curarent, nec graves ea in re subiectis suis ii essent (6). Hinc licita Mis-

(1) Alex. III. in *cap. etsi quaestiones* 18. *de simonia:* ubi ex adiunctis qualitatibus personarum, temporis, ei rei Pontifex arguit nullum simoniae vitium intercessisse, quod Cardinalis Apostolicus legatus longo itinere suscepto, ut pallium Archiepiscopo Strigonensi traderet, indigens accepisset equum sibi ab Archiepiscopi fratre sponte donatum. Huc alludit B. Hieronymus in *can. iudices 23. C. 1. qu.*, expendens qualitatem munerum, quae Saulis puer offerre Samueli cogitavit, et Siriae rex Benadad Elisaeo, incertum an tradita essent, ex silentio Scripturarum, et recusata ab Elisaeo munera Naaman Syri a lepra mundati. Fac eum accepisse, de Samuele inquit Hieronymus, stipes magis aestimandae sunt tabernaculi, quum munera prophetiae... quarta pars sicli (quae inventa est in manu pueri Saulis, ut viro Dei daretur) quinque sunt oboli. Et nostri Sacerdotes, si volunt vendere prophetias, et columbas... quinque tantum obolorum sint mercede contenti: qui utinam non pretia villarum, sed quinque obolos acciperent. Hoc ipsum sonat, quod uxor Ieroboam infirmante filio pergit ad Achiam hominem Dei, et defert ei decem panes, et crustulam, et vas mellis: quia haec magis in sumptum Prophetae, quam munera prophetiae reputanda sunt.

(2) Hinc saeculo IV. Hispanis sacerdotibus non licuit nummos e concha baptizatorum accipere, in quam ne demitterentur amplius, decrevit Eliberitana Synodus in *can. emendari 104. C. qu. 1.*

(3) Trid. in *cap. quoniam 2. sess. 21. de reform.* Tum in *cap. expedit 18. sess. 24. de ref. caveant* (inquit) examinatores Parochorum, ne quidquam prorsus occasione huius examinis nec ante, nec post accipiant: alioquin simoniae vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Adde *cap. in pluribus 14. ead. sess. 24. de ref.*

(4) Matthaei *cap. 10. vers. 10.* (5) I. ad Corinth. *cap. 9. vers. 7.*

(6) S. Greg. M. in *can. relatum 9. C. 10. qu. 3.*, relatum est, ait, nobis decessoris mei temporibus. . . , ut sacerdotes per universas vestras diocceses

sarum stipendia (1), consuetaequae oblationes pro benedictionibus nubentium, exequiis mortuorum, sacris concionibus, ceteris id genus (2), pro victu, et itinere Episcoporum diocceses visitantium (3), et generatim pro necessariis expensis sacrum quodvis ministerium vel antecedentibus, vel concomitantibus, vel subsequentibus.

XIV. Quae duae res in simoniaca permutatione versantur, earum una *temporali* iam exposita, ad *spiritualem* alteram cum ei *adnexis* edisserendam nunc progrediar. *Spiritualia* quidem sunt in primis omnia Ecclesiae Sacramenta, et Sacramentalia, puta Ecclesiarum consecrationes, benedictiones Abbatum, sacrarumque virginum, et puerperarum, tum aquae lustralis, oleorum, Ecclesiarum altarium, sacrarum supellectilium, campanarum: tum potestas, et iurisdictio spiritualis a potestate clavium dependens, nimirum infligendi censuras, ab iisque absolvendi, dispensandi super canonicis impedimentis ad Ordines, vel Matrimonium, relaxandi, aut commutandi vota, indulgentiam poenitentibus largiendi, ministeria, et officia ecclesiastica conferendi. *Adnexa* vero *spiritualibus* putantur beneficia ecclesiastica, et Dignitates Cleri quum saecularis, tum regularis, electiones, et praesentationes patronorum ad ea ipsa beneficia ecclesiastica, iuspatronatus, Ecclesiae, Capellae, altaria, sepulturae, vasa, et supellectilia sacra, status religiosus, et claustralis, cetera id genus.

XV. *Spiritualia* cuncta sine aliqua limitatione sunt ex divino praecepto, quod nulla hominum potestas abrogare valet, omnino gratis danda, quia gratis a Christo Domino accepta, et pura puta sunt dona Dei. Quapropter simoniacam istarum rerum cum re temporali commutationem nulla dispensatio poterit, nec humana lex permittere, probamque facere. Perpetua hinc sententia canones, et ecclesiasticae sanctiones divinum hocce praeceptum omnimodis observandum inculcant, et saepius urgent potissimum in ministerio Sacramentorum, praesertim Baptismi (4), Chrismatis (5), Ordinis (6), consecrationis Episcopo-

constituti, quoties ad consignandos infantes egredimini, ultra modum gravari minime debuissent. Summa praefixa fuerat vobis, ut audio consentientibus, quae ab iisdem Sacerdotibus pro labore clericorum dari debuisset. Atque hoc, quod tunc placuit, minime custoditur. Unde fraternitatem vestram admoneo, ut subiectis vestris non graves studeatis existere.

(1) Videsis dicta superiori *lib. II. tit. VII. num. XXXII., et seq.*

(2) Innoc. III. in *cap. ad apostolicam 42. de simonia.*

(3) Trid. in *cap. Patriarchae 3. sess. 24. de ref.*: qua de re videsis dicta superius *lib. 1. tit. XVIII. num. XXIV.*

(4) *Can. baptizandis 99., quidquid 101., placuit 103., emendari 104., dictum est. 105. C. 1. qu. 1.*

(5) *Can. quidquid 101., placuit 102., dictum est 105., statuimus 106. C. 1. qu. 1., cap. 8. 16., et 36. de simonia.*

(6) *Can. gratia 1., quicumque 2., benedictio 4., quisquis 5., si quis Episcopus 8., qui per pecunias 9., sanctorum 10., qui studet 11., quicumque 12., cum liqueat 13., cum ordinaretur 11., qui perfectionem 17., ventum est 18., eos qui 21., placuit 22., quidquid 101., statuimus 106., et 107., si qui 108., de cetero 109., ordinationes 113., sunt nonnulli 114., si quis 115., de ordinationibus 116., quibusdam 117., estote 119., pueri ad sacros ordines 120.,*

rum (1), et Abbatum (2), sacrae Communionis (3), poenitentium reconciliationis (4), Unctionis infirmorum (5), benedictionis nubentium (6). Simul et in sacramentalibus, praesertim in Ecclesiis dedicandis, consecrandisque arae lapidibus (7), et benedicendis sacris etiam vasis, et supellectilibus (8), in benedictionibus fontis baptismalis, et lustralis aquae, sanctorumque Oleorum (9), ceteris. Praeterea in ministeriis ecclesiasticis exercendis, seu vicariis assignandis (10), et ecclesiasticis quibusque honoribus (11).

XVI. *Adnexa* rei spirituali, ceu accessoria huius naturam sequuntur. *Quidquid in ecclesiasticis rebus vel data, vel promissa pecunia adquisitum est; nos irritum esse, et nullas unquam vires habere censemus*, Urbanus II. in Concilio Placentino definivit (12). Idemque ad Praepositum S. Iuventii rescribens, *quisquis res ecclesiasticas*, ait, *quae a Deo fidelibus, et a fidelibus Deo donantur, propter sua lucra vendit, vel emit; cum eodem Simone donum Dei possideri pecunia existimat* (13). Hinc praebendas, et beneficia (14), Ecclesias ca-

C. 1. qu. 1., can. sicut 4. C. 1. qu. 3., audivimus 1., ea quae., 5., vendentes 10., non solum 11. C. 1. qu., 3. C. can. praesentium 3. ead. C. 1. qu. 5., cap. in ordinando 1., et cap. ex tua 20., per tuas 37., sicut 39., si quis 45. de simonia Paull. II. in Extravag. *cum detestabile 2. de simonia* inter comm. Trid. *cap. 1. sess. 21. de reform.*

(1) *Can. presbyter 3., quos constiterit 6., reperiuntur 7., nullus 118. C. 1. qu. 1., can. si quis 1., ego autem 2., sicut is 3. C. 1. qu. 7., cap. sicut pro certo 39. de simonia.*

(2) *Cap. sicut pro certo 39. de simonia.*

(3) *Can. nullus Episcopus 100. C. 1. qu. 1.*

(4) *Cap. nemo presbyterorum 14., et cap. ad aures 24. de simonia.*

(5) *Cap. non satis 8. de simonia*, ibi: *pro Chrismatis, et Olei receptione nulla cuiusquam pretii exactio attententur.*

(6) *Cap. suam nobis 29, et cap. ad apostolicam 42. de simonia.*

(7) *Can. statuimus 107. C. 1. qu. 1., et can. placuit 1. C. 1. qu. 2., can. Ecclesia 11. C. 1. qu. 4., cap., cum sit Romana 10. de simonia.*

(8) *Can. statuimus 106. C. 1. qu. 1., can. quaesitum 4. C. 1. qu. 3.*

(9) *Can. dictum est 105. C. 1., qu. 1. C. ad apostolicam 42. de sim.*

(10) *Cap. ad nostram 21., et cap. consulere 38. de simonia.* Huc spectat B. Hieronymus in *can. iudices 23. C. 1. qu. 1.*, explicans legem Domini contra iudices in muneribus iudicantes, sacerdotes in mercede respondentes, et Prophetas in pecunia divinantes. Alexander III. in Conc. Lateran. *cap. praeterea 1.* ne Praelati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant *ita sanxit*, quoniam quidam in quibusdam partibus sub pretio statuuntur qui Decani vocantur, et pro certa pecuniae quantitate episcopalem iurisdictionem exercent: praesenti decreto statuimus, qui de cetero hoc praesumpserit, officio suo privetur, et Episcopi conferendi hoc officium potestatem amittant.

(11) S. Greg. in *can. omnis avaritia 20. C. 1. qu. 1.*

(12) Urban. II. in *can. ea quae 5. C. 1. qu. 3.*

(13) Idem in *can. Salvator 7., et can. res Ecclesiae 12. ead, C. et qu.*

(14) *Can. si quis dator 2. si quis Episcopus 3., quaesitum est 4. si quis obiecerit 7., ex multis 9., si quis praebendas 15. C. 1. qu. 3. can. quicumque 1., eos qui 2. C. 1. qu. 5. cap. ex insinuatione 26., tua nos 34., Iacobus 45. de simonia,* Trid. in *cap. pluribus. 14. sess. 24. de ref.*

pellas, et altaria (1), decimas, et oblationes (2) qui emunt, vel vendunt, damnationem simoniacam incurrunt. Pariter qui electionem, nominationem, praesentationem ad ecclesiastica beneficia, et dignitates a patronis pretio sibi quaerunt, et vicissim patroni pro ea pecuniam accipientes (3). Quique ut renuncientur idonei ad curam animarum, et Ordines hierarchicos examinatoribus munera dant, vel spondent; aut hi ea accipiant etiam sponte oblata (4). Resignationes etiam spiritualium et temporalium, quae ex pacto ineantur, simoniacae sunt (5). Ab ingressu itidem virorum, et virginum in monasteria (6), et a sepultura fidelium (7) simoniam arcent canones.

XVII. Sunt qui duplicem ex qualitate rerum eiusmodi faciunt simoniam: alteram videlicet *divino iure* immutabili vetitam, et intrinsecus malam in rebus mere spiritualibus: alteram ecclesiastico *iure humano* superinductam, et extrinsecus malam, quia prohibitam in rebus Ecclesiae temporalibus dono spirituali adnexis (8). Exinde ponunt, Potestati ecclesiasticae fas esse proprio dispensationis iure suis obrogandi legibus, et amovendi vitium simoniae, ab iis praesertim rebus ecclesiasticis, quae ad beneficia, dignitates, officia, pensiones, iuspatronatus attinent, et investituras (9). Alii nonnulli plus aequo transilientes asserere non dubitarunt, in pontificiis collationibus nullam posse cadere simoniam, quum Pontifex tanquam dominus beneficiorum omnium possit iure suo id, quod suum est, vendere, ab eoque vicissim eme-

(1) *Can. altare* 13. *C.* 1. *qu.* 3. *cap. qui alium* 2., *non satis* 8., *cum in Ecclesiae* 9., *insinuatum est* 13., *querelam* 15., *in tantum* 36. *de simonia.*

(2) *Can. pervenit* 13., *et cit. can. altare* 14. *C.* 1. *qu.* 3.

(3) *Can. vendentes* 20. *C.* 1. *qu.* 3. *cap. ex tuae* 20. *Matthaeus* 23., *nobis fuit* 27., *sicut tuis* 33., *per tuas* 37. *de simonia*, Extravag. *cum detestabile* 2. §. *per electiones hoc eod. tit.*

(4) Trid. in *cap. expedit* 18. *sess.* 24. *de ref.*

(5) *Cap. mandato* 46., *et ult. de simonia.*

(6) *Can. quam pio* 2., *nullus abbas* 3., *C.* 1. *qu.* 2., *cap. non satis* 8., *veniens* 19., *de regularibus* 25., *dilectus* 30., *quoniam* 40. *de simonia*, Extravag. sane 1. *de simonia.*

(7) *Can. dictum est* 105. *C.* 1. *qu.* 1., *cap. suam nobis* 29., *et cap. audivimus* 41. *de simonia.*

(8) Cum glossa in *cap. ex parte* 12. *de oss. delegati* verb. *dimittere.*

(9) Ivo Carnotensis *ep.* 236. ad Io. Lugdunens. Archiep. Vidimus autem, ait, in partibus Germaniarum, et Galliarum multas honestas personas purgato isto naevo per quamlibet satisfactionem, pastorales virgas reddidisse, et per manum apostolicam refutatas investituram recepisse. Quod summi Pontifices minime fecissent, si in tali investitura haeresim, et peccatum in Sp. S. latere cognovissent. Cum ergo ea, quae aeterna lege sancita non sunt, honestate, et utilitate Ecclesiae instituta, vel prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur, pro qua inventa sunt: non est institutorum damnosa praevaricatio, sed laudabilis, et saluberrima dispensatio. Quod cum multi minus studiosi minime attendant, ante tempus iudicant, spiritus mobilis, et spiritus immobilis non intelligentes differentiam.

re (1). Hinc ansa obtrectatoribus data criminandi Ecclesiam, Curiamve Romanam (2).

XVIII. Semotis nos partium studiis, propulsatisque opprobriis, veritatem consectari pro virili oportet, ac sedulo inquirere. Perpetuis Ecclesiae Romanae, Sedisque Apostolicae sanctionibus divinum contra simoniacos praeceptum novimus iam promulgatum, eosque iugiter poenis acerbioribus, et censuris coercitos. Videndum superest, an mores Curiae Romanae in beneficiariis expeditionibus, et quibuslibet litteris quum maioris, tum minoris gratiae, ut aiunt, concedendis quidquam divino huic praecepto adversentur, dum fructuum beneficiorum unius anni medietatem, quam vulgo *annatam* nuncupant, nec non taxatas pecuniarum quantitates Cancellariae scriptores, variique subministri accipere iamdiu consueverunt. Sed utramque exactionem pecuniae nullo vitio simoniae penitus affectam iudicant aequi, et iusti rerum aestimatores, obmurmurantibus posthabitis: enimvero eam norunt innixam utriusque Testamenti auctoritatibus, naturali rationi, canonicis iuribus, et consuetudini quam antiquissimae.

XIX. Sollicitudo Ecclesiarum omnium B. Petro, eiusque Successoribus a Christo Domino demandata, seu cura pascendi universum unius ovilis gregem, seu architectonica, et suprema rerum ecclesiasticarum gubernatio (3) omni iure postulat, ut prima B. Petri Cathedram Sedem-

(1) Cardinales, et Praesules a Paulo III. delecti ad consilium de emendanda Ecclesia an. 1538., inter alia exposuerunt vigilantissimo Pontifici Doctores Pontificatui adulantes prodiisse dicentes: Pontificem esse dominum beneficiorum omnium, ac ideo cum dominus iure vendat id, quod suum est, necessario sequi in Pontificem non posse cadere simoniam. Ex hoc fonte, sancte Pater, mox inquiunt, tamquam ex equo Troiano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus. . . et manasse harum rerum famam ad infideles usque. . . Diximus beatissime Pater, non licere aliquo pacto in usu clavium aliquid lucri utenti comparare. Thomas Campegius Feltrensis Episcopus in tract. de simonia circa finem scribit: Quamvis tam in collatione Ordinum, quam beneficiorum, sive curata, sive simplicia fuerint, iure divino committatur simonia, si quid etiam a sponte dante recipiatur: non tamen Papa incurrit poenas a iure positivo inflictas: quia est supra ius, et illius poenis non adstringitur. Cardinalis tamen in cap. 1. de simonia asseruit, quod Papa ex iusta caussa possit quandoque in collatione beneficiorum aliquod recipere, licet non passim, ne scandalizet Ecclesiam. Ad quod allegat glos. in can. fin. qu. 2. Quia etiam in prohibitionibus iure divino Papa ex caussa illas relaxare potest. Sed haec assertio reiicienda est, et prorsus abominanda. Paschalis in *cap. significasti. 4. de elect.* Clemens V., in *cap. pastoralis 2. de sent., et re iudic.* Clem. IV., in Extrav. *Unigenitus 2. de poenit., et remiss.*

(2) Io. Staphilaeus de litteris gratiae tit. de modis vacationis §. quando *quis veniat privandus beneficio num. 3.* scribit audacter, titulum de simonia suis iam siluisse temporibus, ideoque non reperiri in Sexto, neque in Clementinis. At silet protervus ipse a plurimis post Bonifacium VIII., et Clementem V. Pontificibus ex perpetua Ecclesiae Romanae sententia damnatam simoniam, nullamque triennalem, longioremque possessionem simoniacis unquam suffragari ex Regulis etiam Cancellariae, quas singuli edicunt Pontifices. Petulantiorem fudit criminationem Ioannes Launoius in *tract. de veneranda Romanae Ecclesiae circa simoniam traditione.*

(3) Videsis dicta superius *lib. 1. tit. XII. de Summo Pontifice.*

que Apostolicam velut magistram, et matrem cunctae inferiores per orbem cathedrae, ac sedes episcopales, Ecclesiaeque universae, utque supremum Pastorem oves omnes, et agni de sua substantia honorent, communibusque fidelium oblationibus alant, et lactent. Aaroni summo Sacerdoti divina lex Mosayca, ut decimam decimarum omnium omnes Levitae quotannis contribuerent, iussit (1). *Exemplum Domini accipe conversantis in terra. Quare habuit loculos, cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat?* S. Augustinus ait (2), addens tunc primum *ecclesiasticae pecuniae formam* fuisse institutam, quum haberet *Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens* (3). *Quis plantat vineam*, scribit Apostolus, *et de fructu eius non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem haec dico? an et lex haec non dicit? Scriptum est enim in lege Moysis* (4) : non alligabis os bovi triturauti . . . *Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus* (5) ?

XX. Ex hisce divinis Bibliorum oraculis, in quibus Naturae ius colluceat, Ius genericum, et commune habent omnes animarum curatores spiritualia ministrantes accipiendi alimenta, et corporalis vitae subsidia cuiusque statui congrua, tamquam stipendia laboris. Hinc ius moribus apostolicis introductum colligendi pias fidelium oblationes, quae Apostolorum, et Praesulum arbitrio per diaconos, et oeconomos distribuebantur (6) ; mox exigendi ab invitis etiam parochianis decimas, et primitias (7), tum possidendi praediales, fixosque redditus, olim

(1) Numer. *cap.* 18. *vers. 26. et 28. Locutus est Dominus ad Moysen dicens* : praecipe Levitis, atque denuncia. Cum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, idest decimam partem decimae . . . et date Aaron Sacerdoti.

(2) S. Aug. in *can. exemplum* 12. *C.* 12. *qu.* 1.

(3) Idem in *can. habebat* 17. *ead. C. et qu.*

(4) Deuteronom. *cap. 25. vers. 4.*

(5) I. ad Corinth. *cap. 9. vers. 7. et seq.*

(6) Primitivi Ecclesiae fideles, quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ad pedes Apostolorum: dividebant autem singulis, prout cuique opus erat, tradunt Acta Apostolorum *cap. 4. vers. 33. et seq.* Paullus Apostolus de collectis, quae fiunt in Sanctos (scribit *ep.* 1. ad Corinth. *cap.* 16.) sicut ordinavi Ecclesiis Galatiae, ita et vos facite. Per unam Sabbathi unusquisque vestrum apud se ponat, recordans quod ei bene placuerit: ut non cum venero, tunc collectae fiant. Cum autem praesens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem. Confer *ep.* ad Romanos *cap.* 15. *vers. 25. et seq. 2.* ad Corinth. *cap. 9.*, et Actor *cap.* 11. *vers. 29.* Simul ad Timotheum Ephesi Episcopum Apostolus idem scripsit *cap. 5. vers.* 16. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia : ut iis, quae vere viduae sunt, sufficiat. Fert Eusebius *lib. 6. cap. 43.*, quod Romana Ecclesia S. Cornelio Pontifice mille quingentos homines infirmos, peregrinos, vinculisque mancipatos aleret, praeter clericos: non aliunde quidem, nisi ex collectis fidelium oblationibus.

(7) S. Hieronymus in *can. revertimini 65.*, et S. Aug. in *can. decimae 66.*

precarios ad placitum Praelatorum (1), dein beneficiarios, et perpetuos (2). Hinc dioecesana lex, ut ex communibus Ecclesiarum Clerique obventionibus, decimis, proventibus Episcoporum, singuli suam sibi canonicam portionem praeciperent (3), aut dimidiam, aut tertiam, aut quartam pro temporum, locorumque varietate (4): praeterea synodaticum, et cathedraticum, seu annuam census praestationem in honorem episcopalis cathedrae a cunctis basilicis, et Capellis intra suam quisque dioecesim (5): expensas itineris, et victum sibi, familiaeque suae in visitatione quotannis (6), et congruas laborantibus clericis mercedes, ac stipendia taxarent, et componerent (7).

XXI. Hinc etiam lex monarchiae ecclesiasticae Romano, Pontifici tamquam Christi Domini Vicario primam B. Petri Sedem obtinenti supremam administrationem in omnes omnium Episcoporum dioeceses tribuens, totumque Orbem catholicum, instar unius dioecesis gubernan-

ead. C. 1. *et qu.* 1. Conc. Moguntin. in *can. si quis laicus 42.*, Cabilon. in *can. Ecclesiae 43.*, Vormaciens. in *can. quicumque 44*, Leo in *can. de decimis 45. ead. C. et qu. cap.* 1., *totoque tit.* Decretalium *de decimis.*

(1) Simmachus Papa in IV. Synodo Romana *can. 4.* statuit de praediis ecclesiasticis, quod nec usufructuario iure aliquibus ea dare liceat, nec data retinere, praeter clericos, et captivos, atque peregrinos. Consonant, S. Greg. M. in *can. iudicatum est dist. 89.*, Synodus Toletana IV. in *can. saepe fit 72. C. 12. qu. 2.*, Septima Synodus oecumenica *can. 12.*, et Synodus Merensis in *can. precariae 42. ead. C. 12. qu. 2.* Hunc spectat *tit. 13. lib. 3.* Decretal. *de precariis.*

(2) Hac de re dixi in *tract. de beneficiis cap. 1. n. XXXIII.*, *et cap. 1. n. XXIII.*, *et cap. IX. et seq.*

(3) *Can. 41.* vulgo Apostolor. in *can. ex his autem 22. c. 12. qu. 1.* Ex his autem, quibus Episcopus indiget (si tamen indiget) ad suas necessitates, et peregrinorum fratrum usus, et ipse percipiat, ut nihil ei possit omnino deesse.

(4) S. Simplicius in *can. de redditibus 28.*, et Gelasius in *can. quatuor 27. C. 12. qu. 2.*, Synodus Emeritensis in *can. priscis 2.*, *et* Toletana XVI. in *can. unio 3. C. qu. 3.*

(5) *Can. 1., 4., 5., 8. et 10. qu. 3.* Inn. III. in *cap. olim 20. de censibus.*

(6) Conc. Cabilonense in *can. cavendum 7. C. 10. qu. 3.*, Conc. Lateran. III. in *cap. cum Apostolus 6. de censibus*, Lucius. III. in *cap. sopitae 14.*, Innoc. III. in *cap. cum olim 19. cum venerabilis* 21., *super eo* 22., *procurationes 23. eod. tit.* Honor. III. in *cap. venerabili 24*, Greg. IX. in *cap. nuper. 25. eod. tit.* Innoc. IV. in *cap. Romana* 1. §. *procurationes de censib. in VI.*, Greg. X. in *cap. exigit* 2., Bonif. VIII. in *cap. felicis 3. eod. tit. in VI.*, Clementina *ad nostrum 2. eod. tit.* Bened. VII. in Extravag. *un. de censibus*, Trid. in *can. patriarchae 3. sess. 24. de ref. Apostolicis viris in necessariis usibus nolle tribuere, vitium est sterilitatis*, ait B. Hieronym. in *can. apostolicis 67. C.* 16. *qu.* 1.

(7) Ex *can. 37.* vulgo Apostolor. Omnem rerum ecclesiasticarum curam Episcopus gerito, et eas dispensato, quasi inspectante Deo. Conc. Chalcedonense in *can. quia in quibusdam 4. dist. 89.* decrevit, omnes Ecclesias habentes Episcopos, etiam oeconomum habere de proprio Clero, qui gubernet Ecclesiae res cum arbitrio sui Episcopi, ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum ecclesiasticarum. Ut constituta laborantibus clericis taxa laborum servaretur, a S. Gregorio M. rescriptum iam nostis ex *can. relatum 9. C.* 10. *qu. 3.*

dum, et universum Domini gregem una cum Pastoribus cunctis eidem uni unius ovilis Pastori pascendum subiiciens; cum adnexo iure manducandi de lacte ipsius gregis, deque fructibus Ecclesiarum omnium, quas, velut vineas quaquaversus plantavit ipsamet prima Sedes Apostolica (1). Enimvero Pontifices Romani perpetuo iure suo totum orbem per suae Apostolicae Sedis Legatos, Nuntios (2), Visitatores (3), Vicarios (4), ceteros subministros assidue perlustrant, Navisque apostolicae gubernaculum tenentes, ultra maria, et montes curam extendunt suam, deposita procellarum formidine. Novos ipsi viduatis Ecclesiis Praesules eligunt, confirmant, ordinant: novas Episcoporum cathedras et sedes, ubi opus fuerit, erigunt; nonnullas priscarum desolatas uniunt. Mobiles Ecclesiarum leges variis temporum, populorumque conditionibus aptant, corruptos ubivis mores reformant, Episcopos ad sua obeunda munia excitant, sacrorum canonum observantiam ubilibet gentium urgent, et exequuntur, universalis insuper Ecclesiae negotia, Fidei propagationem, Principum concordiam, turbidas Episcoporum, et Regularium res, appellationum iudicia quotidie pertractant cum consilio Cardinalium, et Praelatorum, ministerioque plurium Congregationum, et tribunalium Urbis (5).

XXII. Constans haec, et perpetua omnium Ecclesiarum sollicitudo Romanae Sedi Apostolicae adnexa, quae praesefert necessitatem alendi tot pontificios ministros, efficit, *ut Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere* (6). Ipsa idcirco suo supremae potestatis iure utens, consuevit nedum portionem fructuum ecclesiasticorum, seu *pensionem* indigentibus clericis ad vitam eorum reservare in pontificiis collationibus beneficiorum, Ecclesiarumque ubilibet vacantium (7): sed *decimam* quoque ordinariam instar Aaronicae super universis fructibus ecclesiasticis, quae olim Camerae Apostolicae

(1) Nicol. II. *ep.* ad Mediolanens. in *can. omnes* 1. *dist.* 22. S. Leo in *can. ita Dominus 6. dist. 19.*, *huius muneris sacramentum*, ait, ita Dominus, ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam Capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet.

(2) Innoc. III. in *cap. cum instantia* 17. *de censibus* omnes Ecclesias ad praestandum procurationes, expensasque necessarias Legatis, et Nuntiis Sedis Apostolicae obstrictas denunciat.

(3) Greg. IX. in *cap. cum nuper 25. de censibus* procurationes deberi Legato Apostolico visitanti rescripsit. Idipsum decrevit Clemens V. in Conc. Vien. Clement. *sit* 1. *de censibus.*

(4) De Vicariis Apostolicis, quos Papa dat Ecclesiis viduatis, ubi neglexerint Capitula Cathedralium, et Metropolitani eos deligere, aut Episcopis iurisdictione sua abutentibus, iam dixi *lib. I. tit. 1. II. num. XIII.* Simul quam is pallio archiepiscopali mandat Archiepiscopis, et Patriarchis vicariam potestatem, explicui eodem *lib. tit. XVII.. num. V., et seq.*

(5) Videsis dicta superius eodem *lib. 1. tit. XII. de Summo Pontifice n. XIV.*

(6) Clem. IV. in *cap. licet Ecclesiarum 2. de praeb. in VI.*

(7) Greg. IX. in *cap. cum canonicis 26. de censibus*, ut pensio cuiusdam Ecclesiae persolveretur, iussit.

quotannis persolvebatur (1), et aliquando extraordinariam (2) indicere; nec non denarios B. Petri annuos colligere (3), quos *patrimonium B. Petri* nuncupabant (4), a Defensoribus Ecclesiae Romanae administrari consuetum (5).

(1) De hac locutus videtur Ioannes XXII. in Extravag. *ut ne sede vac. aliqu. innov.* Dum declaravit eos, qui ius percipiendi fructus primi, vel alterius anni beneficiorum vacantium habeant ex privilegio apostolico, vel consuetudine, vel statuto, nihil exinde percepturos *ultra summam, pro qua unumquodque beneficiorum ipsorum consuevit in decimae solutione taxari.* Eam Papae decimam tunc fuisse vigesimam partem; fructuum ecclesiasticorum, observat Rigantius in *Reg. V. Cancell. num. 91.*

(2) Conc. Viennense sub Clem. V. in Clementina *si beneficiorum 2. de decimis* nonnulla cavit de decima Beneficiorum alicui, ad tempus concessa. Martinus V. in Conc. Constantiensi *sess. 43.* constituit, *iura, quae prohibent inferioribus a Papa decimas, et alia onera Ecclesiis, et ecclesiasticis personis imponi, districtius observari. Per* Summos *autem* Pontifices *nullatenus imponi generaliter, nisi ex magna, et ardua caussa, et utilitate universalem Ecclesiam concernente, de consilio, et consensu, et subscriptione S. R. E. Cardinalium, et Praelatorum, quorum consilium commode haberi poterit. Nec specialiter in aliquo regno, vel provincia, inconsultis Praelatis ipsius regni, vel provinciae, et ipsis non consentientibus, vel eorum maiori parte, et eo casu per personas ecclesiasticas, et auctoritate apostolica dumtaxat levari.* Hinc pro bello sacro Eugenius IV. centesimam reddituum Ecclesiasticorum Hispaniae, Galliae, Delphinatus Regi Cypri indulsit an. 2431. Tum Alphonso Aragoniae, et Siciliae Regi bis centum millia florenorum auri ad annos duos super Ecclesiis ditionis eius an. 1443. Nicolaus V. an. 1353., decimas universo Ecclesiae Clero indixit. Callixtus III. an. 1457. Carolo VII. Regi Galliae super Gallicano Clero.

(3) In Anglia primus omnium Regum Ina denarium ex singulis domibus regni sui B. Petro fertur concessisse, apud Spelmanum *in Conciliis pag. 230.* Candenum *in Brittania pag. 192.*, Magdeburg. *cent. 8. 1. col. 3.* Alexander III. in *cap. ea quae 12. de censibus* Archidiaconis Galliae rescripsit, ne *propter B. Petri denariorum collectam* Ecclesias vel Parochias gravarent. Tum Innoc. III. *ep. 173. lib. 4.* Tusculano Episcopo legato Apostolico scribens, conquestus est Praelatos Angliae ex eo denario B. Petri maiorem sibi partem retinere, *quum nonnisi trecentas marchas nobis*, ait, *persolverint, et sibi mille, vel amplius usurparint*, apud Gonzalez in *comm. ad cit. cap. ea quae 21. de censibus.* Idem Pontifex Innocentius in *cap. ad audientiam 13. de praescription.* rescripsit nobili viro Matafeloni de 40. solidis denariorum Papiensium ei ab Alex. III. concessis in castro Palatioli, *quos Romana Ecclesia ibi consuevit recipere annuatim.* Mox in *cap. auditis 15. eod. tit. solutionem denariorum S. Petri in valle de Havescam* memorat scribens Episcopis Heliensi, et Roffensi. Tum Pisano Archiepiscopo respondent in *cap. si diligenti 17. eod. tit.* denunciavit Iudicatum Calaritanum, totamque Sardiniam *ad ius et proprietatem B. Petri* pertinere. In Calabria, et Sicilia denarios annos ad patrimonium B. Petri spectantes commemorant Hadrianus *ep.* ad Carolum M. et Nicolaus I. *ep.* ad Michaelem Imp.

(4) Theophanes in *Chronico* fert, quod Leo Isauricus Constantin. Imp. annuos redditus ad patrimonium B. Petri et Calabria et Sicilia obvenientes Fisco imperiali addixerit aiens: *Appellata patrimonia SS. Principum Apostolorum, qui apud veterem Romam in veneratione sunt, illorum Ecclesiis iam olim persolvi solita, auri talenta tria, et semis, aerario publico solvi iussit.*

(5) De iis Defensoribus, quos consueverant Summi Pontifices in varias Chri-

XXIII. Temporum vicissitudines, iniuriaeque pessundato per provincias B. Petri patrimonio, tum frequentia, et dira schismata, mox translata in Gallias Romana Sedes ad captivitatem ferme Babylonicam in caussa fuere, ut Avenionenses Pontifices ad necessariam sui, suorumque substentationem fructus unius anni ecclesiasticos vacantium Ecclesiarum, beneficiorumque sibi vindicarent, quos nonnulli Episcoporum in suis dioecesibus percipere iam consueverant ex privilegio apostolico, vel more diuturno (1). Clemens V. primus omnium Avenione sedens, *videns insatiabilem quorumdam Episcoporum Angliae avaritiam, importune postulantium primas vacantes Ecclesias per annum in suis dioecesibus sibi concedi, advertensque quia quod postulat inferior, potest et superior, appropriavit sibi ipsi per biennium omnes proventus de primo vacantibus in Anglia*, tradit Matthaeus Westmonasteriensis (2). Tum Ioannes XXII. Camerae suae Apostolicae generatim *fructus, redditus, et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum etiam vacantium, et quae in diversis Orbis partibus usque ad triennium vacare contingeret, pro Ecclesiae Romanae necessitatibus reservandos* duxit (3). Reservationes has omni prorsus vitio vacare sani vident omnes. Enimvero annatas integras ex longo intervallo, nonnisi post ingressos in possessionem Ecclesiarum novos Praelatos, et beneficiarios, exigendi mos tunc olim erat.

XXIV. Contumacia vero sat explorata Praesulum, et beneficiariorum, qui vacantes Ecclesias, et beneficia adepti, posthabitis censuris renuebant Pontificio Fisco exolvere primi anni fructus, postquam eos iam collegissent; ad novandam de annatis legem summos Pontifices impulit (4). Imperata scilicet singulis beneficia impetrantibus est nume-

stiani Orbis provincias ablegare ad patrimonium B. Petri administrandum, cum in mandata in Episcopus iurisdictione exercenda, loquitur Gelasius ad Episcopos Lucaniae *can. monachus 9., et ult. dist. 17.*, Urbanus II. *in can. Salvator 8. C. 1. q. 3.* S. Greg. M. in *can. 38. 39., et 40. C. XI. qu. 1.* Pelagius II. in *can. 15. ead. C. et qu., et can. de praesentium 20. C. 16. qu. 1.* rursus Greg. M. Bonifacio in *cap. si quis 4. de for. compet.*

(1) Matthaeus Paris in *hist. Anglicana ad an. 1246.* fert iis diebus Archiepiscopo Cantuariensi concessum, *ut obventiones, sive fructus unius anni beneficiorum, quae vacare contigerit in Provincia Cantuariensi, eidem Domino Cantuariensi conferatur.* Bonifacius VIII. in *cap. si propter 10. de rescriptis in VI.* cuidam Episcopo rescribens, *si propter tua debita persolvenda*, inquit, *fructus beneficiorum primi anni, quae in tua vacabunt dioecesi, tibi... usque ad quinquennium de speciali gratia concedimus: intentionis nostrae nequaquam existit, si fructus huiusmodi Ecclesiae tuae fabricae; vel alteri usui, seu cuicumque singulari personae de speciali consuetudine, privilegio, vel statuto forsitan debeantur, quod eis per concessionem ipsam (nisi hoc expresse in ea caveatur) praeiudicium aliquod generetur.* Alios id sine privilegio usurpantes Episcopos coercuit Concilium Viennense in Clementina *frequens un. de excessib. Praelator.* inquiens: *Praeterea interdum iniuste Abbates, Priores, aut alios beneficiatos beneficiis suis privant, ut sic fructus beneficiorum illorum percipere valeant primo anno praetextu privilegii, quod asserunt se habere.*

(2) N. Alexand. in *hist. saec. XV., et XVI. disser. 9. de annatis num. 8.*

(3) Ioan. XVII. in Extravag. *cum nonnulla 12. de praebendis.*

(4) Æneas Silvius Cardinalis Senensis (summus dein Pontifex Pius II.) hac

ratio pecuniae in antecessum, aequantis non integros, sed dimidios unius anni fructus ex constitutione Bonifacii IX. usu recepta, et vigente adhuc (1): eamque firmarunt Pius II., et Innocentius VIII. (2). Hanc legem, profectamque ab ea consuetudinem Romanae Curiae criminantur, ut simoniacam, et iniustam scriptores infenso animo in eandem Curiam plus aequo abrepti (3): at probam, nulloque simoniae patrocinio foedatam agnoscunt aequi, et boni Doctores, Theologique nostri (4).

XXV. Quo enim iure priscis Pontificibus, licuit canonicam ex oblationibus fidelium portionem sibi accipere in honorem supremae Cathedrae B. Petri, mox decimam ordinariam in vigesima parte fructuum ecclesiasticorum quotannis instar decimae Aaronicae: eo itidem fas Clementi V., et Ioanni XXII. fuit integros unius anni fructus vacan-

de re in *ep.* ad Martinum Meyerum Moguntini Archiep. Cancellarium ita scribit: *Illud non sinemus intactum, quod ad exigendos beneficiorum, quae Romae conferuntur, medios fructus, sive, ut aiunt,* annatas, *nullam permitti creditoribus moram accenset. Verum hoc ab eorum ingratitudine actum inveniens, qui cum Ecclesias consecuti essent, dilationem faciendae solutionis obtinuissent, postquam litteras Apostolicas habuere, et domum reversi possessionem consecuti sunt, neque in praestituta die, neque multis post annis Apostolicae Camerae satisfacere curaverunt, excommunicationis poenam, cunctasque censuras levi animo pensitantes, quorum non fuit parvus numerus. Compulsa igitur Apostolica Sedes adversus iniustam rebellionem iustum invenit remedium, et ingratitudini obviam pergens, solvere ante tempus eos instituit, qui post tempus aliorum exemplo satisfacturi non videbantur.*

(1) Bonifacius IX. *annatarum usum beneficiis ecclesiasticis primus imposuit hac conditione,* scribit Platina in eius vita, *ut qui beneficium consequeretur, dimidium annui proventus Fisco Apostolico persolveret . . . Hanc consuetudinem omnes admisere, praeter Anglos, qui de solis Episcopatibus concessere, in ceteris beneficiis non adeo.*

(2) Pii II. constitutionem, quae non extat, Innocentius VIII. collaudat, et sequitur in sua const. an. 1484., inquiens: *Dudum si quidem per fere. Pium Papam II. praedecessorem nostrum accepto, quod numerus debitorum dictae Camerae nimis auctus erat, et quod obligati pro annatis beneficiorum ecclesiasticorum, quae auctoritate apostolica assecuti fuerant, excommunicationis sententiam in eos latam (quam non solvendo in praefixo eis termino ipso facto incurrebant), minime curare videbantur, et per hoc animabus sic illaqueatis periculum imminebat, et continua dictae Camerae damna subsequebantur: idem Praedecessor cupiens tam saluti animarum, quam ipsius Camerae indemnitatibus salubriter providere etc.*

(3) Theodoricus Niems *lib. 11. cap. 16.* Bonifacio IX. notam simoniae per calumniam inurit, palliatamque simoniam nuncupat annatarum impositionem. Id quod totis lacertis conantur incassum ostendere Duarenus *de beneficiis lib. 6.* Car. Molinaeus *ad edictum de parvis Datis.* Launoius in *cit. lib. de veneranda Rom. Eccl. circa simoniam traditione*, nonnulli Patrum Concil. Constantiensis, et Basilecnsis, ceteri eiusdem furfuris

(4) Petrus Card. de Alliaco *lib. de auctorit. Ecclesiae*, Ven. Gersonius *lib. de statibus ecclesiasticis tom. 1. et tract. de Simonia to. 2.*, Fagnanus in *cap. praeterea 1. ne Praelati vices suas* per tot., Petrus de Marca *lib. 6. de conc. Sacerd., et Imp. cap. 12. num. 6.*, N. Alexander *hist. saec. XV., et XVI. diss. 9. de annatis*, alii plurimi emunctae naris viri, ducem rationem procul a studio partium Sectantes.

tium Ecclesiarum, et beneficiorum in vicem canonicae portionis, et decimae papalis suffectos ; mox Bonifacio IX., eiusque Successoribus dimidios tantum eosdem sibi reservare. Modus autem pro temporum conditione varius exigendi canonicam vel portionem, vel annales vacantium fructus qua integros, qua dimidios, exactionemque ipsam demandandi, aut pontificiis collectoribus, aut novis Ecclesiarum Praelatis, et beneficiariis, quod nequeat, ut accidentalis qualitas corrumpere subiectum, nituramque exactionis iustissimae, philosophi ore uno omnes praedicant. Itaque onus reale singulis vacantibus Ecclesiis, et beneficiis iam perpetua lege impositum pro Romanae Ecclesiae necessitatibus, quod subeunt, feruntque singuli Ecclesias, et beneficia ab Apostolica Sede obtinentes, praesefert incorruptam legitimae solutionis iustitiam. Hinc patet, cur pecunia dimidios eiusmodi fructus annales aequans, quam Romanae Curiae repraesentant novi Praesules, ac beneficiarii post acceptam collationis pontificiae gratiam manu Papae obsignatam, sed antequam bullas in forma Cancellariae habeant, non esse putetur collationis spiritualis, quae iam praecessit, permutatio simoniaca, nec retributio, nec merces, nec caussa ad eam ipsam impellens. Absurdum porro, et iniquum, et impium est in optimis tot Pontificibus, quòt post Bonifacium IX. sederunt, studiosam, et simoniacam supponere voluntatem commutandi gratiam collationis ecclesiasticae cum pecunia mediorum fructuum annalium repraesentanda, quae ipsis iure debetur ex vacantibus Ecclesiis, quamque nequeunt sine gravi noxa novi earumdem possessores detrectare.

XXVI. His perspicuis rationibus adducti Ven. Gersonius, aliique Doctores propugnant annatas ad subventionem Pontificis, et Cardinalium Iure naturali, ac divino deberi. *Status praedictus* Papalis *dum recipit, et quaerit subventiones consuetas in oblationibus, decimis, vel annatis, et similibus*, Gersonius inquit, *non debet eo ipso de* simoniaca *pravitate notari, nisi forte vitium aliud in executionis modo concurrerit, quod vitium corrigi debet, non obinde Status minui, destrui, culpari, vel iuribus aliunde debitis defraudari . . . . Oppositum vero pertinaciter imponens, notando generaliter de* simoniaca *pravitate totum Statum istum, temerarius esset, nec ferendus* (1). Quare Concilium Constantiense irritos habuit conatus multorum ex Gallis Patribus, ut simoniacas criminantium exactiones annatarum (2). Synodus mox Basileensis quidem sibimet non constans primo censuit, ut

(1) Gerson. *lib. de stat. eccles.* Idipsum iisdem ferme verbis praesenserat Petrus Card. Alliacensis *lib. de auct. Eccl.*, quem an. 1417. in ipsis Concilii Constantiae comitiis conscripsit, *cap. de statu Summi Pontificis, et Card. et de annatis*, expensisque rationibus tandem concludens ait: *Ex quibus sequitur, quod erronea, et scandalosa, et periculosa est conclusio, quam in materia simoniae posuit quidam Praelatus, et Doctor, videlicet quod solutio vacantium, sive pactionata sive non, sive ante traditionem bullarum sive post, quòcumque modo acta est simoniaca.*

(2) N. Alexander *cit. dissert. 9. art. 3.* pluribus ostendit, quod *annatarum exactionem vel simoniacam, vel illicitam esse, nec tota Natio Gallicana sensit tempore Concilii Constantiensis, nec eam Concilium ipsum damnavit.*

medios annatae fructus novi Praelati solverent post possessionem, *donec Papae, ac Cardinalium substentationi fuerit aliter provisum:* dein abolere penitus eam solutionem tentavit simoniacorum poenas comminando, quum nequivisset eam ipsam, ut simoniacam proscribere (1).

XXVII. Inania hinc apparent ea omnia, quae obtrectatores argumenta effutiunt ad criminandam hanc legem, et consuetudinem, acriori partium studio iamdiu discussa, et elisa. Aiunt primas annatarum impositiones non perpetuas, sed temporaneas Ioannem XXII. indixisse: silentio dissimulantes futuris eum Pontificibus potestatem non ademisse perpetuam legem constituendi. 2. False ponunt earum initium profluxisse ab eorum Praesulum spontanea oblatione, qui suarum electionum causis ad Romanam Sedem delatis in iudicio appellationis victores repraesentassent ultro Cardinalium Consistorio pecuniam pro honorario inter eos dividendo, quod *servitia communia* appellant: dum ab Æneа Silvio, alias Pio II. cum primis traditam accepimus originem annatarum ex lege imperante Pontificum, non ex ultroneis Praelatorum oblationibus. 3. Exin aerem verberant, ubi adstruunt spontaneas eiusmodi oblationes immaginarias tam ante, quam post promotionem Traditioni apostolicae, sacrisque canonibus adversari. 4. Arguunt ineptissime annatas non exigi ob vacationem Ecclesiarum, sed ob collationem: quas porro ob necessariam Papae, eiusque ministrorum substentationem Iure quum naturali, tum divino deberi iam patet. 5. Sibi non constant, quum temere carpunt coactam annatarum solutionem retentis, quoad satisfiat bullis, voluntariam tacite probantes, quam antea reprobaverant: quod vero quispiam ex lege debet, nisi dederit sponte, probo iure ad illud reddendum cogitur. 6. Diuturnas plurium querelas, et aliquot Principum contradictiones in Synodis praesertim Constantiensi, et Basileensi promotas refricant ad respuendam, infirmandamque de annatis legem, quae tamen quo disceptatione acriori fuerunt contradicto iudicio expensae, eam eo magis firmarunt subsequuta inde observantia, et consuetudo (2).

XXVIII. Amoto igitur ab annatarum lege omni simoniae vitio, eam divino iuri non adversantem nostra heic interest agnoscere: at ipsam, tamquam mobile ius humanum de modo, ac tempore exactionis (quod incongruum, et asperum putarunt nonnulli Patrum Constantiensium) privato cuiuslibet iudicio subiicere nostrum non est; quum nefas quidem sit, subditos perinde Potestati supremae, ac divinae voluntati resistere, aut de ipsius legibus iudicare. *Et vos subditi esse debetis*, inquam cum S. Augustino, *ideo enim tributa praestatis*, *quia haec*

(1) Idem N. Alexander in *sequ. art. 4.* collatis duobus inter se pugnantibus decretis Patrum Basileensium id satis edisserit.

(2) Isthaec omnia obiecta in legem annatarum a Deputatis Nationis Gallicanae in Concilio Constantiensi fert N. Alexander *cit. dissert. 9. art. 2.*, eaque idem ipse refellens ostendit *sequenti art. 3.*, exactionem annatarum nec simoniacam ne illicitam esse, nec eo Concilio damnatam: ea in re amplexus Fagnani doctrinam in *cit. cap. 1. ne Praelati vices suas*, pluriumque Theologorum, et Patrum etiam Gallorum sapientia, et virtutibus maxime praestantium.

est probatio subiectionis (1). Operae autem pretium est nonnullas Pontificum leges contra simoniacos beneficiarios enucleare, quae in utroque foro usuveniunt in dies.

XXIX. Excepto isto, quod iam exposuimus, iure supremo Camerae Apostolicae, nullam omnino partem fructuum, pecuniaeve repraesentationem, aut promissionem fas est cuilibet ordinario collatori, sive electoribus patronis reservare sibi, aut accipere ab iis, qui vacantia beneficia, vel praebendas adipiscantur. Nam synodus Tridentina, quas in usus tantum pios converti solutiones pecuniarias alicubi consueverit ex vacantium beneficiorum provisionibus, adprobat: ceteras omnes, longaevo quamvis more, aut statuto, aut privilegio inductas proscribit, quia *simoniacae labis, aut sordidae avaritiae suspicionem* habent (2). Dein S. Pius V.; ut ne sanctio tridentina eluderetur: *revocamus, et abolemus*, inquit, *omnia quaecumque privilegia, consuetudines, et statuta quarumcumque Ecclesiarum cathedralium, metropolitanarum, ac maiorum, necnon collegiatarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, aut alio quovis praesidio munita, ac etiam supra hominum memoriam continuo observata. . . quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, praebendis, portionibus,* beneficii, *et* officii fructus, *ac etiam quotidianae* distributiones *ex eis* primo *ab ipsa vacatione* anno, *aut longiore, vel etiam breviori tempore proventuri* mensae episcopali, *seu* capitulari, *aliive loco integre, vel partim remaneant, seu applicentur, aut in* communes *usus cedant, seu inter alios* Canonicos, *et personas Ecclesiae, seu Capituli dividantur. .*, *Praecipimus igitur, et interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis. Collegiis, et personis, ad quas id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones huiusmodi, nec prorsus ullam eorum partem re-*

(1) S. August. in *cap. omnis anima 2. de censibus.*

(2) Trid. in *cap. in pluribus 14. sess. 24. de ref. In pluribus Ecclesiis*, ait, *tam cathedralibus, quam collegiatis, et parochialibus ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicuius cathedralis Ecclesiae, vel beneficii, canonicatuum, aut praebendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certae conditiones, seu deductiones, ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitae, aut etiam, quae in aliquibus Ecclesiis dicuntur* turnorum lucra *interponantur: haec cum sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quaecumque huiusmodi in* usus pios *non convertuntur, atque ingressus eos, qui* simoniacae labis, *aut* sordidae avaritiae suspicionem *habent, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super praedictis, cognoscant, et illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas, ac scandalosas reiiciant, et aboleant. Eos vero, qui adversus haec in praesenti decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, poenis contra simoniacos editis sacris canonibus, et variis summorum Pontificum constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit, non obstantibus quibuscumque* statutis constitutionibus, consuetudinibus, *etiam* immemorabilibus, *etiam Apostolica auctoritate confirmatis de quarum subreptione, obreptione, et intentionis defectu Episcopus, tamquam Apostolicae Sedis delegatus, cognoscere possit:* consonat *const.* 17. Paulli IV. *to.* 1. Bull.

tineant, neve ipsorum cessionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut illi praedicta non facienti possessionem impediant, vel removentur. . . Qui contra fecerint, Antistites ab officio pontificali suspensionem, Capitula, et Collegia interdictum, singulares personae excommunicationem ipso facto Sedi Apostolicae reservatam incurrant (1).

XXX. Quoniam vero in pios usus converti portionem fructuum beneficiorum vacantium probavit synodus Tridentina, et speciatim in Ecclesiae fabricam ex consuetudine, vel privilegio, vel statuto rescripserat Bonifacius VIII. (2): in Romana synodo provinciali Benedictus XIII., *singulis Italiae, Insularumque adiacentium Episcopis concedimus*, inquit (*nostrae prout Ecclesiae Beneventanae concessit Pius II. anno 1450., et cathedralem Nolanam in antiqua sua esse consuetudine novimus*), *ut in quibuscumque ecclesiasticis beneficiis ab eis, aliisque inferioribus conferendis dimidios primi anni cuiusque beneficii fructus sibi respective reserventi: volumus vero, et expresse mandamus, ut fructus ipsi non in alia, quam in propriae cathedralis, et collegiatarum Ecclesiarum fabricam, augmentum, reparationem, et ornatum fideliter impendantur, nec umquam . . . in musicas, aut organistarum, vel aliorum Ecclesiae servientium salaria, aut stipendia dissipentur* (3). Id quod generali constitutione iterum ipse indulsit, et firmavit (4).

XXXI. Quod vero ad mercedem laboris debitam scriptoribus, clericis registri, abbreviatoribus, et variis Sedis Apostolicae (5) ministris, et officialibus pro expeditione litterarum Apostolicarum Ioannes XXII. taxam aequam, et fixam indixit, poena suspensionis ab officio ad sex menses ipso facto sancita in transgressores pro prima vice, tum perpetua praeter excommunicationem (6). Eamque adamussim servandam iusserunt Martinus V., et Eugenius IV. (7): cui aliae posteriores taxae

(1) S. Pius V. in *const. durum nimis*, edita pridie kal. Iulii 1570. Gregorius IX. in *cap. Iacobus 44. de simonia* iamdudum deleverat consuetudinem in Ecclesia Aprutina, quod novus Canonicus prandium ex portione praebendae Canonicis instrueret.

(2) Bonif. VIII. in *cap. si propter 10. de rescriptis in VI.*

(3) Romana Syn. Bened. XIII. an. 1725. *tit. 26. de Eccles. aedif. cap. un.* At Regii Censores commonent Ecclesias, et beneficia iurispatronatus laici, et mixti hoc in regno Neap. fore ab isto Romanae Synodi decreto, et Benedictina constitutione eximenda.

(4) Bened. XIII. in *const. pius, et misericors*, data 4. idus Maii 1715., imperat, ut per totam Italiam, et Insulas adiacentes qui ecclesiastica beneficia obtinuerint ab ordinariis collatoribus, Apostolicae Sedi non affecta, nec reservata, solvant medios primi anni fructus fabricae metropolitanarum, et cathedralium, et collegiatarum respective Ecclesiarum. Hanc const. videsis impressam in *append. cit. Synodi Romanae num. 24.*

(5) Ex supradictis *hoc tit. num. XIII.*

(6) Io. XXII. in Extravag. *cum ad sacrosanctae un. de sent. excomm.*

(7) Constitutiones Martini V., et Eugenii IV. exscriptas ex Quinterno Cancell. Apostol. habent Ciampinus *de Orig. abbreviator.*, et Amaydenus *de stylo Datariae lib. 1. cap. 13. §. 2.*

accesserunt controversa emolumenta variarum expeditionum definientes (1). Praeter taxata stipendia, ut nil aliud quivis officialium accipiat, nec a sponte dantibus, nec praetextu celerioris expeditionis: alioquin excommunicationem, suspensionemque primum ab officio, dein amissionem perpetuo incurrant; cautum etiam est Cancellariae Regula (2). Notarii vero, et officiales Episcoporum, aliorumque Praesulum in expeditionibus beneficiorum, aliarumque rerum sacrarum debent taxam Innocentianam ab Innocentio XI. ex voto Congregationis particularis editam anno 1678, et litteris encyclicis a S. Congregatione Concilii eodem anno ad singulos locorum Ordinarios transmissam servare.

XXXII. Confidentiam improbam in accipiendis, retinendisve, aut concedendis contra ius beneficiis, ut simoniacam seu nimis de simonia suspectam expresse damnarunt Pius IV (3), et S. Pius V. (4). *Confidentia* heic dicitur fraudulenta receptio, seu retentio ecclesiastici beneficii cum fiducia illud postea dimittendi in alterius favorem, aut cum onere pensionis privatim sine auctoritate apostolica impositae: aut vicissim fiduciaria concessio beneficii cum pacto illud postea renunciandi

(1) Taxam aliam uberiorem Cancellariae Apostolicae cum nonnullis observationibus videsis in *tract. magn. to. 15. pag. 368.*, et apud Ameyden. *loc. cit.* aliasque typis Cameralibus impressas anno 1641. ediderunt Card. Franciscus Barberinus, tum an. 1616. Aurelius Maraldus Pauli V. Datarius, mox. an. 1655. Cardinalis Corradus Alexandri VII. Prodatarius, quas memorat Rigantius in *comm. ad Reg. 67. Cancell. Apost. to. 4.*

(2) Cancell. Regula *67., ut Officiales nihil exigant ultra debitum*, inter editas a Benedicto XIV., apud Rigant. *loc. cit.*

(3) Pius IV. in *const. Romanum Pontificem*, die 4. Decembris 1564. *Certam simoniacae pravitatis speciem* (ait), *quam beneficiorum* confidentiam *vocant, etiam in Romana Curia... irrepsisse, ac nullos ex ipsis fratribus nimia quadam facilitate, seu potius importunis amicorum, familiarumque precibus adductos beneficia ecclesiastica in* confidentia *huiusmodi recepisse, et frequenter recipere intelleximus: hanc illicitam beneficentiae exercendae, seu amicitiae colendae vitam... eliminare cupientes... huic aliena beneficia custodiendi modo, ne assuescerent, neve illa hoc pacto reciperent, ut quae sic recepta dimitterent... nonnullos alios... Ecclesias, monasteria, dignitates, et alia beneficia in sui favorem resignata, cessa, vel alias dimissa acceptasse, aut de illis per obitum, vel alias vacantibus... sibi provideri obtinuisse, illaque sibi in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias concessa quandoque in resignantium, vel cedentium, seu etiam in aliorum favorem cepisse: ac sibi propterea pensiones annuas, ac fructus, redditus, et proventus beneficiorum huiusmodi in toto, vel in parte aliquando etiam cum facultate illas, et illos transferendi, ac etiam collationem, provisionem, praesentationem, et aliam dispositionem... nec non regressus, sive accessus, et ingressus ad Ecclesias etiam cathedrales, monasteria, alia diversa beneficia ecclesiastica sibi reservare procurasse, et obtinuisse, ad hoc videlicet, ut* confidentes *sic decimarum apostolicarum, vel communis dicti Collegii Cardinalium, et annatae, aliorumque iurium dictae Camerae solutionem eludant... ac interdum, ut beneficia ipsa tempore procedente in aliquorum tunc forsan de iure inhabilium et incapacium, vel nondum adhuc natorum favorum cedantur, seu resignentur, vel ut personae inhabiles, et incapaces huiusmodi etiam laici pensionibus, ac fructibus, redditibus, et proventibus ecclesiasticis fruantur.*

(4) S. Pius V. in *const. intolerabilis*, die 5. Aug. 1560.

ad favorem alterius, vel annuam retribuendi pensionem condictae personae in fraudem iuris. Amplam huiusce confidentiae notionem exponunt ambo Pontifices (1). Fraus autem in fiduciariis beneficiis admittitur, quoties vel incapaces, indignive fruantur pensionibus, et fructibus beneficiorum, quae nequeunt ipsi adipisci, aut retinere in statu laico, seu criminoso, vel beneficia ipsa per hereditariam ferme successionem a patruis ad nepotes, aliosve consanguineos devolvantur, vel Apostolicae Camerae iura defraudentur per eos, qui sunt ab iis persolvendis ex privilegio immunes.

XXXIII. Quatuor species confidentiae singillatim designat S. Pii V. constitutio I, in resignatione, aut cessione beneficii cum pacto regressus, aut cum onere pensionis. II, in collatione conditionali beneficii, quod erit ex intervallo dimittendum, cum futura dispositione ipsius collatoris arbitrio contra ius reservata, aut si fiat pensioni obnoxium. III, in retrocessione beneficii ad favorem Cardinalis, vel alterius exempti in fraudem Camerae Apostolicae antea resignati, cito futura cum pacto pensionis. IV, in retrocessione beneficii, quod criminosus vel irregularis resignaverat, post absolutionem, aut dispensationem ad ipsius resignantis favorem facta. In singulis autem casibus istis confidentiae crimen admitti alterius tantum partis conscientia censuit, illudque sola iuris praesumptione probatum in foro externo putari (2).

(1) *Multi enim* (S. Pius V. inquit suo cum Praedecessore concinens) *ipsa beneficia iure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad sacros ordines ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel absolutione consecuta illa repetant, eadem in alias deponunt, et in plerisque fructus ipsorum, aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt saepe laicis, et inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, ut beneficia in domibus suis perpetuent, illa renuntiarunt, et renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus ecclesiasticis alant, vel illa etiam ut infantibus, aut nasciturìs asserventi, facto interdum circuitu retrocessionis cum reservatione fructuum, et aliarum rerum, aut accessu praesertim ab illis, qui praestandorum iurium Camerae Apostolicae sunt immunes, alii aut incapaces, aut aliis beneficiis ecclesiasticis onusti, aut ecclesiastico Ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad haec plerique Ordinarii, et alii collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, ut fructus, seu* pensiones *capiant eorumdem, aliisve faciant ministrari. Alia item permulta huiuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, disciplinae ecclesiasticae nervus dirumpitur, et imminens paratur exitium animarum.*

(2) *Quare nos volentes* (continuo subdit idemmet S. Pius V.) *periculosam talium audaciam novi iuris subsidio cohibere, praesentium auctoritate statuimus, ut si quacumque auctoritate Ecclesiam, vel monasterium, aliudve beneficium ecclesiasticum qualecumque ex* resignatione, *vel* cessione *cuiuscumque personae simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis cum* regressu, *vel* accessu *etiam* sola dimittentis intentione *receperit, ut illa, vel aliud etiam in eventum regressus, vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel* pensiones *solvantur ex eisdem, haec* confidentia *censeatur.* I. Item *si Ordinarius,*

XXXIV. Praeterea infectam confidentia simoniaca resignationem beneficii ab infirmo hac conditione factam, ut illud ei sanitati restituto resignatarius restitueret. Rota Romana iudicavit (1). Simul et ubi constaret resignatum ideo fuisse beneficium, quia resignatarius, tamquam fideiussor persolvisset creditori debitum resignantis (2). Alios huiusce confidentiae casus adiuncta rerum in iudicio rite probanda suppeditabunt (3).

XXXV. Praecipuus huiusce turpis confidentiae effectus poenalis est, praeter censuras, et poenas cum ceteris simoniacis communes, ut beneficia fiduciaria ipso iure vacent, fiantque Sedi Apostolicae affecta, et reservata, quaecumque Ordinariorum etiam Cardinalium collationes

vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum quovis modo vacans, ex conditione *tacita, vel expressa, ut postea in alterum pro* arbitrio *collatoris, seu alterius cuiuscumque contra Iuris communis ordinationem disponatur, sive, ut de eo provisus,* fructus *illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, et remittat, seu* pensionem *illi, vel illis, quem, vel quas idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel alium scripto, aut verbo iusserit, seu significaverit, persolvat; et pariter si a patrono etiam laico, vel alteri praesentatori, seu electori, contigerit, aut contingat id fieri.* III. *Adhaec si clericus praedictae Camerae, aut Cardinalis, aut alius a solutione iurium ipsius Camerae, vel etiam Cancellariae Apostolicae* exemptus: *post resignationem, vel cessionem alicuius extranei, de Ecclesia, monasterio, vel alio beneficio ecclesiastico in se apostolica, vel alia auctoritate factam, et admissam; illam, vel illud etiam confectis litteris apostolicis, et possessione apprehensa in eumdem resignantem, vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti* duorum, *aut* trium mensium *retrocesserit, aut* retrocedat *in futurum; et ex illa* retrocessione *fructus Ecclesiae, seu monasterii, aut beneficii, vel eorum pars, seu* pensio, *seu quid aliud super illis reservatum, aut regressus, seu accessus, et ingressus ad illam, vel illud ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto sit furtive concessus. IV. Postremo si quis in crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacumque auctoritate Ecclesiam, monasterium, vel aliud beneficium ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit: in quovis horum casuum* confidentiae *pravitas si contracta, casusque huiusmodi litteris praedictis comprehendantur, si illi speciatim expressi fuissent, licet ipsum* confidentiae *crimen* alterius *tantum partis* conscientia *sit admissum.*

(1) Rot. Rom. *dec. 327. par. 4. rec. lib. 3.*

(2) Eadem Rota in *Caputaquens. dec. 200, par. 1. rec.*, quam laudat Quaranta in *Sum. Bull.* verb. *Simonia.*

(3) Innocentius III. in *cap. un. ut eccles. benef. sine deminut. confer.* Mediolanensi Archiepiscopo rescribens: *non licuit ex pactione,* ait, *vel conventione quacumque sub modo, vel tenore praescripto concedere nudum* officium, *et tibi retinere proventus: quum in Lateran. Conc. prohibitum sit, ne quis conferendo ecclesiasticum* beneficium *partem proventuum suis usibus retinere praesumat, et alibi cautum reperiatur in canone, quod ecclesiastica* beneficia *sine deminutione debent conferri... Si proventus ante donationem* (puta collationem) *non perceperit ipse, sed alius, et ex donatione consequatur, ut ipse proventus percipiat: non est dubium circa haec intercedere simoniacam pravitatem... Si conveniat cum eo, qui accepit beneficium, seu cum mediatore quocumque, ut* officio *illo concesso retineat ipse sibi proventus... dicimus non licere, ne viam aperiamus his, qui pravitatem suam satagunt palliare.*

et provisiones de beneficiis eisdem irritae omnino sint, et insanabiles; una cum pactis quibuslibet, seu reservationibus fructuum, pensionum, regressus, ceteris iuramento etiam firmatis, fructusque idcirco non faciant suos, qui eos per confidentiam percipiant (1). Idque locum habet in beneficiis etiam de iurepatronatus laicorum, quoties pactio fiduciaria simoniam redoleat, ex recitatis Pii IV., et V. litteris. At si renunciatio beneficii de iurepatronatus fiat sine pacto simoniaco, et fiduciario in manus compatronorum, et dioecesani Episcopi: ad illud licebit tam patronis consanguineos praesentare suos, quam Episcopo instituere (2).

XXXVI. Praeterea Paulus IV. anathemate, et incapacitate eos plectit, uti simoniacos, *qui occasione beneficiorum obtinendorum se alios esse simulaverint, et tamquam tales se in examine supposuerint, aut beneficia pro personis id ignorantibus, seu pro se, vel pro aliis cum oblatione alicuius pensionis annuae, aut pro aliis cum spe pensionem annuam, aut aliud quamtumvis modicum temporale commodum ab eis consequendi, vel pro seipsis principaliter animo, et intentione ea postmodum in favorem aliorum, quamtumvis idoneorum, et benemeritorum cum simili pensione, aut commodo, aut etiam sine eo resignandi, obtinere procuraverint, cuiuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant.* Simul irritas eiusmodi beneficiorum adeptiones declarat, et ea beneficia ipso facto vacare apud S. Sedem (3).

XXXVII. Tandem Benedictus XIV. pactum cassandi, seu extinguendi pensionem anticipatis, vel anticipandis solutionibus, quod in resignationibus beneficii ad favorem cum reservatione pensionis fiat, simoniacam labem redolere censuit, utque irritum, et execrandum proscripsit sub iisdem simoniacae confidentiae poenis (4). Simul irritos fore omnino voluit contractus beneficiariorum, qui annuos suorum beneficiorum redditis unico pretio ad aetatis, et valetudinis rationem condicto venderent (5).

XXXVIII. Si vero pacta sic vetita Summo Pontifici bona, et integra fide exponantur: consuevit Apostolica Sedes Romana, cuius est suis dispensare legibus, ea plerumque adprobare, quae divino Iuri non adversentur, quoties id aequum esse censuerit, inspectis personarum qualitatibus, et meritis ex testimonio Praesulum dioecesanorum eas idoneas, et dignas petita gratia nunciantium, vel aliunde perspectis. Omnem idcirco suspicionem simoniacae pravitatis amovet suprema Papae auctoritas, et dispensatio in resignationibus beneficiorum, quae in manibus ipsius Papae fiant in favorem certae personae cum pacto pensionis, et reservationis fructuum, et regressus, aliisve id genus conditioni-

(1) Ex laudatis Pii IV., et S. Pii V. constitutionibus.
(2) Ex traditis in *tract.* meo *de benefic. cap. XX. de renunc. num. XIV.*
(3) Paul. IV. in *const. inter ceteras.*, 27. Nov. 1557., apud Quaranta *loc. cit.*
(4) Benedict. XIV. in *const. in sublimi 30. to. 2.* Bullarii.
(5) Idem in *const. universalis 29. eod. to. 1.*

bus (1). Et ubi nullo subreptionis, aut obreptionis vitio laborent pontificiae litterae collationis, et reservationis: per eas quum beneficia resignata, tum pensiones ex pacto reservatae probo iure obtinentur, regiumque placitum hoc in regno ad eas exequendas non denegatur.

XXXIX. Permutatione, beneficiorum ex pacto circa spiritualia, vel spiritualibus connexa quum simoniae labem contineant: eas Episcopi, locorumque Ordinarii, nonnisi ex perspecta Ecclesiae necessitate, vel utilitate poterunt admittere (2). Quamvis enim duas vicissim resignationes in favorem permutatio reapse contineat, quae seiunctim sunt Apostolicae Sedi reservatae ex pianis iam expositis constitutionibus: tamen ipsemet S. Pius V. declaravit Ordinariis locorum licere adhuc illas beneficiorum permutationes admittere, *quae canonicis sanctionibus, et apostolicis constitutionibus permittuntur* (3). Canonicae vero, pontificiaeque sanctiones illas tantum permutationes beneficiorum indulgent dioecesanis Episcopis, et Ordinariis adprobare, quas ipsi noverint fore in evidentem Ecclesiae utilitatem non fictam, omni seclusa fraude, ac simulatione cessuras (4): etiamsi permutantes sint consanguinei, et in mensibus Apostolicae Sedi reservatis fiat permutatio (5): dummodo beneficia ipsa, quae permutentur, non sint pontificiae reservationi, aut affectioni obnoxia (6). Inaequalitas fructuum sive modica, sive magna nihil impediet, quominus permutatio pinguioris cum beneficio minori peragatur ordinaria Episcopi auctoritate sine ulla ad coaequandos fructus compensatione. Pensionem porro in favorem eius, qui pinguius beneficium permutando dimittit, nequit perpetuam Ordinarius reservare, vix temporaneam, quoadusque vixerit obtinens pinguius idem beneficium, imponere poterit, quae successorem ipsius non afficiet (7).

XL. Electiones, nominationes, praesentationes beneficiorum, quas

(1) Videsis dicta paullo superius hoc *tit. num. XVII.* Non aequalis tamen est Romanae Curiae stylus in pactis ipsis probandis. Nam cessiones, et resignationes cum ingressu, et regressu, et reservatione omnium fructuum, ut Cardinalibus tantum indulgeantur, Alexander VI. constituit, laudatus a Petro Rebuffo *in praxi benefic. cap. de regressibus:* ceteris autem ecclesiasticis resignatio in favorem cum reservatione pensionis, quae tertiam partem, vel ad summum medietatem fructuum non excedat, sine regressu, vel accessu fere conceditur.

(2) Urb. III. in *cap. quaesitum est 5. de rer. permutat.* cum concord. Videsis dicta in *tract. de beneficiis cap. XXI. de permutatione.*

(3) S. Pius V. *const. 58.* praecedentem constitutionem suam 42. de non recipiendis benef. permut. ab Ordinariis locorum apud Rigant. in *comm. ad Reg. IX. Canc. §. 3. num. 36. to. 2. et ad Reg. XI. num. 48. to. 3.*

(4) Anterus Papa in *can. mutationes 34. C. 7., qu. 1.* Urbanus III. in *cap. quaesitum 5.*, et Innoc. III. in *cap. cum universorum 8. de rer. permut.*

(5) Rigant. ad *Reg. 40, Canc. num. 49. to. 3.* post Rot. *in Bariensi Primicariatus 4. Iulii 1727., et 12. Ian. 1728. coram Ratto.*

(6) Extravag. *execrabili 4. §. quae omnia de praebendis,* Rigant. *loc. cit. n. 54.*

(7) Pragos. *de regim. Reipubl. Christ. par. 2. lib. 9. disp. 20. §. 3. num. 2.*, Clericat. *de pension. discord. 1. num.* apud Rigant. *loc. cit. num. 61. Si proventus Beneficii, vel Officii ecclesiastici retineantur* ad tempus *pro causa iusta, et necessaria. . . credimus esse licitum,* respondit Mediolanensi Archiepiscopo Innoc. III. in *cap. un. ut eccles. benef. sine diminut. confer.*

patroni faciunt quum ecclesiastici, tum laici, tamquam adiuncta praecedentia canonicam institutionem, quae spiritualis est, simoniacis, pactis saepe corrumpuntur (1), aut precibus ambitiosis (2), aut intercessione potentium pro indignis (3). Simul ob simoniae suspicionem Honorius III. improbavit *promissiones de non vacantibus beneficiis ecclesiasticis*, *et donationes eorum in manibus* positas *alienis*, quas Comitissa Flandriae vi patronatus fecerat (4). Irritae idcirco habentur tum promissiones praesentandi, et praesentationes ad vacatura beneficia, tum facultates ad praesentandum aliis demandatae, antequam beneficia vacaverint.

XLI. Eadem rei temporalis cum spirituali connexio efficit, ut inter electos, aut praesentatos ad ecclesiastica beneficia, vel inter compatronos de ipso praesentandi iure contendentes exortas lites fere non liceat partibus data pecunia, vel cum pacto pensionis transigere (5), sed gratis tantum inter sese componere (6).

(1) Ex superius dictis *hoc tit. num. XVI.* S. Greg. M. *ep. 22. ad Antonium Subdiaconum lib. 1. Illud prae omnibus*, ait, *tibi curae sit, ut in hac electione, nec datio quibusque modis interveniat praemiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant: nam si quorundam patrocinio fuerit quisquam electus voluntatibus eorum quum fuerit ordinatus, obedire reverentia exigente compellitur.* Alexander III. in *cap. veniens 10. de testibus*, ut simoniacum damnavit eum, qui cuique parochianorum ipsum eligentibus quinque barillos vini remittere promiserat, quos ii consueverant pro beneficio parochiali dare.

(2) S. Bernardus *lib. 4. de consid. cap. 4.* ad rem inquit: *alius pro alio, alius forte, et pro se rogat, pro quo rogaris, fit suspectus; qui ipse rogat pro se, iam iudicatus est, nec interest per se, an per alium quis roget.* S. Carolus in Conc. Mediol. I. ita sanxit: *Qui beneficium ecclesiasticum vacans multis, et ambitiosis precibus per se, vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut per biennium in eum neque illud, neque aliud beneficium conferri possit.*

(3) S. Thom. 2. 2. *qu. 100. art. 5. ad 3. Quanta fiunt preces pro indigno, vel aliquo potente, qui periculum comminatur, quae* preces armatae *dicuntur, manifeste simonia committitur, si propter hoc beneficium ecclesiasticum datur. Si autem pro* digno *fiant, quantum ad iudicium hominum probabile est, quod dans magis moveatur intuitu dignitatis personae, quam favore precum, et ideo non reputatur simonia, si tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad divinum iudicium simoniam committit, et rogatus et rogans, si hoc intendant, sive aliquis pro se roget, sive pro alio.*

(4) Honor. III. in *cap. cum dilecta 16. et ult. de concess. praebendae.* Pariter Alexander III. in *cap. accipimus de 5. pactis* rescidit, uti detestabile, ac iniquum, quod quaedam Ecclesiae clericis essent eo pacto concessa, ut nominatim alii post eorum obitum succederent.

(5) Alexand. III. in *cap. super eo 7. de transact. transigi* (ait) *super re sacra, et litigiosa non potest: etenim res sacrae ut possideantur aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus simoniae. Alias si gratis, et amicabiliter inter se litigantes componant sacris canonibus nequaquam dicimus obviare.* Idemque in *cap. cum pridem 4. de pactis* reiecit pravam illicitae pactionis speciem inter duos de Ecclesia, et Capella collitigantes, qua convenerant, ut *pro expensis* litis alteri eorum *tres argenti marchae solverentur, et liti cederet.* Tum in *cap. constitutus 4. de transact.* irritam esse dixit, quia simoniacam transactionem super Capella de Strata, inter quos clericos cum iuramento initam.

(6) Videsis *tract. de iurepatr. cap. XIV. de alienat. n. XIV. et seq.* Hinc

XLII. Duas vero limitationes patitur haec regula. I, qui ius quaesitum *in* beneficio, vel *ad* beneficium reapse habet, iniustam vexationem collitigantis probe poterit pecunia redimere (1): secus pro iure quaerendo, vel ambiguo, et incerto (2). II, iudex arbitrio suo, non ex pactione partium bene poterit ob bonum pacis uni collitigantium reservare pensionem, et alterum in beneficio instituere hac lege, ut ad vitam solventis beneficiarii pensio duratura, ad successorem ipsius non transeat (3). Nam Innocentius III. tolerandum censuit, quod iudices delegati viri providi, et honesti *arbitraria potestate* a compromittentibus electis accepta *pro bono pacis*, *et utilitatis* decrevissent uni ex duobus electis Prioratum cum onere solvendi viginti libras de redditibus Capituli, et quadraginta de proventibus Prioratus annuas alteri: at *non quidem ex pactione partium*, ait Papa, *sed ex iussione iudicum* . . . ad praestationem eiusmodi *non dignitas Prioratus*, *sed persona Prioris maneat onerata: ne forte circa proventus aliqua videatur facta sectio prioratus* (4).

patroni controversias in patronatu quotas, ne vota ipsorum discordantia vacantis beneficii canonicam institutionem turbent, ac removentur, alternis vicibus possunt ita componere, ut unus in prima vacatione, alter in altera, et sic deinceps per turnum exerceant praesentationem.

(1) Coelestinus III. in *cap. dilectus 28. de simonia*, cui quidam Praepositus exposuerat certam pecuniae quantitatem solvisse Archidiacono Eboracensi, ne ab eo super dignitatibus, et beneficiis suis molestias amplius acciperet: rescripsit Archidiaconum compellendum *restituere, quod accepit, si eum contra promissionem suam venisse constiterit.* Ratam idcirco Pontifex videtur eam iniustae molestiae redemptionem habuisse.

(2) Lucius III. in *cap. Matthaeus 23. eod. tit.* quum electus ad Ecclesiae regimen a maiori parte fratrum, paucis contradicentibus pecuniam auctori discordiae persolvisset: Pontifex autem ei consulenti respondens, *multum tibi consulis*, ait *si administrationem celeriter, ac sponte dimittas. . . ne animae tuae detrimentum patiaris.* Nam priusquam controversa electio rite confirmaretur, pecunia redimere festinavit vexationem pro iure quaerendo, et nondum quaesito, iusta ne, an iniusta fuisset paucorum contradictio, ignoratur: quum pauci potuissent aliquod electioni, vel electo vitium obiicere canonicum, et legitimum. Hinc Fagnanus in *cap. non sine 7. de arbitris* arguit ius quaerendum ad beneficia sine vitio simoniae redimi non posse: ius quaesitum secus. Consonat Gonzalez in *comm. ad cit. cap. Matthaeus*, cum S. Thoma *2. 2. qu. 100. art. 4. ad 3.*

(3) Quum arbitri in caussa beneficii electi censuissent, ut presbyter beneficiarius quinque marcas ab adversario suo acciperet, et toti cederet quaestioni: Alexander III. in *cap. non sine multa 2. de arbitris* mandavit Eboracensi Archiepiscopo, ut *si arbitrium noverit aequitate subnixum ad observantiam ipsius utramque partem appellatione remota* compelleret; alias irritum haberet. presbyterumque a iuramento absolveret. Mox in *cap. de cetero 5. de transact.* rescripsit compositionem, quae non sit iuri contraria inter collitigantes de Ecclesia non esse ab Episcopo reprobandam, *sed census* (puta pensio) *absque episcopali auctoritate, cui praeest Ecclesiae sub hoc praetextu solutus vitam eius, qui solverit, non excedit.* Tum in *can. cum venisset 9. de restit. spoliat.* adprobavit, Canonicos auctoritate Archiepiscopi Eboracensis, vivente Clerico beneficiario percepisse annuam ab eo pensionem.

(4) Innoc. III. in *cap. nisi essent 21. de praebend., et dignit.*

XLIII. Ex dictis etiam patet, cur fructus beneficii ecclesiastici, aut praebendae, aut Dignitatis, quamvis temporales, quoniam cohaerent spirituali officio inserviendi Ecclesiae cum iure eos administrandi, et percipiendi, nequeant quum patroni eligentes, ac nominantes, tum Episcopi collatores vendere, aut eorumdem fructuum intuitu quidpiam temporalis utilitatis ex pacto accipere: quod esset plane simoniacum (1). Urbanus II. quum venalitatem omnem *tam ex rebus, quam ex ministeriis ecclesiasticis* propelleret, Episcopis vetans, ne altaria, ac praebendas venderent, nec Monasteria compellerent ad ea redimenda: ius cathedraticum solummodo eis reservavit, aiens: *salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt* (2): patronis autem egenis canonicum ius alimentorum erit sane integrum (3).

XLIV. Versa vice *si quis clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro praebenda retineat, et in Canonicum admittatur: huiusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniae. . . . si vero pure, ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter ut in Canonicum admittatur, et bona sua retinere sibi liceat pro praebenda, et clerici eiusdem Ecclesiae pure consentiant: huiusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacae pravitatis*, ex decretali epistola Innocentii III. (4): quae consonat cum priscis Ecclesiae moribus, et canonibus (5).

(1) Paschalis I. in *can. si quis obiecerit 7. C. 1. qu. 3*: *si quis obiecerit*, ait, *non consecrationes emi, sed res ipsas, quae ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus igitur emat Ecclesiam, vel praebendam, vel aliquid ecclesiasticum.* Consonant canones multi eadem *C. et qu.*

(2) Urban. II. in Conc. Alverniae *quaesitum 4. C. 1. qu. 3.*

(3) Ex Conc. Tolet. IV. in *can. quicumque C. 16. qu. 7.*, et Clem. III. in *cap. nobis fuit 24. de iurepatr.* Alimenta autem pauperes probe, non divites accipiunt, *can. 7., et 9. C. 1. q. 2. Sicut emi non potuit, ita nec redimi Ecclesia*, Alexander III. rescripsit in *cap. querelam 16. de simonia.*

(4) Innoc. III. in *cap. tua nos 34. de simonia.*

(5) A primis Ecclesiae saeculis mos fuit, ut Sacerdotes, et Episcopi ordinandi, et instituendi bona sua Ecclesiae sponte offerrent. Tertullianus *de praescript. cap. 30.* fert Marcionem sanctissimi Episcopi filium ducenta sestertia Ecclesiae tradidisse, quae ei postea in haeresim prolapso restituta fuere. S. Ambrosius dum ad Mediolanensem Ecclesiam promotus est, praedia, et aurum, et argentum omne suum pauperibus, et Ecclesiae distribuit, S. Ioannem Cyprium cognomento *eleemosynarium* Patriarcham Alexandrinum an. 610. eandem peregisse largitionem narrat Leontius in *eius vita.* Huc spectat Iustiniani Nov. 123. *cap. 2. Si quis Episcorum*, ait Imp., *sive ante suam ordinationem, sive post ordinationem voluerit proprias res, aut partem earum Ecclesiae offerre, cuius Sacerdotium accepit, non prohibemus, et omni condemnatione, et poena praesentis legis liberum esse sancimus: quoniam hoc non est emptio, sed oblatio.* Impudentes autem iactationes nonnullorum, qui Praelatos eximiis virtutibus conspicuos, nulla oblata pecunia promotos insectabantur, coercuit Sexta Synodus

XLV. Monasteria et virorum, et foeminarum quoque labefactare simonia consuevit, accepta pecunia ab ingredientibus religionem, vel regularia vota profitentibus. Canones antiquiores id vetantes iam innui obiter (1); posteriores curatius exponere nunc operae pretium est, vigentemque de religiosis utriusque sexus disciplinam. Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. sanxit, ne qui ad statum regularem amplius, interveniente pretio, reciperentur *paupertatis praetextu*: alias tam recipiens, quam recepta, receptusve *sine spe restitutionis de suo monasterio expellantur, in locum arctioris regulae ad agendam perpetuam poenitentiam retrudendi* (2). Tum etiam Urbanus V. districtius inhibuit, *ne tam a maribus, quam a mulieribus volentibus ingredi eorum religionem, Ecclesias, monasteria, prioratus, domus, seu loca in earumdem personarum receptione, aut ante, vel post illam quoscumque pastus, prandia seu coenas, pecunias, iocalia, aut res alias etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum deputata, vel deputanda directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo praesumant, sed eas cum potius omnimoda pietate recipiant, ac in victu, et vestitu sicut alias personas .... sincera charitate pertractent. Illa dumtaxat, quae personae ipsae ingredientes pure, et sponte, et plena liberalitate, omnique* pactione *cessante dare, vel* offerre *Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus, et locis huiusmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi. Nos enim*, ait, *qui secus egerint, si sint singulares personae, tam dantes, quam accipientes huiusmodi excommunicationis, si Capitulum, vel Conventus fuerint, supensionis sententiis eo ipso decernimus subiacere* (3).

XLVI. Spontaneas quidem oblationes omni vitio generatim vacare ex antedictis patet (4). At S. Congregatio Regularium die 2. Iulii 1589. inter alia, quae dedit mandata Visitatoribus Apostolicis Monasteriorum Neapolis, et Salerni, decrevit *art. 6., tam in ingressu, seu in habitu regulari suscipiendo, quam in professione emittenda, velo suscipiendo, vel consecratione monialium fas ne sit eis munera, xenia,*

oecumenica *can. 5*: *Eos igitur*, inquit, *qui gloriantur se per dationem auri ordinatos, Ecclesia, et in hac maligna consuetudine, quae alienat a Deo, et omni Sacerdotio, sperent, et ex hoc impudenti facie, et non operta eis probrosis, et contumeliosis verbis, qui ob sanctitatem vitae a Sp. S. electi, et constituti sine datione auri sunt, inhonorant: primo quidem novissimum gradum sui ordinis accipere definimus; quod si permanserint, per* epitimiam, *idest* poenitentiam *corrigantur*. Dein Alexander II. in *can. ex multis 6. C. qu. 3.*, ad amovendam ea in re cuiusque abusus suspicionem sanxit, *ut nullus cuiusque gradus pro Ecclesiae beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricae Ecclesiarum, seu etiam, quod pauperibus sit distribuendum*. Hinc Innocentius III. in fine praelaudatae decretalis commonet, in eiusmodi oblationibus, et donationibus latere quidem posse pravam vel dantis, vel consentientis intentionem, quam scrutatori cordium Deo reliquit iudicandam.

(1) Hoc eodem *tit. num. V., et VI.*

(2) Conc. Later. IV. in *can. quoniam 30. de simonia.*

(3) Urban. in Extravag. *sane 1. hoc tit.*

(4) Hoc *tit. num. X., et seq.*

dona, vel aliud quidlibet singularibus, vel particularibus monialibus dare, vel erogare: sed quidquid a cognatis, vel affinibus donatur vel offertur, id in universum tribuatur, et referatur in commune; nec lauta, aut sumptuosa, sive luculenta convivia fiant, aut permittantur, sed sobria tantum, quae sacras virgines decet, spiritus corporisque recreatio concedatur (1). Dein Gregorius XV. ex voto S. Congregationis Episcoporum, et Regularium in Ulyssiponensi 5. Novembris 1616. censuit *eleemosynas, quae per* pactum *sacristiis, et infirmariis, monasteriorum monialium dari solent, non comprehendi in decreto, quo propinarum solutio per moniales, dum ad habitum, vel possessionem admittuntur, fieri solita interdicitur.* Secus decretum pro viris religiosis, et monachis est, quibus non licet quidquam etiam titulo eleemosynae accipere (2).

XLVII. Necessitas alimentorum insuper postulat, ut sacrae virgines ad Monasterium quaeque suum adferant dotem pro conditione loci et personarum congruam, aut lege, fundatione, aut statutis particularibus praefixam (3): nisi eas fundator fore gratis admittendas iusserit in aliquo monasterio sufficientibus redditibus dotato. Ut enim S. Thomas docet, *pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium. Licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiet ad personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere: sed accipere aliquid pro victu personae, quae in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes* (4). Placuit sane Synodo Tridentinae, ut *in monasteriis, et domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari* (5). Verum S. Congregatio Episcoporum, et Regularium *animadvertens sanctimonialium monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse, et propter ingruentes necessitates, et casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi, summis Pontificibus approbantibus prudenter sanxit, ut dotales eleemosynae a monialibus numerariis persolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram redditnum monasterii*, tradit Fagnanus (6).

(1) S. Congr. Regul. decreta 2. Iulii 1559. cum reformationibus additis die 14. Iulii 1592. videsis apud St. Quaranta in *Sum. Bullar.* tit. *Monasteria monialium.*

(2) Nam S. Congr. Conc. in Leodiensi pro Patribus Carmelitis Calceatis, quaerentibus, an titulo eleemosynae aliquid a vestiendis, vel professuris possent accipere, die 9. Fr. 1697. respondit *servetur dispositio iuris.* Fagnan. in *cap. non amplius de instit. num. 24., et 25.*, Monacell. *to. tit.* 11. *form. 7. 8.*

(3) S. Congr. Conc. die 18. Sept. 1683., et 14. Aprilis 1725. dotes Monialium a simonia immunes declaravit Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 7. cap 8.*

(4) S. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *art. ad 4.*, S. Bonaventura in *apologet.* contra adversarios Fratr. Minor. *qu.* 18., et S. Antoninus *par. 2. cap. 5. §.* 18., quos sequitur, et multis illustrat Benedictus XIV. *loc. cit.* reprobato Wan-Espenio aliter sentiente in *tract. de simonia circa ingr. in relig. cap. 2.*

(5) Trident. in *cap. concedit 3. sess. 25. de regular.*

(6) Fagnan. in *cap. non amplius de instit. num. 24.*

Hinc praedictis S. Congregationis Regularium decretis an. 1589. cautum, *art. 44.*, *ut nulla unquam recipiatur in monialem, nisi prius parentes, fratres, vel ii, ad quos eius cura spectat, promptam habuerint universam pecuniam pro* dote, *vel* elecmosyna *consueta, ex qua puellae nomine annuus redditus ematur, accedente monasterii consensu, cui huiusmodi redditus alimentorum caussa usque ad possessionis diem cedat: ea vero sequuta successionis iure integer adquiratur.* Quod si quando contigerit non integrum, nec verum, sed deminutum, vel fictitium fieri dotis depositum; de suo teneri Episcopum, qui fraudis, vel fictionis conscius fuisset, dotem monasterio integram satisfacere, non semel censuit S. Congregatio (1).

XLVIII. Dicendum superest de materia temporali in rebus sacris, qualis est aurum, argentum, gemmae in sacris calicibus, et vasis serica, et phrygia opera in liturgicis vestimentis, simulacra, pictaeque imagines, marmorei altarium lapides, cetera id genus divino cultui dicata solemnibus benedictionibus. Quoties evidens Ecclesiae necessitas, vel utilitas postulabit, ut sacrae istiusmodi res distrahantur: pretium, quod iustum materiae in iis confusae, vel commixtae valorem adaequet, nil penitus augendum respectu sacrae adnexae qualitatis, sine ulla simoniae labe accipi Doctores consentiunt (2). Ezechiam regem Iudae pro exolvendo regi Assyriorum tributo 300. talentorum argenti ad redimendam populi captivitatem, omne argentum in templo Domini, et thesauris regis repertum inculpate dedisse ferunt divina Biblia (3): quo exemplo Agapitum Papam sacra vasa ob reipublicae necessitatem pignori dedisse, fert Cassiodorus (4); pluresque item Episcopos vendidisse, ut pretio exinde accepto egenos tempore famis alerent, aut captivos redimerent (5). Quamvis modicum balsami, et olei

(1) S. Congr. Episc., et Reg. in *Portugalliensi 6. Iunii* 1165., *et Brundusina 25. Ianuarii* 1616., apud Monacell. *loc. cit, num. 7.*

(2) Emm. Gonzalez in *cap. insinuatum* 12. *de simonia num. 3.*, cum Gibalino *de simonia qu.* 12. *consect. 3.* Hac ratione fit, ut qui Missarum sacrificia debeant in aliqua Ecclesia celebrare, ii cogantur *ius Sacristiae,* ut aiunt exolvere, ad compensanda sacrarum suppellectilium detrimenta.

(3) Reg. *c.* 18. *n.* 15., ubi Ezechias nulla ob id reprehensione notatur.

(4) Cassiodorus *lib. 12. var. ep. 20.* S. Ambrosius in *can. aurum 70. C.* 12. *qu.* 2. *aurum*, ait, *Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus. An ignoramus quantum auri, atque argenti de templo Domini Assyrii sustulerunt? Nonne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quam sacrilegus contaminata asportet hostis? Melius fuerat et vasa viventium servare, quam metallorum . . . Nemo enim potest dicere, cur pauper vivat? nemo potest queri, quia captivi redempti sunt? Nemo potest accusare, quia templum Dei aedificatum est. In his tribus generibus* vasa *Ecclesiae etiam* initiata *confringere, conflare, vendere licet.*

(5) Ex historia tripartita *lib. 5. cap. 37.*, *et lib.* 11. *cap.* 16., liquet ab Eusebio Hierosolymorum Episcopo tempore famis, et ab Acacio Amydeno Episcopo in redemptionem captivorum sacras Ecclesiarum res fuisse nullo auctore distractas, et venditas. Id quod Episcopi sanctissimi non fecissent, nisi iure liceret materiae pretium in iis rebus vendendis accipere. Licere autem *vendere, vel utcumque alienare cimelia, et vasa sacra... pro redemptione captivorum,*

pretium in sacro ministrando chrismate, velut simoniacum vetent canones (1) ob suspicionem turpis quaestus. Eodem iure quaedam loca intra Ecclesias, domosque religiosas, ubi exoptant nonnulli peculiaria sibi, suisque habere altaria, seu capellas, et sepulcra cum iuribus honorificis, et patronatu, emere tanti, et vendere, quanti valent fundus aedificii pars, et substructa fovea (2): tametsi canones fere prohibent omnem in Ecclesiis (3), et sepulturis (4) venalitatem.

XLIX. Poenas tandem simoniacorum, vigentemque disciplinam in eis coercendis, et expiandis nunc perscrutemur. In primis excommunicationem latae sententiae Summo Pontifici reservatam simoniaci omnes qua principales, qua mediatores incurrunt (5). Praeterea speciatim qui ecclesiasticos Ordines per simoniam susceperint, ab eorumdem exercitio, sunt ipso facto suspensi per decennium, et carceribus ad annum mancipantur (6): collator autem a collatione Ordinum,

decrevit VIII. Synodus oecumenica in *can. apostolicas 15.*, et S. Greg. M. in *can. et sacrorum 14., et seq. C. 12. qu. 2.*

(1) Conc. Bracarens. II. *can. 16. Placuit, ut* modicum balsami, *quod pro Baptismi Sacramento per Ecclesias datur, quia a singulis* tremisses pro ipso *exigi solent; nihil ulterius exigatur: ne forte quod pro salute animarum per invocationem S. Spiritus consecratur, sicut Simon magus donum Dei pecunia voluit emere, ita nos venundare damnabiliter videamur.* Consonat Conc. Barcinonense sub Recharedo *can. 2.*, Cabilonense sub Carolo M. *can. 16.* Meldense *can. 15.*, Aquisgran. II. sub Ludovico *par. 1. can. 2.*, Emeritense *can. 9.*, Oxoniense *can. 21.*, Romanum in *can. fin. C. 1. qu. 3. cap. non satis, cap. in tantum. cap. ad nostram, cap. ea, quae de simonia* apud Gonzalez in *comm. ad cit. cap. ea quae 15. hoc tit.*

(2) M. Ant. Genuensis in *prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 41. num. 18.* edit. Rom. an. 1609., cum Soto *de iust. et iur. lib. 9. qu. 7. art. 1.*, et Petro de Aragonia *ad S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 4.*

(3) Alexander III. in *cap. querelam 15. de simonia*, respondit non licuisse venditionem cuiusdam Ecclesiae et manerii, seu fundi. Videsis Gonzalez in comm. huius decretalis.

(4) S. Greg. M. in *can. questa est 12.*, S. Hieronymus in *can. postquam 13.*, Conc. Triburiense in *can. in ecclesiastico 14.*, et Nannetense, alias Varense in *can. praecipiendum 15. C. 13. qu. 2.*, Alex. III. in *cap. non satis 8., et cum in Ecclesiae 9. de simonia*, et Innoc. III. in *cap. audivimus 41. eod. tit.*

(5) Paull. II. in Extravag. *cum detestabile scelus 2. hoc tit.* S. Pius V. in *const. cum primum §. et ut simoniacae pravitatis.* Ferendae olim sententiae erat excommunicatio priscis canonibus sancita in simoniacos; quam ipso facto incurri, eiusque absolutionem Romanae tantum Sedi Apostolicae reservatam esse sanxerunt laudatae constitutiones recentiores, quas exponit Cassiodorus *dec. 5. de constit. Omnes, et singulas excommunicationis, suspensionis, privationis, et interdicti sententias, censuras, et poenas dudum... contra simoniacos quomodolibet latas*, ait Paullus II., *et illos... et eorum quemlibet tam manifestum quam occultum* ipso facto *incurrere volumus... statuentes praeterea quod... qui quomodolibet dando, vel recipiendi simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excomm. incurrant, a qua nisi a* Romano Pontifice *non possint absolvi, praeterquam in mortis articulo constituti.*

(6) Ex *cit. const.* Paulli II., et S. Pii V.: *Quicumque igitur* (S. Pius V. ait in *const. cum primum*) *detestabile crimen simoniacae pravitatis commisisse convinctus fuerit in consequendis Ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione*

exercitioque pontificalium suspensus interdicitur ab ingressu Ecclesiae (1); mediator clericus a proprio gradu decidet, laicus, aut monachus anathematizatur (2). Qui vero eam in beneficiis admiserint, nullum in iis ius adquirit, fructus non facit suos, perceptos ad restituendum obstringitur, atque ab omni beneficio, et officio ecclesiastico deponitur (3), fit inhabilis ad futuras quoque dignitates, et beneficia obtinendum (4). Privatur simul favore triennalis possessionis, pacificum possessorem *absque simoniaco ingressu* tuentis a qualibet beneficii futura impetratione, lite, ac molestia (5). Exactas insuper ab invitis pecunias ob Ecclesiarum institutiones, vel religionis ingressum, vel sepulturam apud religiosos electam, ut duplicatas Episcopi restituant iis locis, in quorum dispendium fuerint soluta, sanxit Concilium Lateranense IV. (6). Quidquid autem ex pactione simoniaca recipitur, ut simplum sine diminutione restituatur Ecclesiae, rescripsit Archiepiscopo Toletano Alexander III. (7). Ecclesiae inquam, vel pauperi-

per decennium sine spe dispensationis suspensus, et per annum carceribus mancipetur. Nicolaus II. *can. statuimus 107. C. 1. qu. 1.* ita sanxit. *Simoniaci simoniace ordinati, vel ordinatores secundum ecclesiasticos canones a proprio gradu decidant. Simoniaci quoque simoniace a non simoniacis ordinati misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere.* Consonant S. Leo in *can. gratia 1.*, S. Greg. M. in *can. quicumque 2., et seqq.* S. Ambrosius in *can. reperiuntur 7.*, Conc. Chalcedonense in *can. si quis 5.*, Synodus VIII. in *can. qui per pecunias 9.*, Urbanus Papa in *can. si qui 105.*, et Alexander II. in *can. de cetero 109.*, *et can. erga simoniacos 110. ead. C. et qu.* Trid. in *cap. quoniam 1. sess. 21. de ref.*

(1) Conc. Chalcedonense in *cit. can. si quis Episcopus 8. C. 1. qu. 1.* Greg. IX. in *cap. si quis ordinaverit 45. h. t.* Trid. *loc. cit.* Xystus V. in *const. sanctum, et salutare,* contra clericos male promotos, ac in Episcopos in ordinum collatione peccantes, data nonis Ian. 1588, quam inseruit, reformavitque Clemens VIII. in *const. Romanum Pontificem* pridie kal. Martii 1595., apud St. Quaranta in *sum. Bullar.* ver. *Ordo.*

(2) Ex *cit. can.* Concilii Chalcedonensis.

(3) S. Greg. VII. in *can. presbyter,* Gelasius in *can. si quis Episcopus 3.*, et Innoc. III. in *can. si quis praebendas eadem C. qu. 3.* Lucius in *cap. sicut 6.*, Alex. III. in *cap. hoc autem 11., et cap. insinuatum est 13. h. tit. cit.* Extravag. *cum detestabile scelus eod. tit.*

(4) S. Pius V. in *cit. const. cum primum* haec subdit: *Qui dignitates ecclesiasticas simoniace adquisierit, illis sit ipso iure privatus, et in futurum inhabilis ad eas, et quascumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illius similiter sit ipso iure privatus, et ad fructuum omnium quos perceperit restitutionem teneatur, et perpetuo sit inhabilis ad ea, et quaecumque alia beneficia ecclesiastica obtinenda.*

(5) Ex Regula 32. Cancellariae *de triennali* apud Rigant.

(6) Conc. Lat. IV. sub Alex. III. in *cap. audivimus 41. h. tit.* Si quid vero acceperint visitantes plus aequo ex procurationibus, ut tantundem reddant Ecclesiae, quam sic gravaverint idem Concilium decrevit in *cap. procurationes 23. de censibus.* Urbanus V., ut quidquid Abbates, Priores, ceterae singulares personae suum in usum specialem receperint contra canonicas sanctiones, in commune referant, sanxit in Extr. *sane 1. hoc. tit.*

(7) Alexand. III. in *cap. de hoc autem 10. de simonia*, cui consonant Iustiniani *Nov. 6.*, seu Auth. *quod pro hac caussa C. de Episc., et Cler.* ibi

ibus (1), qui enim turpiter dat, sponte datum repetendi ius non habet, quum in pari caussa etiam turpi melior esset conditio possidentis. His poenis demum additur perpetua in Monasterium detrusio ad agendam poenitentiam (2), atque in relapsos poena corporalis arbitraria (3). In Sacramentorum ministerio simoniaci, ut gravissime puniantur a locorum Ordinariis, et severitate maxima coerceantur iuxta Concilii Tridentini statuta, sanxit etiam S. Pius V. (4). Iuris civilis quoque leges antiquiores, qui contra legem Iuliam de ambitu *magistratum, aut Sacerdotium* petiisset, per Senatusconsultum ia centum aureos cum infamia mulctabant (5). Dein Imperatores in subeuntes interventu pecuniae episcopalem sedem sanxerunt privationem honoris, et notam infamiae (6).

.IL. Sed variantia simoniae genera, quae hocce crimen faciunt plus, minusve grave, postulant, ut poenis iisdem canonicis alius cumulatis, et asperioribus, alius mitioribus, et deminutis afficiatur aequi, et boni viri iudicio (7). *Realis* quidem simonia acrius, quam ceterae puniendа, cunctas, quae recensitae sunt, sustinet poenas (8), et praecipue reservatam Papae excommunicationem latae sententiae. Eamque incursuros illos etiam, qui beneficia in *confidentiam* obtinuerint, sanxerunt Pius IV., et V., Praelatos, et Cardinales ab ingressu tantum Ecclesiae interdicentes. Quoniam vero ex antedicta constitutione extravagante Paulli II. *universi, et singuli, qui quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam commiserint, aut quod illa fiat mediatores extite-*

quod pro hac caussa datum est, et pretium quod expensum est, restituatur Ecclesiae, cuius Sacerdotium voluit comparare. Hinc Emm. Gonzalez in *not. ad cit. cap. audivimus ver. duplicata*, cum Binsfeldio recte commonet pretium ex simoniaca pactione acceptum restituti simplum, ex coacta extorsione duplum.

(1) Ex B. Thomae sententia communiter probata *2. 2. qu. 100. art. 6.* Prosper Lambertin., alias Benedict. XIV. *instit. 12. num. in Tamen non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur*, quod simoniace accipitur, ex B. Gregorii sententia in *can. non est putanda 27. C. 1. qu. 1.*

(2) Conc. Tolet. VIII. in *can. reperiuntur 7. C. 1. qu. 1.* sanxit, ut simoniae accusatus *suscepto honoris gradu privetur, et in monasterio sub perenni poenitentia retrudatur.* Hunc canonem S. Ambrosio inscriptum perperam a Gratiano monent inibi Correctores. Innocentius III. in Conc. gen. *cap. quoniam 40. de simonia* regulares utriusque sexus per simoniam receptos, et recipientes de suo monasterio expellendos, atque *in locum arctioris regulae* ad agendam perpetuam poenitentiam retrudendos fore sanxit.

(3) S. Pius V. eadem *const.* addit: *si quis autem tale crimen pluries commisisse convictus fuerit, praeter supradictas poenas etiam corporaliter puniatur, et ab Ordinibus ecclesiasticis degradatus, a fidelium consortio eiiciatur.*

(4) Idem *cit. const. cum primum* circa finem. Cetera Sacramenta simoniacorum effectu gratiae carent ex S. Augustini sententia in *can. sicut eunuchus 29. C. 1. qu. 1.*

(5) Ex *l. un. D. ad legem Iuliam de ambitu.*

(6) Leo, et Anthemius in *l. si quemquam 31. C. de Episc., et cler.*

(7) Io. Bernardus Diaz in *prax. crim. canonica cap. 91.* scribit in simoniacis puniendis certam non posse doctrinam tradi, sed alios aliter puniri pro qualitate criminis.

(8) Cassador. *cit. dec. 5.*, Lud. Gomes. in Reg. *de triennali qu. 12.*, Covarr. in *reg. peccatum par. 2. relect. §. 8. de reg. Iur. in VI.*

rint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrunt, quae nisi a Romano Pontifice non possint absolvi (1) : hisce verbis, ceteri ex conventione, et pacto simoniaci, qui nihil dederint, nec receperint, videntur a reservatione censurae exclusi. At omnes generatim, et singulos in simoniam quomodolibet lapsos, *et eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum ipso facto* incurrere *omnes, et singulas excommunicationis, suspensionis, privationis, et interdicti sententias, censuras, et poenas dudum a Romanis Pontificibus quomodolibet latas*, idem Paullus II. voluit *ibidem* : puta sine reservatione. *Conventionali* simonia insuper non amitti ius triennalis possessionis ex Cancellariae Regula consentiunt plerique Doctorum (2). At Innocentius III. ab omni beneficio, et officio ecclesiastico deponendum rescripsit electum, a quo unus ex electoribus certam pecuniarum promissionem receperat, quamvis nulla inde secuta esset numeratio (3). Ex *fiduciaria*, seu, ut aiunt, *confidentiali* speciatim oritur beneficiorum affectio, et reservatio Sedi Apostolicae, et fructuum, pensionumque applicatio Camerae Apostolicae (4), ad ceteras beneficiorum vacationes ob simoniam ipso iure sancitas non extendenda. *Mentalis* tandem simonia Deo soli punienda relinquitur, et interno Ecclesiae foro *per solam poenitentiam purganda* (5). Externus attamen forus minus in occultos simoniae reos, quam manifestos agit : occultum porro, qui suo dederat praesentatori ad Ordines pecuniam, non debere invitum ab officio suo amoveri, sed secreta solum poenitentia corrigi : quoties secreto monitus abnuerit ab officio abstinere, statumque religionis adsumere (6), canonica iura statuunt.

LI. Ut contagiosa isthaec lues comprimatur facilius, Paullus II. cunctis ecclesiasticis, et laicis onus revelandi simoniacos imposuit, complicibus etiam revelantibus veniam, et gratiam pollicitus (7). Accusan-

(1) Cit. Extravag. *cum detestabile 2. §. statuentes praeterea.*

(2) Apud Rigant. in *cit. Reg. 32. de triennali num. 140. tom. 3.*

(3) Innoc. III. in *cap. super 2. de confessis.* Falsus hinc videtur Felinus in *cap. Rodulphus de rescriptis*, dum ait nullam canones poenam determinatam sanxisse in simoniam conventionalem.

(4) De qua superius dictum *hoc tit. num. XXXV., et seq. Beneficia huiusmodi*, ait Pius IV. circa finem suae const., *ipso iure vacare, ac nostrae, et Sedis Apostolicae dispositioni reservata, fructusque, et pensiones Camerae Apostolicae applicatos esse, et censeri.*

(5) Greg. IX. in *cap. mandato 46., et ult. de simonia.*

(6) Alex. III. in *cap. ex tuae 20. eod. tit.*

(7) *Cit.* Extravag. *cum detestabile 2. §. fin.* haec habet: *ut huiusmodi labis contagio frequentius reprimatur, omnibus, et singulis ecclesiasticis, saecularibusque personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute sanctae obedientiae districtius iniungimus, ut eos omnes, quos simoniam huiusmodi commisisse, vel procurasse, aut in ea mediatores esse sciverint, Pontifici praedicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, per se, vel alios* revelare *quanto citius non omittant. Pro revelatione huiusmodi, etiamsi* complices *fuerint, non solum* veniam *a nobis, sed etiam* gratiam *consecuturi, si eorum iudicio participes tanti criminis valeant coerceri. Quod si non fecerint*, absolvi non valeant, *donec praedicta revelent, et complices huiusmodi detecti arctius puniantur.*

di ius cuilibet canones tribuunt servo etiam, infami, et, criminoso (1). Accusatus a sacris celebrandis pendente iudicio prohibetur (2). Forma iudicii quum sit ordinaria, postulat, ut in iure confessi, vel legitime convicti ad poenas canonicas damnentur: publica vero laborantibus infamia non convictis, nec confessis canonica purgatio indicitur (3). Ad probandam confidentiam simoniacam praesumptiones, coniecturasque sufficere, earum singulas testibus etiam singularibus probari, testesque criminosos, tum ceteros fere inhabiles ad eam ostendendam admitti S. Pius V. edixit (4).

LII. Variis quum poenis, tum generibus simoniae varia dispensandi, absolvendique norma respondet. Damnatos quidem in foro externo simoniacos poenitentia regulariter, non ad interdictaOrdinis ministeria, neque ad amissa officia, et beneficia ecclesiastica, sed solum ad Ecclesiae gremium extra ordinem, gradumque hierarchicum restituit (5): nisi urgens aliquando caussa, puta publica Ecclesiae utilitas ob penuriam Sacerdotum, vel eximiae personae virtus, et vita canonica misericordem postulaverit dispensationem (6), auctoritate Sedis Aposto-

(1) *Cap. si dominus 3., cap. tanta est 7. de simonia.*

(2) *Cap. accusantur 4., et cap. quoties 5. eod. tit.*

(3) *Cap. de hoc autem 11., et cap. insinuatum 13. eod. tit., et cap. praeterea 10. de transactionibus.*

(4) S. Pius V. in *const. intolerabilis* haec habet. *Ad probandum vero plene* confidentiarium *abusum inter alias etiam hae praesumptiones, et coniecturae habeantur legitimae, videlicet*, 1., *Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel monasterium, aut beneficium, et publicata resignatione, seu concessione, captamque a successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alium, seu alias de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicumque successor illi, vel eius propinquis ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem. 2., Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimissi, vel illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit. 3., Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis expeditio, quae personam recipientis concernit, prosequuta sit, simulque expensae pro ea necessariae ab illo factae fuerint. Denique si quis pro concessione alicui facta quacumque auctoritate de beneficio ecclesiastico per se, vel alium, seu alias intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquomodo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illa postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque. Testes autem de quaque re* singulares *singulas probare valeant praesumptiones, et coniecturas, pluresque huiusmodi praesumptiones, et coniecturae plenam probationem faciant in praedictis. Ceterum criminosi, et ceteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniae testimonium recipi possunt, ad praedicta omnia admittantur.*

(5) Synod. VII. in *can. si quis omnem 2.*, et Leo IV. in *can. requiritis 5. C. qu. 1. qu. 7. Nos quidem*, Leo inquit ad Episcopos Britanniae rescribens, *convictis, et iis, qui tam detestabile nefas peregisse noscuntur nulla possumus poenitentia subvenire, et tot spiritualibus patribus obviare: sed in illorum patrum me sententia convenire omnibus certum sit.* Consonant iura Decretalium, et novarum Sedis Apostolicae constitutionum.

(6) Urbanus II. in Conc. Placentin., et Romano *can. quicumque 1., C. qu.*

licae dumtaxat concedendam (1). At nullum dispensationi locum simoniacis beneficiariis indulgent canones, nisi post beneficii male adepti dimissionem (2).

LIII. Hinc S. Poenitentiaria Romana, tametsi ad sacros Ordines male promotis eorumdem exercitium in foro conscientiae tantum apostolica dispensatione indulget, ea tamen titulos beneficiorum ex vitio simoniae irritos, pensionumque reservationes, quoties admissa scienter in eis fuerit simonia realis, numquam revalidat (3). Cuivis enim postulanti absolutionem a simonia reali scienter admissa paucis more probatissimo respondet: *dimittat*, *moneat*, *et restituat*: videlicet *dimittat* beneficium simoniacis artibus obtentum, *moneat* eum, qui pretium accepit, illud in Ecclesiae, vel pauperum utilitatem convertere, *restituat* fructus omnes beneficii perceptos. Vix ei, qui se inscio beneficium ab alio simoniace impetratum adeptus sit bona fide, ac petat apostolicam illius retinendi dispensationem, rescribens gratiam indulget conditionalem: *dummodo ante possessionem* simoniae conscius ipse

5., parvulos cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam adeptos, postquam in eas dimisissent, in eisdem vivere *pro magna misericordia indulsit*, nec a sacris ob id ordinibus removeri, si digni invenirentur: aliis natu maioribus, qui canonicam vitam agerent, in aliis, praeterquam emptis Ecclesiis ministrare servatis propriis ordinibus permisit, vel si ad alias tranferri non potuissent, in minoribus tantum ordinibus permanere, *salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate*. Ceteros ante emptionem catholice ordinatos, ubi empta dimisissent, vitamque canonicam egissent, in suis gradibus excepto primo loco, seu praepositura, mansuros censuit. Consimilem idemmet Pontifex dispensationem ex caussa vitae commendabilis, et utilitatis Ecclesiae, in qua esset penuria Sacerdotum, indulsit, rescribens Vitali presbytero in *can. eos qui 2.*, et Alberto Metensi Episcopo in *can. praesentium 3. eod. C. et qu.* Non simoniacos simoniace ordinatos dispensationem misericorditer obtinere, rescripserunt Nicolaus II. in *can. statuimus 107. C. 1. qu. 1.*, et Lucius III. in *can. de simoniace ordinatis 22.*, et Innoc. III. in *cap. per tuas 34.*, *et cap. per tuas 37. h. tit.* Martinus V. in Synodo Constantiae simoniacis indulsit ex urgentibus caussis favore nationis Teutonicae quum antiqua retinere, tum nova adipisci beneficia, ex relatis ab Harduino *to. 8. Collect. Conc. cap. 6. pag. 891.*, et Benedicto XIV. in decretali ad Albaniae Episcopos seu *const. cum encyclicas 35. § 7. to. 4.*

(1) Coelestinus III. rescripsit, *quod aliquis in Ecclesiae cuislibet Praelatum electus, et per pravitatem simoniacam reprobatus, cap. Episcopo suo dispensationem aliquam obtinere de iure non potest*, *can. nobis fuit 26. eod. tit.* At Gregorius IX. in *cap. si alicuius 59. de electione* rescripsit, Episcopum dispensare non posse, ut aliquis sine sua culpa electus simoniace praelationem retineat: *quamvis circa eum, ignoranter recipit simplex beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam resignationem Episcopi dispensatio toleretur.*

(2) Clem. III. in *cap. regularibus 25.*, *et cap. ex insinuatione 26. eod. tit.* et Greg. IX. in *cap. si aliquis 59. de electione.*

(3) Benedict. XIV. in *const. Pastor bonus 95.* de facultatibus Maioris Poenitentiarii §. 19. *ad 24. to. 1.* Bullarii. Christianus Lupus *observat. in Conc. tom. 3. pag. 245.*, quam laudat idem Benedictus XIV., alias Prosper Lambertinus *inst. 12. num. 13.*, severam Ecclesiae Romanae consuetudinem maxime commendat, quae vinculo simoniae absolvit neminem, nisi se beneficio prius abdicaverit.

nullatenus fuerit (1). Nonnullas tamen formas litterarum S. Poenitentiariae fert P. Marcus Paulus Leone, quae videntur in foro tantum interiori facultatem retinendi beneficii per occultam simoniam obtenti indulsisse presbytero exponenti se illud absque scandalo dimittere non posse, tum clerico propter eius paupertatem; praeterea laico patrono sui patronatus usum in futuris vacationibus, et post dimissionem beneficii, quam facturus esset presbyter ab eo simoniace praesentatus (2).

LIV. Ecclesiasticum esse crimen simoniam, illiusque notionem ad forum ecclesiasticum pertinere, ex antedictis colligitur, quum ea sapiat haeresim, et poenis canonicis coerceatur (3). Itaque dioecesani locorum Ordinarii in simoniacos sibi subditos iudicia exercent ordinaria generatim. In exemptos autem auctoritate Sedis Apostolicae delegata inquirunt, h. e. informationem iudiciariam capiunt, eamque dein ad Sedem ipsam Romanam transmittunt (4).

(1) Ex traditis ab eodem Lambertino *cit. instit.* 12. ibidem.

(2) P. Marcus Paulus Leone, qui praxim S. Poenitentiariae scripsit sub Clemente VIII., *par. 3. de absolut. a simonia* quatuor formas litterarum illius sacri tribunalis habet.

(3) Altaserra *lib. 4. de iurisd. eccl. cap. 5.* Ubi in fine observat ex Galliae moribus iudicem saecularem in possessorio beneficii posse incidenter de simonia cognoscere. Et quod *const.* Blesensis *art. 21.* notionem simoniae in duas partes scindat, alteram iudici ecclesiastico in clericos, laico alteram in laicos criminis participes tribuens. Concordata nostra *cap. 6.* cum nullum de ea faciant verbum, videntur crimen istud inter ea mixti fori tacite habuisse, adeo ut in laicos simoniacos ecclesiastico foro animadvertere censuris, et poenis tantum canonicis liceat.

(4) S. Pius V. in *cit. const. intolerabilis* contra confidentias beneficiariorum simoniacas haec in fine statuit: *Quocirca omnibus locorum Ordinariis districtius iniungimus, ut in suis quisque Ecclesiis, civitatibus, dioecesibus, et locis etiam exemptis praedicta studiose attendant, in delinquentes severe animadvertant. In ceteris vero caussis, et negotiis (nobis, et praedictis successoribus* exceptis) *eosdem locorum* Ordinarios *praesentium auctoritate* delegamus, *ut gratia, et favore postpositis, per se quisque cum venerit usus contra praedictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter* inquirant, *suoque* inquisitiones *omnes sigillo obsignatas ad praedictam Sedem quamprimum transferant, ut nos, et praedicti successores in caussis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit, decernamus. Nos enim singulis* Ordinariis *ipsis praedictos omnes, et quoscumque alios, etiam* exemptos, *etiam per edictum publicum, constito prius summarie, et extraiudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi, monendi eisque, ac iudicibus ordinariis, et delegatis, aliisque personis quibuscumque, ne praedictorum executionem quoquomodo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdemque, et alios contradictores, et facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii saecularis, quandocumque opus erit, invocandi, ceteraque in praedictis omnibus, et singulis necessaria faciendi, et exequendo plenam, et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.*

TIT. XVII.

De Usura.

I. In utroque foro sacro, et profano simul accipitur criminale iudicium de usura dolosa, versipelli, et perniciosissima.

II. Utrumque nomen promiscuae significationis ab usu *habet* usura, foenus *a* foetu.

III. Salmasius a foenore usuram captiose distinguit. Ex diversis contractuum qualitatibus foenus illicitum, *usuramque* improbam *Doctores nostri a foenore* licito, *et* proba *usura dissociant rectius.*

IV. De improba usura sacri canones, Patresque fere sentiunt alterutro vocabulo utentes per antonomasiam.

V. Variis ea definitionibus describitur.

VI. Quod sit pactio lucri ex mutuo, *ipsa videtur aptius definienda.*

VII. In exiguo mutui lucro licitam furens Calvinus usuram opinatur, quam in omni, vel minimo emolumento iniustam, et improbam esse divina Biblia execrando proclamant.

VIII. Quae utriusque Testamenti recitantur oracula exploratissima eam iure divino vetitam ostendunt.

IX. Legis porro evangelicae consilium est mutuum dare, *at vero praeceptum* nihil inde sperare.

X. Calvinus propterea, et Molinaeus temere, ac turpiter negant vetitam a Christo Domino usuram.

XI. Eis nil favet evangelica parabola patrisfamilias a servis suis pecuniam cum lucro exigentis.

XII. Nam Christus Dominus in ea sensu etiam litterali, non de lucro iniusto mutuatae pecuniae loquitur, sed de iusto ex licitis negotiationibus, et contractibus quaerendo.

XIII. Naturalis quoque iuris ratio non patitur, ut mutuans translato in accipientem dominio rei datae eam eiusdem generis qualitatis recepturus lucrum capiat ex ipsa re post mutuum non sua, sed aliena.

XIV. Usus quoque una cum dominio rei, quae ipso usu consumitur, a mutuante translatus ostendit lucrum ex mutuo iniquum naturali iure, aequalitatem inter datam, et reddendam rem adimens.

XV. Pecuniam naturaliter non germinans pecunia idipsum commonstrat apertius.

XVI. Naturalem pecuniae sterilitatem, quam Aristotiles praedocuit, Calvinus cum asseclis negans fallaciter questum ne-

gotiationis externum pro naturali foetu pecuniae supponit.

XVII. At damnatam procul dubio haeresim obtrudit haec opinio.

XVIII. Tam reddendi mutui mora, quam utilitas ex usu mutui obveniens nullam parit naturalem obligationem compensandi utriusque beneficium.

XIX. Lex Mosayca quamquam Hebraeis, ut concessit spolia Aegyptiorum, et bona, terramque alienarum gentium iure belli occupare, ita indulsit usuram ab illis exigere: naturale tamen Ius eam prohibens a divino praecepto nihil omnino seiunxit.

XX. Necessaria retributio naturali Iuri consentanea nullum in mutuo gratuito locum obtinet.

XXI. Nec pactum ultro, citroque voluntarium valet iniquam usurae fraudem in mutuo adimere.

XXII. Enimvero Ius divinum, ac Naturale magis, quam publicum humanum nequit privatorum pactis mutari, pactaque foenerantium secum adnexam ferunt necessitatem non simplicem, sed relativam in accipientibus mutuum.

XXIII. Priscae Romanorum leges usuras unciarias, centesimas, et menstruas cum anatocismo anniversario permittebant, maiores vetando. At cunctas censuit Iulius Caesar abolere.

XXIV. Constantinus Imperator usuram primo sescuplam dein octavam modii partem ex frugibus mutuatis, et siliquam, seu trientem centesimae ex pecunia indixit. Iustinianus illustribus personis trientem, mercatoribus bessem, plebeis dimidium centesimae, pro nautico foenore centesimam indulsit.

XXV. Basilius Macedo cunctas ex mutuo usuras vetuit, divino Iuri eas damnati obsequens. Leo Imperator eius filius usque ad trientem centesimae tolerandas censuit.

XXVI. Eas interea omnes in clericis, aeque ac laicis foenerantibus detestari numquam intermiserunt sacri canones antiquae disciplinae, et Ecclesiae Patres.

XXVII. Tametsi poenas ii canonicas in laicos, ne laicos adversarum legum latores offenderent, scitissime reticuerunt.

XXVIII. At posteriora novae Disciplinae Concilia, tum pontificiae decretales, et constitutiones, abrupto eiusmodi silentio, canonicas censuras, et poenas in laicos etiam usurarios propalam sanxerunt.

XXIX. Huius regni Neapolitani leges a multis Regibus latae divino Iuri, et sacris canonibus consentaneae usuras omnes, vel minimas in mutuo damnant, et poenis etiam corporeis coercent.

XXX. Easque nodum confirmavit Carolus Rex olim noster, sed pluribus quoque declarationibus communivit ad poenas varias

pro conditione personarum moderandos, et iudicia in utroque foro instruenda.

XXXI. Cunctas itaque usuras, quamvis minimas in mutuo tam pauperibus, quam divitibus dato proscribunt cum Iure divino leges nostrae usu vigentes, posthabita politicorum opinione fallacissima, Reique publicae detrimentosa.

§. I. De titulis et contractibus in mutuo incidentibus et concurrentibus.

XXXII. Licita, et proba lucra nihilominus pariunt alii contractus legitimi, iustique tituli mutuo adiuncti, quoties fictum non simulent mutuum.

XXXIII. Videlicet lucrum cessans, damnum emergens, mora iniusta, pactum securitatis, susceptio periculi, emptio, venditio, mohatra, pignus, et hypotheca, census, societas contractus trinus, cambium.

XXXIV. In hisce titulis, et contractibus palliata *saepe latet usura, quae solum in mutuo fit* aperta *ex pacto lucri expresso.*

§. II. De lucro cessante et damno emergente.

XXXV. Tam lucrum, quod mutuans amiserit, quam damnum ei obveniens ex morosi debitoris culpa, reficere hic totum iure debet.

XXXVI. Agentibus de damno vitando magis, quam de lucro captando leges utique favent, praesertim in caussa restitutionis in integrum.

XXXVII. Quia possidens alienam absentis rem praesumitur in ea is damnum culpa sua fecisse, at lucri amissi caussa praecipua est ipsius domini absentia, vel negligentia.

XXXVIII. Ut emptor usuras non soluti pretii compensantes damnum venditoris emergens, ita venditor aestimationem fructuum ex re non tradita perceptorum praestat solummodo secundum leges.

XXXIX. Nam peculiaria emptae venditae rei adiuncta internum *interesse tantum aut lucri, aut damni circa rem ipsam postulant reficiendum: non item* externum.

XL. Nautae pariter damnificata solum retia reficere, non lucrum penitus incertum ex intermissa piscatione coguntur.

XLI. Id omne, quod interest sive ob amissum lucrum, sive ob damnum ex culpabili mora cuiuslibet contrahentium, debet is alteri generatim praestare, morosus etiam debitor mutui ab elapso restituendae sortis die condicto.

XLII. Tametsi aliorum contrahentium iniusta mora ex diversis rerum adiunctis varios effectus quandoque parit, aliter, quam debitoris in reddendo mutuo morosi.

XLIII. Damni, et lucri iacturas ex facto iudiciariis probationibus ostendendo aequus aestimabit iudex, numquam ultra duplum sortis.

XLIV. Actor certam lucri cessantis quantitatem ostensurus in iudicio tria requisita Pauli de Castro probabit.

XLV. Suam in primis negotiandi consuetudinem.

XLVI. Qua probe utuntur non mercatores tantum, sed omnes industrii homines, etiam clerici, suam non otiosam pecuniam in probis honestisque negotiis versantes.

XLVII. Secundo promptam, quae praeteriit, occasionem certi huius, illiusque negotii lucrosi.

XLVIII. Mercatoribus autem sat erit probare sese decem, aut plus minus lucrari negotiando consuevisse.

XLIX. Otiosam vero aliam pecuniam tunc actor non habuisse ipso iure praesumitur, eam nisi reus affirmans ex adverso probaverit.

L. Tertio moram debitoris culposam in reddendo mutuo, postquam venerit condictus dies restitutionis.

LI. Damnum emergens repeturus factam esse rem suam in ea certa quantitate deteriorem ex culpa morosi debitoris ostendet, ex defectu nimirum pecuniae ab eo condicto die non restitutae, qua illud a se avertere damnum valuisset.

§. III. An liceat contrahentibus taxare pacto futurum interesse lucri, et damni.

LII. Initio contractus cuiuslibet, mutui quoque fas est de eo pacisci, quod alterutrius contrahentium interesse ex futuro damno, etiam ante moram; simul et probabilem hinc inde spem lucri, dubiumque damni periculum aequo pretio aestimare.

LIII. Instar incertae aleae probe idcirco venditur emitur dubia captura piscium, avium, missilium, sperata haereditas, litis aestimatio, pecunia vitalitia, et conditionalis, susceptio periculi.

LIV. Dum vera sit, et non ficta in mutuo eadem lucri spes ambigua, nec simuletur damni periculum: licito pacto eam, et hoc transigunt dantes mutuum, et accipientes.

LV. Hac ipsa ratione probatur in utroque foro credita pecunia cum pacto eam gratis paucos intra dies restituendi, tum post eos elapsos persolvendi legitimum interesse lucri cessantis, et damni emergentis non ultra 10. in 100. quotannis.

LVI. In foro quidem laico morosus debitor, si pactum eiusmodi ex publico instrumento, vel scriptura liquida constiterit, sortem solvere cum interusuriis compellitur iudicio, ut aiunt executivo, seu celeriori.

LVII. In ecclesiastico autem foro ad sortis mutuatae restitutionem is cogitur binis, vel trinis praeceptis: interusuria vero, quamvis conventa, nonnisi postquam creditor in termino ordinario plene probaverit damna sibi reapse illata, et lucra deperdita.

LVIII. Coniecturalis enim probatio lucri cessantis, et damni emergentis cum certa quantitate pacto constituta locum habere in laico foro consuevit: in sacro secus, quod rei veritatem, posthabitis coniecturis ex facto rite probando, tutius perscrutatur.

LIX. In censu bullari, cambio, et aliis contractibus legitimas usuras ferentibus de alio quovis lucro, et damno simul pacisci nefas est.

§. IV. De mora.

LX. Quae nil creditori nocuit mora debitoris, vel concessa, vel ultra condictos dies protracta, nullam fert in mutuo refectionem lucri, aut damni.

LXI. Praesens pecunia reapse, quam futura non est pretiosior.

LXII. Aliter opinantibus in mutuo videntur in speciem favere aliquot legum civilium sententiae.

LXIII. Aliae vero adversantur.

LXIV. Priores illae fictione Iuris *praesentem pecuniam futura maiorem tunc putant, ubi damna creditori obveniunt ex nocua debitoris mora: posteriores aliae secus, ex mora innocua aestimantes aequalem* re vera *valorem praesentis, et futurae pecuniae.*

LXV. Mora hinc simplex, *et* innocua *nullam iure postulat compensationem lucri, aut damni: secus, quam* noxia, *et* mixta,

LXVI. Haec mora ex debitoris culpa, vel dolo detrimentosa efficit, ut damna reficere iure merito cogatur.

LXVII. Regularis *mora, seu* personalis *fieri tunc recte dicitur, quum interpellatus debitor non solverit opportuno tempore, ac loco.*

LXVIII. Interpellatus nimirum in iudicio, vel extra.

LXIX. Irregularis, *aut* realis *dicitur mora, postquam, solutionis dies venerit pro homine interpellans.*

LXX. Haec porro locum habet in bonae fidei contractibus, emptione venditione, negotiorum gestorum, mandati, depositi, societatis, tutelae, commodati, pignoris, dotis.

LXXI. In legatis etiam, et fideicommissis.

LXXII. In hisce autem contractibus accedente stipulatione, aliisque stricti iuris mora legitimas usuras pariens decurrit a die vel condicto, vel interpellationis, vel contestatae litis.

LXXIII. Quatuor ex iam dictis exiomata colligere pronum est.

§. V. De pacto securitatis, et susceptionis periculi.

LXXIV. Rei mutuo datae periculum, et incommoda transeunt in accipientem una, cum pleno iure usus, et commodi.

LXXV. Fas est contrahentibus mutua, et libera ipsorum consensione periculum in eum transferre, quem ab illo immunem facit natura contractus.

LXXVI. Alieni periculi susceptionem pretio dignam leges iure merito edixerunt.

LXXVII. Mutuans idcirco propter periculum traiiciendae pecuniae ex libera mutuatarii voluntate in se susceptum probe paciscitur, quod ipse ob id ultra sortem sit recepturus.

LXXVIII. Nauticum foenus, ac traiectitium videtur in speciem Gregorius IX. improbasse in cap. naviganti, *ex variis huiusce decretalis interpretationibus.*

LXXIX. Sponte sua si a se mutuatarius transferre in mutuantem periculum traiectionis maluerit, licitum, et probum pro eo lucrum praestabit mutuanti ex probabiliori sententia: invitus videlicet, relativa necessitate coactus non item.

LXXX. In foro interno excludit usurae vitium voluntas omnino libera spondentis eiusmodi foenus: hanc in externo probare incumbit mutuanti.

§. VI. De emptione venditione usuraria, et mohatra.

LXXXI. Quamlibet vendens rem spondenti pretium integrum data mora solvere, eamque mox redimens pretio minori, ei hoc ipse numerata pecunia solvat, piraticam plane usuram gerit eiusmodi contractu, quem Hispani mohatram *appellant, omni iure damnatam.*

LXXXII. Vicissim qui pretio quoque minori, et iniusto frugifera emat praedia petentis mutuam pecuniam eum pacto ea nonnisi post decem annos plus, minus redimendi: improbam caelat usuram pallio emptionis.

LXXXIII. Suas qui res vendat emptori pretium iustum non solventi, sed iusto plus ob moram spondenti, quasi usurarius ab Urbano III. iudicatur.

LXXXIV. Hanc turpem usurae notam Alexander III. non inuren-

dam censuit vendentibus merces cariori pretio, sed eos aliud peccatum contra ius admittere.

LXXXV. Urbanus quidem de foro interno locutus occultam foenerandi voluntatem in venditoribus taxavit, Alexander externam iniustae venditionis formam.

LXXXVI. Dubitantibus de futura pretii mutatione, licet suas res praesenti pretio maiori vendere, quas ipsi distrahere tunc nollent.

LXXXVII. Anticipato pretio minori qui emunt colligendas fruges, usurae labem incurrunt: nisi dubia hinc inde sit mixta periculo spes futuri, et incerti valoris.

§. VII. De pignore usurario et antichresi ac Montibus pietatis.

LXXXVIII. Accepti pignoris fructus in sortem imputabit mutuans pecuniam, et exuberantes restituet.

LXXXIX. Antichresim porro sacri canones damnant.

XC. Tametsi leges civiles olim permittebant in antichresi fructus pignoris omnes creditori in vicem usurarum.

XCI. Mutuanti quum arbitrium sit repetendae sortis ad libitum suum, ei leges non suffragantur sacris canonibus abrogatae ad lucrandum sibi fructus ex pignore: secus iudicandum, si demortuam creditori sortem pactus debitor sit suo pro libito restituere ad pignus redimendum.

XCII. Perceptos quum civiles, tum naturales oppignoratae rei fructus creditor imputat in sortem: quos percipere is potuit, non item.

XCIII. Dotalis autem pignoris fructus onera coniugalia compensantes iure maritus percipit: necnon directus feudi, vel emphiteusis dominus, reique frugiferae venditor.

XCIV. Montibus pietatis aliquod exigere ultra sortem accepto pignore mutuatam licere multi negant: alii affirmant ratione compensandi necessarias expensas, et mercedes ministrorum, domusque incolumitatem.

XCV. Sententiam hanc posteriorem Leo X. comprobavit in Concilio Lateranensi V.

XCVI. Dum scilicet duo haec simul concurrant, Sedis Apostolicae auctoritas, et sincera erogatio eiusmodi emolumentorum in necessarias Montium egenorum expensas.

XCVII. Iustus hinc videtur ad Regem Carolum recursus pro interusuriis 5. in 100. abolendis, quae locupletes nunc Banci urbis Neapolitanae, annuis redditibus affluentes, exigere non intermittunt.

§. VIII. De emptione venditione annuorum introituum et censibus realibus ac personalibus.

XCVIII. Creditam pecuniam accipiens cum pacto restituendi quandocumque ipsemet voluerit, soluturus interea creditori censum annuum 10. in 100, vel infra, mutuum revera non contrahit, sed venditionem fructuum suis ex praediis oppignoratis obvenientium quotannis.

XCIX. Hunc ob id contractum labe usuraria nil affectum declarant Nicolaus V., Martinus V., Calixtus III., ceteri.

C. Nicolai V. constitutionem, qua censualis idem contractus cum speciali praediorum hypotheca ad rationem usque 10. in 100. hoc in regno probatur, Rex Alphonsus Aragonius petiit, et promulgavit in Pragmatica 1. de censibus.

CI. At S. Pii constitutio novas ei contractui addens conditiones regium placitum non habuit.

CII. Exinde Gregorius XIII., et Benedictus XIV. contractum eiusmodi non vitiari, omissis Pianae Bullae conditionibus censuerunt, ubi ea moribus recepta non est.

CIII. Hanc ipsam emptionem, venditionem annuorum introituum appellant promiscue censum constitutivum, consignativum, bullarem, realem.

CIV. Vitalitium censum quoque realem huic, bullari similem comprobant mores, et leges quum civiles, tum ecclesiasticae.

CV. Census hic vitalitius rationem 14. in 100. hoc in regno non excedit.

CVI. Reales alii census, ne rationem 10. in 100. ullatenus transiliant, cautum est iam dictis Nicolai, et S. Pii constitutionibus. Huius regni mores nunc minorem postulant rationem, haud semel variatam pro varia personarum, temporum, locorum conditione ex regiis pragmaticis, et rescriptis, rebusque iudicatis.

CVII. In personali autem censu vitalitio sine hypotheca praedii frugiferi palliata latet probabiliter usura.

CVIII. Quae illum exculpat sententia quoque probabilis, nullo damnata iudicio canonico hactenus est.

§. IX. De societate usuraria.

CIX. Commune cum lucro periculum in consociis postulans natura societatis ostendit usurariam, et improbam esse pactionem societatis ad caput salvum, *a Xysto V. damnatam iure meritissimo.*

§. X. De trino contractu.

CX. Societatem, duplicemque securitatem sortis, et lucri trinus contractus insimul nectit.

CXI. Hunc usurarium esse censuit Xystus V. Dominici Soti sententiam probando contra Navarram.

CXII. Quum adhuc Navarrae adhaereant haud spernendi Theologi, posset ipsorum opinio vix locum habere, ubi singulos trium contractuum temporis intervallo seiunctos iniverint socii consensu prorsus libero, aut aliunde pateat spontanea pacis centium voluntas.

§. XI. De Cambiis.

CXIII. Tam praesentis, quam remotae pecuniae fit saepe cambium. Per litteras hoc, vel directum, *vel* obliquum *dicitur* locale, *et* regulare *modo* platearum *ex loco, modo* nundinarum *ex tempore condicto.* Reale *hoc utrumque sincerum, et probum* simulato, *et* sicco *vitiant foeneratores.*

CXIV. Aequa pecuniae traiectitiae lucra in cambiis veris, et realibus probo iure obveniunt ex mora detrimentosa, periculoque traiectionis, et decoctionis, ex portoriis, et stipendiis. Plus aequo accepta nullam in his labem usurae adferunt, quamvis illicita.

CXV. Localis, et regularis cambii lucrum Neapoli singulis hebdomadis taxant Deputati platearum pro litteris collybisticis ad usum : *id pro aliis taxandum arbitrio partium remittit lex municipalis.*

CXVI. Annum interesse cambii morosus debitor hoc in Regno praestat 7., vel 10. in 100. ob inanem regressum litterarum taxatur pro temporis quota.

CXVII. Stipendii, provisionis, protestationis expensas taxavit lex etiam nostra.

CXVIII. Cambio sicco, *quod S. Pius V. damnavit, dant foeneratores ducatos, ex gr. nonaginta ei, qui per simulatas collybisticas litteras mandent ficto responsori suo, ut solvat centum pro totidem acceptis condicto loco, vel tempore nundinarum sine ullo traiectionis periculo, vel incommodo.*

CXIX. Eodem vitio laborat simulatum cambium casuale, *nec non* recursae.

CXX. Condicta in litteris collybisticis ad plures nundinas, vel terminos dilatio solutionis cum certo inter usurio cambium indicat usurarium ex Piana constitutione.

CXXI. Quum usu vigeant hoc in Regno cambia sicca, rebusque in foro laico iudicatis : ad legislatorem attinet, vel usum eiusmodi probare , vel abusum corrigere.

CXXII. Anatocismus in cambiis tam realibus , quam fictis , et siccis ex pacto ratione lucri cessantis, damnique emergentis; nec non cambia, et recambia nonnullis videntur proba , et legitima.

CXXIII. Quorum opinionem absurdam, asperamque refellit res iudicata rectius in regio S. Clarae Consilio Neapolitano.

CXXIV. Cambium non modo praesenti pecunia , sed creditis etiam vel nummis, vel rebus antea datis licere laicis pacisci Doctores cum Rota Romana consentiunt: Clericis autem interdixit Benedictus XIV.

CXXV. Tituli solum extrinsecus *adiecti mutuo foenus licitum germinant : secus alii mutuo* insiti, *et individui.*

CXXVI. Hos ab illis propterea segregare curatius oportet, ne probi contractus cum improbis contra fas misceantur , nec iusti cum iniustis contrahentibus acervatim damnentur in iudiciis.

I. Crimen mixti fori (1) perniciosissimum usura versipellis, eo detestabilior, quo fraudulentior, quae assiduas praedas agit simulata benefaciendi specie, tractationem postulat accuratiorem. Feram belluam non immerito Suidas ex Aristophane eam appellat , quae sua pecuniarum foenora per menses , diesque parturit, et devorat (2), ovinamque pellem superinduens incautos corripit, et absumit. In humanis porro contractibus ipsa quotidie versatur , aut palam , aut latenter , diversisque opinionibus obscurata hinc ingenuos animos torquet , hinc improbos ad mutuam deceptionem impellit ; iustum cum iniusto facile miscet , publicum foedat commercium , societates amicorum abrumpit, ac turbat , pauperes opprimit , opulentos ad inopiam redigit , mercatorum, civiumque fortunas , libertatem , famam saepius in discrimen adducit , nodis plurimis , et asperitatibus iudicia implicat in utroque foro profano, et ecclesiastico quum externo, tum interno. Itaque dolosam ipsius, et versatilem naturam, ut perscrutemur , ex vocum notionibus, et definitionibus initium capiamus.

II. Apud latinos *usura* idem sonat generatim , quod *usus* , et *commoditas* (3). Saepe accipitur pro *utilitate*, ac *emolumento*, quod parit

(1) Hinc etiam a Lucano *lib. 1.* edicta est *usura vorax*, *avidumque in tempore foenus.*

(2) Quod scilicet in utroque foro ecclesiatico, et laico in laicos etiam cumulate comprimitur ex antedictis.

(3) Hoc sensu Tullius *orat. 7. in Verrem* inquit: *cur cives Romanos, quos piratae ceperunt, securi statim percussisti? ipsis piratis lucis* usuram *tam diuturnam dedisti?* Idemque *lib. 2. Tuscul. natura dedit* usuram *vitae tamquam pecuniae, nulla praestituta die.* Et Plautus in *Trinummo : nec adeo ad hasce emi mihi, nec* usurae *meae.*

res quaelibet commodata (1). Sensuque translato usurpatur saepius pro *lucro*, et *foenore* pecuniae mutuatae, seu pro quolibet sortis incremento, quod mutuans percipit ultra sortem creditam. Notionem hanc apertiorem facit synonimum *foenoris* vocabulum. *Foenus* enim (ut M. Varro docet) *dictum est a* foetu, *et quasi a* foetura *quadam* pecuniae parientis, atque increscentis (2). Hinc a Paullo iureconsulto *foenerator pecuniam usuris maritimis mutuam dare* dicitur (3). Et Gaius Seius, qui rempublicam gerebat, *foeneravit pecuniam publicam sub usuris solitis* (4). Hanc foenoris, et usurae significationem promiscuam iureconsulti frequentius adhibent.

III. Haereticus autem Salmasius distinctam a foenore usuram opinatus, ait *foenus* esse mutui dationem cum stipulatione legitimarum usurarum pro rei creditae qualitate, personarumque contrahentium conditione, *usuram* vero esse mercedem pecuniae creditae, aut sortis locatae, seu accessionem ad sortem mutuo datam (5): sed ludens is verbis studet errorem insinuare inferius refellendum. Civilis quidem iuris interpretes aliam probam, et licitam, aliam improbam, illicitamque discernunt usuram: quum eam ipsi latiore notione accipiant pro lucro, et foetu cuiuslibet sortis nedum mutuatae, sed in quovis etiam contractu sive nominato, sive innominato praestitae.

IV. In sacris vero Litteris, et canonibus, sanctorumque Patrum scriptis ambo foenoris, et usurae vocabula probrosam eius speciem in mutuo per antonomasiam fere significant (6), et quandoque mutui dationem sine usura (7). Instar omnium unus id explicatius docet S. Augustinus, dum ait; *foenerator quid est? latine dicitur, et qui dat mutuum, et qui accipit... si foeneraveris homini, idest mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid, plus quam dedisti expectas accipere, non pecuniam solam, sed aliquid, plus quam dedisti, sive il-*

(1) Cic. *de senect.* ait: *terra nec umquam sine* usura *reddit, quod accipit.*
(2) M. Varro *lib. 3. de sermone lat.* Gellius *lib. 16. noct. Attic. cap. 12.*
(3) Paul. in *l. foenerator 6. D. de nautico foenore.*
(4) Idem in *l. Gaius Seius 11. D. de usuris.* Hoc sensu Plautus ait: *qui nihil, neque* foenus, *neque* sortem *argenti dabunt.*
(5) Salmas. *de usuris cap. 7.*
(6) *Multi non caussa nequitiae non* foenerati *sunt*, sed fraudari *gratis timuerunt*, inquit Ecclesiasticus *cap. 20. vers. 10.* Idem propterea sapiens in praecedenti *cap. 4.* monet: *Noli* foenerari *homini fortiori te.* Fraudulenti enim mutuatarii, *quasi inventionem aestimaverunt* foenus, et *praestiterunt molestiam his, qui se adiuverunt*, addit sacer textus Eccl. *cit. cap. 29. vers. 4.* Eo quidem sensu latiori accipiendum videtur illud Deuteronomii *cap. 35. vers. 6. Foenerabis gentibus multis.* Indultum Hebraeis enim fuit usuram cum exteris gentibus pacisci. Sacer idem textus idcirco *foenerandi* verbo addidit hoc istud *ad usuram* Deut. *cap. 23. vers. 19. Non foenerabis fratri tuo ad usuram*, ut omnis procul esset ambiguitas vocum in Mosayco praecepto.
(7) Isaiae *cap. 24. vers. 2. Sicut* foenerator, *sic is, qui* mutuum *accipit.* S. Augustinus *lib. 5. locut. n. 39.* hinc monet, quod *foenerationem Scriptura dicit mutuo datam pecuniam, etiamsi usurae non accipiantur.* Quin etiam foenus pro sorte ipsa credita legitur usurpatum, 1. Reg. *cap. 2. vers. 20.*: *Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro* foenore, *quod commodasti Domino.*

lud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud: foenerator *es, et in hoc improbandus, non laudandus* (1). Idipsum a B. Petri cathedra Benedictus XIV. nuperrime tradidit: *Peccati genus illud*, ait, *quod* usura *vocatur quodque in contractu* mutui *propriam suam sedem, et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum, ideoque ultra sortem lucrum aliquod ratione* mutui *sibi deberi contendat. Omne propterea huiusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, et usurarium est* (2).

V. Multiplex huiusmodi usurae notio, et consuetudo simul bene quidquid in iure definiendi fecit, ut Doctorum alii utramque usuram ampliori definitione describerent, alii vero foedam solummodo; et improbam specialiter. *Quidquid sorti accedit ex pacto, vel spe praecedenti*, usuram definit Abbas Panormitanus (3). *Accessionem sortis debitae ex solo tempore tardae solutionis*, Leotardus (4). Neutram refellimus, quia earum auctores, et asseclae ad generalem, ampliorem que vocabuli sensum ambas aptasse quisque suam videntur. Peculiares autem definitiones illicitae usurae sunt huiusmodi. Usura est *pretium usus pecuniae mutuatae*, dicitur a S. Thoma (5). *Lucrum ex mutuo principaliter intentum*, a S. Antonino (6). Ambo videntur materiam potius usurae, quam propriam eius naturam describere. A Didaco Covarruvia Episcopo Segobiensi *voluntas capiendi ultra sortem lucrum aliquod temporale vi, et caussa mutui principaliter* (7). Hic tamen internum mentis dumtaxat, non externum, et opere consummatum usurae crimen delineat, dum Ecclesia in foro exteriori, de quo potissimum agimus, non iudicet de internis. Alii eam aliter describunt.

VI. *Pactio lucri ex mutuo* usura mihi definienda videtur. Tribus

(1) S. Aug. *serm. 3. in psalm. 36. num. 6.* Consonat S. Ambrosius in *can. plerique 3. C. 14. qu. 3., et can. si quis usuram* 11. *ead. C. qu. 4.*, S. Leo M. in *can. nec hoc quoque 7. C. 14. qu. 4.*, ceteri. Eos praeiverat Tertullianus *lib. 4. contra Marcion. cap. 17.* ubi exponens illud evangelicum: *etsi foeneraveritis, a quibus speratis vos recepturos, quae gratia est vobis?* Continuo monet: *Percurre sequentia Ezechielis de eodem viro iusto. Pecuniam suam, inquit,* foenori *non dedit, et quod abundaverit non sumet: foenoris scilicet redundantiam, quod est* usura. *Prius igitur fuit, ut fructum foenoris eradicaret, quo facilius assuefaceret hominem ipsi quoque foenori, si forte perdendo, cuius fructum didicisset amittere.*

(2) Bened. XIV. in *const. vix pervenit* 143. *to.* 1. *Bullarii*, epistola scilicet encyclica ad Patriarchas, Archiepiscopos Episcopos, et Ordinarios Italiae data die 1. Novembris 1745. ex unanimi consensu Cardinalium, Theologorum, et Canonistarum in duabus Congregationibus explorato ad expendendas clarissimi viri Scipionis Maffei Veronensis opiniones recenter vulgatas pro usu pecuniae foeneratitiae inter divites.

(3) Abbas in *comm. ad tit. Decretal. de usuris.*

(4) Honoratus Leotard. *tract. de usuris qu. 1. num. 2.*

(5) S. Thom. 2. 2. *qu. 76. art. 1.*

(6) S. Antonin. *par. 2. tit. 1. cap. 6. § 1.*

(7) Covarruvias *to. 2. var. resol. lib. 3. cap. 1.*

in hisce verbis, et genus, et differentiam dignoscere Logicis pronum est; nimirum in duobus prioribus genus, in postremo differentiam, dummodo ex Iurisprudentia dignoverint generalissima et pactionum, et lucrorum genera in contractibus qua onerosis, qua lucrativis, et mixtis; mutuum vero speciem esse inter pactiones, et contractus peculiarissimam. Sed genuinam damnatae usurae naturam, specialemque indolem, hac ipsa definitione satis indicatam ex infra dicendis facili negotio patebit.

VII. Quod caput rei est, refellenda primum sunt eorum opinamenta, qui furibundos Calvini errores sectando, aut fallacissimis eius argutiis decepti audent naturalem usurae turpitudinem inficiari, eaque in exiguo mutui lucro, veluti probam tuentur: quam reapse improbam, iniustamque execrantur iura omnia, divinum, naturale, et humanum.

VIII. In primis Deus ipse O. M. tribus in locis Pentateuchi eam omnino interdixit: *Si pecuniam mutuam dederis*, inquit, *populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor, nec usuris opprimes* (1). *Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum, quasi advenam, et peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quam dedisti. Time Deum, ut possit videre frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et fructuum superabundantiam non exiges* (2). *Non* foenerabis *fratri tuo ad usuram pecuniam, non fruges, non quamlibet aliam rem, sed alieno*, fratri *autem tuo absque usura id, quod indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus in omni opere tuo in terra, quam ingredieris possidendam* (3). *Foenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, et iterum redde proximo in tempore suo* (4), h. e. sine usura. Dein eiusmodi legem pluries innovavit Deus etiam ore Prophetarum. Rex David habitaturum in tabernaculo Domini eum pronunciavit, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram* (5). Tum eam aequiparat dolo, fraudi, iniquitati, iniustitiae. *Vidi*, inquit, *iniquitatem, et contradictionem in civitate: dies, ac noctes circumdabit eam super muros eius iniquitas, et labor in medio eius, et iniustitia, et non defecit de plateis eius usura, et dolus* (6). Insuper *ex usuris, et iniquitatibus redimet animas eorum* (7). Ezechiel iniquitatis etiam, et iniustitiae nota usuram damnat, inquiens: *vir, si fuerit iustus, fecerit iustitiam, et iudicium, ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit, ab iniquitate averterit manus suas ... hic iustus est ... quod si genuerit filium ad usuram dantem, et amplius accipientem, numquid vivet? Non vivet, cum universa haec detestanda fecerit, morte morietur* (8). Tandem Christus Dominus, qui non venit solvere legem, sed adimplere, haec de usura iussit. *Si mutuum dederitis his, a quibus speratis, quae gratia est vobis? nam et peccatores pec-*

(1) Exodi *cap. 22. vers. 25.* (2) Levitici *cap. 25. vers. 35.*
(3) Deuteronomii *cap. 23. vers.* 19. (4) Eccl. *cap. 29. vers. 2.*
(5) *Psalm.* 14. *vers. 6.* (6) *Psalm. 54.* (7) *Ps.* 71.
(8) Ezechiel. *cap.* 18. *vers. 22.*

catoribus foenerant, ut recipiant aequalia. Verumtamen benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes (1). His quidem perspicuis utriusque Testamenti auctoritatibus iam patet, usuram iure divino prorsus vetitam in mutuo.

IX. Sunt vero qui mandatam a Christo Domino mutui dationem sine aliqua lucri spe adnumerant consiliis evangelicis quum inimicos diligendi, tum benefaciendi odientibus nos: eo quod uno, eodemque momento *diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et date mutuum nihil inde sperantes.* Inde arguunt non urgere praeceptum evangelicum abstinendi ab usuris in mutuo velut iniustis, et semper vetitis: sed consilium dumtaxat perfectae charitatis, cuius transgressio peccatum non parere, aut saltem non laedere iustitiam, sed vix charitatem iis videtur, ut onus restituendi usuras abiiciant. At communis catholicorum interpretum sententia, quam S. Thomas maxime comprobat, docet utrumque, et *consilium*, et *praeceptum* in recitata Christi Domini lege contineri: *consilium* scilicet affirmans de mutuo dando, de negligenda etiam sortis mutuatae repetitione, deque reciprocis hominum beneficiis, vel ex aequo minime sperandis: *praeceptum* vero negativum de usura nullatenus accipienda pro rebus mutuo datis. *Dare mutuum non semper tenetur homo*, ait Angelicus *et ideo quantum ad hoc ponitur inter* consilia *: sed quod homo lucrum de mutuo non quaerat, hoc cadit sub ratione* praecepti. *Potest tamen dici* consilium *per comparationem ad dicta Pharisaeorum, qui putabant usuram aliquam esse licitam: sicut, et dilectio inimicorum est consilium. Vel loquitur ibi non de spe lucri usurarii, sed de spe, quae ponitur in homine: non enim debemus mutuum dare, vel quodcumque bonum facere propter spem hominis, sed propter spem Dei* (2). Hanc ad rem Dominicus Sotus ita concludit: *si Christus consilium dedit, ut neque gratuitum donum speramus ab hominibus, quod licite possunt rependere, a fortiori consequitur, neque expectandum esse pretium* usus, *quod iustitia vetat* (3).

X. Detestabilis hinc sit Calvini error, et asseclarum eius, qui contendebat Mosaycam legem Hebraeis usuras in mutuo prohibentem fuisse politicam, seu coeremonialem, eamque promulgato Evangelio evanuisse, ut inde colligeret usuras hodie non esse illicitas, neque a Christo Domino vetitas. Cum Calvino cespitavit miserrime Molineaus (4).

(1) Lucae *cap. 6. vers. 34, et 35.*

(2) Thom. *2. 2. qu. 78. art. 1. num. 4. Nullum heic damnum est*, exponit S. Ambrosius *lib. de Tobia cap.* 10., *sed compendium, minimum datis, multum recipietis: in terra datis, et id vobis solvitur, in coelo . . . . Foenerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis ille adstringitur, et tenetur: ille scribit quidquid egenus acceperit.* Pariter Beda eundem Lucae locum explicans: *nihil inde sperantes, hoc est*, ait, *non in homine spem mercedis figentes.*

(3) Sotus *lib. 6. par. 1. art. 1. concl. 1.*

(4) Molinaeus *tract. de usuris num.* 11. *Non est verum*, furens ait, *sed erroneum, et superstiosum, quod illi hactenus scripserunt, et docuerunt, quam*

At opinamenta eiusmodi palam erronea Doctores nostri nedum orthodoxi refellunt, sed et ipse vel haereticus Salmasius sane ridet (1).

XI. Fautores tamen usurae solent alia sacrae Scripturae loca obiicere, ut usuram, et lucrum foeneratitium exculpent. A Christo Domino primum opponunt collaudari servum illum, ut bonum, et fidelem, qui pecuniam sibi commissam cum lucro reddidit Patrifamilias, et e contrario reprehendi alium pigrum, qui pecuniam servavit absconditam, et sine fructu reddidit. Namque sic legitur: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et ego veniens recepissem utique, quod meum est cum usura* (2). Et rursus: *quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens cum usuris utique exegissem illam* (3)? Nec porro magister veritatis, inquiunt, in mutui parabola, vel ficta usuram probasset, haec si absolute, ac semper esset illicita, et Iure Naturae, et divino vetita: nec servum negligentem, vel verbo tenus, et figurate damnasset ob neglectas nummulariorum usuras, nisi eae licerent. Sicuti ob illicitam villici fraudem, qui debitoribus domini sui creditas pecunias partim remisit invito domino cum fraude, redarguit villicum iniquitatis, quamvis eiusmodi prudentiam sua collaudasset parabola (4).

XII. Respondeo Christum Dominum in recitata parabola sensu litterali non loquutum de pecuniae mutuandae usura, sed de lucro, quod quisque servorum pro viribus quaerere deberet: cuique enim secundum propriam virtutem plura, vel pauciora talenta eo animo, et pacto sin-

libet usuram, *aut* foenus, *seu quidquid omnino commodi ob mutuam pecuniam creditor recipiat, a lege divina damnari: quia immo non damnatur* usura, *nisi quae fraudi proximo est, ipsum praegravat. Non obstat universalis illa negativa* Lucae 6: nihil inde sperantes, *quia illic Christus non de usura, sed de restitutione sortis, vel responsione aequalis beneficii loquitur.*

(1) Salmas. *de usuris cap. 20.* ex recitatis Evangelii verbis divinum contra usuras praeceptum exponit, et urget, inquiens: *Haec domini verba iugulum usurae petere nonnemo ex veteribus Patribus, et ex recentioribus Theologis existimavit. Tertullianus inter antiquiores, ne alios nominem, in hac fuit sententia, vetitam usuram Hebraeis fuisse, Christum autem ne de crediti quidem summa suos esse voluisse sollicitos, cum crederent. Praeceptum Mosaycum de usura non accipienda praeludium quasi fuisse voluntatis dominicae de sorte perdenda, qui iusserit, etiam dari mutuum his, a quibus nihil se recepturos sperarent. Basilius porro inter Graecos Domini sermonem in* Matth. *contra usuram facere interpretatus est, et componit eum cum praecepto Mosayco, ut doceat tam veteri Lege, quam nova usuras prohiberi ... Certe ut apud* Lucam *concepta sunt dominici praecepti verba, longe etiam magis usurarum latus transverberant. Nam qui de perdenda crediti summa laborare vetatur quis credit ei concedit pactiones pro credito usurarias facere? Longe est ab eo, qui nihil speraturus de sorte etiam egentissimis credere iubetur, ut ultro paciscatur aliquod ultra sortem sibi reddi, de qua melius, et praecepto convenientius periclitaretur. Illud quidem certum est Dominum non de alio mutuo loqui, quam quod Iudaeis permissum lege fuit Iudaeo daturis mutuum. Cui praecepto ad pleniorem disciplinae perfectionem hoc de suo, velut auctarium mensurae addidit, ut etiam non reddituris mutuum credatur.* Huc usque Salmasius.

(2) Matthaei *cap. 3. vers. 27.* (3) Lucae *cap. 12. vers. 23.*

(4) Lucae *cap. 17. vers. 8.*

gulis servorum ad negotiandum dederat ipse in longinquum proficiscens, dum ait: *negotiamini*, *dum venio .... et regressus scire voluit*, *quantum quisque negotiatus esset* (1). Mensariorum sane, nummulariorumque ars, quae in permutandis nummis probe exercetur, maxime differt ab ea turpi foenerantium, et mutua dantium cum usura illicita. Propterea enim servi reddentes rationem laudantur, quia eo, quod acceperunt ad augendas divitias Domini, bene sint usi. *Bene autem utuntur*, *nummularii pecunia*, scite observat S. Augustinus, *eam permutando*, *male utuntur foeneratores eam cum usura mutuam dantes* (2). Nummularios idcirco in templo sedentes una cum vendentibus boves, oves, et columbas non adversante Synagoga invenit Christus Dominus, eosque de templo eiiciens nummulariorum effudit aes, mensasque subvertit: non quod artem exercent illicitam; sed quod facerent domum Dei domum negotiationis (3). Hinc *boni trapezitae*. seu *negotiatores* ii adpellantur in recitata parabola apud Origenem, Clementem Alexandrinum, ceteros graecos interpretes, et *probati nummularii* apud SS. Hyeronimum Ambrosium, aliosque Patres latinos. Pecunia vero nummulariorum eo usque proba, et licita Hebraeis erat, ut eam ipsi offerre in corbonam templi possent, actionesque ad eamdem repetendam cedere, quatenus morosi debitores ad solvendum cogerentur facilius ob favorem caussae piae, et pauperum (4): at pecuniam delicto, et improbe opera quaesitam nefas erat in templum Domini inferre (5). His ita se habentibus liquet, ex litterali sensu iam explicatae parabolae non probari quidem usuras in mutuo lucrativas, sed lucra solum cuiuslibet licitae negotiationis.

XIII. *Naturali* etiam Iure usuram esse improbam, et iniustam, consentiunt Doctores orthodoxi cum divo Thoma (6). Enimvero foenerator

(1) Lucae *d. cap. 19. vers. 14.* Si vero sensum allegoricum, aut moralem in ea parabola spectemus, dicendum est cum S. Thoma 2. 2. *qu. 78. art. 1.*, quod usura ibi methaphorice accipitur pro super excrescentia bonorum spiritualium, quam exigit Deus volens, ut in bonis acceptis ab eo semper proficiamus, quod est ad utilitatem nostram, non eius.

(2) S. Aug. *lib. 2. quaest. evangel. num. 2.*

(3) Ioan. *cap. 2. vers. 14.*

(4) Id tradit Origenes *to. 3. novae edit. pag. 489.* Huc spectat illud Proverb. *cap. 3. vers. Honora Dominum de tua substantia*, h. e. *de tuis* iustis *laboribus*.

(5) 4. Reg. *cap. 12. vers. 16.* Hostiae impiorum abominabiles, quae offeruntur ex scelere, dicuntur a Salomone Proverb. *cap. 21.* Concinunt divina etiam testimonia Ecclesiastici *cap. 34.* Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi victimat filium in conspectu Patris. Michaeae *cap. 1. v. 7.* Omnes mercedes eius comburentur igne, quia de mercedibus meretricis congregatae sunt. Deuter. *cap. 33. v. 18.* Non offeres mercedem prostibuli. Matthaei *cap. 27. v. 6.* Non licet eos mittere in corbonam. quia pretium sanguinis est. Adde Patrum sententias in *can. non est putanda 27. C. 1. qu. 1.*, *et C. 14. qu. 5.* per totam.

(6) S. Thom. *disp. de malo quaest. 13. art. 4.*; Dare pecuniam mutuo ad usuram est peccatum mortale, nec ideo, quia prohibitum: sed potius ideo est prohibitum, quia est secundum se peccatum: est enim contra iustitiam natura-

cum usura laedit iustitiam reciprocam, naturalemque inter contrahentes aequalitatem: cum enim mutuantis, et mutuatarii aequalis debeat esse conditio, quemadmodum et aliorum contrahentium in permutando, in emendo vendendo, ceterisque id genus: ratio iustitiae non patitur, ut mutuans, plus, quam dederit, accipiat a mutuatario. Nam *res mutuas in hoc damus, ut fiant accipientis, postea alias recepturi eius generis, et qualitatis*, inquit Caius iureconsultus (1). Lucrum proinde caperet mutuans ex re aliena, et locupletior fieret: sed monente Pomponio iureconsulto: *Iure naturae aequum est, neminem cum alterius detrimento, et iniuria fieri locupletiorem* (2). Mutuum idcirco Latini gratuitum a foenore usurario distinguebant, iuxta illud Plauti: *si* mutuo *non potero, certum est sumam* foenore.

XIV. Quonam igitur iure fas erit mutuator, qui naturalem laedere iustitiam nolit, plus dato quidquam accipere? ob *usum* forsitan, et commoditatem rei mutuatae? At in re mutuata, quae ipso consumitur *usu*, Iurisprudentia universalis usum cum dominio ita commixtum, et connexum considerat, ut alterum ab altero separari nullo pacto, sed utrumque statim a mutuante ad mutuatarium in ipso traditionis momento transferri, natura duce statuerit. Quum ergo mutuans tibi semel transferat dominium rei suae, eamdem recepturus speciem, quantitatem, et qualitatem, eo ipso naturaliter amittit etiam usum eiusdem rei tibi continuo quaesitum, eumque inde usum, quem non habet amplius, non potest ipse tibi dare separatim a dominio, et proprietate, ut ei tu vicissim des pro usu lucrum foenoris. Secus est in aliis contractibus, puta locatione, commodato, societate, in quibus dominium rei traditae apud sese cum retineant locator, commodator, socius, usum tantummodo rei, pecuniaeve traditae pretio convento in conductorem, commodatarium, socium transferunt. Hoc eodem argumento utitur S. Thomas ad ostendendam usurae iniustitiam Iuri naturali adversantem (3). Quodvis itaque lucrum accipere pro usu rei,

lem, et hoc patet, si quis recte consideret usurae rationem. Sensisse id quoque videtur Seneca *de benefic. lib. 7.*, dum inquit: quid foenus, et kalendarium: et usurae, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina?

(1) Gaius in *l. 1. §. 2. D. de oblig. et act.*

(2) Pompon. in *l. iure, naturae 206. D. de reg. Iur.*, *et* Tullius insuper *de offic. lib. 3.*, illud natura non patitur (ait) ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, et opes augeamus.

(3) S. Thom. 2. 2. *qu. 78. art. 1.* Ad rem Covarruvias *lib. 3. var. resol. cap. 7. num. 4. to. 2.* scribit: In pecunia, rebusque alii mutuis usus est ipsius rei consumptio, sicque non potest separari a proprietate, nec ab ipsa re. Accipere usuram, ait, pro pecunia mutuata: secundum se iniustum; quia venditur id quod non est, per quod manifeste inaequalitas constituitur, quae iustitiae contrariatur. Ad cuius evidentiam sciendum est, quod quaedam res sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio . . . unde in talibus non debet seorsim computari usus rei a re ipsa: sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res, et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsim vellet vendere usum vini, venderet eamdem rem bis, vel venderet id quod non est; unde manifeste per iniustitiam peccaret. Et simili ratione iniustitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum, petens sibi duas

et rem insuper ipsam mutuo datam, iniqua esse videtur, et iniusta contra naturam permutatio. Quidni? Aut enim creditor intendit lucrum istud recipere pro sorte, aut pro usu ipsius? Si pro sorte, ergo illud is capit ultra sortis aestimationem, vel saltem recipiet iniustum sortis valorem, puta iusto maiorem. Si pro usu rei, id non potest seorsim a sorte aestimari, et bis tum sortem in mutuo aestimaret cum alterius damno, id quod satis iniquum esse iam constat. Hac in re iuvat maximum Ecclesiae magistrum audire Benedictum XIV. ita docentem : *contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati, atque redditi aequalitate versatur, agere ille convincitur, qui eadem aequalitate semel posita plus aliquid a quolibet vi mutui ipsius, cui per aequalitatem iam satis est factum, exigere adhuc non veretur : proindeque sic acceperit, restituendo erit obnoxius ex eius obligatione iustitiae, quam* commutativam *adpellant, et cuius est in humanis contractibus aequalitatem cuiuscumque propriam, et sancte servare, et non servatam exacte reparare* (1).

XV. Ad pecuniam quod specialius attinet, quum ea etiam usu consummetur, eamdem non germinare, nullumque ferre naturaliter fructum exinde patet, quia pecunia pecuniam ex se non parit, et omne ipsius lucrum ex industria hominum, non ex foetura nummorum promanat. Propterea prisci Iureconsulti censuerunt nullum pecuniae proprium usumfructum naturaliter esse, sed improprium dumtaxat quasi usumfructum extrinsecus obvenientem (2). Contra naturam ideo est, a mutuatario aliquid ultra sortem pecuniae creditam recipere ex aliena vel sorte, vel industria, ut cum philosophis Iureconsulti, ac Theologi statuunt. *Pecunia secundum Philosophum* (3) *principaliter est inventa ad commutationes faciendas : et ita* proprius, *et principalis pecuniae usus est ipsius consumptio, sive distractio, secundum quod in commutationes expenditur : et propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecuniae mutuatae accipere pretium, quod dicitur* usura. *Et sicut alia* iniuste *adquisita tenetur homo restituere, ita pecuniam, quam per* usuram *accepit*, addit S. Thomas (4).

XVI. Haeresiarcha Calvinus usuras esse licitas contendens negat

recompensationes; unam quidem restitutionem aequalis rei, aliam vero pretium usus, quod usura dicitur.

(1) Bened. XIV. *cit. ep.* encyclica *art.* 2.

(2) Gaius Ictus. in *l. 2. D. de usufr. ear. rer., quae usu consum.* id palam sensit inquiens : Sed de pecunia recte caveri oportet his, a quibus eius pecuniae usufructus legatus erit, quod Senatusconsulto non id effectum est, ut pecuniae ususfructus proprius esset, nec enim naturalis ratio auctoritate Senatusc. mutari potuit : sed remedio introducto coepit quasi ususfructus haberi. Quandoquidem, ut docet Ulpianus, Senatus censuit, ut omnium rerum, quas in cuiusque patrimonio esse constaret, ususfructus legari possit. Quo S. C. inductum videtur, ut earum rerum, quae usu tolluntur, vel minuuntur, possit ususfructus legari. *l. 1. D. eod. tit.*, h. e. non proprius, nec naturalis, sed improprius, et accidentalis.

(3) Aristot. *lib. 1. politic. cap. 7., et ethic. lib. 4. cap. 1.*

(4) S. Thom. *loc. cit.*

sterilem natura pecuniam esse. *Nec vero arguta illa*, inquit, *ratio Aristotelis consistit, foenus esse praeter naturam, quia pecunia sterilis est, nec pecuniam parit: poterit enim illè, quem dixi, frustrator* (scilicet mutuatarius) *ex aliena pecunia quaestum uberem facere negotiando; fundi emptor metet, ac vindemiabit* (1). Huius sententiam a vero longissime aberrantem sequutus est cum aliis asseclis Nicolaus Brohedersen (2), qui totis lacertis propugnare studet, omne lucrum ex mutuo nec Iuri naturali, nec divino adversari.

XVII. Verum enimvero ex rationibus iam expensis cum B. Thoma, Covarruvia, et Benedicto XIV., tanquam haeretica est huiusmodi Calvinistarum opinio damnanda, quae falso praesupponit, accipientem mutuum aliena lucrari pecunia, quae procul dubio ipsius est accipientis, statim ac ei mutuans dederit eam.

XVIII. Rursum oppones, ratione morae, dilataeque restitutionis mutui posse mutuantem aliquod emolumentum accipere iustum pro recompensanda gratia, quam facit expectando sortis restitutionem, quum isthaec mora pretio digna videatur. Nam *non propter lucrum petentium, sed propter moram solventium usuras infligi*, respondit Paulus iureconsultus (3). At quoniam tempus a Deo O. M. datum aequaliter hominibus est, fas proinde mutuantibus non erit lucrum ex beneficio solius temporis captare (4): nisi accesserit vel iactura lucri cessantis, vel damnum emergens ex mora debitoris, quod reficere tunc usuris compensatoriis iustitia postulat ex infra dicendis. Urgebis iterum, utilitatem mutuatario obvenientem ex usu mutui, et dilata eius restitutione, pretio aestimabilem. *Quidquid vero*, reponit S. Thomas *de utilitate contingit ei, cui mutuum dedi, ultra mensuram mutui ex pecunia mutuata, hoc est ex industria eius, qui sagaciter pecunia usus est. Industriam autem ipsius ei vendere non debeo. Secus nec pro stultitia eius habere minus debeo* (5).

XIX. Cave insuper, ne putes rationem naturalem abesse a divino praecepto usuras prohibente ex eo, quod in veteri Lege Deus indulserit Hebraeis foenus, et usuram cum alieno exercere (6). Nam B. Ambrosius monet, id propterea permissum Hebraeis, quia Deus omnia alienarum gentium bona iure belli eis in terra promissionis con-

(1) Calvin. in *cap. 18. Ezechielis.*

(2) Nic. Broherdersen *lib. 5. de usuris licitis, et illicitis par. 3. cap. 2., et 5.*, qui se pastorem catholico Romanum Ecclesiae Ultraiectinae inscribit, quum sit schismaticus Iansenista, et pseudo Canonicus.

(3) Paul. in *l. cum quidam 17. §. si pupillo 3. D. de usuris.*

(4) Id quod explicat fusius auctor incertus *opusc. 73. cap. 4.* S. Thomae vulgo inscripti. (5) S. Thom. in *3. disp. 37. qu. 1. art. 6.*

(6) Tanti autem momenti visa nonnullis est haec legis Mosaycae auctoritas ad naturalem usurae iniustitiam excludendam, ut suspicarentur verba illa *sed alieno* non germana esse, nec a Moyse prolata, sed ab interpretibus Collegii Iudaici ad glossam adiecta, ex relatis a Rota Romana coram Merlino *dec. 409. num. 45. to. 1.* At incorruptam, et genuinam hac in re litteram sacri Textus ostendunt nedum versiones omnes Hebr. Graec. Latin, verum etiam Interpretationes Patrum.

cesserat, quemadmodum et spolia Ægyptiorum iisdem ab ea regione profecturis. *Ab illo*, inquit Ambrosius, *usuram exigere potest, cui merito nocere desideras: cui iure inferuntur arma, huic legitime indicuntur usurae: quem bello vincere facile non potes, de hoc cito potes centesima vindicare. Ergo ubi ius belli, ibi etiam ius usurae* (1).

XX. Dubitaveris adhuc retributionem naturali Iure deberi ob gratuitum mutui beneficium. *Nihil enim*, inquit Cicero, *remuneratione benevolentiae, nihil vicissitudine studiorum, officiorumque iucundius* (2). *In retributione commonere civitatem*, monet Aristoteles (3). At vero distinguere duplicem remunerationem oportet, *necessariam* scilicet iustitiae, et *voluntariam* amicitiae. *Necessaria* iustitiae remuneratio usque adeo exigit aequalitatem, et pariationem (4), ut quisque tantum debeat benefacienti retribuere, quantum ab eo acceperit: mutuatarius idcirco mutuantem remuneraturus ei non aliud, nisi rem mutuo accepto aequalem reddere tenetur. At *voluntaria* amicitiae remuneratio cum omnem repellat iuris necessitatem, et solum dependeat ex libertate animorum; aestimationem pecuniae ex pacto non patitur: ideoque inepta est ad metiendam obligationem mutuatarii erga mutuantem ex recepta B. Thomae sententia (5). Hinc inter proscriptas ab Innocentio XI. propositiones taxatur 42. his verbis concepta: *usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, et* gratitudine *debitum, sed tantum quod exigitur, tanquam ex iustitia debitum.*

XXI. Praeterea sunt, quibus pactum ultro, citroque voluntarium de usura pro mutuo praestanda, dummodo fraus, et violentia in paciscendo absit, neque iniustum, nec mutuatario iniuriosum videtur: quia *volenti, et consentienti nulla fit iniuria* (6): *et nemo videtur frau-*

(1) S. Ambrosius in *can. ab illo 12.*, *et ult. C. 14. qu. 4.* Suum huic sententiae calculum addidit S. Thomas *lib. 3. sent. dist. 37. quaest. 1. art. 6. Vel dicendum* cum eodem Angelico Doctore *ibidem, quod sicut libellus repudii permissus est eis ad duritiam cordis eorum, ne uxores interficerent, ad quod proni erant, ita etiam permissum fuit eis foenerari extraneis, ne fratribus suis foenerarentur, ad quod eos innata avaritia incitabat. Sed postmodum*, idem S. Thomas *disp. de malo quaest. 13. art. 3.* subdit, *per Prophetas admoniti sunt, ut totaliter ab usuris abstinerent, ut patet.* Hinc absurdior omnino videtur opinio Scipionis Maffei *lib. 1. dell'impiego del danaro cap. 6.*, dum is *alienum* a Moyse dictum non pro alienigena, sed pro concive non consanguineo sumit, iuxta illud Cic. *lib. de amicitia: Cives potiores sunt, quam peregrini, propinqui, quam* alieni.

(2) Cic. *lib. de amicitia.* (3) Aristot. *Ethicor, lib. 5.*

(4) Scaevola in *l. Stichus 67.*, *seu fin. §. 3. D. de condict. indebiti* loquitur *de parationibus*, in quibus nimirum par est summa accepti, et dati. Officium quadam mercede remuneratum esse Regulum dixit Papinianus in *l. Aquilius Regulus 27. D. de donat.*, ut reciprocam in retributione iustitiam indicaret vocabulo *mercedis*, et *officii*.

(5) S. Thomas *2. 2. cit. qu. 78.*, *et cit. disp. quaest. de malo.*

(6) *Cap. scienti 27. de reg. Iur. in VI.* Nemo sibimetipsi facit iniustum, Arist. *Ethicor lib. 5.*

dare eos, qui sciunt, et consentiunt (1). Si quidem *in traditionibus rerum , quodcumque pactum sit , id valere manifestum est* (2).

XXII. At vero si *Ius publicum privatorum pactis mutari non potest* (3) , eo vel minus mutari Ius divinum, et naturale poterit, pactiones usurarias vetans in mutuo. Id quod Ulpianus cum Proculo ratione solum naturali etiam vidit, inquiens: *si tibi dedero decem sic, ut novem debeas : Proculus ait, et recte , non amplius te ipso iure debere , quam novem ; sed si dedero , ut undecim debeas , putat Proculus amplius, quam decem condici non posse* (4). Praeterquam quod in pactione usurae inter mutuantem , et mutuatarium ipso quidem iure praesumitur violentum voluntario mixtum. Ecquis enim mutuo indigens gratis illud habere sine auctario magis nolit , quod nonnisi renitentia , et difficultate foenerantium fere coactus aegre accipit cum pacto usurae? Ita etiam qui merces proiicit in mare , ut navis procella urgente ne periclitetur , violentia voluntario mixta ad eas proiiciendas compellitur. Si cui videantur soli pauperes ob alimentorum necessitatem pati vim voluntate mixtam in foenore: secus vero divites , et mercatores , qui lucrifaciendi potius caussa, vel voluptatibus impulsi, quam ut necessitatibus vitae consulant , mutuas accipiendo pecunias , videantur probo iure usuris rependendis ob mutuum obnoxii: S. Thomas duplicem scite distinguit necessitatem *simplicem* videlicet , *et relativam. Simplex* quidem, et *absoluta* necessitas adest cibo ad vitam necessario , *relativam* secum fert conditio personarum , quibus plura sunt necessaria ad vitam civilem , et splendidiorem (5). Ea ipsa necessitatis ratio efficit , ut pauper egestate compulsus foeneratitium mutuum accipere usuras paciscendo non peccet ex communi Theologorum consensione: secus autem cum S. Thoma dicendum, si nulla mutuum accipiens egestate prematur (6), quia peccandi occasionem lubens praebet foeneratori.

XXIII. Hactenus dicta cum satis patefaciant improbitatem usurae utroque Iure divino , et naturali damnatae ; consequens est , ut eam nullo umquam modo probam, honestamque possint humanae leges efficere , ad quas eo animo percurrendas descendo , ut non humanae auctoritati , quae fallax non semel est , sed divinae obsequamini. Romani quidem Iureconsulti ante Evangelium usuras legitimas habebant (7) : easque intra statutum modum licitas peti posse respondit Marcianus (8). Quum lex XII. tabularum , *unciarias* , nimirum *centesimas* permisisset usuras (9) : eas idcirco *legitimas* Iureconsulti adpella-

(1) Ulp. in *l. nemo videtur 146. D. eod. tit.*
(2) Ex Gaii axiomate in *l. in traditionibus 48. D. de pactis.*
(3) Papin. in *l. ius publicum 39. D. de pactis.*
(4) Ulp. in *l. rogasti me 11. §. 1. D. de rebus creditis.*
(5) S. Thom. *cit. disp. de malo num. 71. ad 8.* Hinc *necessarium* multoties Iureconsulti appellant, quod utile sit, atque expediat, cum *gl. in l. 1.* verb. *necessarium D. soluto matr. et l. 1. verb. necesse D. de offic. Praef. Praet.*
(6) S. Thom. *cit. qu. 78. art. 4. num. 1.*
(7) Papinian. in *l. 1. D. de pignoribus.*
(8) Marcian. in *l. placuit 29. D. de usuris.*
(9) Corn. Tacit. *annal. lib. 6. num. 21.* haec tradit. *Primo duodecim tabulis*

bant (1), quas Cicero *menstruas* etiam dixit (2). Singulis enim mensibus unum pro quolibet centenario foeneratores accipiebant, adeo ut solutae per centum menses usurae sortem aequarent, quemadmodum as unus duodecies ductus, unciam duodecim assibus constantem adaequat. Plura dein plebiscita de unciario foenore primum innovato, mox ad semunciam deminuto fert Livius (3). AEvo suo Tullius instauratas Sen. C. usuras centesimas scripsit ad Atticum (4): suoque ipsius edicto praetorio *centesimas* se observaturum edixisse cum *anatocismo anniversario* (5). Ad sedandas vero civium seditiones, levandosque pauperes aere alieno, et cumulatis foenoribus oppressos vel abolere aliquandiu, vel deminuere usuras sueverunt legum latores. Iulius Caesar Imperator abolendas censuit omnino usuras, dum iussit, ut debitores aes alienum sine ullo foenore persolverent, iisque in solutum darent possessiones suas iuxta aestimationem datis arbitris faciendam deducto ex sorte, si quid usurarum nomine antea numerassent (6). Pro conditione temporum interea prisci Iureconsulti respondere sueverunt, *sive supra statutum modum quis usuras stipulatus fuerit*, *sive*

sanctum, *ne quis* unciario foenore *amplius exerceret; quum antea ex libidine locupletium agitaretur : dein rogatione tribunicia ad* semuncias *redacta : postremo vetita* versura, *multisque plebiscitis obviam ilum fraudibus*, *quae toties repressae minas per artes rursum oriebantur*. Videsis Gothofred. in *fragm. XII. tab. tit. 15. Versuram* vetitam dum audis, ne putes cum Gothofredo foenus omne cum ea abolitum. Nam facere *versuram* a latinis dicuntur, qui mutuam cum usuris pecuniam, ut ea aliud aes alienum dissolvant, accipiunt : scilicet vertunt, seu mutant creditorem foenus foenore dissolventes. Hinc Cic. *lib. 5. ad Attic. ep. 1.*, quum DCCC. ILS. ipse deberet, *ea quidem*, ait, *ego utique vel* versura *facta solvi volo*. Tum ipse Tullius ad Atticum ipsum *ep. 21. lib. 6.* scribit, quod *Salaminii*, *cum Romae*, *versuram facere vellent*, *non poterant*, *quod lex Gabinia vetabat* in urbe fieri; eademque lex Gabinia *ex syngrapha ius dici vetaret*. Addit Senatus Cons. Scaptio, et Salaminiis utrumque indulsisse gratia Bruti.

(1) Ex *l. 8. C. Th. de usuris* id observat Cironius *lib. 4. obs. cap. 5.*

(2) Cic. *ad Atticum lib. 6. ep.* . . Eo spectat illud Horatii *ode 2. Omnem relegit idibus pecuniam*, *quaerit kalendis ponere.*

(3) Livius *lib. 7. dec. 1. cap. 10.* ad an. urbis 398. fert, C. Martio, et Gn. Manlio Conss. de unciario foenore a M. Duilio, et L. Maenio tribunis plebis rogationem fuisse perlatam, quam aliquando plebs cupidius scivit, accepitque patribus aegre ferentibus. Tum *lib. 7. cap. 19. ad an.* urb. 408. scribit T. Manlio Torquato, et C. Plautio Conss. Semunciarium tantum ex unciario foenus factum: puta deminutum ad sex in centenos quotannis.

(4) Cic. ad Atticum *lib. 6. ep. 21.* prope finem : Quum Senatus Consulto, ait, modo factum sit, puto, postquam tu es profectus, in creditorum caussa, ut centesimae perpetuo foenore ducerentur.

(5) Idem *loc. cit. Cum ego*, inquit, in edicto translatitio (idest consueto) centesimas me observaturum haberem, cum anatocismi anniversario; ille (h. e. Scaptius) ex syngrapha postulabat quatuor centesimas . . . Clamare omnes, qui aderant, nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset.

(6) Id tradit Caesar *lib. 3. de bello civ.*, et Sveton. in eius vita *cap. 42.* Sed Asellius Praetor quum suaderet legem de tollendo foenore apud Romanos, eum a foeneratoribus occisum fert Appianus Alexand. *de bello civ. lib. 1.*

usurarum usuras, *quod illicite adiectum esset*, *pro non adiecto haberi*, et licitas tantum peti posse (1).

XXIV. Constantinus Imperator usuram sescuplam, seu sesquialteram in frugibus quum humidis, tum arentibus permisit (2). Quod genus foenoris gravissimum, aequans rationem 50. in 100, execratus est primum B. Hieronymus (3), dein etiam Iustinianus (4). Hinc Imperator idem sanxit, ne quis pro mutuato tritico, vel hordeo, aliave fructuum aridorum specie amplius ab agricolis, quam *octavam* modii partem in singulos modios quotannis acciperet pro usura, et pro singulis pecuniae solidis *siliquam* unam, hoc est *trientem centesimae* (5). Varius, et incertus fuisse usque ad Iustinianum usurarum modus, aut iusto gravior videtur Molinaeo (6). Quandoquidem Imperator iste post Constantinum invenitur primus indulsisse personis illustribus foenerari cum usura usque ad *trientem centesimae*, seu quatuor in centum; mercatoribus, piorumque locorum OEconomis usque ad *bessem centesimae*, seu octo in 100., plebeis usque ad *dimidium centesimae*, puta sex in 100; in traiectitia demum pecunia, seu nautico foenore usque ad *centesimam*: iussitque superfluum creditoribus exactum in sortis deminutionem, satisfactionemque imputari (7). Adhaec Iustinianus idem constituit, *si duplum debiti solvatur*, *ut nulla contra* mutuatarios *supersit exactio* usurarum ulterior (8): verum excepit ab ea lege Civitates, ac Respublicas, quibus indulsit usuras ex mutuo perennes exigegere usque ad sortis restitutionem, quamvis duplum excederent (9).

XXV. Orientis Imperator Basilius Macedo saeculo IX. humanas leges,

(1) Marcian. in *l. placuit 29. D. de usuris.*

(2) Constantin. in *l. 1. C. Theod. eod. tit.*

(3) S. Hieron. *lib. 9. in Ezechiel. cap. 18.*, apud Gratianum relatus post *can. 2. dist. 47.* Solent in agris, ait, frumenti, et millii, vini, et olei, ceterarumque specierum usurae exigi, sive, ut appellat sermo divinus, superabundantiae: ver. gr., ut hiemis tempore demus decem modios, et in messe recipiamus quindecim, h. e. amplius partem mediam.

(4) Quod tanta usurae sescuplae vorago perniciem agricolis maximam in dies intulisset in Provincia Thraciae potissimum, fassus est Iustin. *Nov. 32.*, *et 33.*

(5) Iustin. *Nov. 34.*

(6) Idem *cap. 1.* seu *Auth. adhaec qui fructus C. de usuris.* Innocentius Cironius in *paratit. de usuris* putat *siliquam* aequare vigesimam quartam solidi partem. Sed Gothofredus trientem centesimae: hunc sequor. Nam ex Leonis Imp. *Nov. 83.* aperte liquet trientem centesimae quotannis parere foeneratoribus singulas siliquas in singulos solidos. Idemque affirmat Ammianus in *l. 2. C. Th. de usuris.*

(7) Molin. in *tract. de usuris num. 42.*, *et 54.*

(8) Iustinian. in *l. eos qui 26. C. de usuris.*

(9) Idem in *l. pen.* §. 1. *C. eodem*, *et Nov.* 121., cui in Auth. *tit. 4. coll. 9.* haec inscripta est rubrica, *ut particulares usurarum solutiones in duplum computentur.* Ea enim Novella rescribens Basilio Praesidi Tarsorum definivit caussam inter Demetrii ex mutuo debitoris nepotes, et haeredes Artemidori creditoris, iussitque, ut soluto reliquatu solidorum 51., qui summam mille aureorum complerent, nil aliud pendere debitores cogerentur pro sorte quingentorum aureorum mutuo accepta. Tum Nov. 138. ad Hermogenem officiorum magistrum rescripsit de usuris supra duplum non computandis.

quae usuram permitterent, abrogandas omnino censuit, ut Iuri divino eam vetanti obsequeretur (1): *Etsi maiorum nostrorum*, ait, *plerisque visum est tolerandam esse usurarum solutionem forte propter creditorum molestias, et incommoda: nos tamen cum nostra republica Christiana penitus indignam, aversandam, et execrandam esse censuimus, tanquam Iure divino interdictam. Ideoque nostra vetat Serenitas, ne cuiquam omnino in ullo negotio liceat usuras accipere, ut ne dum iuri servando studiosius addicti fuerimus, Legem Dei violemus: sed etsi quis, vel tantillum ceperit, sorti imputator* (2). Praeclara parentis sui vestigia Leo Imperator cognomento *sapiens*, et *philosophus* tenere hac in re (id sane mirum) sciens prudens noluit, dum sua is lege indulsit foeneratoribus usuram trientis centesimae, ratus id pauperibus magis expedire mutua pecunia indigentibus, quippe quam sine usura divites consuevissent denegare (3). Itaque *leges humanae dimittunt quaedam peccata impunita propter conditionem hominum imperfectorum, ideo usuras non secundum iustitiam concessisse videntur*, inquit S. Thomas (4).

XXVI. At vero sacri Ecclesiae canones, sanctique Patres usuram detestari numquam intermiserunt, aeque in clericis, atque in laicis. In vetustissimis canonibus vulgo *Apostolorum* ita sancitum est: *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus usuras a debitoribus exigens aut desinat, aut certe deponatur* (5). Synodus Eliberitana an. 305. clericos item usurarios degradatione coercuit (6): quemadmodum et

(1) *Nov.* 160.

(2) Hanc legem ita conceptam ab Hermenopolo *epitom. lib. 3. tit.* relatam, adeoque inscriptam perperam Leoni Imp. Basilii filio, observat Cuiacius *ad l. 20. C. de usuris*, et probat ex ipsius Leonis *Nov. 83.* mox recitanda.

(3) Leonis *Nov. 83.* ita se habet. « Si a Spiritus legibus ita se mortale genus regi sineret, ut humanis praeceptis nihil indigeret; id vere decorum, et » salutare esset: at quoniam se ad Spiritus sublimitatem elevare, divinaeque legis vocem amplecti non cuiusque est, et quos huc virtus ducat, numero pauci » valde sunt: bene sese adhuc res haberet, si saltem secundum leges humanas » viveretur. Quae vocantur pecuniae creditae usurae, ubique a Spiritus decreto » condemnantur. Id sciens pater noster aeternae memoriae princeps usurarum » solutionem sanctione sua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res » illa non in melius (quem tamen finem legislator proposuerat), sed contra in » peius vergit. Qui enim antea usurarum spe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, post latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possint, in eos, » qui pecuniis indigent difficiles, atque immites sunt: quin etiam ad facile iurandum, quodque id fere consequitur ad iureiurando abnegandum, id occasionem » praebuit. Breviter propter redundantem in humana vita perversitatem non modo » non profuit legis virtus, verum etiam obfuit. Quanquam igitur ex se legem culpare (quod quidem etiam absit) nequeamus: propterea tamen quod humana natura, quomodo diximus, ad illius sublimitatem non perveniat, egregium illud » praescriptum abrogamus, ac in contrarium statuimus, ut aeris alieni usus ad » usuras procedat, idque quomodo veteribus legislatoribus placuit, ad trientes » centesimae, quae nempe quotannis in singulos solidos singulas foeneratoribus » siliquas pariant. »

(4) S. Thom. in *summa qu. 78. art. 1. ad 3.*

(5) Ex *Can. 43.* vulgo *Apostolorum* Gratianus in *can. 1. dist. 47.*

(6) Syn. Eliberit. in *can. si quis 5. dist. 45.*

Synodus Arelatensis anno 314. (1), Laodicaena an. 320, vel 364. (2), Nicaena generalis an. 325. (3), Carthaginensis III. anno 347. (4), Carthaginensis IV. an. 398 (5), Tarraconensis anno 516. (6), Lateranensis sub Martino I. an. 649. (7), Quinisesta, sive Trullana anno 692. (8), ceterae.

XXVII. Ex hisce Conciliorum decretis Molinaeus, eiusque asseclae usurarum patroni arguunt, usuras clericis tantum prohibitas fuisse in veteri Ecclesiae disciplina, contendentes laicis e contrario permissas saltem moderatas. Sed a vero longissime abeunt: quum Gratianus noster (9) quamplurimis ostendat monimentis non secus clericis, quam laicis omnino vetitas ab Ecclesiae Patribus fuisse usuras. Si enim concedamus ultro, nullum de laicis foenerantibus verbum fecisse Patres in praelaudatis synodicis decretis: patet nihilominus ratio eorum silentii, quippe qui poenas publicas in clericos tantum usurarios sancire, atque ab illis in laicos decernendis, abstinere ideo censuerunt prudentissime, ne Principes laicos, qui suis permittebant legibus usuras, offenderent. Inspicienti porro cuique verba canonis Nicaeni et Laodicaeni palam videntur usurae inibi damnatae, praesertim *centesimae*, *et sescuplae*, ne Constantiniana lege quis falleretur, quae eas in frugibus usuras indulserat (10). S. Augustinus prae ceteris caussam detexit, cur synodi ecclesiasticae silentio praeteriverint laicos in sanctionibus contra foenerantes clericos latis. *Quid dicam de usuris*, ait, *quas etiam ipsae leges, et iudices solvi iubent? an crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem foenore? haec, atque huiusmodi male utique possidentur, et vellem, ut restituerentur, sed non est, quo iudice repetantur... Hoc enim certe alienum non est, quod iure possidetur: hoc autem iure, quod iuste, et hoc iuste, quod bene. Omne igitur, quod male possidetur, alienum est: male autem possidet, qui male utitur foenerando* (11).

(1) Arelatens. in *can. ministri 2. C. 14. qu. 4.*
(2) Laodicaen. in *can. non licet 9. dist. 46.*
(3) Nicaen. in *can. 2. dist. 47.*, *et can. quoniam 8. C. 14. qu. 4.*
(4) Carthag. III. *can. nullus clericorum 6. C. 14. qu. 4.*
(5) Carthag. IV. in *can. seditionarios 8. dist. 46.*
(6) Tarracon. in *can. si quis clericus 5. C. 14. qu. 4.*
(7) Lateranens. *can. si quis oblitus 4. eod. C., et qu.*
(8) Quinisesta *can. 10.*
(9) *C. 14. qu. 5.* per tot.
(10) Id quod observant Romani Correctores post *cit. can. 2. dist. 47.*
(11) S. Aug. ep. 54. ad Macedonium in *can. quid dicam 11. C. 14. qu. 4.* Id recte observavit Iustus Hennigius Bohemerus lutheranus *to. 5. iur. Eccl. protest. lib. 5. tit. 19. §. 18.*, *et seq.*, ita scribens: *Patres prorsus damnant usuras sub poenis . . . Patres huius saeculi IV.*, *qui per modum doctrinae de usuris scripserunt, in genere usuras damnant sine personarum discrimine. Tertullianum iam ante Cyprianum eas improbasse liquet ex* lib. 4. adversus *Marcion.*, *Ambrosius . . . . Chrysostomus. Pariter saeculo V. eadem doctrina a Patribus inculcata est, ut liquet ex Augustini locis . . ., et Hieronymi doctrina. Leo vero Papa expressius prohibitionem usurarum designat . . . . Interim Patres, leges civiles usuram permittentes, non impugnarunt directe, quod Or-*

Consonant S. Ambrosius (1), S. Leo Magnus (2), ceteri Patrum Ecclesiae quum latini, tum graeci (3). Rursum responde plerisque canonibus antiquae disciplinae in solos clericos fornicarios, adulterosque sanctas poenas esse: ecquis vero sanae mentis exinde arguat, fornicationem, et adulterium sententia Patrum laicis licuisse? Nullius ergo momenti est argumentum pro usuris erutum ex canonibus antiquis in clericos tantum, non laicos animadvertentibus.

XXVIII. In nova tamen Ecclesiae disciplina certo certius est plurimis Conciliorum, et Pontificum sanctionibus laicos quoque coercitos ob usurae crimen fuisse, abrogatis Principum saecularium legibus, quae usuram contra fas permitterent. Quandoquidem Alexander III. in generali Concilio Lateranensi manifestos usurarios ab altaris communione, Ecclesiaeque sepultura arcendos, eorumque oblationes omnino respuendas decrevit: praetereaque censuris ecclesiasticis compellendos ad restitutionem (4). Tum Ianuensi Archiepiscopo rescripsit, laicos foeneratores post episcopalem monitionem usuras accipere non desinentes fore excommunicandos, clericos vero ab officio, et beneficio suspendendos (5). Panormitano autem Archiepiscopo respondit nullam posse fieri indulgentiam super usurarum crimine, quod utriusque Testamenti pagina detestatur (6). Insuper Archiepiscopo Salernitano usurarios poenis Concilii Lateranensis esse ad restitutionem usurarum, quas ii ante Concilium quoque accepissent, cogendos (7). Plurimas deinde quaestiones de contractibus usurae obnoxiis definivit Sedes Apostolica nedum decretalibus in Corpore Iuris contentis, sed novis etiam constitutionibus extravagantibus, quas exhibent quum libri extravagantium, tum magnum Bullarium Romanum, multasque opiniones a probata Ecclesiae doctrina dissentaneas proscripsit, inferius passim edisserendas. Et quod magis est heic praenotandum, Ecclesia latina aevo posteriori audentius, quam Patres Nicaeni, ceterique veteris etiam disciplinae publicas in laicos usurarios poenas inflixerunt liberrime, humanis legibus, statutisque populorum, quae usuram permitterent, contemptis omnino, et abolitis. Profecto Concilium Lugdunense II. sub Gregorio X. anno 1274. post innovatas Concilii Lateranensis sanctiones, vetuit Universitatibus, Dominisque terrarum, ne domos locarent alienigenis ad foenerandum, neque foenus umquam exer-

bis Romanus, Gentilium copia adhuc abundaret, et fori civilis ratio haud permitteret, ut usurae ratione commerciorum eliminarentur.

(1) S. Ambros. in *can. plerique 3., can. si quis 10. ead. C. et qu.*

(2) S. Leo in *can. nec hoc quoque 7. ead. C. et qu.*

(3) E graecis S. Basilius in *psalm.* 14., S. Greg. Nissen. *ep. ad Leontium cap. 6.*, S. Greg. Nazianz. *orat.* 15., S. Cyrillus Alexandr. *de adopt. lib.* 8., Chrysostom. *hom. 41. in cap. 18. Genesis in can. eiiciens* 11. *dist. 88.*, S. Athanasius in *psalm.* 14. E latinis post praelaudatos Tertullianum et SS. Augustinum, et Ambrosium Lactantius *lib. 6. cap. 18*, S. Hilarius *in psalm.* 14., S. Maximus *hom. 2.*, Sidonius Apollinaris *ep. ad Turnum lib. 4. num. 24.*

(4) Conc. Later. III. in *cap. quia in omnibus de usuris.*

(5) Alex. III. in *cap. praeterea 7. eod tit.*

(6) Idem in *cap. super eo 4. eod. tit.*

(7) Idem in *cap. cum in manifestos 5. eod. tit.*

cere sinerent, inflictis perinde in ecclesiasticos, ac laicos, et collegia secus agentes censuris-suspensionis, excommunicationis, et interdicti (1). Postea Concilium Viennense sub Clemente V. anno 1311. edixit, ut quaecumque communitatum potestates, rectores, consules, iudices, consiliarii, ceteri quilibet officiales statuta facere, scribere, dictare aut quod solvantur usurae, aut quod solutae non restituantur, scienter praesumentes, sententiam excommunicationis incurrant, nisi tres intra menses ea omnino deleverint, utque foeneratores eadem censura cogantur suarum libros rationum edere, quibus convinci de usurae crimine possint: et pertinaciter asserentes foenerari cum usuris non esse peccatum, puniantur, ut haeretici (2).

XXIX. Municipales huius regni leges maluerunt Iuris divini, sacrorumque canonum veritatem, quam legum humanarum hac in re fallaciam sectari. Sane primus omnium Rex Guilielmus II., quem *bonum* appellant, statuit, ut usurariorum caussae ab iudice saeculari diiudicarentur iuxta decretum Pontificum (puta Alexandri III. in prelaudato Concilio Lateranensi III.), ut scilicet manifesti, convictique usurarii cogerentur acceptas vitio foenoris quantitates restituere (3). Tum Fridericus II. Imperatoris anno 1231. inter constitutiones in Apulia promulgatas sanctionem in usurarios tulit, eosque publicatione bonorum omnium puniendos, et cuilibet de populo accusandos mandavit: Iudaeis exceptis, quibus foenerari cum usuris ducatorum decem in centum concessit (4). Andegavenses Principes eiusmodi sanctionum observan-

(1) Conc. Lungd. II. in *cap. 1., et 2. de usuris in VI.*

(2) Conc. Vienn. in *cap. ex gravi un. de usuris* in Clementin.

(3) Guilielmus II. in regni *const. statuimus I. de usurariis puniendis Statuimus*, ait, *ut iuxta decretum Domini Papae* de usuris *nuper in Romana Curia promulgatum quaestiones* usurarum, *quae ad Curiam nostram adductae fuerint, in eadem diffiniantur, et terminentur.* Constitutionem hanc a Rugerio rege in conventu Arianensi latam an. 1140. inter 44. constitutiones opinatus est Summontius: eam Rugerio III. inscriptam habent nonnullae constitutionum nostrarum editiones. At Guilielmo rectius inscribitur in defaecatis earumdem editionibus, praesertim Veneta an. 1540., et Lugdunens an. 1560. Id etiam tenor constitutionis ipsius videtur sat innuere illis verbis: *iuxta decretum Domini Papae nuper promulgatam;* quod sane decretum non aliud esse videtur, nisi Alexandri III., quum nullum Innocentius II., sub cuius pontificatu regnavit Rugerius, decretum de usura edidisset in Conc. Lateran. II. an. 1139., celebrato ad irritanda Anacleti Antipapae acta, refellendosque Arnaldi Brixiensis errores. Andreas de Isernia auctorum istius constitutionis inconsulto fert Guilielmum I. vulgo *malum* animo non advertens suo illum annos tredecim, antequam in Concilio Lateranensi III. Alexander III. usuram proscripsisset, iam obiisse anno 1166.

(4) Frid. II. in *const. usurariorum nequitiam 2. de usuris* sanxit, *ut nullus in posterum pecunias suas per se, vel per alios mutuo sub magnis usuris, vel minimis dare foenori audeat publice, vel occulte. . . ut quicumque amodo foenerator in regno inventus fuerit omnium bonorum suorum tam mobilium, quam immobilium publicatione damnetur. Omnibus etiam regni nostri fidelibus concedimus liberam potestatem usurariorum nequitiam in publicum deferendi. Nec a delatione propterea aliquis depellatur, quod damnum proprium, vel suorum, vel suam iniuriam minime prosequatur. Crimen istud praesenti lege sit* publi-

tiam voluisse dubitandum non videtur (1) Ludovicus III. Dux Andegavensis, et Regina Ioanna II. die 8. Iulii 1429. edixerunt: *ubi contra aliquem de illicito crimine usurarum publica fama concurrit, si tres testes fide digni, iurati testificentur, crimina tum ipsum in eos exercuisse usurariam pravitatem, non obstante, quod in eorum testimonio sint singulares, et in eorum caussis propriis quodammodo deposuisse cognoscantur, habeatur, ac si probatum esset legitime crimen, et exinde merita condemnatio subsequatur, et illos iuris praesidia non defendant, qui spretis SS. Patrum decretis in caritatis opprobrium, et proximi perniciem minime delinquere formidarunt* (2). Ferdinandus catholicus die 16. Septembris 1492. iussit, ut instruerentur iudicia contra usurarios *summarie, simpliciter, et de plano, qui vel directe usuram commiserint, vel quibuscumque coloribus foenus, aut usuras fecerint, sive, ut aiunt, ad accivimentum dederint, vel quocumque alio vocabulo, aut cautela usi fuerint, ad simplicem denunciationem, vel querelam* (3). Idemque Rex catholicus die 20. Aprilis 1507. execratus insatiabilem sitem foeneratorum, et multitudinem personarum illicite foenerantium contra expressum divinae legis praeceptum, et humanas etiam constitutiones sanxit, ne quis umquam cuiuslibet gradus, aut conditionis auderet vel publice, vel occulte, tam per se, quam per alium committere usuram, neque in magna, neque in modica quantitate sub poenis contentis in sacris constitutionibus, et capitulis huius regni: utque ad usurarios puniendos procederetur iuxta formam iisdem constitutionibus, et capitulis descriptam (4). Ea deinde statuta Carolus V. Imperator confirmavit anno 1536. (5).

XXX. Tandem Carolus iam noster, nunc Hispaniarum Rex Pragmaticas duas contra usurarios edixit, alteram die 9. Octobris 1736., alteram die 14. Septembris 1752. Prior vetans cunctis generatim quamlibet sive publicam, sive occultam in magna, aeque ac in modica quantitate usuram admittere per se, vel per alios, sancivit in viros poenam triennalis praesidii in foeminas triennalis poenitentiae, ultra alias antiquis constitutionibus et Pragmaticis contentas: facultatemque M. C. Vicariae,

cum, *ita quod omnibus, qui in accusationibus, et criminibus publicis admittuntur, usurarios accusandi licentia tribuatur. A nexu tamen praesentis constitutionis nostrae* Iudaeos *tantum excipimus, in quibus non potest argui foenus illicitum divina lege prohibitum: sed metam ipsis imponimus, quam eis non licebit transgredi: videlicet, ut pro decem unciis per circulum anni integri unam ipsis tantummodo lucrari liceat pro usuris. Quidquid autem ultra acceperint, in nonum Curiae nostrae componant.*

(1) Carolus II. Andegavensis Rex Neapol. anno 1294. tanquam Provinciae Comes constituit, ut Episcopi Provinciae de usuris, et usurariis notionem susciperent, et quos foeneratitia labe infectos invenissent contractus rescinderent, ac debitores ab omni usurarum nexu liberarent, ut narrat Caesar Nostradamus *hist. Provinciae lib. 3.*

(2) Lud. III., et Ioan. II. in *Pragm. I. usurariis.*

(3) Ferdin. *Pragm. 2. eod.* id magn. Bernardo Striverio de Squillatio Regio Consiliario, et Advocato Fiscali demandavit.

(4) Idem in *Pragm. 3 eod. tit.*

(5) Carolus V. in *Pragm. 4., et ult. eod. tit.*

et Regiis Provinciarum Auditoriis mandavit procedendi quum iure delegato, tum ex officio sine partis querela. Et ubi duo simul concurrant de contractu usurario iudicia, civile nimirum, et criminale coram diversis iudicibus, etiamsi contractus ex litteris cambii, aliisve scripturis paratam executionem in Regno obtinentibus constiterit: ambo iudices possint ius quisque competens dicere, nec alter alteri processum ad ulteriora inhibere, aut impedire. Posterior dein Pragmatica, confirmans Magistratuum, et iudicum Collegiis delegatam in usurarios potestatem, omni remota appellatione, instituit Commissarium in eos generalem in unoquoque forensium Collegiorum: declaratque duos, vel tres etiam singulares testes, qui quamvis contractum principaliter non habuerint cum reo foeneratitium, deponant facta crimini usurae immediate adnexa, et cohaerentia, dummodo ii fide alias digni aestimentur.

XXXI. Cum satis superque sint hactenus explorata iura quum divina, tum humana contra usuram, pro coronide animadvertendum est, eam vel perexiguam omnino vetitam in quovis mutuo, quod aut pauperibus, aut divitibus detur. Quum enim Christus Dominus *nihil* ex mutuo sperare generatim iusserit, palam est ab eo usuram, quantumvis modicam vetari. Quumque nullum iis de divitibus, nec de pauperibus verbum fecerit, neque hos ab illis distinxerit: nefas est hominibus eosdem distinguere, ut alteros praecepto divino obnoxios, alteros ab eodem exemptos, immunesque faciant (1). Doctrinam hanc ita explicuit, firmavitque praelaudatus Pontifex Benedictus XIV. (2). Cave interea, ne putes cum antedicto Leone Imperatore, et philosopho humanas leges, quae usuram proscribunt, pauperibus magis noxias, quam proficuas fore: quum pecuniosi homines videantur ita difficiles immitesque in egenos fieri, quoties lucri spem omnem in mutuis rebus amiserint, ut peierare non dubitent, sibi pecuniam non esse, quae mutuo petatur. Inanis porro, et captiosa isthaec ratio potissimum ex eo visa est politicis etiam viris prudentioribus, qui opulentos, et pecuniosos cives agriculturae latifundiorum, et mercaturae, et artibus excolendis mancipatos reipublicae utiliores foeneratoribus habent: quum satius sit egenos agricolas, famulos, institores alere stipendiis, et mercedibus, quae auxilia sunt pauperum solidiora, quam tenues eorum labores, et sanguinem sub specie beneficii mutui absorbere. Haec satis ad generalem rei usurariae intellectum, prioremque tituli huius partem. Commodum nunc est ad alteram progredi.

§. I. *De titulis et contractibus in mutuo incidentibus et concurrentibus.*

XXXII. *Nequaquam negatur,* inquam cum sapientissimo Benedicto XIV (3), *posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut*

(1) Ex *can. consuluisti 18. §. et quod Sanctorum C. 2. qu. 5. et can. 12. seu fin. C. 31. qu. 1.*

(2) Bened. XIV. *cit. ep.* encyclica *art. 2.*

(3) Bened. XIV. ibidem *art. 3.*

aiunt titulos , eosdemque ipsimet universim naturae mutui innatos, et intrinsecos forte concurrere , ex quibus iusta omnino , legitimaque caussa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur , posse multoties pecuniam ab unoquoque suam per alios diversae prorsus a mutui natura contractus recte collocari, et impendi , sive ad proventus sibi annuos conquirendos , sive etiam ad licitam mercaturam , et negotiationem exercendam , honestaque indidem lucra percipienda. Ex hisce pontificiae epistolae verbis patefit regula generalis, quae satis indicat in contractibus, titulisque mutuo adiunctis licita lucra, quotiescumque in iis nec fictum simulatur mutuum , nec usura absconditur fraudulenta. Enimvero contractus legibus Principum christianorum adprobatos, et longa consuetudine inveteratos temere , ac sine consideratione utilitatis publicae, ac fundamentorum Iurisprudentiae non damnandos esse , scite commonet Claudius Fleury (1).

XXXIII. Si titulus, et contractus in mutuo incidentes speciatim enumerasset Pontifex in recitato decretalis suae fragmento , licitosque ab illicitis distinxisset : pronum cuique esset usurariam labem in singulis pactionibus internoscere , quae ob silentium eius fit cognitu difficilior. In id propterea nunc adlaboremus oportet , ut singulos eiusmodi titulos, et contractus mutuo adnexos , vel finitimos sedulo expendamus. In iis praecipuae sunt *lucrum cessans , damnum emergens , mora iniusta , pactum securitatis , susceptique periculi , emptio venditio , et mohatra pignus , et hypotheca , census bullaris , societas , contractus trinus , et cambium.*

XXXIV. Et quoniam in his etiam titulis , et contractibus latet saepius usura ; eam exinde vel *apertam* , vel *palliatam* appellant. *Aperta* dicitur , quum foeneratores paciscuntur aliquid sibi fore ultra sortem mutuatam persolvendum , aut vi solius mutui expressi accipiunt auctarium. *Palliata* contingit in mutuo interpretativo, et praesumpto , quoties scilicet sub pallio, et colore alterius contractus paciscitur, intenditque foenerator exigere lucrum, ultra sortem mutuo datam , et simulat mutuam pecuniam potius alio , quam mutui titulo dare. Quandoquidem nedum in foro poli , et conscientiae , sed externo etiam veritas , et res acta praevalere simulationibus debet , et fraudulentis foenerantium coloribus , ex eo iureconsultorum axiomate vulgatissimo , quod in ipsa traditur rubrica Digestorum hisce verbis concepta : *plus valere quod agitur , quam quod simulate concipitur.*

§. II. *De lucro cessante et damno emergente.*

XXXV. Æquitas Iuris naturalis quum dictet suum nemini officium erga proximum , seu benefactum fore damnosum (2) : ideo si cui tu facto , vel culpa tua fueris caussa vel amittendi lucrum , vel patiendi

(1) Inquit Claudius Fleury *par. 3. Instit. Iur. eccl. cap. 4. §. 6.*

(2) Ex Gaii sententia in *l. sed si quis 7. De testam. quemad. aperiantur*, et Africani in *l. si servus 61. §. quod vero 5. D. de furtis.*

damnum, teipsum omni iure obstrictum agnoscas ad reficiendum id ei totum, quod eius intersit (1). Quo igitur iure damnum datum refici debet, eodem fere lucrum amissum tu proximo reddas oportet (2). *Damnum enim pati videtur, qui commodum amittit, quale sit*, ait Ulpianus (3). De moroso speciatim debitore, qui pecuniam Ephesi promissam cum non solvisset, alio in loco fuit a creditore compellatus, si ab Ulpiano itidem quaeras, *an et lucri ratio habeatur, non solius damni? puto, et lucri habendam rationem*, respondet iureconsultus (4). Et commonente Papiniano *generaliter cum de fraude disputatur, non quod habeat actor, sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est* (5). Tandem ut alia plurima, quae consonant iureconsultorum testimonia omittam: Iustinianus rescripsit Ioanni Praefecto Praetorii *non solum in damno, sed etiam in lucro servandam esse constitutionem suam de reddendo, eo quod interest: quia* (inquit), *et ex eo veteres id, quod interest, statuerunt* (6).

XXXVI. Contra ea dices, diversam esse rationem *damni* illati ab ea *lucri* amissi: quia *lucrum* extra rem creditoris esse videtur, et e contrario *damnum* in ipsa re deminuta, quae scilicet facta sit deterior, consideratur: Hinc iura magis succurrunt agentibus de *damno* vitando, quam de *lucro* captando: *Sciendum est*, Paulus respondit, *quod in his casibus restitutionis auxilium maioribus damus, in quibus rei duntaxat persequendae gratia quaeruntur, non cum et lucri faciendi ex alterius poena*, vel *damno auxilium sibi impertiri desiderant* (7).

XXXVII. Respondeo differentiam eo in casu inter damnum, et lucrum tantam non esse, ut conclusionem nostram valeat destruere. Nam obtinens restitutionem in integrum aequitate Iuris redintegratur solummodo ad damnum in rebus suis acceptum tempore iustae absentiae, non ad amissum lucrum ex obiecto Pauli responso: quia damni caussa quidem praesumitur esse possidens rem absentis alienam, at vero lucri non facti caussa vel proxima, vel unica esse putatur absentia ipsius domini, non negligentia possessoris. Sibimet ergo tribuere iacturam lucri debebit, qui absens non lucratus est id, quod potuisse praesens lucrari: tunc enim aequitas Iuris non patitur eum ipsum cum alterius detrimento lucrum captare (8).

XXXVIII. Rursum obiicies duo proba, quae consonant, iureconsultorum testimonia. Hermogenianus *venditori* (ait), *si emptor in*

(1) *Cap. si culpa tua ult. de iniuriis, l. repeti potest 5. D. quibus modis usufr., vel usus amitt. et l. Iulianus 14. si vero D. de actionibus empti.*

(2) *L. si commissa 13. D. rem ratam haberi, et l. si mulier 21. D. de act rer. amotar.*

(3) Ulp. in *l. Praetor 2. §. damnum 1. D. ne quid in loco publ. vel itin. fiat.*

(4) Idem in *l. arbitraria 2. §. ult. D. de eo, quod certo loco dari oportet.*

(5) Papin. in *l. generaliter 78. D. de reg. Iur.*

(6) Iustinian. in *l. un. C. de sententiis, quae pro eo, quod interest.*

(7) Paul. in *l. sciendum est 18. D. ex quibus caussis maiores.*

(8) *L. iure succursum 6. §. fin. D. de iur. dot. l. Iure naturae 206. D. de reg. Iur., et cap. locupletari 48. de reg. Iur. in VI.*

pretio solvendo moram fecerit , usuras dumtaxat praestabit , non omne omnino , quod venditor , mora non facta , consequi potuit, veluti si negotiator fuerit , et pretio soluto ex mercibus, plusquam ex usuris quaerere potuit (1). Itidem Paulus respondit : *cum per venditorem steterit , quominus rem tradat , omnis utilitas emptoris in aestimationem venit , quae modo circa ipsam rem consistit : neque enim, si potuit , ex vino puta negotiari , et lucrum facere , id aestimandum est , non magis, quam si triticum emerit , et ob eam rem , quod non sit traditum , familiae eius fame laboraverit : nam pretium tritici , non servorum fame necatorum consequitur ; nec maior sit obligatio , quod tardius agitur, quamvis crescat, si vinum , hodie pluris sit* (2). Hinc ergo videtur morosus debitor vix ad solius damni emergentis , secus lucri cessantis refectionem teneri.

XXXIX. Respondeo recitatos textus axiomati nostro ob diversa casuum adiuncta minime refragari. Usuras pretii non soluti ideo emptor debet venditori praestare , et non lucrum ex pretio speratum , quia utilitas certarum usurarum tutior est, ac favorabilior venditori , quam compensatio lucri ex pretio sperati , quod fere incertum est , ac varium. Explorati quidem iuris est, in contractibus bonae fidei, et praesertim in emptione venditione usuras fructuum rei venditae , traditaeque compensatorias deberi ab emptore moroso etiam sine stipulatione (3) , vel aequo iudicis arbitrio taxandas , vel taxatas partium conventione etiam sine mora (4). Nam monente Ulpiano in primis ab emptore *debetur pretium , quanti res venit : item usurae pretii post diem traditionis , nam quum re emptor fruatur , aequissimum est , eum usuras pretii pendere* (5). Quae quidem usurae, quia vicem obtinent , eius totius , quod venditoris intersit ob pretii non accepti moram : omnino eximunt emptorem ab onere praestandi aliquid aliud tam ratione lucri cessantis , quam damni emergentis , quod modo supra , modo infra usurarum quantitatem est : obligatio enim alternativa dissolvitur solutione unius ex speciebus alternis (6) : ne debitor ob morae culpam duplici poena afficiatur contra Iuris regulam (7): nam creditor duplicem eius, quod sua interest, tunc haberet solutionem contra aliam Iuris regulam (8). Palam hinc est , cur Hermogenianus nullum discrimen fecerit inter lucrum a venditore amissum , et damnum passum : sed immo utrumque una , eademque ratione considerarit , dum censuit nec damnum ex pretio non soluto illarum , nec lucrum deperditum praestari ab emptore moroso debere , quoties hic solverit usuras, aut promissas , aut a iudice aestimatas , quae cedunt in locum omnis

(1) Hermog. in *l. venditori ult. D. periculo, et commodo rei venditae.*
(2) Paul. in *l. si sterilis 21. §. 3. D. de actionibus empti.*
(3) *L. in bonae fidei 13. C. de usuris.*
(4) *L. 3. et 4. C. eodem, l. 17. §. 3. D. eodem.*
(5) Ulpian. in *l. Iulianus 13. §. veniunt 20. D. de actionibus empti.*
(6) Marcian. in *l. qui decem 72. §. 4. D. de solut., et liberat.*
(7) *Cap. de his 6. de accusat. l. Senatus 14. D. eod. l. sanctio 41. D. de poenis.*
(8) Ulpian. in *l. in duobus 3. §. 1. D. de duob. reis constit.* ibi: *quum una sit obligatio, una, et summa est.*

eius, quod intersit venditoris. Nam Ulpiano docente *usurae vicem fructum obtinent* (1). Venditor versa vice rem tradere moratus solvet emptori non usuras quidem accepti *pretii*, sed aestimationem omnis lucri circa rem ipsam consistentis, non lucri sperati ex negotio fructuum ab ipsa re empta obvenientium: quemadmodum nec refundet damnum extra rem ipsam incidens, quale est servorum fame interemptorum: sed damnum solummodo circa rem ipsam, puta deteriorationem ex incendio, vel lignis caesis, et amotis (2). Unde interpretes probe distinguunt interesse *internum*, quod *circa rem ipsam* consistere Paulus dixit, sive lucrum, sive damnum, *ab externo*, quod extra rem venditam ex aliena oritur industria. Quod igitur in speciali casu emptionis, venditionis, aliisque similibus exceptionibus iureconsulti tenent de lucro, damnoque externo tantum non reficiendo, secus de solo damno; generalem nequit regulam in aliis casibus destruere, quae uno eodemque iure lucrum amissum, et damnum illatum aestimat.

XL. Si tandem obiicias aliud Ulpiani responsum, quo ille censuit nautas ad retia tantum, quae ipsi damnificassent, reficienda, non ad restituendos pisces propterea non captos (3): respondeo peculiarem eo in casu rationem capturae piscium omnino incertae nautas eximere ab onere lucri, secus ab obligatione damni. Quandoquidem iureconsultus ipse adfirmat eo in textu ob retia tantum fieri aestimationem illati damni, non piscium ideo non captorum, *quum incertum fuerit, an caperentur*.

XLI. Oppositis itaque non obstantibus hanc teneto regulam. Debitor morosus quovis ex contractu tam nominato, quam innominato, vel oneroso, vel lucrativo omni iure obstringitur ad praestandum creditori id omne, quod eius interest sive ob lucrum, sive ob damnum ex mora, et culpa debitoris deficiens, aut obveniens. Haec ipsa regula in contractu mutui locum quoque obtinet, ex probatissima, et communi Canonistarum, Theologorumque sententia (4). Verum interesse quum damni, tum lucri ex eo tempore, quo cesserit, et venerit dies solvendae sortis mutuatae, debet mutuatarius reficere. Quod enim detrimenti passus erit, lucrive amiserit mutuans interea, dum decurrit tempus restitutionis in contractu mutui condictum, nullo iure poterit a mutuatario, qui moram non fecisse tunc putatur, postulare (5).

XLII. Diversa hinc apparet conditio morosi mutuatarii ab ea morosi emptoris, aliorumque contrahentium. Nam emptor statim ac rem acceperit emptam, tenetur usuras pretii non soluti rependere sine aliquo intervallo (6). Id vero locum habet, ubi nil de usuris, nec de solvendi pretii tempore cautum sit inter emptorem, et venditorem: secus ubi

(1) Ulpian. in *l. usurae 34. D. de usuris.*
(2) Paul. in *l. si sterilis 21. §. 3. D. de action. empti.*
(3) Ulp. in *l. quemadmodum 29. §. item Labeo 3. D. ad leg. Aquil.*
(4) Gl. in *cap. conquestus de usuris*, ibique Abbas Panormitanus, Card. a Turrecremata in *can. si res 14. qu. 6. vers. ad tertium*, S. Thom. *2. 2. qu. 62. art. 2.*, ceteri.
(5) S. Thom. in *disp. qui de malo qu. 78. num. 14.*
(6) *L. Iulianus 13. §. 20. De act. empti, et l. curabit 5. C. eod.*

venditor emptori dilationem ad solvendum accommodaverit : tunc enim interusuria , nonnisi post contractam moram , postquam scilicet venerit dies solutionis , debentur (1).

XLIII. Quid , et quantum cuiusque intersit, quoniam in facto , non in iure consistit (2): idcirco damni , et lucri iacturas aequus iudex ex probationibus in iudicio factis, et adiunctis loci , rerum , personarum , et temporis aestimabit (3). Iustinianus hinc aequitati , arbitrioque iudicum remisit aestimationem incertam eius omnis , quod revera illatum sit damni (4). Quantitas porro aestimanda et minor , et maior legitimis usuris esse potest (5) : dummodo ea duplum non excedat , seu alterum tantum sorti principali par (6). Quandoquidem Iustinianus ipse constituit , *nihil ultra duplum solvi debere* (7). Id quod praedocuit Papinianus (8). Exinde originem ducit ea clausula in stipulationibus , publicisque notariorum instrumentis frequentissima, qua paciscentes pro servandis pactis ultro , citroque placitis semetipsos vicissim obligant ad poenam dupli pro eo , quod alterutrius ipsorum interest.

XLIV. Quoties itaque in incerto sit quantitas lucri amissi , vel damni accepti, *necesse est actori probare , quid eius intersit*, ex Iustiniani axiomate (9). Tria vero potissimum sunt rite probanda ab eo , qui postulat , ut reus conventus ad reficienda lucra , et damna condemnetur. I , quod ipsemet auctor negotiari soleat. II , quod ei merces venales in promptu fuissent, quas ipse procul dubio comparasset , negotiatusque fuisset , si ei pecunia non defecisset. III , quod reus pecuniae creditae debitor in mora solvendi fuisset. Haec probationum extrema cum primus omnium numerasset , et apertius , quam ceteri tradidisset Paulus de Castro (10): ea exinde vulgo dicuntur a forensibus tria requisita Pauli de Castro , quae singulatim edisserere nunc operae pretium est.

XLV. In primis consuetudo negotiandi in creditoris persona , deducitur ex Ulpiani textu. *Quid si merces* Iureconsultus ait, *solebat comparare?* an *lucri ratio habetur , non solius damni ? puto et lucri habendam rationem* , respondit (11). Iure hinc merito Regium S. Clarae Consilium Neapolitanum decrevit probe postulare interesse lucri cessantis , qui consueverit pecuniam suam ponere ad lucrum licitum , et mercaturas (12). Id etiam Rota Romana saepe comprobavit (13).

(1) Covarr. *to. 2. var. resol. lib. 3. cap. 4.*
(2) Ex Paulo in *l. quatenus 24. D. reg. Iur.*
(3) *L. centum Capuae 8. D. de eo, quod certo loco dari oportet.*
(4) Iustinian. in *l. un. C. de sent. quae pro eo, quod interest, et l. eos qui 26. C. de usuris.* (5) *L. arbitraria 2. §. ult. D. de eo, quod certo loco.*
(6) *Cit. l. un. C. de sententiis, quae pro eo, quod interest.*
(7) Iust. in *l. pen. C. de usuris*, et Nov. 121. *cap. 2.*
(8) Papin. in *l. pecuniae 9. D. de usuris.*
(9) Iustin. in *§. non solum 7., et fin. Inst. de verb. oblig.*
(10) Paul. de Castro in *l. 2. §. fin. D. de eo, quod certo loco.*
(11) Ulp. in *l. arbitraria 2. in fine ff. eod. tit.*
(12) Apud Matth. de Afflicto *dec. 20. num. 1.*, et Capic. *dec. 19. n. 7., et 8.*
(13) Rota apud Mohedanum *de usuris dec. 3.*, et coram Io. B. Coccino *dec. 6. n. 1.*, alibique passim.

XLVI. Solis ergo mercatoribus quaestuosam exercentibus negotiationem datum est, inquies, consequi interesse lucri cessantis? Minime gentium, sed quibuslibet industriis hominibus, qui operam non mercaturae, sed liberalibus disciplinis, artibusque etiam moechanicis, vel agriculturae navent, lucrum aliena culpa amissum iure debetur, quoties ipsi non otiosam pecuniam sibi retinere, sed ad honestum applicare lucrum licitis contractibus consueverint. *Si recte quis consideret*, inquam cum Quintiliano, *inter* mercatorem, et negotiatorem *hoc interesse videbit, ut* mercator *dicatur, qui exportandis mercibus operam dat, easque vendit:* negotiator *vero, non qui merces distrahit, sed qui in coemendo, et vendendo vino, frumento, tuendisque, et arandis agris suam industriam ponit. Rursus videbit* negotiationem, *ut genus a* mercatura, *tamquam specie differre* (1). Negotiatio autem adeo proba putatur, ut et clericis eam canones indulgeant, et monachis etiam suae ipsorum regulae praecipiant ad vitandum otium. Moguntina Synodus iustum negotium non denegandum clericis censuit: *quia legimus*, ait, *SS. Apostolos negotiatos fuisse, et in regula B. Benedicti praecipitur provideri, per quorum manus* negotia *monasterii procurentur* (2). Idipsum probavit VIII. Synodus oecumenica (3) in Clericis: et S. Augustinus commonet, *merito dictum negotium exinde, quod negat otium, quod malum est* (4). Quin Iustinianus apertissime indulsit non pro mercatoribus tantum, sed quibuslibet etiam contrahentibus observandam fore constitutionem ab se latam de damno aeque ac lucro reddendo ob id, quod interest (5). Id etiam Ulpianus (6) sensit respondens tutorem ex lege consequi a pupillo pecuniam, si quam de suo in pupilli utilitatem consumpserit una cum lucris, quibus ipse caruit tutor. Opus autem tutor non habet qualitate mercatoris ad huiusmodi petenda a pupillo lucra. Concludendum itaque cum Theologis, et Canonistis in unam, eamdemque sententiam consentientibus, compensationem lucri deperditi non solis mercatoribus deberi, sed quibusvis industriis hominibus, qui non sterilem in otio pecuniam habere consueverint (7). Adde quod artifices quoque, si per alterius iniuriam, culpamque ab operis suis avocentur, iure postulant, accipiuntque operarum, quas omiserint, pretia (8).

(1) Fab. Quintilian. *lib.* 1. *cap.* 12.
(2) Conc. Moguntin. in *cap. multa sunt* 1. *ne cleric., vel monachi.*
(3) Synodus VII. in *can. clericos 1. C. 21. qu. 1.*
(4) S. Aug. in *can. quoniam.* 12. *dist. 88.*
(5) Iustin. in *cit. l. un. C. sent. quae pro eo, quod interest, et l. 26. C. de usuris.*
(6) Ulp. in *l. quid ergo 3.* §. 1. *D. de contraria tutelae, et utili actione,* ibi: *Consequitur autem pecuniam, si quam de suo consumpsit etiam cum usuris* tutor: *sed vel trientibus, vel his, quae in regione observantur. . . vel quibus caruit tutor.* Et inferius §. 4. addit: *usuras, utrum tamdiu consequetur tutor, quamdiu tutor est, an etiam post finitam tutelam videamus, an ex mora tantum? Et magis est, ut quoad ei reddatur pecunia, consequatur: nec enim debet sterilis esse pecunia.*
(7) Leotard. *de usuris qu. 74. num. 27.*
(8) Gaius in *l. ex hac 3. D. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.*

XLVII. Alterum Pauli Castrensis requisitum propius tendit ad liquidandam amissi lucri quantitatem: ea enim quoadusque illiquida, et incerta erit, certum non potest ius tribuere ad compensationem. Ob incertitudinem porro naturalem sola spes capiendi pisces, aves, ferasque nullam dat piscatoribus, venatoribusque actionem postulandi pretium a damnificantibus retia, et instrumenta venationis (1). Creditor itaque amissa lucra petiturus probabit omnino promptam habuisse occasionem comparandi merces, insuper alios earumdem emptores certum exinde lucrum percepisse, et tantumdem lucrari eum non potuisse ob defectum pecuniae sibi a moroso debitore non restitutae. Plenior tamen, quam in mercatoribus, earum rerum probatio in ceteris industriis hominibus, et negotiatoribus exigitur: nam ipso iure praesumuntur mercatores quotidianas, et multiplices habere occasiones ad lucrandum vel traiectitia pecunia, vel transmissione mercium ad nundinas, spretis plerumque periculis. Ut enim canit Horatius: *Impiger extremos currit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per tela, per ignes.*

XLVIII. Sat proinde mercatoribus erit in lucri cessantis petitione probare sese consuevisse decem, vel plus, minusve in centum negotiando superlucrari, deductis expensis, et tantumdem lucri verisimiliter quaerere potuisse ex pecunia sibi non reddita (2). Id plurimis doctorum sententiis, rebusque iudicatis senatuum Siciliae, Florentinae, Ianuae probat Leotardus. Ad rem hanc quaerit Paulus de Castro (3), quandonam lucrum dicatur certum, ut eius interesse valeant creditores in iudicio obtinere? et respondet, si probatum sit, quod homines eiusdem conditionis, cuius ipse creditor est, habentes pecuniam lucrati tantam summam fuissent. Æquus igitur, bonusque vir, puta iudex competens ex adiunctis personarum, loci, ac temporis, regionisque more arbitrabitur, quantum revera intersit creditoris ob iacturam lucri (4). *Ideo autem in arbitrium iudicis* (ait Gaius Iureconsultus) *refertur haec actio, quia scimus, quam varia sint pretia rerum per singulas civitates, regionesque, maxime vini, olei, frumenti. Pecuniarum quoque licet videatur una, et eadem potestas ubique esse, tamen aliis in locis facilius, et levibus usuris inveniuntur, aliis difficilius, et gravibus usuris* (5). Quoties autem probatio eiusmodi defecerit, reus conventus a praestando lucro absolvitur (6). Multis profecto fortunae

(1) Ulpian. in *l. quemadmodum* 21. §. *item Labeo 3. D. ad leg. Aquil.* ibi: *Sed ubi* damni *iniuria agitur, ob retia, non piscium, qui ideo capti non sunt, fieri aestimationem: cum* incertum *fuerit, an caperentur. Idemque et in venatoribus, et in aucupibus probandum.* Consonat *l. naturalem 5.* §. 1. *D. de adqu. rer. dom.*

(2) Id plurimis Doctorum sententiis, rebusque iudicatis Senatum Siciliae. Florentiae, Ianuae, aliorumque probat Leotardus *de usuris qu. 74. n. 35. et seq.*

(3) Paul. de Castro in *l. continuus* §. *cum ita D. de verb. oblig.*

(4) *Cit. l. un. C. de sententiis, quae pro eo, quod interest.*

(5) Gaius in *l. ideo 3. D. de eo, quod certo loco.*

(6) Ex consuetis Regii Consilii Neap. decisionibus apud Afflict. *dec. 20. num. 2.*, et Rotae Romanae coram Coccino *dec. 153., et 498., et apud.* Mohedan. *de usuris dec. 3.*

casibus obnoxia quum sit spes negotiatorum : iudex idcirco in lucri sperati aestimatione rationem habebit periculi, dubii eventus , laboris, et sumptuum ex iuribus iam expositis.

XLIX. Pecuniae otiosae defectum oportet in hoc etiam requisito probari non ab ipso creditore negante aliam in arca tenuisse pecuniam, quum negantis factum nulla sit directa probatio (1) : sed a debitore existentiam alterius pecuniae affirmante : nam ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat (2) , et in exceptionibus reus plerumque partibus actoris fungitur (3). Quoties ergo debitor non probaverit aliam creditori fuisse pecuniam in paratas merces impendendam, ipso iure praesumitur eam creditor non habuisse (4). Et e contrario is non praesumitur dolo , vel negligentia a mercibus comparandis abstinuisse (5). In ea tamen pecunia non est ea censenda , quam quisque vir prudens in futuras familiae, domusque necessitates praesidii caussa reconditam servet, puta pro dotanda filia, alendove ad militiam filio, pro emendis praediis, avertendisque calamitatibus repente non raro contingentibus: quarum respectu Aristoteles nummum appellavit *futurae calamitatis fideiussorem* (6). Hinc Celsus iureconsultus nummos mutuo dandos diverso iure aestimat, eosque distinguit a nummis praesidii caussa sepositis , et audisse Proculum refert rusticos senes id dictitantes , *pecuniam sine peculio fragilem esse* : qui scilicet *peculium* appellabant, quod solet *praesidii* caussa custodiri (7).

L. Tertii , et postremi requisiti probatio , *morae* scilicet debitoris necessaria itidem est. Si enim nulla interveniente mora debitor non solverit aes alienum, Ulpianus recte putat eum non teneri ad id, quod interest (8). Pomponius respondit nullam esse debitori obligationem reficiendi damnum, lucrumque in utroque foro, quoties nullam ipse contraxerit *moram* sive *regularem* , sive *irregularem* , nec aperte promiserit sese creditori refecturum damna omnia , et lucra , quae fortasse ante condictum restitutionis diem interciderint (9). Nam suspensa solvendae sortis obligatio principalis efficit , ut cesset simul obligatio accessoria interesse reficiendi, velut effectus (10). Praeterquamquod mutuans pecuniam certo die restituendam, dum sibi non caverit de damnis forsan interea eventuris : praesumitur ipso iure condonasse nedum usuras, verum etiam omne interesse. Et Modestinus recte monet , creditorem usuras futuri temporis, et remittere, et minuere posse (11).

(1) *Cap. bonae memoriae 23. de emptione, cap. quoniam* 11. *de probat., et l. actor. 22. C. eod.* (2) *L. 2. D. de probat.*
(3) L. *in exceptionibus 19. D. eod.*
(4) Menoch. *cons. 322. num. 44.*, Cravetta *cons. 1. num. 10.*
(5) L. *quoties §. qui dolo C. de probat., et l. chirographis 57. D. de admin. tutelae.* (6) Aristot. *lib. 1. politic. cap. 6., et 7.*
(7) *Celsus in l. si chorus 79. §. 1. de legatis 3.*
(8) Ulp. in *l. qui autem* 14. *§. 2. D. de constit. pecunia , l. si fundum* 114. *D. de verb., et l. 2. circ. fin. D. de eo quod certo loco.*
(9) Pompon. in *l. socium 60. D. pro socio.*
(10) *Cap. cum cessante 60. de appel. cap. accessorium 42. de reg. Iur. in VI.*
(11) *L. Modestinus 23. D. de donationibus.*

LI. Dicendum nunc superest aliquid specialim de probatione damni emergentis, quae longe facilior, quam lucri cessantis est. Ea enim in facto iam praeterito, et existente, non in futuro incerto consistit. *Quod revera inducitur damnum, hoc reddi*, rescripsit Iustinianus (1) Creditor itaque probabit hoc, vel illud in specie damnum sibi obtigisse, suamque rem ex eo factam esse in ea quantitate deteriorem (2): videlicet ruinam domus ex omissa refectione, agri sterilitatem ex neglecta cultura, distractionem pignorum, rerumque instantibus creditoribus, solutionem usurarum, acceptum facta versura aes alienum ad satis creditoribus faciendum, expensas itineris frustra suscepti ad certum conditae solutionis locum, penuriam annonae opportuno tempore non comparatae, mox pro alenda familia pretio emptae cariori, cetera id genus (3). Adde litium expensas (4). Pecuniae quoque defectum necesse est, velut damni concaussam probari. Si enim alia creditori pecunia fuisset, qua damnum acceptum vitare is potuisset: vel si debitor in mora solvendi non fuisset, vel denique si damnum omnino fortuitum contigisset, quod amoliri pecunia praesens nequisset, puta aedibus casu exustis, rebusve furtim sublatis: debitor ad ea quidem damna reficienda nullo iure cogitur: nam culpa carens in damno esse non debet (5). Deficientibus hisce probationibus quoniam non praesumitur ex culpa debitoris damnum emersisse, locus ei reficiendo non erit (6).

§. III. *An liceat contrahentibus pacto taxare interesse lucri et damni futurum.*

LII. Veritatem hac in re quaerenti plura, quae dubio carent, sunt praemittenda. 1, licere initio contractus pacisci de certo, quod imminet, interesse, quodque revera ob gratuitum mutui officium mutuans passurus est, et probationibus iudiciariis ostendere facile poterit ex communi DD. sententia (7). 2, licitam quoque esse, probamque pactionem de reficiendo generatim quolibet interesse creditori obventuro, quandocumque etiam ante moram, seu diem restituendae sorti condictam, cuius quantitas erit ex post facto aestimanda, ac liquidanda, quemadmodum paulo superius ostensum est. Nullo sane iure prohibetur quisque stipulari, sese indemnem fore tam in lucro, quam in damno futuro (8). 3, periculum aeque dubium, et eventus rerum incertus inter

(1) Iust in *cit. l. un. C. de sententiis, quae pro eo, quod interest.*
(2) Hondedeus *cons. 50. num. 30. lib.* 1., Alexand. *cons.* 141, *num. 3. lib. 5.*
(3) Ex *l. arbitraria* 2. §. *nunc de officio 8. D. de eo, quod certo loco, l. nummis 3. D. de in litem iurando, l. Lucius Titius 47. D de act. empti.*
(4) Ex *l. Titius cum decederet D. de act. empti*, Montan. *contr. 68. num. 5.* Thesaur. *dec. Pedem 67.*, Surdus *dec. Mantuae 261.*
(5) Ulp. in *l. contractus 23. D. de reg. Iur.*
(6) Rot. Romana coram Coccino *dec. 498. num. 3.*
(7) Navarr. in *comm. de usuris num. 52., et 53.*, Leotard. *de usuris qu. 72. num. 5.* Ciriacus *contr. 426. num.* 17., *et 24.*
(8) Ex traditis a S. Thoma *qu. 78. art.* 2. *ad* 1. *in summa*, ab Hostiense, et Abbate Panorm. in *cap. salubriter de usuris*, et Covarr. *var. resol. lib. 3. cap. 4. num. 51.*

creditorem, et debitorem quemlibet iure accipit aestimationem praecedentem vel arbitrio boni viri, vel ipsorum voluntate contrahentium, ii ut difficiliori probatione, damnoque maiori post factum vicissim ne onerentur: quoniam docente Venuleio iureconsulto, *in eiusmodi stipulationibus, quae quanti res est, promissionem habent, commodius est certam summam comprehendere, quoniam plerumque difficilior probatio est, quanti cuiusque intersit* (1).

LIII. Id ipsum permultis comprobatur exemplis. Quaelibet spes lucri incerta probe venditur, et emitur certo pretio, et pactum eatenus valet, ut etiam si nihil emolumenti exinde capiat emptor, pretium adhuc solvere compellatur, solutumque non repetat; cum quasi alea ematur, aut captus piscium, aut avium, vel missilium. *Emptio enim contrahitur, etiamsi nihil inciderit, quia spei emptio est,* censuit Pomponius (2). Eodem iure Ulpianus respondit *ratam esse venditionem speratae hereditatis* (3), quemadmodum et nominum debitorum, qui sub conditione, vel in diem debent (4). Hinc Paulus ait, pretium emptori esse non reddendum, si postea non contigerit eventus conditionis, emptaeque rei dubiae (5). Incertum etiam litis cuiuslibet eventum quasi fortunae iudicium passim transigunt homines certa aestimatione, quam leges plerumque adprobant (6). Alimenta, quae alicui ad vitam debentur, tametsi numerus annorum eius sit omnino incertissimus, certa aestimatione definiuntur pro aetatis ratione (7). Periculi pretium certum pactione condictum probavit Scaevola (8).

LIV. His positis hanc statuo conclusionem. Quotiescumque mutuans nullum revera damnum timeat, nec speret lucrum, nequit probe pacisci aliquid sibi a mutuatario praestandum ultra sortem simulato periculo futuri detrimenti, fictaque spe lucri: nam fraus fieret legi vetanti non modo apertas, verum etiam palliatas usuras. In rebusque humanis plus valet quod agitur, quam quod simulate concipitur (9). At versa vice si probabilis quidem aderit vel damni futuri timor, vel spes lucri: tunc licita erit pactio inter mutuantem, ac mutuatarium de certa ultra sortem quantitate praestanda, quae respondeat arbitrio aequi, et boni viri damnis emersuris, lucrisque perdendis. Nec dices liquidi ad illiquidum non dari compensationem (10). Nam incertitudo periculi, et spei quoadusque inter utrumque contrahentem ex aequo erit iura supe-

(1) Venuleius in *l. in eiusmodi ult. D. de stipulat. praetor.*, et Iustinian. §. 7. *Inst. de verb. oblig.*

(2) Pompon. in *l. nec emptio 8.* §. *12. D. de contrah. empt.*

(3) Ulp. in *l. nam hoc modo 11. D. de hered., vel act. vendita.*

(4) *L. nomina 17. D. eod. et l. 1. C. de pactis.*

(5) Paul. in *l. propter spem 23. D. familiae erciscundae.*

(6) *L. 1. D. de transactionibus.*

(7) Eam aestimandae aetatis rationem tradit Ulpianus cum Aemilio Macro in *l. computationi 68.*, alias *l. hereditatum computationi D. ad leg. falcid.*

(8) Scaevola in *l. periculi 4. D. de nautico foenore.*

(9) Ex rubrica Digestorum *plus valere, quod agitur, quam quod simulate concipitur.*

(10) *L. compensationes 16.*, *et ult. C. de compensat.*

rius enucleata sane probant eam certa aestimatione praefiniri, dummodo quantitas ex pacto constituta non excesserit fines aequalitatis, iustaeque compensationis. Minoris quippe debet, quum dubia lucri spes, tum incerti damni periculum, quam lucrum reapse amissum, damnumque iam acceptum aestimari, quum spe incerta pretium rei minuatur. Praeterea creditor eo pacto liberatur labore, sumptibus, ceteris incommodis in lucro quaerendo, damnoque vitando consuetis.

LV. Ex hactenus dictis facile intelligitur, quid iudicandum sit de contractu inter regnicolas frequentissimo, quo mutuum datur intra paucos dies gratuitum, eo tamen expresso pacto, ut post condictos eosdem dies interusurium decurrat ad annuam rationem quatuor, quinque, octo, plus, minusve infra decem in centum ob compensationem lucri cessantis, et damni emergentis. Contractum eiusmodi fere licitum habent nostri ex praesumpto quidem damno, et lucro, non vero, certoque, ex rebus in externo laicorum foro saepe iudicatis. In eo enim legitima passim admittitur praesumptio futuri damni, et lucri pro mutuantibus, propterea quod frequentes in regionibus utriusque Siciliae ultra, et citra Pharum sint occasiones negotiandi, et lucrandi, parataeque occurrant quotidie emptiones venditiones annuorum introituum, legibus regni, et constitutionibus Pontificum probatae. Et quamvis Iosephus de Rosa (1) censuisset coniecturalem probationem ex loci consuetudine, in quo frequenter usuveniunt negotiationes, non sufficere ad postulandum interesse a moroso debitore; negare tamen non potuit *hanc opinionem*, seu potius *errorem* (is ait) *apud nos invaluisse*, ut *probatio praesumptiva admittatur quidem in utriusque Siciliae regnis* ob quotidianas frugiferas annuorum introituum emptiones venditiones, quae passim concelebrantur, servata forma tot bullarum pontificiarum. Regeus Carolus Antonius de Rosa (2)., contestatur hanc opinionem esse commercio accomodatam, cum non facile inveniantur pecuniam gratis credentes, et quilibet studeat eam non otiosam retinere hoc praesertim in regno, ubi pronum est pecuniam quotidie idoneis nominibus cum emolumento credere: eaque ratione permitti passim interesse in ipso contractus momento conventum. Id ipsum firmat Cardinalis de Luca (3).

LVI. Alio tamen stylo rem hanc forus laicus, alio ecclesiasticus iudicat. In foro quidem laico quotiescumque ex publica scriptura, quae viam, ut aiunt, *exequutivam* habeat, constiterit pecuniam fuisse cum certo interesse convento a die morae decurrendo creditam, debitor morosus iudicio, ut aiunt, *exequutivo* compellitur non modo sortem reddere, verum etiam interusuria praestare, quae a condicto die morae decurrerint sine alia lucri amissi, acceptique damni probatione, aut liquidatione: et vix requiritur, ut summam eorum calculo colligat, et supputet notarius caussae (4). Enimvero dum ex uno, eodemque instru-

(1) Ios. de Rosa *con. 54.*
(2) Regens de Rosa in *prax. civ. decret. cap. 1. num. 75.*.
(3) Card. de Luca *de usuris in summa num.* 12.
(4) Ex traditis a Reg. Capic. Galeota *lib. 2. controv. 16. in fin.* et Consiliario Hodierna *ad Surd. dec. 176. num.* 12., et 12., et Capic. latr. *dec.* 21. iuxta doctrinam Baldi in *l. Maevius D. fam. ercisc.*

mento iudices nostri noverint sortem creditam cum interesse convento, solent instante creditore his conceptis verbis confestim decernere, *quod debitor ille intra tot dies solvat in beneficium creditoris illius capitale ducatorum tot, una cum tertiis, et interesse ab illo die decursis, ac proinde fiat calculus.* Et ubi deperierit instrumentum mutui, aut mutuum sit sine publica scriptura datum cum interesse oretenus convento, postquam utrumque creditor rite probaverit in termino ordinario, decretum ita pronunciatur definitivum: *quod reus conventus condemnetur ad solvendum creditori tot ducatos pro sorte credita, una cum tertiis, et interesse conventis a die illo, ac proinde fiat calculus.* Eiusmodi calculus deinde fit audito reo damnato, qui poterit factas ostendere solutiones, et calculi revisionem postulare, eoque inde discusso, hoc aliud interponitur decretum: *quod calculus firmus remaneat pro summa ducatorum tot* (1). Sin autem non fuerit interesse conventum, debitor tunc morosus damnatur *ad solvendum capitale tot ducatorum, una cum interesse pro quantitate, ac tempore liquidando, in qua liquidatione in biduo audiantur partes.* Hoc igitur casu liquidatio interesse novo fit iudicio ordinario, in quo terminus ad probandum ritu ordinario impertitus postulat, ut producantur in eius curriculo articuli ostensuri quam, qualem et quantam lucri cessantis, damnique emergentis iacturam creditor fecerit, testes utrinque producuntur, et scripturae, quae incumbentia probent, post publicationem alius terminus ad repulsam testium conceditur, nec non beneficium restitutionis in integrum adversus omissas probationes, eo si beneficio quis collitigantium gaudeat: praeterea terminus ad impugnandum, vel concomitandum scripturas iam praesentatas. Instructoque sic processu, interesse liquidatur habita ratione quum quantitatis, tum temporis, puta a die litis contestatae, vel rescissionis contractus, vel adiudicationis. Tunc vero decretum ita concipitur: *quod interesse liquidari ordinatum in sententia S. Regii Consilii, vel M. C. Vic. die illo prolata liquidetur ad rationem ducatorum tot pro quolibet centenario ab illo die, ac proinde fiat calculus* (2).

LVII. In foro autem ecclesiastico debitor ad sortem mutuatam dumtaxat reddendam per bina, vel trina praecepta compellitur: quo vero ad interusuria pacto constituta impertitur terminus ordinarius ad probandum lucri, et damni extrema, in eoque termino, nisi creditor rite, ac plene ostenderit damna reapse accepta, et lucra deperdita ob mutuatarii moram, et culpam: debitor nedum absolvitur ab onere praestandi interusuria non soluta, verum soluta etiam repetet, aut imputabit in sortem, quidquid antea pro interusuriis numerasset (3). Praxim hanc firmavit Rota Romana apud Mohedanum (4). Posthabito ita-

(1) Hasce decretorum formulas habet Regens de Rosa in *cit. prax. civ. cap. 12. a num.* 128.

(2) Videsis Reg. de Rosa *ibid. num.* 128., *et seq.*, *et part.* 1. *decret. in iudic. ordin. interponi solitorum cap. 7. num. 7., et seq.*

(3) Ulpian. in *l. si non sortem 26. D. de condict. indebiti.*

(4) Rota apud Mohedan. *de usuris dec.* 2., alias *dec.* 103. Card. de Luca *disc. 12. de usuris.*

que pacto de interusuriis adiuncta omnia, et singula factorum liquidantia tam in genere, quam in specie damnum creditori illatum, lucrumque intercoeptum sunt rite probanda in iudicio ordinario, non aliter, quam si nullam de interesse pactionem fecissent contrahentes, et creditor interesse ex post facto postularet. Reiiciunt porro ecclesiastici iudices coniecturalem damni emergentis, lucrique cessantis probationem, quae in foro laico praesumitur ex consuetudine locorum, et assiduis occasionibus emendi, vendendi annuos redditus.

LVIII. Ex agnito discrimine praxis inter Curias saeculares, et ecclesiasticas consequitur, quod praesumptio, et coniectura creditori favens ad postulandas via exequutiva legitimas usuras expresso pacto conventas debeat veritati probationibus iudiciariis ostensae locum cedere. Tametsi enim Iuris praesumptio, qualis ea est, qua de agimus, est indicium quidem lege probatum, eximens creditorem, pro quo ea militat, ab onere probandi rem praesumptam, reiicitque in adversarium onus probandi contrarium (1): at vero dum evanescat dubium rei coniecturalis ex probationibus in iudicio rite factis, quae veritatem detegant praesumptioni eiusmodi adversantem, non ipsa quidem praesumptio, sed probatio veritatis attendenda est.

LIX. Ita se quidem res habet in mutuo. In aliis autem contractibus a mutuo diversis, puta censu bullari, et cambio, ceteris, qui legitimas creditori ferunt usuras, nullum aliud interesse licebit, praeter illas pacto convenire. Nam S. Pius V. *pacta continentia*, inquit, *morosum census debitorem ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, seu expensas, medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem censui subiectam, sive aliquam partem amittere, seu aliunde adquisitum amittere, aut aliquam poenam incurrere: ex toto irrita sunt, et nulla* (2). *Praeterea* idem Pontifex ait, *exactionem illarum expensarum prohiberi, quae ex pacto, vel conventione tantum inter contrahentes initae, et instrumento census appositae refici promittantur: non autem quae ex Iuris dispositione veniunt, et mandato iudicis adiudicantur* (3). Denique *ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo possumus*, ait, *occasiones peccandi, fraudesque foeneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat in principio, sive alias certum, et determinatum interesse etiam in casum non solutionis pacisci* (4).

§. IV. *De mora.*

LX. Solam non sufficere moram, ut mutuator aliquid ultra sortem licito iure accipiat, docent ex communi Ecclesiae catholicae sensu Canonistae, ac Theologi, quidquid aliter opinati sint veteres iureconsulti Romanarum legum civilium auctores, quique eos sequuti sunt hetero-

(1) Ex *tot. tit. Decretal. de praesumpt.*
(2) S. Pius V. in *const. 79. §. 7., edita* 14. *Kal.* Feb. 1569. *to. 2.* Bullarii.
(3) Idem alia *const.* edita die 10. Iunii 1571. *eod. to. 2.*
(4) Idem in *const. 98.* die 1. Febr. 1571. *eod. to. 2.*

doxi. Re enim maturo discussa examine Alexander VII. in Congregatione generali S. Romanae Ecclesiae hanc secundo decreto die 18. Martii 1666. propositionem XLII damnavit: *Licitum esse mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Nullam quippe habendam esse rationem morae, quae nihil creditori nocuit quum ratione lucri, tum damni, ratio naturalis, et aequitas suadet. *Si nihil intersit actoris adversarium in ius vocatum venisse condicto die, Praetor morae poenam remittit*, ex Pauli sententia (1). Id ipsum in omnibus generatim caussis constitui desiderant interpretes aequitatem diligentes (2). Dilatio autem reddendae sortis mutuae non est quidem pretio aestimabilis, nec iusta caussa pretio compensanda, quoties interea nullum creditori lucrum deperiverit, nec damnum emerserit, aliudve incommodum, aut periculum in recuperatione sortis. Quidquid ergo mutuans ultra sortem superacceperit intuitu dilationis eiusmodi ab omni iactura, et detrimento seclusae, id contra iustitiam commutativam, quae in aequalitate consistit, accipiet.

LXI. Qui praesentem pecuniam ex se ipsa pretiosiorem, quam futuram putaverint, a semita veritatis longe aberrant, eosque meritissimo iure Innocentius XI. refellit, dum inter damnatas proscripsit propositionem XLI, ita conceptam: *cum numerata pecunia pretiosior sit, quam numeranda, et nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.*

LXII. Multa videntur prima fronte huic erroneae propositioni favere. In primis illud Pomponii: *minus est actionem habere, quam rem* (3). Inter os enim, et offam multa intercidere solent, et inanem saepe facit actionem inopia debitoris futura, et fortuitus, incertusque litis eventus. Itaque si rem ipsam, et effectum actionis spectemus, minus est pretium pecuniae futurae, ad quam actionem habemus, quam pecuniae praesentis a nobismetipsis possessae, ac retentae iuxta responsum Pomponii Ulpianus pariter ait: *minus solvit qui tardius solvit, nam et tempore minus solvitur* (4). Callistratus *solidum*, inquit, *non solvitur non minus quantitate, quam die* (5). Insuper Iustinianus docuit plus peti ratione temporis, quotiescumque ante diem, vel conditionis eventum res petatur. *Plus* (ait) *quatuor modis petitur: re, tempore, loco, et caussa . . . tempore, sicuti si quis ante diem, vel ante conditionem petierit, qua enim ratione qui tardius solvit, quam solvere deberet, minus solvere intelligitur, eadem ratione qui praemature petit, plus petere videtur* (6).

(1) Paul. in *l. ex quacumque caussa 2. D. si quis in ius vocatus non ierit*, et Gaius in *l. etsi 8. D. si quis cautionibus in iudicio sistendi caussa factis non obtemperaverit.*
(2) Cum Hotmanno in *disp. de mora cap. 3. num. 13.*
(3) Pompon. in *l. minus 204. D. de reg. Iur.*
(4) Ulp. in *l. ut si cui 12. in fin. D. de verb. sign.*
(5) Callistr. in *l. solidum 85. de solut., et liberat.*
(6) Iustin. §. *si quis agens 33. Inst. de actionibus.*

LXIII. Obiectis Pomponii, Ulpiani, Callistrati, et Iustiniani auctoritatibus repono in primis adversas Pauli, Ulpiani, et Modestini sententias. *Is enim, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur*, censuit Paulus (1). Ulpianus *id apud se* (ait) *quis habere videtur, de quo habet actionem, habetur enim quod peti potest* (2). Consentit Modestinus, inquiens: *rem in bonis nostris habere intelligimur, quoties possidentes exceptionem, aut amittens ad recuperandam eam, actionem habemus* (3).

LXIV. Discrepantiam earum, quas recitavimus legum, mox in concordiam adducturi distinguimus *fictionem* iuris ab *effectu*, et re ipsa in utrisque Iure consultorum responsis. Primi sane tunc reipsa minoris actionem ad rem, quam rem ipsam faciunt, et minus solvere illum putant, qui tardius solvit: dum spectant simul in mora solvendi, aut lucrum creditori deficiens, aut detrimentum ei obveniens, aut periculum, et incommodum amittendae sortis debitore ad inopiam vergente, aut litigioso per calumnias resistente. Hinc patet minus pretium rei tardius solutae non solo ex tempore aestimari, sed ex caussa concomitante, proximaque vel lucrum non amittendi, vel damnum, incommodumque vitandi. Hanc discriminis rationem explicat Paulus, ubi non quinquennium pacto constitutum spectavit iureconsultus, sed solum quinquennii initium post moram, quae nocuit creditori, ut iure condemnaret morosum locatorem ad id totum praestandum, quod colonus compendii per singulos annos facturus esset: exclusitque locatorem ipsum a beneficio purgandi, re non integra, moram, post illatum puta detrimentum, lucrumque interceptum. Si autem mora nihil nocuisset, nullusque detrimenti caussa extitisset, posse tunc re integra moram utique purgari censuit (4). Itaque si naturalem rationem, aequitatemque pensemus cum Paulo, mora innoxia, et seiuncta a lucro cessante, damnove emergente, nec poenam debitori moroso, nec vicissim creditori lucrum parit. Tunc ergo minoris aestimanda pecunia futura, quam praesens est, ubi creditor, postquam venerit dies solutionis, damnum aliquod acceperit, vel lucrum amiserit ex mora, et culpa debitoris. At si nullum interea detrimentum ex mora emerserit, nullumque deperierit lucrum: quispiam sanae mentis videt centum aureos a mutuatario debitos omnino aequari centum aureis in mutuantis crumena servatis, et captiosam eorum opinionem esse, qui contra pretiosiorem revera praesentem, quam futuram pecuniam aestimant, per fas, nefas miscentes fictione Iuris civilis naturalem veritatem, quam secutus est Innocentius XI. paullo ante laudatus.

LXV. Hinc luce meridiana clarius patet, cur *mora simplex* sine mixtura lucri, aut damni, seu dilatio tam brevis, quam longa mutuatario largita ad sortem reddendam non contineat in sese titulum iustum accipiendi aliquid amplius, ultra sortem mutuo datam. Adde insitam na-

(1) Paul. in *l. is qui* 15. *D. de reg. Iur.*
(2) Ulp. in *l. apud se* 143, *D. de verb. sign.*
(3) Modestin. in *l. rem in bonis* 52 *D. de adquir. rer. dom.*
(4) Paul. in *l. si in lege locationis* 24. *§. colonus* 4. *D. locati.*

turae mutui dilationem temporis ad reddendam sortem, intra quod mutuatarius accepta pecunia uti, frui sine ullo usurae onere valeat: sed maior, et minor dilatio mutui gratuiti speciem, naturamque non mutat. Quaevis igitur dilatio nullum usurae onus, quod mutuo repugnat, ferre umquam potest. Commodum nunc est de mora *noxia*, et *mixta* speciatim nonnulla disserere.

LXVI. Morosi quidem debitoris *non oportere frustrationem impunitam esse*, respondit Papinianus (1), et Africanus (2). Verum sine culpa, dolove morosum iura non puniunt: quia non fecisse moram videtur, qui iusta ex caussa distulerit solutionem. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri*, ait Bonifacius VIII. (3): ideo qui *sine dolo malo ad iudicium provocat, non videtur moram facere* Iuliano, Paulo, et Ulpiano (4). Hinc bene Cuiacius moram esse definivit *iniustam; et frustratoriam solvendi debiti dilationem* (5).

LXVII. Duplex autem est morae genus, *regularis*, *et irregularis*. Dicitur *regularis*, itemque *vera*, *et propria*, quae fit vel interpretatione creditoris, vel litis contestatione, oriens ex contumacia debitoris frustrantis, non ex solo rei debitae respectu. Hanc regularem moram describens Marcianus, *mora fieri intelligitur* ait, *non ex re, sed ex persona, idest si interpellatus opportuno loco, et tempore non solverit* (6). Nam *nulla intelligitur mora*, ait Scaevola, *ubi nulla petitio est* (7).

LXVIII. Interpellatio autem nedum in iudicio, verum etiam extra iudicium recte fit. Perfectam, validissimamque interpellationem aestimari, quae in iudicio facta sit, ecquis dubitaverit? Procul dubio *hic moram videtur fecisse, qui litigare maluit, quam restituere*, inquit Ulpianus (8). Eamque ob rem fructus omnes, et interusuria rei petitae post litem contestatam continuo debentur creditori, qui rem evicerit (9). Extraiudiciali quoque interpellationem debitorem in mora constitui, censuit Papinianus (10), et bene quidem interpellat nedum creditor ipse, sed eius etiam procurator, gestorque negotiorum (11). Per epistolam, aeque ac coram, vel per nuncium (12). At e contrario, nisi principali

(1) Papin. in *l. in fideicommissi 3. §. ult. D. de usuris, et l. liberto* 31. *§. 2. D. de negot. gest.*

(2) African. in *l. hominem 37. D. mandati.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. non est* 10. *de reg. Iur. in VI.*

(4) Iulian. in *l. qui sine dolo 63.*, Paul. in *l. si quis solutioni 29. D. de reg. Iur.* et Ulp. in *l. sciendum est* 21. *D. de usuris.*

(5) Cuiacius *initio comm. ad l.* 23. *D. de verb. oblig.*

(6) Marcian. in *l. mora 33. D. de usuris, et fructibus, et caussis, et omnibus accessionibus, et mora.*

(7) Scaevola in *l. nulla 88. D. de verb. oblig.* Pompon. in *l. si ex legati 23. D. eod.*

(8) Ulp. in *l. nemo 72. D. de verb. oblig.*

(9) *L. quaesitum est 91. §. 7.*, *et ult. D. legat.* 1., *et l.* 1. *D. de usuris, et fruct. legator., seu fideic.*

(10) Papinian. in *l. in fideicommissi 3. D. de usuris.*

(11) *L. si quis solutioni* 24. *§.* 2. *D. eod.*

(12) *L.* 1. *D. de procuratoribus, et l. 47. §.* 1. *D. de bonis libertorum.*

*

debitori fiat, inanis erit interpellatio, vel servo, vel filio, vel uxori facta (1), quemadmodum, et qui perfunctorie, aut obscure denunciationem faciet (2), aut *tempore* non condicto (3). Unica vero, quae facta rite sit, interpellatio moram parit regularem (4). *Et moram sufficit semel intervenisse, ut perpetuo debeantur usurae*, monet Paulus (5): ab heredibus etiam defuncti, qui moram semel admiserit, eamque ad illos sine alia interpellatione transmittit: id quod apertius censuit Africanus (6). Satis haec de *regulari*, et *personali mora*.

LXIX. *Irregularis* autem mora iudicatur admissa, cum sine interpellatione debitor satisfactionem aeris alieni differens ultra diem constitutum, ipso iure obstringitur ad praestandum id, quod creditoris interest solo respectu rei debitae, quam opportuno tempore, condictoque loco non solverit. *Aliquando enim in re moram esse*, docet Ulpianus (7). Nam in contractibus bonae fidei generaliter mora committi ex *re ipsa* sine ulla interpellatione, communiter tenent Doctores. Quandoquidem *usurae* (ait Gordianus Imperator) *in depositi actione, sicut in ceteris bonae fidei iudiciis ex mora venire solent*, scilicet irregulari (8). Consonant Diocletianus, et Maximianus. *In minorum persona* (Imperatores inquiunt) *reipsa, et ex solo tempore tardae pretii solutionis recepto iure moram fieri creditum est: in his videlicet, quae moram desiderant, idest in bonae fidei contractibus, et fideicommissis, et legatis* (9). Idque eo magis locum habet contra natu maiores in iisdem casibus (10). Hanc iuris sententiam usu, rebusque iudicatis hoc in regno receptam tradunt nostri (11).

LXX. In primis itaque inter bonae fidei contractus *emptio venditio* postulat, ut morosus emptor, qui re accepta pretium non numeravit, cogatur usuras pretii continuo praestare decurrendas a die traditionis, quamvis non interpellatus (12). 2, in *locationis, conductionis* contractu usuras ex mora solum reali decurrere, non modo contra conductorem, verum eius etiam fideiussorem, respondit Paulus (13). 3, in actione *negotiorum gestorum* usuras ex aliena pecunia receptas, quasque

(1) *L. mora* 32. §. 1. *D. de usuris.*
(2) Ulp. in *l. aut qui aliter* 5. *D. quod vi, aut clam.*
(3) *L. mora* 32., *et l. qui Romae* 122. *D. de verb. oblig. l.* 1., *toloque tit. D. de eo, quod certo loco.*
(4) *L.* 1. §. 1. *D. de act. empti, l. item veniunt* 20. §. 6. *D. de hered. petit.*
(5) Paul. in *l. Titia Seio* 87. §. 1. *D. de legat.* 2.
(6) African. in *l. cum patrifamilias* 27. *D. de usuris.*
(7) Ulp. in *l. sed etsi reipublicae* 23. *D. de usuris.*
(8) Gordianus in *l. usurae* 2. *C. depositi.*
(9) Diocl., et Maxim. in *l. in minorum* 3. *C. in quib. caus. in integr. restit. neces. non est.*
(10) Quia in *contractibus, qui bonae fidei sunt, etiam maioribus officio iudicis caussa cognita publico iure subveniunt*, ex *l. in contractibus* 3. *C. quibus caus. maior. in integr. restit.*
(11) Reg. Capic. latr. *cons.* 25. *num.* 46.
(12) *L. Iulianus* 13. §. *veniunt* 20. *D. de act. empti, l. curabit* 5. *C. eod. et l.* 2. *C. de usuris.*
(13) Paul. in *l. quaero* 14. *D. locati.*

percipere potuimus, praestandas censuit idem iureconsultus (1): statim ac dies solvendae sortis praeteriverit ex Triphonini sententia (2). 4, *mandatarius* non solum id, quod impendit in mandantis commodum, sed usuras etiam consequitur iudicis arbitrio aestimandas (3). 5, *depositam* apud se pecuniam insuper qui suos in usus inscio, invitoque domino convertit, usuras etiam pendet (4). 6, *socius* item, si erit ideo condemnandus, quod communem invaserit pecuniam, vel suos in usus impenderit, usuras quoque siue interpellatione decurrendas praestabit (5). 7, *tutor* quoque morosus in restitutione rerum pupillarium, usuras simul solvet non interpellatus (6). 8, qui re *commodata* aliter, quam dominus concesserit, utatur, eamque condicto loco, et die non reddet, moram reipsa facit, et omnes id, quod commodantis interest, continuo praestare cogitur (7). 9, *pignoratitia* actione creditor, qui rem sibi obligatam victus restituat emptori, usuras medii temporis a debitore petet, et consequitur (8). 10, fructus *dotales* marito decurrere ab eo momento, quo matrimonii onera subit, respondit Ulpianus (9). Ratio quidem naturalis non patitur in hisce casibus aliquem lucrari cum alienа iactura, fructus nimirum accipere ex re per contractum bonae fidei ab alio accepta, quoad parti alteri satis non fecerit.

LXXI. De *legatis*, et *fideicommissis* par est iudicium. Morosus enim vel heres, vel possessor hereditatis ob solam tardae satisfactionis caussam res legatas, et fideicommissas una cum fructibus, usurisque reddit (10). Alienam pariter *hereditatem* mala fide possidentem in mora esse, ex quo scit eam a se peti, Ulpianus docet (11).

LXXII. Observandum heic est, dum quilibet bonae fidei contractus deducuntur in stipulationem, eos tum assumere naturam stricti iuris ex Pauli responso (12). In contractibus autem stricti iuris, nisi de usurarum die cautum speciatim sit, usuras nonnisi a die petitionis, vel litis contestatae decurrere patet ex iisdem modo expositis legibus, et communi doctorum consensione (13).

(1) Idem in *l. atqui natura 19. §. 4. D. de negot. gest.*
(2) Triphon. in *l. qui sine 38. D. eod.*
(3) *L. si vero 12. §. si mihi 9. D. mandati.*
(4) *L. usurae 2., et l. si depositi 3. C. depositi.*
(5) *L. cum iudicio §. socius D. de usuris, et l. socium 60. D. pro socio.*
(6) *L. 1. §. ult. D. de usuris, l. Lucius Titius 46. §. 3. D. de admitt. tutor.*
(7) *L. si ut certo loco 5. D. commodati, et l. in bonaei fidei 7. D. de eo quod certo loco.* (8) *L. nec enim amplius 23. D. de pignorat. act.*
(9) Ulp. in *l. dotis fructum 7. D. de iure dotium.* Videsis quae ad hanc rem dixi fusius in tract. *de iure dotium cap. 7.*
(10) L. *3. in quib. casib. in integr. rest. necess. non est.* Ulp. in *l. usurae 34. D. de usuris* respondit *usuras non debere a fructibus separari, sed vicem fructum obtinere in legatis, fideicommissis, tutelae actione, ceterisque iudiciis bonae fidei.*
(11) Ulp. in *l. item veniunt 20. §. petitam 11. D. de heredit. petit.*, et *l. si post moram 2. C. eodem.*
(12) Paul. in *l. bonae fidei 7. D. de eo, quod certo loco.*
(13) Cum *gl. in l. centum Capuae* verb., *nec oportebit D. de eo, quod certo loco*, Reg. de Ponte *cons. 74. num. 31. vol. 1.*

LXXIII. Ex hactenus dictis haec axiomata paucis colligantur. Usurae pacto conventae decurrunt a die inter paciscentes condicto pro sorte debita ex quovis contractu, sive bonae fidei, sive stricti iuris. 2, si nihil inter contrahentes fuerit de die, et quantitate usurarum legitima cautum, sors autem debeatur ex contractu bonae fidei in stipulationem deducto, iudex actione arbitraria definiet diem, modumque usurarum ex adiunctis rerum, personarum, locorumque. 3, si vero contractus bonae fidei non sit stipulatione firmatus, iudex itidem ex bono, et aequo arbitrabitur, an debitor moram reipsa fecerit, et an probabili aliqua exceptione valeat eam excusare. 4, ubi sors debebitur ex contractu stricti iuris, et nihil de usurarum die contrahentes dixerint, usurae tunc praestabuntur a die petitionis, vel litis contestatae.

§. V. *De pacto securitatis et susceptionis periculi.*

LXXIV. Ad eum, qui mutuum rogavit, transire periculum rei mutuo acceptae, explorari iuris est. Quum quaelibet enim res domino suo stet, vel pereat, et ipsius periculo sit (1), res autem mutuas in hoc demus, ut fiant accipientis, in eiusque dominium transeant cum pleno iure utendi fruendi ad consumptionem (2): consequens est, ut rem mutuo acceptam suo accipiens periculo habeat, eumque perinde commoda, atque incommoda eiusdem rei sequantur ex ipsius mutui natura (3). Iniquum aliter esset, quod mutuatarius lucrum dumtaxat, et commodum re accepta utendi, fruendi ad consumptionem perciperet, damnum vero nullatenus ipse ferret (4) ex contractu, qui puram solius accipientis utilitatem continet.

LXXV. At periculum eiusmodi in humanis negotiis expressa partium consensione saepe reiicitur in eum, qui ex natura contractus ad illud non tenetur, puta depositarium, mandatarium, venditorem, mutuatarium. *Saepe evenit* (inquam cum Ulpiano), *ut res deposita, vel nummi periculo sint eius, apud quem deponuntur, ut puta, si hoc nominatim convenit* (5). Venditor item periculum rei venditae, traditaeque potest sibi ex pacto convento retinere (6). Id etiam in ceteris contractibus locum habet: quum fas contractibus fere sit, immota, et salva principalis contractus substantia, transferre ab uno ad alterum expressa pactione periculum accidentale, aut extrinsecus obventurum.

LXXVI. Susceptio autem alieni periculi pretio aestimatur probissi-

(1) Paul. in *l. necessario 8. D. de periculo, et commodo rei venditae.*

(2) L. 1. §. 2. *D. de obligat., et action.*

(3) *L. secundum naturam 10. D. de reg. Iur. l. certi condictio 9. in fin. D. de reb. credit., et ult. D. de nautico foenore,* et *l. incendium 11. C. si certum petatur.*

(4) Ulp. in *l. si non fuerint 29.*, et Paul. in *l. si unus 67. §. D. pro socio.*

(5) Ulp. in *l. 1. §. saepe 35. D. depositi.* Pariter Neratius cum Aristone, et Celso censuit depositum, et mandatum hac suscipi conditione, ut res periculo eius sit, qui depositum, vel mandatum suscepit, *l. et Aristoni 39. D. mandati.*

(6) *L. 1. D. de periculo, et commodo rei venditae.*

me (1). Si dedero enim decem traiectitia eo pacto, ut salva, nave sortem cum usuris recipiam, Paulus respondit saepe me sortem cum usuris recipere, dummodo navis salva pervenerit (2): sed vicissim pereunte nave, sortis iacturam simul ipse faciam (3). Scaevola periculi pretium, et aleae speciem, simul et conditionem casu eventuram uno, eodemque iure in contractibus probavit (4). Similiter Ulpianus pretium fideiussionis probum dixit, et iustum ob periculum, quod fideiussor suscipit in alieno debito solvendo, quoties debitor principalis ad inopiam verterit, aliave caussa defecerit; monuitque remunerationem, quae fideiussori detur, non liberalem, gratuitamque donationem esse, sed iustam officii, susceptique periculi mercedem (5). Tum Iustinianus usque adeo declaravit pecuniam posse fideiubendi caussa accipi, ut sanxerit mulierem, si quid ea ad suam pro alio fidem interponendam acceperit, non posse uti auxilio Senatus Consulti Velleiani (6). Periculum porro imminet fideiussori, quum ad inopiam plerumque fortuito redigantur viri etiam ditissimi.

LXXVII. Ex his praemissis pulchre consequitur eum, qui mutuam a te pecuniam accepit, iure merito posse pro ea tuto traiicienda de uno in alium locum, sive maritimum, sive terrestrem aliquid certum tibi spondere suscipienti periculum traiectionis, dummodo fraus, et simulatio absit, et accipiens mutuum sponte omnino sua paciscatur de traiectione, et securitate sortis omnino gratis acceptae (7). *Quod enim in duabus personis recipitur, hoc, et in eadem persona recipiendum est*, inquit Ulpianus (8).

LXXVIII. Facessit maximopere negotium celeberrima decretalis Gregorii IX. in *cap. naviganti ult. de usuris*, qua foenus nauticum in mutuo generatim damnatum prima fronte videtur. Nam Pontifex ita rescripsit: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Hac Gregoriana epistola abrogatas fuisse leges civiles in pecunia traiectitia usuras, et foenus nauticum probantes, putant nonnulli Doctorum (9). Alii usuras pecuniae traiectitiae a Gregorio IX. tunc solum in mutuo proscriptas, cum

(1) *L.* 1., *et seq. D. de nautico foenore.*
(2) Paul. in *l. in quibusdam 9. D. eodem.*
(3) *L. foenerator 5. D. eodem.*
(4) Scaevola in *l. periculi pretium 5. D. eodem.*
(5) Ulp. in *l. hoc iure utimur 10. §. 1. D. de donat.* cum Labeone censuit *extra caussam donationum esse talium officiorum mercedes: ut puta, si tibi adfuero, si satis pro te dedero.* Scilicet remunerationem fideiussori non gratis dari, sed pro debita suscepti periculi mercede. Idemque in *l. si remunerandi gratia §. 7. D. mandati* probavit, quod *Marius Paullus quidam fideiussisset pro Daphnide, mercedem pactus pro sua fideiussione.*
(6) Iustin. in *l. antiquae 23. C. ad Sen. Cons. Vell.*
(7) Paull. in *l. etiam D. de admin., et peric. tutor.* Huc spectat illud Thaletis Milesii proverbium: *sponde, noxa tibi praesto est.*
(8) Ulp. in *l. singularia 15. D. de rebus creditis.*
(9) Cum glossa Panormitanus, Hostiensis, et Fagnan. in *eod. cap. naviganti*, Navarra initio *comm. de cambiis.*, et Leotard. *de usuris q. 23. n. 3., et 19.*

vel nullum, et inane, vel fictitium foret periculum, sub cuius pallio suam foeneratores iniquitatem contegere studerent: secus, ubi probabile, aut verum adsit periculum (1). Alii opinantur immodicum, et iniustum periculi pretium dumtaxat reprobatum, secus vero legitimum et moderatum (2). Alii cum Barbosa, Laymanno, et Gibalino corruptam, vitiosamque esse litteram textus Gregoriani, in eoque deficere negationem, quam supplere non dubitant ita legentes: *usurarius non est censendus* (3).

LXXIX. Postrema sententia verosimilior tenet, lucrum ex pretio periculi suscepti fore tunc habendum usurarium, quum captare illud studeat mutuans a navigante, vel proficiscente ad nundinas invito, puta coacto ad contractum securitatis, una cum mutuo ineundum cum ipso foeneratore, qui alias non esset pecuniam mutuam daturus: secus vero pretium periculi ultro, et sponte a mutuatario oblatum ei, qui gratis etiam dare mutuum vellet sine pacto securitatis, et sine ulla periculi translatione. Hanc interpretationem praedocuit S. Antoninus (4), quem sequuti sunt quamplurimi Doctorum (5). Eaque probabilior, et rectior esse quidem videtur, verbisque textus magis consentanea, sat indicantibus Gregorium loquutum fuisse de mutuo in eum finem dato, ut mutuans lucraretur aliquod ultra sortem pro eo, quod suscipit in se periculum. Ly *mutuans recepturus* hunc potissimum sensum exhibet. Si enim mutuans nihil debet inde sperare, prout Lex divina praecipit: cui ei fas erit captare lucrum occasione mutui compellendo mutuatarium ad promittendum, et solvendum aliquod ultra sortem ratione suscepti periculi? Nonne ob eiusmodi lucri spem ipse denegaret mutuum ei, qui suo velit periculo iactare aleam pecuniae traiectitiae? Ubi par esset spei periculum, utique a susceptione periculi mutuans ipse abstineret. Iure merito igitur *usurarius est censendus*, qui mutuum non daret naviganti, vel eunti ad nundinas suum acceptae pecuniae periculum retenturo. *Censendus*, inquam iuxta litteram textus pontificii: quia praesumptione Iuris iudicabitur in foro externo usurarius, qui a mutuatario aliquod recepturus est supra sortem pro suscepto periculo ex pactione adnexa mutuo (6).

(1) Molinaeus in *tract. de usuris quaest. 3. num. 95.* Eam opinionem refellit Covarruvias *lib. 3. var. cap. 2. num. 5.*

(2) Hadrian. in *4. sentent. tract. de usuris cap. occurrunt.*

(3) Suam coniecturam de intermissa negatione ducunt ex contextu subsequentium verborum: *ille quoque . . . non debet ex hoc usurarius reputari.* Vox enim *quoque* similem videtur casum praecedentem referre, ex *l. 3. §. 1. D. de adquir. do. et l. qui legatorum §. filium quoque D. pro haerede.* Huic tamen opinioni constantem omnium Codicum fidem adversari, nec tantam urgere necessitatem emendandi textus, qui aliam explicationem mox sane commodiorem admittit; fateor cum Emm. Gonzalez *loc. cit.* et Leotardo *cit. quaest. 23. num. 24.*

(4) S. Antonin. *par. 2. tit. 10. cap. 7. §. 21.*

(5) Sylvester, Caietanus, Navarra, Lupus, ceteri Theolog., et Canonistae apud Gonzalez in *cit. cap. naviganti*, et Fagnanum *ibidem num. 19.*

(6) Hanc quoque interpretationem sunt, qui abiiciunt cum Navarra initio *comm. de cambiis*, et Leotardo de usuris *cit. qu. num. 19.*, velut epistolae Gregorianae verbis repugnantem ex eo, quod nullum verbum iis videtur Gregorius

LXXX. At vero usurarius non erit in utroque foro interno, et externo, qui mutuum dat gratis, si mutuum accipiens iniverit spontanea prorsus voluntate pactum solvendi aliquid pro securitate sortis traiectitiae, et periculi translatione in mutuantem creditorem: praesertim si post mutuum gratis datum ex intervallo hic periculum sub certa mercede suscipiat. Quod ad forum conscientiae sola voluntas excludit malitiam usurariam in suscipiente periculum, qui mutuum esset sine pacto securitatis etiam revera daturus. Quod vero ad forum externum in facto debet ostendi pactionem datae securitatis, susceptique periculi conventam fuisse post liberalem mutui dationem ex libera utriusque voluntate (1).

§. VI. *De emptione venditione et mohatra.*

LXXXI. Student foeneratores multipliciter abscondere usurariam pravitatem sub pallio emptionis venditionis. In primis petenti pecuniam mutuam foenerator, denegans mutuum offert mercem, aliamve quamlibet rem ei vendere pretio vel iusto, vel non infimo, et plerumque maximo; quod emptor integre soluturum spondeat post aliquod temporis intervallum, hoc pacto, ut accipiens emptor eamdem ipsi venditori continuo retrovendat minoris. Hunc contractum Hispani *mohatram* appellant. Ecquis non videt, in eo mutuum tacitum, et praesumptum reapse contineri, atque a foenerante venditore lucrum captari ultra sortem simulati pretii, quo is vendere primum fingit non numerata per emptorem pecunia, et confestim redimere minori quantitate, quam ipse unus, idemque rei suae venditor, et emptor fraudulentissimus tunc statim numerat simulato emptori pecunia mutua indigenti? Nonne mutuum ipse denegat petenti, ut hunc emptione, ac venditione compellat ad accipiendam pecuniae quantitatem minorem ea, quam accipiens spondet soluturum ei, qui dedit? Usuram huiusmodi *piraticam*, et *barbaricam* nonnulli appellant utroque iure divino, et humano damnatam. Eam spectat illud Ecclesiastici: *qui quaerit locupletari, avertit oculum suum: sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic et inter medium venditionis, et emptionis angustiabitur peccatum* (2). Profecto quaerens cum aliena iactura locupletari suum avertit oculum ab egeno gratuitum mutuum postulante, eum ut venditione cariori, tum emptione viliori opprimat. Iure hinc merito Innocentius XI. contractum huiusmodi proscripsit propositione XL. inter eas ab

fecisse de coactione accipientis mutuum ad subeundum securitatis pactum una cum mutuo. Quo silentio perpenso, et re maturius ponderata, scribit Navarra suam hac in re mutasse sententiam (quam ipse amplexus ante fuerat *cap. 17. num. 221.*): additque hanc, et non aliam fuisse Gregorii IX. mentem, ut correctis, abrogatisque legibus civilibus foenus nauticum permittentibus, usurarius quidam iudicetur, quisquis aliquid ultra sortem mutuo creditam exigeret a navigante, vel eunte ad nundinas, quamvis periculum pecuniae sibi susceperit ex libera omnino voluntate accipientis mutuum.

(1) Fagnanus *loc. cit. num. 21.*, et Gonzalez *ibidem num. 8.*

(2) Ecclesiastici *cap. 27. vers. 2.*

ipso damnatas his verbis concepta : *Contractus mohatra licitus est etiam respectu eiusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praeviae inito cum intentione lucri.* Hanc improbam, iniustamque usuram in emptione, et retrovenditione latentem execrati sunt S. Carolus Borromaeus (1), et Cardinalis Granuela huius Regni Prorex (2). Eamque ut latrocinii speciem iustis vindicandam poenis, coercendamque fore, commonet Covarruvias (3).

LXXXII. Proximum usurae palliatae genus est illud etiam, ubi emptio venditio fiat cum pacto redimendi modico pretio. Enimvero Innocentius III. putat eo in casu emptionis venditionis pallio usuram abscondi ex his praesertim rerum adiunctis. 1, scilicet quod quidam R. mutuum ab M. petierat. 2, quod M. ad usuram occultandam maluit emptionem domorum, olearumque simulare. 3, quod M. ipse coegit R. mutuo indigentem, ut retrovenderet ipsi M. domos, olivasque minimo pretio, vix dimidium iusti valoris aequante. 4, quod laesus in pretio venditor domos, olivasque non posset ante septem, nec post novem annos redimere (4). Idemque Pontifex duobus Canonicis Pisanis rescripsit, quod qualiscumque fuerit contrahentium intentio in vendendis, emendisque terris cum pacto redimendi; *ex duobus tamen, quae pacto fuerunt expressa:* videlicet quod fructus percepti ex terris venditis *deberent in solvenda pecunia numerari, et quod ultra summam receptam sexaginta solidi deberent persolvi, contra ipsum emptorem praesumitur vehementer, praesertim cum usuras consueverint exercere* (5). Ceterum explorata apud iureconsultos res est, pactum retrovendendi valere nedum iure civili, et humano Pontificum, sed a divino, quoties illud alia conditione foeneratitia, et iniusta non corrumpatur. Nam *Dominus haec dixit filiis Israel : cuncta regio possessionis vestrae sub redemptionis conditione vendetur* (6). Alexander Imperator sustineri quidem rescripsit actione ex praescriptis verbis, vel ex vendito pactum in venditione sic adpositum, *ut sive ipsi venditores, sive heredes eorum emptori pretium quandocumque, vel intra certa tempora obtulissent, res restitueretur* (7). His ita se habentibus dicendum est non fuisse quidem ab Innocentio III. reprobatum generatim redimendi, ac retrovendendi pactum : sed eas tantum conditiones eidem pacto adiectas, quae revera indicant foenerantium malitiam sub pallio emptionis, et venditionis absconditam (8).

LXXXIII. Qui merces, resve suas vendens pecunia credita pretium idcirco adauget, quia emptori dilationem temporis largitur ad solven-

(1) S. Carol. in *Synod. Provinc. par. 2. in fine.*
(2) Card. Granuela Prorex edict. an. 1577. apud Reg. Tappiam *lib. 4. de iure Regni tit. 6.*
(3) Covarr. *lib. 2. var. cap. 3. de usuris num. 6. in fine.*
(4) Innoc. III. in *cap. ad nostram 5. de empt., et vendit.*
(5) Idem in *cap. illo vos credimus 4. de pignoribus.*
(6) Levitici *cap. 25. vers. 24.*
(7) Alexand. in *l. si fundum 2. C. de pactis inter emptor., et venditor.*
(8) Ut observat Emm. Gonzalez in comm. *ad cit. cap. ad nostram, et cap. illo vos credimus.*

dum, *quasi usurarius* quoque damnatur ab Urbano III. (1). *Quasi usurarius*, ait Pontifex, quoniam fingitur in ea venditione pretium ab emptore solutum venditori, dum a venditore eadem pretii pecunia fingitur ad emptorem profecta, velut mutua ipso iure (2). Nam Ulpianus cum Nerva, et Proculo *quasi mutuam* appellat pecuniam : qua depositarius, consentiente domino, utitur (3). Eidemque Iureconsulto visa est pecunia mea, quam tu ex caussa mandati detinebas, si convenerit, ut crediti nomine eam diu retineas : visa inquam est *data mihi pecunia*, *et a me ad te profecta*, scilicet non revera, sed fictione iuris.

LXXXIV. Responso Urbani adversari plane videtur Alexander III. ad Ianuae Archiepiscopum, rescribens *non posse censeri nomine usurarum* contractum illum, quo Ianuenses piper, cinnamomum, aliasque merces, quae ultra quinque libras non valerent, emebant, spondebantque publico instrumento sese libras sex soluturos venditoribus statuto termino ob dilatam pretii satisfactionem : *tamen venditores peccatum incurrere* (4). Quid enim commune habet emptio venditio mercium, quamvis iniusta cum illicito foenore, et usuris? Refragatur etiam ratio Iuris civilis, qua spectata, res tanti valet, et aestimatur, quanti vendi potest (5). Et Ius gentium videtur contrahentibus libertatem invicem sese decipiendi ob publicam commercii utilitatem dedisse (6). Haec itaque iura permittunt, inquies, res vendi carius ob dilatam pretii crediti satisfactionem.

LXXXV. At vero in concordiam Urbanus facile adducitur cum Alexandro. Urbanus enim de interno solum conscientiae foro loquutus rescripsit, eos esse *in iudicio animarum* negotiatores inducendos, ut restituant, quae ipsi male accepissent prava foenerandi intentione, dum crederent iusto carius rerum venalium pretium, *omni etiam*, inquit, *conventione cessante*. At Alexander de foro externo agit, deque venditionibus publico instrumento conventis cariori pretio credito : et censuit ita vendentes peccatum incurrere, *licet contractus huiusmodi* (ait) *ex forma non possit censeri nomine usurarum*. Uterque igitur Pontifex iis in casibus non probasse videntur auctoritatem Iuris civilis, quod mutuam emptoribus, et venditoribus deceptionem indulget (7).

LXXXVI. Excipiuntur ab hac regula pontificia, qui ideo carius credito, quam in praesentia numerato pretio vendunt, quia et dubitant, an tempore solutionis valor rei varietur, et praeterea ipsam non essent tunc vendituri, cum ementes credito eam pretio accipiunt (8). Haec

(1) Urban. III. in *cap. consuluit 10. de usuris.*
(2) Ulp. in *l. certi conditio 9. §. ult. D. de reb. credit.*
(3) Idem in *l. singularia quaedam 15. D. eod.*
(4) Alex. III. in *cap. in civitate tua 6. de usuris*
(5) *L. quaerebatur 81. D. ad leg. falcid.* ibi : *quanti nomen distrahi potest, et l. §. 1. si haeres D. ad Trebellianum.*
(6) *L. in caussae, et l. in ordine 17. §. idem Pomponius D. de minorib., et l. item si pretio 25. §. fin. D locati.*
(7) Fagnan. in *comm. cap. in civitate tua nem. 3., et seq. de usuris.*
(8) Ex eodem *cap. in civitate tua 6., et cap. naviganti §. ult. de usuris.*

ambo concurrant simul oportet (1); dubium scilicet futurae in pretio mutationis, et propositum protrahendae venditionis: quamvis alterutrum sufficere disiunctim videatur ex littera earumdem decretalium (2).

LXXXVII. Emptio vicissim anticipata frugum, ex. gr. colligendarum minori, quam iusto pretio ob praesentem pecuniae numerationem, continet usurae pravitatem: nisi aequalis erit tempore contractus dubitatio, seu spes, et periculum futuri, incertique valoris. *Ille quoque, qui dat decem solidos*, (Gregorius IX. itidem rescripsit), *ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensurae reddantur, quae licet tunc plus valent, utrum plus, vel minus solutionis tempore fuerint valiturae, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari* (3). In primis itaque ubi nulla sit dubitatio fore, ut pretium praesens eo varietur tempore, quo tradenda res est in antecessum empta, usurarius censebitur emptor, qui pretium iusto minus exsolvit: quia putatur is praesentem pecuniam simulato pretii colore credere, mutuamque illam eo pacto dare, ut postea plus, quam dederit in palliato mutuo, accipiat ob dilationem venditori datam rei tradendae (4). At si ambo contrahentes ex aequo probabiliter dubitant, maius ne, an minus rei pretium erit tempore traditionis, nulla foenoris macula tunc afficitur emptio anticipata: quia et venditor, et emptor aequale subeunt commodum, et incommodum exinde futurum, ex aperta ipsius decretalis Gregorianae definitione. Sola enim dubitatio, eaque non ficta, sed probabilis, et aequalis potest quidem efficere, ut aliud a praesenti valore pretium paciscantur ementes vendentes, ubi vel praesens pecunia pro re ex intervallo tradenda numeretur, vel vicissim res in praesenti tradatur pro futura pecuniae numeratione. Si praeterea quis iusto pretio praesenti res emerit futuras, puta totidem frumenti modios tempore messis tradendos eo pretio, quo in messe ipsa valebunt: omnis usurae labes abest ab eo contractu. Nam anticipata pretii numeratio solam fert necessitatem rei venditae tradendae: quum solus partium consensus emptionem venditionem ultro, citroque perficiat (5). Et actio empti directa ideo legibus datur contra venditorem, ipse ut morosus cogatur rem tradere: quemadmodum et obliqua contra emptorem, ut pretium rei acceptae condictum exsolvat (6).

(1) Ut recte observat Fagnanus in *cap. consuluit 10. num. 9. de usuris* post Card. Abb. Io. de Anania, ceteros ab ipso laudatos.

(2) Nam Alexander III. in priori *cap. in civitate tua* dubium futuri valoris spectasse tantum videtur, inquiens: *venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit merces illas plus, minusve tempore, quo pretium debent recipere, valituras.* Gregorius autem IX. in posteriori *cap. naviganti §. fin.* solam vendentis deliberationem commemorat, dum ait: *ratione huius dubii etiam excusatur, qui merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.*

(3) Greg. IX. in *cap. naviganti §. ille quoque de usuris.*

(4) Fagnan. in *cap. naviganti n. 30.*, et Gonzalez *ib. ad vers. ille quoque.*

(5) Alex. in *l. commissorio 4. C. de pact. inter empt., et vendit.*

(6) *L. 4., 10., et 12. C. de act. empti.*

§. VII. *De pignore usurario et antichresi, ac Montibus pietatis.*

LXXXVIII. Si data quis pecunia mutua pignus a debitore acceperit, fructus rei oppignoratae cunctos ipse imputabit in sortem ; iique ubi sortem aequaverint, ipso iure cogitur mutuans rem pignori acceptam restituere sine alia pecunia: et quoties sortem fructus exuperarint, una cum ipso pignore fructus sortem exuperantes quoque reddere mutuatario (1). Qui vero fructus ex pignore supra sortem acceptos sibi retinere non dubitaverit, usurarius quidem iudicabitur. Pignus enim non ideo traditur creditori, ut fructus exinde lucretur : sed solum, ut sua pecunia oppignoranti credita in tuto sit. Quin iureconsultus Gaius furtum fieri, si quis usum rei alienae pignori acceptae in suum lucrum convertat, respondit (2). Sane dominium pignoris cum penes debitorem sit semper, sola possessione in creditorem translata (3), fructusque pars fundi esse putentur (4) : consequens est, ut ii ad dominum ipsum fundi, quamvis oppignorati omnino pertineant : quemadmodum et omnia pignoris commoda, et incommoda citra possidentis creditoris dolum, et culpam ad ipsum debitorem, qui pignus dedit, pertinere censuit, Ulpianus (5).

LXXXIX. Hinc necessario consequitur *antichresim*, puta conventionem, qua res pignori datur, ut fructus pro usuris percipiat creditor, vel ea is utatur, fruatur, in vicem pecuniae creditae; improbam, iniustamque esse, ideoque sacris canonibus iure meritissimo damnatam, ut foeneratitiam (6), quibus abrogatas quidem fuisse leges civiles eam permittentes intelligimus.

XC. Civili quidem Iure contractus *antichresis* eo usque valeret, ut etiamsi fructus ex pignore accepti legitimam usurarum rationem excederent, integri adhuc cederent creditori ob incertam fructuum percipiendorum quantitatem, incertumque pretium eorumdem (7). *Si antichresis*, aiebat Marcianus iureconsultus, *idest mutuus pignoris usus pro credito facta sit, et in fundum, aut in aedes aliquis inducatur, eousque retinet possessionem pignoris loco, donec illi pecunia solvatur, cum in usuras fructus percipiat, aut locando, aut ipse percipiendo, habitandoque* (8). Quinimmo nedum expressam videntur, sed et tacitam antichresim leges adprobasse: *Cum debitor* (Paulus iureconsultus ait) *gratuita pecunia utatur, potest creditor de fructibus rei sibi pignoratae ad modum legitimum usuras retinere* (9). Hoc Pauli responsum sub

(1) *Cap. illo vos 4., cap. cum contra 6. de pignor. cap. conquestus 8., et cap. plures 1. de usuris.* (2) Gaius in *l. si pignore 54. §. 1. D. de furtis.*
(3) *L. cum et sortis 36. §. un. D. de pignorat. act. et l. pignus 9. C. eod.*
(4) Gaius in *l. fructus 44. D. de rei vindic.*
(5) Ulp. in *l. si inter colonum 21. §. 2. D. pignor. l. si pignus 8., et l. sicut vim. 19. C. eodem.*
(6) *Cap. 1., 2., et 8. de usuris, cap. 4., et 6. de pignoribus.*
(7) Philipp. Imp. in *l. oleo 23. C. de usuris.*
(8) Marcian. in *l. si is, qui bona 11. §. 1. D. de pignor.*
(9) Paul. in *l. cum debitor 8. D. in quib. caussis pign., vel hyp. tacite contrah.*

rubrica taciti pignoris a Iustiniano relatum quum sit, non abs re, nec temere arguit exinde Cuiacius ad pignus tacitum pertinere (1). Ecquis Paulum hic de expressa antichresi loquutum tuto adfirmaverit? Si enim fructus pignoris lucrari pro usuris debebit creditor ex pacto antichresis expresso, cur a Paulo *gratuita* dicitur data pecunia? Scio equidem plerosque interpretum hoc in textu exponendo nimium dissentire: quorum alii cum Accursio, Irnerio, et Bacovio putant Paulum de usuris pacto conventis, et naturaliter debitis sensisse. Alii cum Hotmanno litteram textus mendosam opinantur, et emendare addita negatione non dubitant, ita legentes: *cum debitor non gratuita pecunia.* Alii cum Vinnio tenent, speciem huius legis versari quidem in mutuo gratuito, sed postquam dies reddendi mutui venerit, tuncque ob debitoris moram, culpamque fructus pignoris ad creditorem pertinere pro interusuriis compensandis (2). At duas Cuiacii, et Vinnii sententias favere non expressae quidem, sed tacitae solum antichresi palam est.

XCI. Quoniam vero leges huiusmodi civiles sacris iam abrogatas canonibus esse constat ex antedictis decretalibus: falsa omnino videtur opinio affirmans licere contractum antichreticum, ex quo alteruter contrahentium facultatem habeat pro libito id repetendi, quod dedit, hic interea usuras fruiturus pecunia credita, ille re pignorata (3). Nam sors pecuniae creditae, quoties non erit penitus creditori demortua, quemadmodum fit in contractu censuali inferius explicando: quis non videt, fructus pignoris frugiferi, qui pretio aestimantur, ultra sortem creditam exuberantes percipi ratione mutui cum manifesto usurae vitio? Iure hinc merito contractum hunc reprobat Gonzalez cum aliis (4), in eo vix casu probum eumdem habentes, ubi pignus reapse non sit frugiferum, sed sterile, puta ubi ad securitatem creditoris pignori dentur ei supellectilia domus, et ornamenta cum facultate etiam utendi fruendi, quum usus huiusmodi rerum nullam creditori afferat revera utilitatem, seu fructum pretio aestimabilem.

XCII. Fructus idcirco sive civiles, sive naturales, quos creditor ex antichresi reapse perceperit, imputabit in sortem: secus illos non perceptos, quos percipere potuissent (5). Exploratum sane in Iure est in hanc actionem venire id solum, in quo locupletior factus est creditor, quodque citra fraudem revera perceperit compendii, si aliis ipse antichresim locasset (6). Hanc sententiam a iuris peritis, et Theologis re-

(1) Cuiac. *lib. 8. observat. cap. 17.*, Faber *de error. pragmatic. dec. 9. cap. 1.*

(2) Vinnius *lib. 2. selectar. cap. 8.* Hanc opinionem velut probabiliorem sequitur Emm. Gonzalez in *cap. cum contra 6. de pignor. num. 12.*

(3) Istius opinionis patroni sunt Covarruvias *lib. 3. var. cap. 9. num. 3.*, Sotus, Navarra, Azorius, ceteri. Contractum hunc ab ipsis exculpatum Itali appellant *il contratto a godere*, Hispani *ganar a ganar.*

(4) Gonzalez in *cit. cap. cum contra* 6. *de pignor. num. 13.*, cum Cibalino *lib. 3. de usuris lib. 7. art. 13.*

(5) Ex communi DD. sententia ad *l. in summa 65. §. sic habitationem D. de condict. indebiti, et l. si ex pactione 14. C. de usuris*

(6) Ulp. in *l. si non sortem 26. §. libertus 12. D. de condict. indebiti.*

ceptam Leotardus tradit (1). Ea nihilominus limitatur, ubi domus, ex. gr. pignori data sit simpliciter sine pacto antichresis. Nam ipso casu imputabitur in sortem tota etiam pensio, quam percipere ab alio conductore dominus potuisset (2). Sic enim Alexander Imperator rescripsit: *Creditor, qui praedium pignori nexum detinuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet fructus, quos percipit, vel percipere debuit: et si agrum deteriorem constituit, eo quoque nomine pignoratitia actione obligatur* (3). Ex his colliges in antichresi condictionem indebiti, in pignore pignoratitiam dari actionem. Haec distinctio adhibenda itidem est in fructibus agrorum, qui aut in pignus simplex, aut in antichresim dentur. Id unum superaddam, impensas a creditore factas deduci ex perceptis fructibus debere, sicut respondit Ulpianus (4).

XCIII. Quae hactenus de antichresi foeneratitia exposui, locum non habent in pignore, quod pro dote non numerata detur. Nam dotalis pignoris fructus maritus sibi percipit ad onera matrimonii compensanda, eosque in sortem dotis numerandam iure non imputat (5): quemadmodum nec fructus feudi, vel emphiteusis, quos proprietatis dominus pignori accepit, imputantur in sortem (6). Eadem ratione vendens rem fructiferam pro non soluti pretii quota tantum, et non ultra sibi percipit fructuum portionem, donec pretium integre persolvatur (7).

XCIV. Dicendum superest de *Montibus pietatis*, qui aliquid amplius ultra sortem mutuo datam sub pignore quotannis accipiunt, sibique retinent ex pignoris venditione, quam iidem ipsi facere consueverunt, quoties debitores illud redimere intra constituta tempora neglexerint. Usurariam esse istam mutui lucrativi cum pignore dationem in Montibus pietatis plures censuerunt (8), adeo ut nonnulli eosdem adpellarent *Montes fucatae pietatis* (9): ob eam scilicet rationem, quod ex Christi Domini praecepto, et catholicorum dogmate ea semper improba putetur usura, ubi ex rei, quae non germinat, usu mutuans nullo labore, nullo sumptu, nulloque periculo, lucrum, foeturamque studet sibi quaerere. Alii aliter senserunt cum S. Thoma (10), hac potissimum ratione ducti, quia sicuti fas est mutuanti a mutuatario accipere ultra sortem expensas omnes, quas in ipsius dumtaxat mutuatarii gratiam, utilitatemque fecerit, itineris etiam, et vectoris, qui pecuniam mutuam tuto ad mutuatarium alibi degentem attulerit: ita Montibus pietatis licere debe-

(1) Leotard. *de usuris quaest.* 11. *num. 24.*
(2) Ut observant Abbas in *cap. cum contra de pignor. num. 10.*, Surdus *dec. 770. num. 6.*, ex *l.* 1., *et 3. C. de pign. act.*
(3) Alexand. in *l. creditor 3. C. de pignorat. act.*
(4) Ulp. in *l. quod usufructus D. de usuris.*
(5) Innoc. III. in *cap. salubriter* 16. *de usuris.*
(6) Ex *cap. 1. de feudis, et cap. conquestus de usuris.*
(7) Card. de Luca *de usuris in summa num. 16.*
(8) In his Caietanus in *comm. de Montibus pietatis cap.* 1., Dom. Sotus *lib. 6. de iust. qu.* 1. *art. 6.*, Carpzovius, in *prax. crim. qu. 92. num. 4.*
(9) Cum Bohemero in *animad. ad Inst. Iur. Can.* Fleury *par. 3. cap. 4. §. 6.*
(10) S. Thom. *qu. 78. art. 4. quaest.* 1.

bit expensas pro mercedibus ministrorum, pro conductione, et custodia domus, in qua servantur pignora, necessarias, in earumque vicem aliquid modicum a mutuatariis pignora dantibus accipere.

XCV. Sed dissidium omnino diremit Concilium Lateranense V. *sess.* 10. anno 1515. In eo enim propositum fuit, an Montes pietatis christiano dogmati adversarentur, nec ne? Cumque rationes utriusque sententiae maturius expendissent Patres: Leo X. summus Pontifex plene adprobante Concilio rite declaravit, Montes pietatis per Respublicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos, et confirmatos, in quibus pro eorum impensis, et incolumitate aliquod moderatum ad solas ministrorum impensas, aliarumque rerum ad illorum conservatione pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat ultra sortem absque lucro eorumdem Montium recipitur, neque speciem mali praeferre, nec peccandi stimulum praestare, nulloque iure improbari; quinimmo meritorium esse, ac laudari, et probari debere tale mutuum, et minime usurarium putari, sed licere illorum pietatem, et misericordiam populis praedicare etiam cum indulgentiis a Sede Apostolica eam ob causam concessis, ac deinceps alios etiam huiusmodi Montes cum Apostolicae Sedis adprobatione erigi posse: multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes gratuiti constituerentur, si nimirum qui illos erigent, aliquos census adsignarent, quibus si non omni, saltem media ex parte huiusmodi Montium ministrorum agerentur impensae.

XCVI. Duo corollaria ex isto Lateranensi decreto eruuntur. I., apostolica dispensatione indigere Montes pietatis, ut sine suspicione usurae aliquod pro expensis ferendis exigant ultra sortem; eoque magis, ubi administratores Montis pietatis velint antiquum auctarium augere pro solvendo fortasse aere alieno, quod Montes ipsi contraxerint in gratiam mutuatariorum (1). II., quod Montibus pietatis haud fas erit exigere aliquid ultra sortem, quod revera non impendatur in sumptus quotidianos, et Montium necessaria onera: et e contrario licitum et non usurarium sit, quidquid pro iis sumptibus exigatur. Quandoquidem Montes ipsi iure possunt se indemnes servare percipiendo moderatum ultra sortem auctarium: secus vero locupletari, suosque annuos redditus inde adaugere (2). Exin consequitur moderandas esse, atque ad rationem aequitatis, et iustitiae redigenda lucra, quae Montes accipiunt a mutuatariis, ubi annuos redditus iam quaesiverint, et habeant ad necessaria ferenda onera.

XCVII. Perdurum hinc, et iniquum permultis sanioris consilii viris videtur, quod Montes Bancorum huius Civitatis Neapolis facti iam locupletes, annuisque redditibus affluentes adhuc percipiant pro pecunia, quam sub pignore dant egenis mutuam, annuos ducatos septem in centum ultra sortem: quamvis hoc aevo emptiones venditiones annuorum

(1) Id pluries rescripsit S. Congregatio Concilii, sc. ad Archiep. Neapol. die 1. Febr. 1637., ad Episc. Andriens. die 14. Martii eodem anno, ad Praefectos Montis Pietatis Ciu. Casale apud Bened. XIV. *de Synod. Dioec. lib. 7. cap. 47. num. 2.*

(2) Azor. *Inst. moral. par. 3. lib. 5. cap. 4.*

introituum fere non excedant in quotidianis contractibus rationem quatuor in centum (1). Id quod Gubernatores Domus, et Banci Spiritus Sancti huiusce Civitatis recta religione commoti exposuerunt Carolo Regi olim nostro augustissimo, ut huic rei prospiceret.

§. VIII. *De emptione venditione annuorum introituum et censibus realibus ac personalibus.*

XCVIII. Credere pecuniam hoc pacto, ut solus accipiens facultatem habeat, quandocumque sibi libuerit eam restituendi, creditor vero nequaquam possit eamdem repetere, quoadusque debitor ei solverit annuum censum ad rationem 10., vel infra, sed non supra in 100., ideo licitum est, usuque quotidiano receptissimum, quia huiusmodi contractus nullam mutui naturam sapit: sed veram continet emptionem venditionem annuorum fructuum. Debitor enim ita credenti pecuniam vendit annuam portionem fructuum bonorum suorum stabilium, quae hypothecae, vel generatim, vel speciatim subiicit, sese obligans persoluturum quotannis certam pecuniae quantitatem venditis iam fructibus respondentem. Id quod Iure Civili quidem probatur: *Si quis velit usumfructum alii constituere pactionibus, et stipulationibus, id efficere potest*, ait Iustinianus (2). Potest enim dominus rei suae usumfructum, retenta sibi proprietate, vendere (3). Et monente Papiniano, ususfructus, et ab initio pro parte indivisa, vel divisa constitui potest (4). Eodem ergo iure potest quisque vendere creditori fructus rerum suarum, et pro fructibus venditis certam pecuniae summam quotannis exolvere, sibi retenta naturali etiam possessione, et cura percipiendorum fructuum. Sors quidem creditori eatenus demortua, ut eam ipse nequeat pro libito reposcere, exclusam ab isto contractu ostendit procul dubio pactionem mutui tam expressi, quam taciti. A vero, et recto hinc deflectunt, qui censum quemlibet *larvatam usuram* appellantes reprobant (5).

XCIX. Exploratae nunc patent caussae, cur contractum hunc censualem moribus populorum ubique introductum summi comprobarint Pontifices, eum in finem, ut divites, opibusque affluentes, omni amoto scrupulo, pecuniam egenis traderent, eiusque interesse perciperent, sicque eorum necessitatibus prospicientes venditiones bonorum non sine magna iactura, et detrimento fieri consuetam remitterent, inquit Nicolaus V. in constitutione paulo inferius expendenda. Martinus V. anno 1426. postulante Civitate, ac dioecesi Uratislaviensi, declaravit foenebrem eiusmodi contractum emptionis venditionis annui census, qui rationem decem, 13., 14., aut plus, vel minus in 100. pro temporis qualitate aequaret, prout eum contrahentes inter sese constituerent

(1) Videsis quae infra dicentur *num. CVI.*
(2) Iustin. §. 1. *Inst. de usufructu.*
(3) Paul. in *l. quod nostrum 63.*, *et* Ulp. in *l. si dominus 72. D. de usufructu.* (4) Papin. in *l. ususfructus 5. D. eodem.*
(5) Salicet. in *Auth. ea lege C. de usuris*, Hotomann. *lib. 2. obs. cap. 15.*

cum conditione retrovenditionis super bonis stabilibus (dummodo pecunia in contractu integre numeretur a venditore eiusdem census) , non usurarium esse (1). Calixtus III. anno 1455. ad petitionem Cleri Mersburgensis rescripsit, eumdem contractum luri consonum esse, usurisque nullimode maculatum (2).

C. Instante Alphonso Aragonio utriusque Siciliae Rege, Nicolaus V. bullam edidit die 20. Octobris 1451., incipientem *sollicitudo pastoralis officii* , qua censualem contractum approbavit , dummodo annuus census decimam sortis partem non excesserit , cum hypotheca super bonis stabilibus frugiferis , aliisque bonis , quae pro immobilibus habentur , permisitque renunciationes , promissiones , stipulationes poenis , iuramentis, et aliis cautionibus vallari. Constitutionem hanc ipsam hoc in regno Neapolitano receptam ostendit eiusdem Regis Alphonsi Pragmatica I. *de censibus.*

CI. Tum S. Pius V. aliam anno 1569. edidit incipientem *cum onus,* eaque nonnullas superaddens conditiones a Nicolao V. praetermissas , generalem reprobavit hyphotecam bonorum , iussitque bona immobilia, quaeque pro immobilibus putantur , natura quidem sua esse fructifera debere , certis finibus fore designanda , et speciali annui census hypothecae in ipso instrumento subiicienda. II , pecuniam sortis principalis revera numerandam coram notario , et testibus , et continuo transferendam in manus debitoris annuum censum vendentis. III , anticipatas annui census solutiones prorsus inhibuit. IV , pactum debitori restringens facultatem alienandae rei censui obnoxiae irritum voluit. V , poenam morosi debitoris ratione lucri etiam cessantis , et damni emergentis , sub qua de restituendo pretio , contractuque rescindendo contrahentes condicerent pactum legis commissoriae , abolevit. VI , necessitatem denunciandi duos ante menses creditori restitutionem sortis pro censu redimendo invexit. Quique alia forma contractus censuales celebrarentur , eos ut foeneratitios proscripsit. Verum idemmet S. Pius V. , postulante catholico Rege Philippo II. indulsit Hispanis , ne cogerentur Pianam eiusmodi suam de censibus constitutionem , quod ad eas conditiones, quae luris nec naturalis , neque divini sunt , observare (3). Et Cardinalis Granuela huius Regni Prorex die 31. Iulii 1572. consultationem sibi demandatam dedit ad Philippum II. , eaque respondit executioni iam dedisse regias litteras die 14. Maii eiusdem anni acceptas , ne regium placitum daretur Pianae constitutioni super censibus redimendis , constituendisque ob plura incommoda exinde oritura (4).

CII. Tandem Gregorius XIII. anno 1574. constitutione sua , quae incipit *quae a Romanis* , declaravit censualem iuxta constitutionem Nicolai V. contractum in regno Siciliae ultra Pharum perinde licere, ac

(1) Martin. V. in *Extravag. regimini 1. de empt., et vendit.* inter comm.
(2) Calixt. III. in *Extr. 2. eod. tit.*
(3) Ex traditis a Guttierez *qu. 177. in fin.* Faeliciano de Solis *lib. 1. de censib. cap. 7. n. 2.*, et Bened. XIV. *lib. 1. de Syn. dioec. cap. 48. num. 5.*
(4) Apud B. Chioccarell. *to. 4. arch. reg. iurisd. tit.* 1.

si Pii V. litterae non prodivissent, quas huic regno non expedire affirmavit. Saepe laudatus Papa Benedictus XIV. monet ceteras quoque Nationes ab eiusdem bullae Pianae servandae obligatione eximi quidem potuisse contrario usu, seu consuetudine legitime praescripta (1). Hoc in regno Neapolitano ex rebus multoties iudicatis in foro laico invaluit sententia, conditiones a S. Pio V. additas non requiri ad contractus censualis valorem, eiusque bullam regio placito non receptam: tametsi in omnibus fere instrumentis censualibus regnicolarum omnia utriusque bullae Nicolai, et Pii requisita student cauti contrahentes, notariique de stylo cumulare, et alicubi in Curiis ecclesiasticis de valore contractuum eiusmodi dubitatur ob neglectas Pianas conditiones, et quandoque decretum est (iure, an iniuria non ausim definire) eos labe foeneratitia infectos, annuosque census exolutos in sortem imputandos, nisi creditor in ordinario termino rite probasset lucri, et damni iacturam cum requisitis Pauli Castrensis.

CIII. Contractum hunc alii *censum constitutivum*, et *consignativum* adpellant, quia publico debitor instrumento annuam interusurii solutionem constituit super bonis in hypothecam designatis, eorumque fructus pactione *constituti* et *precarii* quasi tradit, et consignat creditori, alii *censum bullarem* nuncupant ex memoratis summorum Pontificum bullis eum comprobantibus. Hic tamen census procul dubio *realis* est. Nam ex hucusque dictis patet eumdem constitui super rebus fructiferis, et persolvi ex fructibus earum realibus certa pecunia taxatis, et transactis.

CIV. De *vitalitio* censu tam reali, quam personali dicendum nunc superest. Census *vitalitius realis* ad similitudinem bullaris certo emitur, et venditur pretio super re quoque fructifera quolibet anno solvendus, quoadusque vixerit aliquis contrahentium, sive creditor, sive venditor, sive alius extraneus ab ipsis paciscentibus designatus hoc pacto, ut solus debitor censum vendens valeat pro libito suo censum redimere, acceptumque sortis pretium emptori restituere: at creditor numeratam repetere sortem numquam valeat sibi omnino demortuam, sed annum dumtaxat censum exigat, donec vita designatus homo fruatur, eoque defuncto, nec censum amplius percipiat, nec datam possit pecuniam repetere. Vitalitium hunc realem censum tam mores, quam leges, et canones comprobant. Clemens V. in Concilio Viennensi, ubi necessitas, aut utilitas monasterii, prioratus, Ecclesiae hoc exposceret, indulsit Praelatis regularibus facultatem concedendi iura, redditus, aut possessiones ipsius Ecclesiae alicui ad *eius vitam*, aliudve certum tempus, pecunia etiam inde decerpta (2). Et S. Pius V. in antedicta constitutione *cum onus* (qua definivit censum annuum licito iure constitui super re fructifera, immobili, certa, et nominatim designata) nullatenus vetuit census eiusmodi, annuosque redditus ad incertum alicuius vitae tempus super re item fructifera stabiliri: sed immo cum sanctus idem Pontifex honestum, probumque censum perpe-

(1) Bened. XIV. *loc. cit.*
(2) Clem. V. in *Clement. I. de reb. Eccl. non alien.*

tuum cum praescriptis conditionibus esse pronunciaverit, eo magis videtur censum temporarium cum iisdem conditionibus comprobasse.

CV. Quantitas huiusce vitalitii annui census, si Ius commune spectetur, definienda est boni viri arbitrio, seu pacto contrahentium, prout ratio aetatis, et valetudinis eius, cuius vita erit censum terminatura, suaserit (1). Hoc tamen in regno non excedere potest rationem 14. in centum (2).

CVI. Quod vero ad perpetuos census reales ratio decem in centum heic diu viguit ex memoratis Nicolai V., et S. Pii V. bullis, et iure Pragmaticarum: nostrique iudices in utroque foro consueverunt debitores compellere, ut eam interusurii quantitatem, quam ii ex pacto spopondissent usque ad rationem decem in centum, vel infra satisfacerent. Pragm. 18 *de admin. Universit.* a Compte de Lemos Prorege lata die 20. Aprilis 1611. statuit, ne ultra septem in centum annuos census bullares huius regni Universitates, et Fiscus regius persolverent. Posterior alia Pragmatica *de censibus* lata die 5. Sept. 1650., annuos Universitatum census reduxit ad quinque in centum. Varias quoque reductiones censuum dotalium retuli in meo *de dotibus* tractatu. At praesentium temporum conditio, nummorum redundantia, et difficultas quum inveniendi proba, et tuta nomina, tum certa lucra ex negotiationibus comparandi in caussa fuere, ut emptiones venditiones annuorum introituum cum adsignatione fundorum vectigalium, unde creditores per sese annuam interusurii praestationem tuto accipiunt, nunc temporis in hac civitate Neapolitana fructum trium, vel ad summum quatuor in centum fere nôn excedant: et ubi fundos vectigales non praestant idonei debitores, ad quinque aut sex in centum extenditur pactio interusurii censualis. Extra hanc vero metropolim in aliis huiusce regni urbibus, et locis interusuria eiusmodi ex pacto contrahentium paullo plus excurrunt rationem quinque, vel sex in centum, at decem raro, et non ubilibet attingunt. Isto quidem more adhuc vigente factum est, ut Regium S. Clarae Consilium aetate nostra consueverit pactiones interusurii, quod consuetam in hac regione rationem nimis transiliverit, auctoritate praetoria moderari, atque ad quinque in centum reducere. Id quod etiam Rex Carolus rescripsit ad M. C. V. Regentem die 24. Novembris 1753., ut Marchio D. Benedictus Cedronius pro ducatis bis mille ab Antonio de Lauro creditis interusurium quinque in centum exolveret, posthabita stipulatione decem in centum nimis exuberante (3).

(1) Covarr. *lib. 3. var. cap. 9. num. 7.* (2) Ex *Prag. 2. de censibus.*

(3) En rescripti verba. *Osservata il Re la relazione della Vicaria Civile de' 30. delle scorso, con cui si è espressato, che lo Scrivano Antonio di Lauro avea improntato ducati due mila al Marchese D. Benedetto Cedronio coll'annuo interesse al* dieci per cento; *che dalla Vicaria, e Consiglio di S. Chiara erasi ad istanza del detto di Lauro ordinato, che il Marchese avesse pagato i ducati due mila, e spirati i fatali erasi proceduto alla spedizione delle lettere esecutoriali, e si è esposto quanto era seguito su detta pendenza. Volendo la M. S. dimostrare il suo sovrano paterno amore, e considerando che il detto Marchese non avrà forse alla mano i detti ducati duemila, che all'incontro*

CVII. De *personali censu vitalitio* secus iudicandum, qui scilicet constituatur non in re fructifera immobili, sed in persona debitoris, vel sese dumtaxat obligantis, vel suos etiam haeredes ad certum quotannis canonem persolvendum ex lucris personalibus sua vel industria, vel arte, ac labore quaerendis. Istbaec enim lucra personalia non aequiparari possunt naturalibus praediorum, rerumque immobilium fructibus: cum non ematur vendatur praedii redditus realis, nec ius reale percipiendi fructus ex praedio censui obnoxio. Quandoquidem fructus, et nummos census personalis pacto conventi parerent ex sese, et immediate nummi sortis traditae contra naturam, seu aurum ex auro nasceretur, in quo nequitia foenoris improbi consistit. Quamobrem in censu personali merum inesse mutuum, usuramque palliatam probe censent Doctores (1). Et ubi saepe dictae bullae Pianae conditiones vigeant, fateri procul dubio oportet, personalem censum ab eo Pontifice fuisse implicite proscriptum: quippe qui ad probitatem census inter alia requirit eum esse non super qualibet re, sed immobili solum, et certa, et speciatim designata constituendum.

CVIII. Sunt nihilominus non spernendi Doctores opinantes, censum personalem Iure nec naturali, nec divino esse prohibitum (2). Enimvero cuiusque ars, industria, labor, unde quispiam certa percipit lucra, quamvis res immobilis non sit, at vicem immobilis rei frugiferae supplere non immerito videtur. Nec refert personalia lucra cum ipsa moriente persona interire: nam sicuti re immobili pereunte perit census realis, ita persona deficiente deficit census personalis. Hac ratione videtur census personalis exculpari a suspicione foenoris, quam parit citata constitutio Piana. Utramque sententiam esse probabilem, nullumque adhuc iudicium canonicum hac in quaestione prodiisse monet Benedictus XIV. (3). Nos interea priorem, tutioremque sequamur.

§. IX. *De societate usuraria.*

CIX. Foenoris pallium est non semel *societas*, ut aiunt, *ad caput salvum*. Si cui dederis pecuniam, oves, aliaque bona, vel semoventia titulo societatis hoc pacto, ut certum exinde lucrum quotannis tibi socius persolvat, intereaque sis ipse immunis ab omni periculo tum deminuendi lucri, tum amittendae sortis traditae, seu capitum semoventium, sive pecuniae, aliarumve rerum, quae ubi fortuito deperierint,

l'interesse a ragione del dieci *secondo lo stato presente sia troppo vantaggioso: per sua sovrana clemenza determina che dentro due mesi si restituisca il capitale, e che l'interesse s'intenda al solo* cinque per cento *in tutto il tempo sin dal principio del contratto; sicchè il pagato in somma maggiore si calcoli in isconto del capitale. Di ordine sovrano partecipo a V. E. questa paterna clementissima determinazione della M. S., acciò disponga che la Vicaria cosi eseguisca. Palazzo 24. Novembre 1753. Il Marchese Tanucci.*

(1) Card. de Lugo *de iust., et iure disp. 27. sect. 2. num. 7.*

(2) Sotus *lib. 6. de iust. qu. 5. art. 1. concl. 4.*, Covarr. *lib. 3. var. cap. 7. num. 5. vers. ego sane.*

(3) Bened. XIV. *loc. cit. num. 6.*

adhuc socius teneatur tibi restituere : contractum hunc usurarium , et foenoris iniquitate corruptum pronunciavit Xystus V. (1) die 25. Octobris 1586. Huius pontificiae constitutionis virtute, quam ratio naturalis commendat, si casu fortuito sine culpa socii sors capitalis depereat, hic utique eam tibi restituere nequaquam debebit , nullaque tunc obligatione aut civili , aut naturali obstrictus iudicatur , etiam si iuramentum , quod iniquitatis vinculum non est , eo in contractu praestiterit. Nam consocii omni iure coguntur ex aequo incertum lucrum , et damnum commune sentire : alias leonina erit societas (2). Ratio quidem naturalis efficit , ut ubi quaelibet negotiatio non ad commune lucrum, et periculum instituatur ex collatis unius contrahentium opera, et alterius pecunia , et non aequa fiat utriusque conditio : nulla nisi simulata , et iniusta putetur societas.

§. X. *De trino contractu.*

CX. Societati dum superaddunt contrahentes securitatem et lucri, et sortis : *trinum contractum* tunc fieri monent Doctores. Nimirum ubi titulo societatis Caius tibi dederit mille aureos ad negotiandum cum pacto eos restituendi intra certum tempus, vel quandocumque Caio ipsi placuerit eosdem repetere, ex quibus lucrum speretur 200 ex. gr. aureorum quotannis : unum societatis contractum in hac pactione vident omnes. Cupiens autem is periculum sortis simul , et lucri incerti evadere , paciscitur , ut qualiscumque successerit eventus negotiationis, tu ei caveas de totius capitalis securitate , tibique is vicissim remittat 5o. ex lucro sperato : eo secundum contractum de securitate sortis. Praeterea Caius ipse declinandi studio incertam spem, incertumque periculum lucri futuri , tibi ex eodem lucro ambiguo alios remittit 5o., sed contra ei tu spondes soluturum quotannis centum solummodo aureos lucri , tam si bene, quam si male successerit negotiatio : ecce tertium de securitate lucri contractum. Itaque tribus hisce pactionibus simul connexis acceptam sortis pecuniam credenti Caio tu restituturum spondes integram , semperque salvam post condictum restitutionis diem, sive certum, sive incertum, praetereaque centum quotannis certi lucri aureos.

CXI. De trini huiusce contractus probitate, vel iniquitate cum primis maxima contentione certarunt Martinus Navarra (3), et Dominicus Sotus (4), hic pravitatem usurariam, ille iustitiae puritatem propugnantes. Quaestionem denique inter eos acerrimam diremit Xystus V., qui utriusque sententiae rationibus mature perpensis , opinionem Soti probavit , definiens usurarium esse pactum societati adnexum duplicis securitatis , et ne iniretur unquam vetuit die 25. Octobris 1586. (5). Cum enim

(1) Xystus V. in *const. detestabilis avaritiae ingluvies 68. to. 4.* Bul.
(2) Ulpianus *in l. si non fuerint 29., et seq. D. pro socio.*
(3) Navarr. in *manuali cap. 17. num. 254., et seq.*
(4) Sotus *de iust. lib. 6. quaest. 6. art. 2.*
(5) Xystus V. *const. 68. detestabilis , to. 4.* Bullarii. Videsis P. Danielem Concina in *tract. de trino contractu.*

societatis lex aequalem spem, et par periculum consociis mutuo fovens destruatur pacto duplicis securitatis superaddito; consequens est, ut pecunia trino eiusmodi contractu credita degeneret in mutuum foeneratitium.

CXII. Plures autem adhuc perseverant ex Theologis, et Canonistis asseclae Navarrae contendentes licitum esse, tutumque in foro interno trinum contractum (1): iique reponunt obiectae constitutioni Xystinae testimonium Cardinalium Toleti, et Sanctae Severinae, qui eam concinnarunt, ac tradunt Xystum voluisse non aliud ea prohiberi, nisi iniustos societatis contractus, qualenus qui ante latam constitutionem probi, et liciti fuissent, post illam quoque probati iudicarentur. Adversam vero partem Soti pro aris, et focis Doctores plurimi tuentur, in his Genettus, Natalis Alexander, ceteri abditam in trino contractu usuram detestantes. Dicturus quod sentiam, aio singulos ex tribus ipsis contractibus disiuncte positos, puta ex intervallo initos utriusque partis consensu libero, omni quidem vitio vacare: coniunctos autem suspicione foenoris, seu coniecturali usura laborare, quia credens pecuniam titulo societatis tunc iure praesumitur accipientem cogere invitum ad pactiones accessorias de duplici securitate sortis, et lucri, eam aliter non crediturus; ideoque usurarius est censendus ex decretali Gregoriana superius exposita (2). Quum veritati cedat iuris etiam praesumptio, si quando id revera fiat, ut quispiam sponte omnino sua, nullaque necessitate relativa coactus pecuniam accipiat cum pactionibus trini contractus ab illo, qui eam sine iis etiam pactis daret ad puram, putam societatem: nullam tunc usurae labem in utroque suspicarer.

§. XI. *De cambiis.*

CXIII. Permutationem pecuniae cum modico lucro campsoris, seu collybistae, seu mummularii *cambium* vulgus appellat, quod veteres *collybum* nuncupabant (3). Duplici fere modo cambium exercetur I, pecuniae praesentis cum alia praesenti, sed diversae speciei, puta aureae cum argentea, vel aenea (4). II, per litteras cambium pecuniae praesentis cum longinqua, remotaque vel *directum*, vel *obliquum* facientes. Cambio *directo* creditor numerans hic ex. gr. Neapoli pecu-

(1) Covarr. *lib. 3. var. cap. 2. num. 3.*, Lessius *lib. 2. de iust. cap. 25. dub. 3. num. 24.*, Card. de Luca *de iust., et iure disp. 30. sect. 4.*, Gibalin. *de usur. lib. 6. cap. 3. art. 4.*, Salmaticens. *to. 3. cas. moral. tract. 14. cap. 3. punct. 2. §. 2.*, ceteri apud Benedict. XIV. *lib. 7. de Syn. dioec. cap. 30. num. 4.*

(2) Greg. IX. in *cap. naviganti*, de quo supra *h. t. num. LXXIV., et seq.*

(3) Cic. *or. 5. in Verrem: ex omni pecunia*, inquit, *quam oratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductione fieri solebant, primum pro spectatione, et* collybo, *deinde pro nescio, quo cerario.*

(4) Hanc permutationem Plato appellavit *artem vendendi numismatis*, ut refert Pollux *lib. 7. cap. 33.* Glossae antiquae *aspraturam* ex eo, quod veteres, et laevigati nummi cum recentioribus, et asperis commutarentur. Itali *cambium minutum, et manuale.*

niam mercatori accipit ab eo litteras collybisticas, seu cambii directas ad alterum mercatorem, seu campsorem Romae, aut alibi degentem quum intra, tum extra regnum cum mandato reddendi, ac solvendi conscriptam in illis pecuniae quantitatem vel ei, qui numeratam ipsi scribenti dederit, vel alteri, quem ipse numerans delegaverit. Aut e converso cambium *obliquum* fit, dum campsor numerat hac in urbe aureos centum tibi, eos ut tu una cum lucro cambii restituas ei in urbe Roma, vel cuivis personae ab eo ipso designatae. Differentiam itaque inter directum cambium, et obliquum facit persona, vel alienam accipiens traiectitiam, vel suam dans alteri pecuniam. *Directo* enim cambio lucrum accipit campsor alienam accipiens pecuniam, quae sit alibi ex mandato suo reddenda; at *obliquo* is aliquid lucratur ultra sortem, qui suam dat pecuniam exinde cum emolumento eam recepturus. Cambium hoc item *locale* frequentius dicitur. Ipsumque rursus dupliciter subdividunt in cambium *platearum*, et *nundinarum*. Quoties designatur solutio, ut fiat eo in loco, eave civitate; cambium *platearum* dicitur: si vero ad tempus nundinarum, puta Salerni, vel Foreae intra regnum, ut solet, vel alias extra regnum statas, puta Lugduni, Placentiae, Senogalliae, Venetiis: tunc *regulare* cambium *feriarum*, seu *nundinarum* vocitant. *Reale* tandem, ac *verum* cambium dicitur, quo scilicet pecuniarum exportatio per litteras revera fit iubentes, ut nummos tot, quos a me hoc in loco acceperis, tuus ille respondens in eo alio loco mihi numeret, ab eoque ipse equidem sim, omni remota simulatione inibi accepturus (1). Hoc sane genuinum, et sincerum cambium oportet potissimum distinguere a *simulato*, et *sicco*, quod improbi solent foeneratores fingere ad contractum mutui palliandum per litteras in speciem collybisticas.

CXIV. Lucra moderata, et aequa in cambiis regularibus veris, et realibus, quae accipies ultra sortem, vel manu, vel per litteras reapse permutatam, communi Doctorum consensione honesta, et proba nunciantur (2): quia non ex mutuo, sed aliunde tibi obveniunt ex multis, quae nimirum sentias incommoda pecuniariae permutationis. Videlicet *lucrum* nedum cessans, et *damnum* emergens ex *mora* pecuniae ad collybum retentae, insuper *periculum* non rarum *decoctionis* eorum, quicum est negotiationis commercium, sed *expensas*, et *pericula* exportandi, traiiciendique pecunias, et merces, *portoria* litterarum, *stipendia* librariorum, et scribentium collybisticas litteras, codicesque dati, et

(1) Istud realis cambii genus ita definit S. Augustinus *serm. 42., quasi foenus traiectitium facis: hic das, ibi recipis.* Itaque *reale cambium* dicimus quum pecunia citra simulationem in uno datur loco, ut in alio revera persolvatur ei, qui dedit, propterea que litterae cambii ad personam in condicto plateae, vel nundinarum loco respondentem reapse transmittantur, ut eas iisdem visis, vel prompta solutione extinguat, vel mandatam deficiente pecunia satisfactionem recuset. Haec definitio cambii realis patet ex capitulis collybisticis Civitatis Bononiae a S. Pio V. adprobatis anno 1569., de quibus plura scribit Raphael de Turre *disp. 3. de cambiis, et Reg. Capic. latro dec. 105. num. 47.*

(2) Sot. *cit. lib. 6. de iust. qu. 10. art. 2.* Navar. *in manual. cap. 17. num. 289.* Videsis dicta superius *hoc tit. num. XII.*

accepti, nec non respondentium trapezitarum (1). Si quid autem plus aequo acceperit nummularius ob eiusmodi emolumenta cambii, non usurae crimen incurret, nec tanquam usurarius punietur: sed superfluum restituere, salvo contractu collybi cogendus est (2), quum utile per inutile non vitietur.

CXV. Quantitatem lucri ex locali, et regulari cambio platearum, seu pecuniaria locali permutatione obvenientis aequam, et conditionibus temporum congruam taxant heic Neapoli Deputati platearum in singulas hebdomadas modo plus, modo minus pro varia, et reciproca platearum necessitate, vel trahendi ad sese, vel alio remittendi pecunias per eas nimirum litteras, quae *ad usum* dantur ab argentariis, seu trapezitis (3). Hoc verbo *ad usum* indulgetur mandatariis, seu respondentibus intra regnum consueta mora dierum octo, extra regnum quindecim dierum ad numerandam pecuniam, qui ab eo die decurrunt, quo litteras collybisticas respondens ipse viderit, et acceptaverit. Dum vero litterae, ut aiunt, *a vista* solutionem incontinenti, statim ac erunt exhibitae, visaeque iubeant, vel e contrario plures, quam decem, aut quindecim dies ad solvendum largiuntur: tunc emolumenta cambii arbitrio contrahentium definienda pro conditionibus loci, temporis, et consuetudinis remittit lex nostra municipalis Pragmaticarum (4)

CXVI. Ad integrum unius anni circulum solutio si protrahatur a moroso debitore, vel ab unius ad alteras unius eiusdemque loci nundinas: interesse annuum ex litteris cambii hoc in regno rationem septem, vel decem in centum non excedit. Pragmatica enim lex anno 1648. statuit morosos cambiorum debitores, qui aes alienum in Foveae nundinis mense Maio celebrari solitis promissum non solvissent, ad proximas Salerni nundinas mense Septembri ultra sortem tres amplius nummos in centum persoluturos, annuam ferme aequantes rationem decem in centum: solutiones in praeteritis Salerni feriis anno 1647. condictas, et non impletas transferri ad futuras Salerni quoque nundinas subsequentis anni 1648. cum foenore septem in centum (5). Hinc interesse morae ob ina-

(1) De his agunt Raphael de Turre *de cambiis disp. 1., et 2*, Scaccia *de cambiis §. 1. qu. 7.*, Regens Petra *ad. rit. 21.*, Rochus *resp. 18.*

(2) Raphael de Turre *de cambiis disp. 1. qu. 24. num. 12. Valebit igitur*, ait, *summo iure contractus cambii celebratus pretio iniusto, sed contrahens committet iniustitiam in contrahendo, et ex consequenti tenebitur salvo contractu ad restituendum in utroque foro* excessum *illum, ob quem resultet iniustitia.* Consonant Scaccia *de commerciis qu. 7. par. 3. limit. 1. num. 4.* Gaitus *de credito qu. 2. cap. 2. n. 1695.* Casaregius *de commercio num. 18.*, Card. de Luca *de cambiis disc. 10. num. 10.*

(3) Ex Pragm. 11. *de litteris cambii.*

(4) Pragm. 3. §. 10. *eod tit.* ibi: *si dichiara che* l'uso *de' pagamenti s'intenda in questo modo, cioè per lettere, che vengono di regno,* otto *giorni dopo l'accettata: di Roma, Fiorenza, Palermo, Messina, Venezia, Milano, Genova, ed altre piazze d'Italia, o fuori d'Italia quindici giorni. Verum questo termine non s'intenda per quelle lettere di cambio, che verranno a pagarsi in tempo limitato, o maggiore, o minore: ma in tal caso s'intenda l'uso, e stile maturarsi, il pagamento nel tempo in dette lettere stabilito.*

(5) Pragm. 9. §. *3. eod. tit.* ibi; *che tutti i debiti, che si hanno nella pre-*

nem *regressum* litterarum cambii, quem italice appellant *il ritorno*, taxari ad rationem duorum, minusve in centum pro rata parte temporis monet Raphael de Turre (1).

CXVII. *Stipendium* vero mercatoribus respondentibus, quod *provisionem* appellant, lex nostra municipalis constituit assium triginta trium, et obulorum quatuor in centum aureos, seu tertiam partem nummi unius in centum (2). Expensas tandem *protestationis*, quae carolenos quinque non excedunt, morosi cambiorum debitores compelluntur ab regio cambiorum Delegato reficere, quoties litterae collybi iam transmissae ad locum solutionis, ab eoque, ad quem datae sint, visae, ac reiectae rediverint inanes cum sollemni earum protestatione, atque in iudicio contra scribentem incusentur (3), vel ab ipso creditore, qui eas accepit, vel ab eius delegato, quem *gyratarium* appellant (4). Hinc nosse licet, quo iure invaluerint legitima cambiorum realium foenora ex litteris vere collybisticis, etiam aliquando inanes referantur, postquam respondens illas non acceptaverint: eaque comprobaverit Sedes etiam Apostolica; et speciatim Bononiensibus S. Pius V. (5).

CXVIII. Secus est de cambio *ficto*, et *sicco* iudicandum. Foeneratores enim usuram ex mutuo inhiantes ad illam in fraudem iuris palliandam simulant cambii contructum inire concepto chirographo, quo debitor pecuniae indigens, acceptis ab argentario heic Neapoli ex. gr. non-

sente fiera di Foggia per occasione di cambii, s' intendano trasportati per la fiera prossima di Salerno del presente anno 1648. con tre per cento *di beneficio al creditore. Come anche tutti quelli, che si doveano pagare nei pagamenti di Salerno dell' anno passato 1647., s'intendono trasportati per detta fiera ventura di Salerno con* sette per cento *d' interesse dall' una fiera all' altra.* Collybisticum hinc foenus annuum 10. in 100. probat ex Regii Consilii Neap. decisionibus Regens Petra in M. C. V. *tit. 227.*, Cons. Rochus *resp. 18.*, et Decius *cons.* 111. extendunt ad 12. in 100., Bursattus *cons. 68. n. 34.*, Bolognettus *cons.* 13., usque ad 15., vel 18. in 100., ceteri apud Petram *loc. cit. num. 11.*

(1) Raph. de Turre *cit. disp. 2. quaest. 1. num. 46.*

(2) Pragm. 2. §. *6. de litteris cambii.*

(3) Formam iudicii celerioris contra debitores ex litteris cambii videsis in *lib. III.* harum Institutionum *tit. XX. num. V.*

(4) Pragm. 3. §. 14. an. 1607., et Pragm. 5. §. 5. *de cambiis* edita an. 1716. ita cautum: *Ordiniamo che da oggi avanti tutte le lettere di cambio, che si faranno per le piazze, e fiere del presente regno, pagabili al tale, o a chi ordinerà, non si possano girare più che una sola volta, facendo riconoscere la mano del girante da un Notaio, con farne fede sotto la lettera, restando però pure obbligato quello, che gira.*

(5) S. Pius V. anno 1569. confirmavit capitula Civitatis Bononiae pro recta cambiorum administratione, in quibus declaratur: *esser cambio* reale, *quando con effetto si da danaro in un luogo, secondo che contano le lettere del cambio, e così le lettere vadino con effetto al luogo, ed alla persona, cui sono indirizzate, e che ivi sieno pagate, o ricusate. Che possa ogni persona ancora dare a cambio, e far che sieno ricapitate le lettere sopra essi Datori, e così tenerle sopra cambii, finchè saranno rimborzati da chi avrà preso il danaio.* Hanc a S. Pio V. probatam sententiam, et consuetudinem non adversari posteriori eiusdem Papae constitutioni, rescripsit Archiepiscopo Panormitano Gregorius XIII., ut refert Raphael de Turre *de cambiis 4. qu. 1. num. 27.*

gentis nummis aureis iubet in speciem alicui ficto responsori suo, ut nummos aureos mille is ei creditori numerato exsolvat Foveae, vel Salerni, alibive in futuris nundinis, vel eo illius mensis condicto die, quos ait coaequare valorem, seu quantitatem ab eo acceptam: quamvis contrahentes ambo reapse animum habeant hinc illuc non traiiciendi pecuniam, eamque non eo in loco, quem litterae cambii designatum ostentant, reddendi, sed ibidem heic, ubi fuit ea credita. Quum creditor in eiusmodi ficto cambio nullum subeat periculum adsportationis pecuniae, nec illa sentiat damna, et incommoda, quibus afficiuntur sinceri collybistae, foecundumque sit cambium reale: naturalis ratio non patitur eum realis cambii lucra, et commoda sentire, quae palliatam redolent usuram pecuniae mutuo datae sub cambii fuco, tunc ideo sterilis, et sicci, quod omni careat humore ad foetandum necessario (1). Iure hinc meritissimo S. Pius V. cambia *sicca* omnino damnavit (2).

CXIX. Ad istud simulati cambii genus accedit illud etiam apud Venetos, et Florentinos consuetum, quod *casuale* appellant: quo scilicet accipiens Florentinae creditam sibi pecuniam spondet soluturum ex. gr. Venetiis, alibive tot coacervato foenore libras grossorum decem monetae Venetae pro valore pretioque tot florenorum, tempore condicto non Venetiis, nec alio in loco forsan designato revera numerandas; sed in ea ipsa creditoris civitate: neque in eo librarum grossorumque conscripto genere, sed in totidem florenis aequantibus pecuniae promissae valorem tempore solutionis Venetiis currentem (3). Addes aliud, quod cambium *recursae* Ianuenses nuncupant apud ipsos frequentissimum. Fit nimirum litteris illuc directis, ubi contrahentes conscii sunt satisfactionem fore non secuturam, atque ad aliquem inibi responsorem datis, qui eas cambii litteras extinguere ficta solutione simulet, eodemque tempore novum cambii contractum curet novis litteris inscribi ad alium locum, aliasque nundinas protracti superaddito lucro. Istud a foenoris vitio excusant ex quodam rescripto, quod laudant, Urbani VIII. ad Ianuensem Rempublicam dato anno 1631. (4). At ipsum constitutio Piana videtur etiam reprobasse.

(1) Io. Bapt. Lupus in *cap. naviganti de usuris* §. *2. num. 10.*, Regens Petra ad cit. M. C. V. *tit.* 21., Laurent. Matth. *contr. 40. num. 133.*

(2) S. Pius V. const. *in eam pro nostro* 11., quam edidit die 7. Febr. 1571. *primum igitur damnamus*, ait, *ea omnia cambia, quae* sicca *nominantur, et ita configuntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quae loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt; sed eae non mittuntur, ut transacto tempore, unde processerunt, inanes referantur. Aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis pecunia ibi denique cum interesse resposcitur, ubi contractus fuerat celebratus: nam intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis aut locis supradictis huiusmodi litteris receptis solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniae, sive depositi, sive alio nomine ficti cambii traduntur, ut postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur . . . Quae omnia nos* usuraria *esse declaravimus, et ne fiant, districtius prohibemus.*

(3) De hac ficti cambii specie agit Raphael de Turre in *tract. de cambiis disc. 2. qu. 24. num. 5.*, post Ambrosium de Vignate.

(4) Campegius *de commercio part. 1. disc. 26. num. 13.*, et Raphael de

CXX. Et condicto ad plures nundinas, vel terminos dilata solutio, seu litterarum extinctio cum certo interusurio parit quoque in cambiis usurae suscipionem: *Sed et in ipsis cambiis, quae* realia *appellantur,* ait S. Pius V., *interdum campsores praestitutum solutionis terminum lucro ex tacita, vel expressa conventione recepto, seu etiam tantummodo promisso differunt. Quae omnia nos* usuraria *esse declaramus, et ne fiant, districtius prohibemus. Porro ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi, fraudesque foeneratorum statuimus, ne deinceps quisquam audeat sive a principio, sive alias* certum, *et determinatum* interesse *etiam in caussa non solutionis pacisci, neque* realia *cambia aliter, quam pro* primis *nundinis, ubi illae celebrantur: ubi vero non celebrantur, pro* primis *terminis iuxta receptum locorum usum exercere, abusu illo prorsus reiecto cambia pro* secundis, *et deinceps nundinis, sive terminis exercendi. Curandum autem erit in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis, et vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne dum longiores praefiguntur, quam loca destinatae solutionis desiderant, foenerandi detur occasio* (1).

CXXI. Pianam huiusmodi constitutionem hoc in regno Neapolis non receptam scribunt nostri, sed usu vigere cambia sicca, rebusque iudicatis ea sic probari, ut ad plures etiam nundinas terminos protracta solutione legitimum quotannis certum interusurium, quod sit initio contractus a partibus constitutum, decurrat (2). Quo enim iure tuentur nostri interusurium in mutuo expressa pactione conventum ex titulis iam supra eliquatis lucri cessantis, et damni emergentis ob iniustam debitoris moram: eodem id tenent pariter licere dantibus pecuniam cum cautione chirographi referentis plane speciem litterarum cambii, sed mutuum tacitum revera continentis (3). Probanda, an non sit eiusmodi consuetudo, legislatoris est, non privati hominis iudicare.

Turre *de cambii disp. 1. quaest. 14. num. 16.* ferunt ita rescriptum Reipub. Ianuensi ab Urbano VIII: *nihil in praedictis casu, et circumstantiis contineri, quominus licita practicari possint.*

(1) S. Pius V. in *cit. const. in eam.*

(2) Regens Tapia *dec. 27.* in caussa Marchionis Campaniae cum Io. Bapt. Scotto fert decisum deberi cambia conventa, quemadmodum alii mercatores in designatis nundinis solvissent, quamvis ed eas nundinas transmissae litterae non essent, sed pecunia foret inibi restituta, ubi credita fuerat. Licitum hinc putant contractum eiusmodi idem Tapia *in Pragm. 1. de litteris cambii,* Regens de Ponte *cons. 41. num. 37. lib. 2.*, Reg. de Constantio *in tit. C. de usur. fiscal. lib. 10. num. 42.*, Cons. Rocchus *resp. 18. num. 11.*, Gait. *de credito cap. 2. tit. 5. num. 18. part. 2.*

(3) Rocchus *cons. 18. num. 7. In propria materia cambii* sicci *sustinetur* (ait), *et potest exigi interesse ratione* lucri cessantis, et damni emergentis, *et pactum fieri a principio de certo lucro, dummodo illud certum lucrum sit verum, et probabile, quod creditor possit habere, vel ex lucrosa negotiatione, vel ex reali cambio . . . Cum enim potuisset creditor de hoc interesse pacisci in contractu mutui, quamvis de eodem pactus fuerit in contractu cambii: tamen id effecisse censebitur, ut celeriorem haberet executionem interesse: quod potest absque dubio curare, ut sibi resarciatur sub nomine alterius contractus ma-*

CXXII. Sunt praeterea qui putant *anatocismum* in cambiis quum realibus, tum siccis recte procedere, quoties annuum interesse certum omnino sit, aut partium conventione, vel confessione, aut re iudicata: illudque tunc ita sorti accrescere, ut alia foenora instar sortis valeat superfoetare (1). Theodorus tradit in regio Neapolitano Consilio S. Clarae decretum, quod morosus debitor non modo sortem cambio acceptam, primumque promissum interusurium exolveret, sed nova etiam huius interusuria ad rationem 8. in 100: quia legitimum cambii foenus primarium adeo certum ex pacto fuisset, ut nulla penitus liquidatione indigeret (2). Addit Raphael de Turre (3) in cambiis, et recambiis, post singulas moras innovantur cum interusuriis sorti superadditis, locum non habere Iustiniani legem (4), quae lucra foenoris sortem duplam excedentia interdixit, dum ea usque ad duplum permisit.

CXXIII. Talem at opinionem acerbissimam abhorreo, quae voracis foenoris foenora feris belluis voraciora amplectitur, et fovet. Enimvero dum nulla id lex indulsit, gratis omnino, ac temere ponunt, lucra cambiorum ex pacto certa post moram continuo foecunda evadere, sortemque ipsam adaugere indesinenter: id quod progressum infinitum haberet contra naturam. Idipsum, equidem aio, gratis asseritur, quod sine aliqua legis auctoritate suo marte ponunt. Tantum porro lex Iustiniani abest a probandis foenoribus perpetua foenora superfoetantibus, ut ea certis finibus coercuerit, ne duplam ultra sortem ullatenus progrederentur, quantumvis certa, et liquida forent. Sanxit enim Imperator: *in omnibus casibus, qui* certam *habent quantitatem, vel naturam . . .* omnibus *contractibus, hoc, quod interest, dupli quantitatem minime excedere. In aliis autem casibus, qui* incerti *esse videntur . . . quod revera inducitur damnum, hoc reddatur . . . ne dum in* infinitum *computatio reducitur, pro sua impossibilitate cadat* (5). Hinc abnormis, et absurda videtur ea ratio, quam anatocismi defensores adducunt ex certitudine liquidi interusurii, ut perpetuam ei foecunditatem novi foenoris attribuant in cambii contractu: dum Iustinianus arctis dupli finibus circumscripsit quodlibet certum interesse in omnibus, nullo excepto, contractibus, annuumque lucrum 8. in 100. mercatoribus generatim, et pro traiectitia speciatim pecunia, seu nautico foenore, quod in cambio versatur, 12. in 10. indulsit non perpetuum, sed temporaneum, quoad sortem semel aequaret, ne ulterius unquam procederet. Si mercatorum consuetudinem hac in re collaudant vetustam

gis executivi, Scaccia . . Gait . . . Tum *num. 2.* addit constitutionem S. Pii V. *non esse receptam in regno, ubi continuantur cambia* sicca *ad rationem interesse soliti ab initio taxari, idque multis decisionibus comprobatur.*

(1) Scaccia *§. 7. gl. 2. num. 33., et 49.*, Casareg. *de comm. disc. 49.* Menoch. *cons.* 1181., Rocchus *notab. 16.*, Rovit. *dec. 9. num.* 11. Capic. latr. *dec. 106. num. 32.*, Card. de Luca *de cambiis disc. 3. num. 8.* Eis favet praetorium Ciceronis edictum supra memoratum num. XXIII.

(2) Theodor. *alleg.* 40. in caussa Io. Bapt. Cioffi cum Vinc. Gomes.

(3) De Turre *cit. disp. 3. qu. 9. num. 64.*

(4) *L. un. C. de sent. quae pro eo, quod interest.*

(5) Iustin. in *cit. l. un.*

et usu vigentem : hanc ipsam satius erit appellare vetustatem erroris , iniquitatis obstetricem , truncmque iustitiae novercam , quam exempla rerum iudicatarum efficere probam nequeunt. *Quod enim contra rationem Iuris receptum est, non est producendum ad consequentias* (1). Itaque rem rectius iudicatam in regio Neapolitano Consilio apud Praesidentem de Franchis sectari nos oportet , quae probo iure definit nullum oriri umquam posse interusurium ex interusurio (2).

CXXIV. Quod vero liceat contractum cambii pecunia nedum praesenti , et numerata inire, sed pretio quoque mercium, rerumque alias datarum , creditisque antea nummis , probe consentiunt Doctores (3) , et Rota etiam Romana saepe censuit in Bulla S. Pii V. vetitum non esse (4). Benedictus XIV. clericis vetuit negotiationem quaestuosam cambiorum per intermediam quoque personam. Validum vero , licet illicitum esse cambium activum a clericis initum , quos Episcopus punire idcirco poterit , simul declaravit (5).

CXXV. Pro coronide animadvertendum est , omnes , et singulos , quos hactenus exposui , titulos foenus licitum germinantes *extrinsecus* ad creditam pecuniam accedere , eosque a natura mutui diversos, et seiunctos omnino esse. Alii porro sunt tituli *mutuo insiti*, atque a mutuo ipso inseparabiles , puta nummorum possessio a mutuante ad mutuatarium translata , maior commoditas pecuniae in manu sua, quam aliena retentae , et mora , et difficultas in ea recuperanda , eius foecunditas in usu negotiationis , proficuus mutuatario usus eiusdem, id genus ceteri, qui mutuo ita coniunguntur *intrinsecus*, ut unam, eamdemque naturam cum eo habentes, nullum omnino lucrum iure valeant superfoetare : alias inanis esset divina Lex usuram in mutuo prohibens , quia hosce titulos in quolibet mutuo semper commixtos, et confusos videmus secundum naturam *individuos* (6).

CXXVI. In humanis itaque contractibus, quoties inciderit vel emerserit de usuris dubitatio ex adiunctis creditae pecuniae titulis , alteros

(1) Paulus ait *in l. quod vero 14. D. de legibus.* Pariter Celsus , *quod non ratione introductum*, inquit, *sed* errore *primum, deinde* consuetudine *obtentum est: in aliis similibus non oblinet , l. quod non 39. D. eodem.*

(2) Praes. de Franchis *dec. 454. num. 14.*

(3) Raph. de Turre *disp. 3. qu. 3. num. 2.*, Casareg. *de commercio to. 1. disc. 26. n. 6.*, Card. de Luca *de cambiis disc. 3. n. 5.*, *et disc. n. 7.*

(4) Rot. *dec. 199. n. 14.*, *et dec. 256. n. 6. par. 10. rec. dec. 141. par. 11. rec.*, coram Dunozetto *dec.* 829., *rec.*, coram Crispo *dec.* 121., coram Corrado in *Romana pecuniae 4. Iunii 1658.*, coram Verosopio *in Romana cambii 28. Aprilis 165.*, *et* alibi apud Card. de Luca, et Casareg. *loc. cit.*

(5) Bened. XIV. in *constit. apostolicae 4. to. 1.* Bullarii sui, et *lib. 7. de syn. dioeces. cap. 49. num. 4. et fin.*

(6) Duplex huiusmodi titulorum genus catholici ore uno tradunt, et condocet Benedictus XIV. saepedicta *const.*, seu *ep.* encyclica iam superius memorata hoc *tit. num. XXXII.* Eam fuso calamo exornavit P. Daniel Concina in *tract. de usuris*, dogma divini Iuris propugnans contra praelaudatum libellum Scipionis Maffaei , idemque *lib. 3.* §. 4. discrimen istud edisserit inter utriusque mutui titulos, ut *accidentales*, seu *externi, et dividui* probo iure superfoetantes cum *innatis, et insitis, et individuis*, ne commiscerentur in fraudem Legis evangelicae.

ab alteris adeo difformes oportet curatius discernere, ne iustus cum iniusto, seu probus cum improbo acervatim, quod nefas est, damnetur, *aut ne similiter detur usurae titulus iustis, et necessariis contractibus*, inquit Gersonius. Sacrae enim Litterae nos docent, quod *multi quasi inventionem aestimaverunt* foenus, *et praestiterunt molestiam his, qui se adiuverunt. Donec accipiant, deosculantur manus dantis, et in promissionibus humiliant vocem suam in tempore redditionis postulabit tempus, et loquetur verba taedii, et murmurationum, et tempus causabitur. Si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium, et computabit illud, quasi inventionem. Sin autem fraudabit illum pecunia sua, et possidebit illum inimicum gratis. Et convicia, et maledicta reddet illi, et pro honore, et beneficio reddet illi contumeliam* (1). Huc usque sermonem de usuris, et criminibus mea ipsius opinione longiorem satis protraxi. Ad ceteras autem criminum species ita pertractandas, quamvis minoribus eae ambagibus circumseptae videntur, et animus mihi, et vires deficiunt, metam suscepti operis, qualecumque hoc sit, mox tacturo.

ADDITIONES

RECENTIORA S. POENITENTIARIAE ET S. CONGREG. INQUISITIONIS RESPONSA QUAE MUTUUM RESPICIUNT

QUÆSITUM I.

Cuiusdam professoris Theologiae Moralis.

Sunt quidam Presbyteri, qui contendunt licitum esse percipere auctarium quinque pro centum solius vi Legis Principis, absque alio titulo, vel damni emergentis, vel lucri cessantis: quia inquiunt, lex Principis est titulus legitimus, cum transferat dominium auctarii, sicut transfert dominium in praescriptione, et sic prorsus annichilant Legem divinam, et Legem ecclesiasticam, quae usuras prohibent.

Cum haec ita se habeant, Orator existimans nullo pacto esse licitum recedere a doctrina Benedicti XIV, denegat absolutionem sacramentalem Presbyteris, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo, vel lucri cessantis, vel damni emergentis.

Quare Orator humiliter supplicat, ut sequentia dubia solvantur.

1. Utrum possit in conscientia denegare absolutionem Presbyteris praefatis.

2. Utrum debeat.

Sacra Poenitentiaria diligenter, ac mature perpensis dubiis propositis, respondendum censuit Presbyteros, de quibus agitur, non esse inquie-

(1) Ecclesiastici *cap. 29, vers. 4., et seqq.*

tandos, quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae.

Datum Romae in Poenitentiaria, die 16. Septembris 1830.

E. De Grègorio M. P.
F. Fricca S. P. Secretarius

QUAESITUM II.

Episcopi Niceensis

Quidam attendentes ad illa verba *bona fide* apposita in responso Eminentissimi Poenitentiarii Maioris ad Illustrissimum, et Reverendissimum Episcopum Vivariensem, die 7. Martii 1835, intendunt iuxta normam a S. Poenitentiaria Confessariis pluries propositam, illos tantum sacramentaliter absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, qui lucrum enuntiatum *bona fide* percepissent. Alii e contra asserunt etiam illos, qui dubia, vel mala fide dictum lucrum percepissent, absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, dummodo parati sint standi mandatis S. Sedis, et aiunt hanc clausulam *bona fide* non respicere onus restitutionis, sed potius honestatem agentis, et absolutionem, quam Confessarii impertiri nequeunt poenitentibus in mala fide constitutis, nisi prius de patrato in mala fide poeniteant. . . cumque hinc, et inde sint viri summae pietatis, et non spernendae auctoritatis, hinc ut animarum quieti in re tam frequenti, et seria provideatur, perhumillime petitur, an poenitentes, qui moderatum lucrum, solo legis titulo ex mutuo, dubia, vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam, vel malam fidem, peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint standi mandatis S. Sedis.

Niceae 9. Septembris 1837.

Subscriptum ✝ Dominus Epis. Niceensis.

Feria 4. Die 17. Januarii 1838.

In Congregatione generali Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis, habita in conventu Sanctae Mariae supra Minervam, coram Eminentissimis, et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposito supradicto dubio, iidem Eminentissimi, et Reverendissimi DD. dixerunt: *affirmative*, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.

Angelus Argenti S. Rom., et univers. Inquis. Notaris.

Loco ✠ Sigilli.

Extractum ex Diurnis gallice dictis *l'Ami de la Religion*, n. 2964.

QUAESITUM III.

Episcopi Rhedonensis

I. Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit S. Congregationi Inquisitionis non eamdem esse Confessariorum suae Dioecesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.

De sensu epistolae encyclicae *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem, aut contrariam. Inde querelae, dissensiones, denegatio Sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhaerentibus, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli Confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si poenitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et obiiciat sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede, non semel de ea re consulta, tunc isti Confessarii exigunt, ut poenitens promittat se filiali obedientia obtemperaturum iudicio Summi Pontificis, si intercedat, qualecumque sit: nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si poenitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide, isti Confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse, aut etiam nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne poenitens admonitus restituere, aut a tali lucro abstinere, recuset.

Inquirit ergo dictus Episcopus Rhedonensis I. Utrum possit horum posteriorum Confessariorum agendi rationem probare.

2. Utrum alios Confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum de ea quaestione iudicium ferat.

Feria 4. die 18. Augusti 1830.

SS. Dominus Noster, Dominus Pius Divina Providentia Pp. VIII. in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Eminentissimorum DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium, respondit.

Ad I. Non esse inquietandos.

Ad II. Provisum in primo.

Angelus Argenti S. Rom., et Univers. Inquis. Notarius.

QUAESITUM IV.

Episcopi Vivariensis

Beatissime Pater

Pervenit ad me iudicium SS Pii Pp. VIII. sub data die 18. Augusti 1830. ad postulata Episcopi Rhedonensis super agendi ratione Confessariorum erga poenitentes, qui inter disceptationes Theologorum circa mutuum expositas in supplici libello, mediam se posse sequi viam arbitrantur.

Idem iudicium loquitur de voto Eminentiss. Cardinalium Inquisitorum General., et rescripto subiiciuntur responsa data ab iisdem eadem die ad diversa dubia relativa ad opinionem eorum, qui contendunt legem Principis solam esse titulum sufficientem aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo.

Ex isto iudicio, et istis responsis datis nova exorta sunt dubia, novae disceptationes, nova quaesita, nam dictum iudicium in pluribus Dioecesibus divulgatum est, et haec est occasio talium disceptationum.

In exposito Episcopi Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam Theologi reperiri in lege Principis, sed unica de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu Encyclicae *Vix pervenit* circa tale mutuum negotiatoribus factum.

Unde alii dicunt, iudicium SS. Pontificis Pii VIII. in se solo attendendum esse, et separatim a responsis datis ab Em. Cardinalibus, ita ut sensus istius iudicii sit: sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam a S. Sede ea de re non semel consulta, ideoque si poenitentes promittant se filiali obedientia obsecuturos iudicio SS. Pontificis, si intercedat, non esse inquietandos Confessarios, qui ipsis absolutionem non denegant. Qui sic iudicium SS. Pontificis interpretantur, aures avertunt a littera encyclica Benedicti XIV, ut 1. et 2. de Synodo Dioecesana eiusdem Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab Instructione data P. Carolo Felici 17. April. 1749, et a diversis responsis datis a S. Sede Apostolica.

Alii e contra non concipientes, qua via praefatum iudicium conciliari possit cum dictis decisionibus Benedicti XIV., et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum, si sic seorsim attendatur, putant dictum iudicium non sic esse intelligendum, sed coniunctum cum responsis datis ab Em. Cardinalibus, ad quae remittere videtur SS. Pontifex, qui dicit in proemio iudicii, « *Audita relatione superiorum dubiorum, una cum voto Em. DD. Cardinalium* » et iudicium esse referendum ad dubia de titulo legis Principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede.

Sed oritur nova difficultas circa sensum responsionum S. Officii. Eminentissimi enim Cardinales loquuntur de lege Principis sine addito, non verba facientes de conditione, quam in medium proferunt patroni tituli ex tali lege desumpti ad percipiendum interesse, nempe quod Princeps lege sua declarat non quidem licitum esse in mutuo percipere

usuras (quae Iuri naturali, et divino sunt prohibitae), sed ex caussa publica, et in quibusdam circumstantiis concedere ius ad moderatas praestationes a subditis suis exigendas, ita ut tunc transferat dominium, sicut per legem praescriptionis.

Punctum istud magni momenti est in Galliis, ubi lex Civilis omnino silet de dato iure ad percipiendas usuras, et potius supponit mutuantem ad lucrum ius certum habere. Motivum illius legis, a Gubernii illius temporis Legislatoribus expositum erat, quod Gubernii Consultores interesse consideraverant, ut iustam compensationem beneficiorum, quae eventura erant mutuanti ex usu pecuniae mutuatae, si eum usum sibi retinuisset. In discussione legis haec insuper habuit tribunatus Orator « Legitimitas stipulationis lucri in mutuo pluries agitata, et tam im- » politice proscripta propter equivocationem verborum, amplius dubia » non erit. Apud omnes certum est pecuniam esse signum valoris, » omnesque consentiunt valorem locari posse, et nolunt, nec possunt » convenire, signum valoris pariter posse locari. » Legis Gallicanae » haec sunt verba. » Licitum est stipulari interesse pro solo mutuo, sive pecuniae, sive aliarum rerum mobilium. »

Porro si legislatores Gallicani habuerunt lucrum in mutuo perceptum, vel ut iustam compensationem beneficiorum, quae mutuanti evenire poterant ex usu pecuniae sibi retentae, vel ut praetium locationis signi valoris, quod iuxta illos locari poterat; si lex simplicem permissionem stipulandi lucrum in mutuo concedat, certum videtur, legem Civilem in Galliis noluisse transferre dominium huius lucri, et aliud adquisitum mutuandi supposuisse. Unde si alii dicant responsionem Em. Cardinalium applicandam esse legi Gallicanae, prout est in Codice Civili, alii illud negant propter motiva allata.

Itaque quaeritur I. An praefatum iudicium S. Pontificis intelligendum sit, ut verba ipsius sonant, et separatim a titulo legis Principis, de quo Em. Cardinales loquuntur in his responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto.

II. An titulus ex lege Principis, de quo Em. Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat legem Principis declarare licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo facto, sicut fit in Codice Civili Francorum, quin dicat se concedere ius tale lucrum percipiendi.

Ad pedes S. V. enixe provolutus suppliciter, et cum filiali affectu orat pro resolutione humillimus, necnon obsequentissimus servus.

P. Fr. Episcopus Vivariensis.

Feria 4. die 31. Augusti 1831.

In Congreg. generali S. Officii habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Em., et Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositis superioribus precibus R. P. D. Episcopi Vivariensis, iidem Em., et Rev. DD., praehabitis DD. Consultorum suffragiis, dixerunt.

Provisum in decretis fer. 4. 18. Augusti 1830., atque dentur decreta.

Eadem die, et feria SS. D. N. Gregorius Div. Provid. Pp. XVI. in audientia R. P. D. Assessoris S. Officii resolutionem ab Em. captam approbavit.

De poenis et censuris ecclesiasticis.

I. Spiritales poenas, et censuras canonicas, et salutarem corporis castigationem ecclesiatico foro concedit lex evangelica: acerbiores corporeas, et capitales Potestati laicae infligendas reliquit.

II. Emendatio peccantium, exemplum alios terrens utique sunt caussae finales poenarum ecclesiasticarum : at publicam vindictam spectat potissimum gladii temporalis Potestas.

III. Poenitentia publica, excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas, officii, et beneficii, et privilegiorum clericalium privatio, depositio, degradatio, Potestati saeculari traditio sunt, quae in foro Ecclesiae usuveniunt poenae.

IV. Earum aliae perpetuae natura sua irrevocabiles, aliae vero temporariae sunt revocabiles, praesertim censurae.

V. Aut latae, aut ferendae sententiae censuras habemus.

VI. Ab aevo Apostolorum nedum haereticos, apostatas, schismaticos, verum alios etiam criminosos, ipso facto, ipsoque iure in censuras latae sententiae lapsos iudicavit Ecclesia: quidquid aliter dormitando scripserit Wan-Espenius.

VII. Quas prisci canones paucas dudum sanxerant censuras ipso facto, eas dein Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus, et Synodis recentioribus nimium extensas redigere ad numerum breviorem censuerunt eximii Doctores.

VIII. Novas hinc censuras eiusmodi synodis episcopalibus ob delicta leviora sancitas Congregatio Concilii non raro expunxit, et abolevit.

IX. Cunctas qui opinantur adimendas fore, apostolicam traditionem, et consuetudinem Ecclesiae universalem procul dubio carpunt.

X. Earum itaque abusum, perinde in levibus delictis damnant, ac moderatum in gravioribus criminibus usum comprobant iure merito aequi, et boni viri.

XI. Ferendae autem sententiae censuras, nonnisi ob graves culpas, et contumacias recte infligunt ecclesiastici Praesules: ob leves non item.

XII. Utrasque censuras quum infligendi, tum remittendi ius a spirituali potestate solvendi, et ligandi Episcopos habere in utroque foro palam est.

XIII. Morinus, et Wan-Espenius falluntur plane, dum negant externo Ecclesiae foro usum huiusce potestatis vetustissimum, et assiduum.

XIV. Absolutionem a censuris, excepto mortis articulo, episcopali tantum iurisdictioni reservarunt prisci canones.

XV. In foro interno moribundos absolvunt iure suo sacerdotes a censuris quibuslibet: in externo id mandare munus diaconis, et clericis etiam inferioribus Episcopi consueverunt, laicis nequaquam.

XVI. Anathematismos ab Episcopis iaculatos consueverunt suis quoque legibus Principes laici communire, suoque ore iterum iaculari.

XVII. Tridentino decreto episcopalem in censuris fulminandis iurisdictionem tuenti obstant huius regni mores, ac leges abusui ecclesiasticae potestatis in multis casibus adversantes.

XVIII. Abbatissas, et quavis dignitate nunc pollentes foeminas, quemadmodum priscas olim diaconissas, magis quam laicos, hac spiritali censurarum potestate omnino incapaces declarant canones.

XIX. Subditos in sua cuiusque dioecesi commorantes, non alios afficiunt episcopales censurae: pontificiae universos ubilibet.

§. I. De excommunicatione.

XX. Anathema scilicet maior excommunicatio baptizatos ab Ecclesiae gremio, et fidelium consortio separat, velut palmites a vite abscissos.

XXI. Mortiferae huius abscissionis effectus internos patiuntur ipso facto excommunicati, quamvis occulti: externos autem varios, et multos, nonnisi postquam eos vitandos iudex episcopalis rite proclamaverit, aut ipsius evidentia sceleris ostenderit.

XXII. Cum hisce vitandis communicantes variis poenis afficiuntur pro modo culpae, et contumaciae.

XXIII. Nisi iure coniugii, patriae potestatis, aut sanguinis, domini, aut famulatus, vel necessitate corporis, aut animae adacti excusationem habeant legitimam.

XXIV. Expectans Ecclesia resipiscentiam excommunicatorum eos ad sacras audiendum conciones una cum fidelibus, nedum admittit, sed hortatur: quamquam a divinis officiis concelebrandis procul habeat omnino.

XXV. Insordescentes per annum, absolutionem scilicet a censura petere contemnentes, ut poenis etiam corporeis comprimantur, leges, canonesque sanxerunt.

XXVI. Fulminato post iuridicam sententiam anathemate nomina excommunicatorum ad valvas Ecclesiae cathedralis, et parochialis palam descripta denunciantur.

§. II. Qui excommunicationem ipso facto incurrunt.

XXVII. Censuram hanc maiorem Papae reservatam incurrunt ipso facto, qui haeresim, aliave crimina in casibus XXI speciatim expressa patraverint.

XXVIII. Haec ipsa ut possint ab inferioribus Praelatis, et Confessariis extra mortis periculum remitti: alia speciale postulant Papae indultum, pro aliis genericum sufficit.

XXIX. In articulis eiusdem Bullae ii etiam sunt, quos Paulus II. a generali Sedis Apostolicae indulto exceptos voluit.

XXX. Eorumque plures alii Potestati laicae, huiusque regni moribus adversantes in caussa fuere, ut ea regio placito destituta nullam in foro externo vim habuisset, ac proscripta regio edicto nuper esset.

XXXI. Quadraginta sex praeterea casus numerantur adnexam ipso facto excommunicationem habentes ex novis pontificiis constitutionibus, quae reservationem silentio praeteriverunt.

XXXII. In hisce casibus dubitatur, an inferiores Praelati, et Episcopi valent censuras eiusmodi pontificias remittere. At Episcopi suas latae sententiae censuras videntur, dum sibi eas non reservaverint, facultatem absolvendi Confessariis concedere.

XXXIII. Quoad in excommunicationem ipso facto lapsi non declarentur in iudicio rite, vel notorium non sit eorum crimen; vitandi non sunt.

XXXIV. Sacros ordines interea qui exercuerint, irregulares utique fiant.

XXXV. Nonnisi vocatos in ius, et rite auditos in suis defensionibus declarabit iudex vitandos.

§. III. De excommunicatione ferendae sententiae.

XXXVI. In casibus dumtaxat in Iure expressis locum habet excommunicatio ferendae sententiae.

XXXVII. Nisi praecesserit citatio, excommunicandus nemo est.

XXXVIII. Ecclesiae profanatores, et sacrilegi multiplices hac sunt censura comprimendi.

XXXIX. Tum peierantes, usurarii, concubinarii, raptores, depraedatores.

XL. Praecepta Ecclesiae, suique Praesulis violantes, sponsalia de futuro non implentes, obsequia coniugalia temere subtrahentes, delinquentes in officio, Synodum contemnentes adire.

XLI. Contumaces in iudicio tam testes, quam actores, ac reos.
XLII. Tridentina lex corpoream realiter, et personaliter coactionem mavult in foro, quam spiritales censuras.
XLIII. At laicos ab hac lege eximunt huius regni mores.
XLIV. Ecclesiasticos in forma Rev. Camerae Apostolicae, obligatos primum realiter, ac personaliter cogendos fore iuxta legem Tridentinam iussit S. Pius V., censuris deinde in subsidium.
XLV. Iniusta excommunicatio innocentes non afficit.
XLVI. In foro autem externo timenda est etiam iniusta.
XLVII. Appellationis iudex, nonnisi auditis partibus, et re cognita, censuras inflictas revocat, vel irritas declarat. Sedes autem Apostolica omnes appellantes lite pendente absolvit sub conditione recidendi.
XLVIII. Appellationi a censuris latae sententiae effectum quoque suspensivum tribuunt forenses: at ferendae sententiae devolutivum dumtaxat.
XLIX. Citatio ad dicendam caussam quare, nullam in utrisque censuris appellationem iure admittit.
L. Aliis dum poenis locus erit congruus, excommunicationem tunc Episcopi, nonnisi in subsidium probe comminantur, et infligunt.

§. IV. De monitorio excommunicationis ad finem revelandi.

LI. Qui res deperditas, vel subtractas detineant occulto, ut revelentur, Episcopi tam iure Decretalium, quam Tridentino saepe iubent comminantes ter antea excommunicationem, postea in contumaces generatim eam fulminantes.
LII. Vicarii etiam episcopales, et capitulares: in locis vero exemptis, et nullius dioecesis non Praelati inferiores, nec viciniores Episcopi, sed Sedes tantum Apostolica.
LIII. Pro re vulgari, modici nempe valoris excommunicatio non est indicenda.
LIV. Et nisi concurrant simul sex adiuncta rei, et caussae.
LV. His deficientibus adiunctis, aut impeditur, aut revocatur publicatio monitorii excommunicationis tam episcopalis, quam pontificii.
LVI. Revelantes in episcopali Curia quod sciverint, iuramento firmare in ea non oportet.
LVII. Quae instrumenta, vel testamenta Notarii confecerint, ea debent ipsi revelare: non item detentores, et qui ad testificandum iure non cogantur.

LVIII. Revelationes, quae ad agendum civiliter tantum in foro competenti videantur idoneae, integras Curia episcopalis concedit: si quid vero criminis, vel infamiae praeseferant, sola revelantium nomina indicabit eos, ut rite possit iudex competens examinare.

LIX. Monitorium eiusmodi vigentem usum commendat publica utilitas.

§. V. De personis excommunicandis.

LX. Manifesti criminis reos etiam ignotos, et occultos consuevit Ecclesia excommunicare.

LXI. Quos per edictum oportet antea citari ad dicendam causam quare. Ut enim occultos generalis, ita manifestos reos afficit specialis censura.

LXII. Nulla Universitatem, aut Collegium excommunicatio liget, sed singulos tantum reos.

LXIII. Nec totam peccantium multitudinem.

LXIV. Nec illos quandoque singulos, ex quibus mala timeantur maiora.

LXV. Nec criminosos in communione fidelium defunctos.

LXVI. At impoenitentes notorio crimine infectos, praesertim haereticos prisca etiam Ecclesia consuevit ita suffragiis privare post obitum, ut poenitentes in communionem restituere.

§. VI. De absolutione excommunicatorum.

LXVII. Excommunicatos quilibet Sacerdos in articulo mortis recte absolvit. Mortuis vero, qui reconciliationem optaverint, absolutionem, vel Episcopus, vel Apostolica Sedes in casibus reservatis indulget.

LXVIII. Eodem ferme ritu vivorum absolvuntur mortui.

LXIX. Quos moribundos absolvit a reservata censura sine speciali mandato Sacerdos quilibet, ii debent, si convaluerint, in foro externo a legitimo Superiore absolutionem ser. ser. postulare; alias in eam relabuntur.

LXX. Sacra Urbis Poenitentiaria Regulares in utroque foro a publicis etiam censuris absolvit. Saeculares vero quum laicos, tum clericos hac absolvit conditione, si iudicato paruerint, et satisfecerint.

LXXI. Pluribus censuris innodato absolutio unius pro aliis non suffragatur.

LXXII. Resipiscentibus non est absolutio differenda.

Ab occultis censuris, et irregularitatibus Apostolicae Sedi reservatis Episcopi absolvunt in foro tantum interno: exceptis casibus homicidii voluntarii, aliisque in foro externo delatis.

§. VII. De minori excommunicatione.

LXXIII. Minor excommunicatio a Sacramentorum perceptione separat.

LXXIV. Altera olim separabat Ecclesias particulares a mutua communione.

§. VIII. De interdicto.

LXXV. Aliquot sacris, divinisque rebus, vel personas, vel loca, vel utrasque interdictum privat.

LXXVI. Personale hinc interdictum aut locale, aut mixtum dicimus: quod vel generale, vel speciale est.

LXXVII. Publicos poenitentes olim Ecclesia corrigebat interdicto personali.

LXXVIII. Speciale autem interdicto, multos, et varios peccantes comprimebant canones antiqui.

LXXIX. Aliosque pariter novae constitutiones.

LXXX. Tum Episcopos, Praelatosque decretales, bullaeque posteriores.

LXXXI. Locale interdictum Ecclesiae ob multas, et varias causas indixere Pontifices, et Concilia, quod extenditur ad contiguas capellas, et coemeteria.

LXXXII. Mixto interdicto usus est Paschalis II.

LXXXIII. Exempla generalis interdicti prostant vetustissima.

LXXXIV. Anathemata generalia Patres improbant, censuras minores, et interdicta generalia non item.

LXXXV. A sexto ad decimum usque saeculum B. Gregorius Turonensis, pluresque Synodi populos ob enormia scelera interdicto generali compresserunt.

LXXXVI. Tum undecimo abhinc saeculo saepius Romani Pontifices.

LXXXVII. Qui multifarios generalis eiusmodi censurae abusus corrigere utique studuerunt.

LXXXVIII. Alexandro III., et Innocentio III. placuit ab interdicto generali eximere baptismos parvulorum, et chrisma, poenitentias infirmorum, sacrumque viaticum, sepulturam innocuorum, sine pompa, in conventualibus Ecclesiis horas canonicas, et Missas clausis ianuis, episcopalem Missam, et Eucharistiae renovationem hebdomadariam.

LXXXIX. Bonifacius VIII. indulsit amplius conficere Chrisma in die coenae, adultos baptizare, et confirmare, sanis quoque Sacramentum Poenitentiae, quotidianas in cunctis Ecclesiis Missas privatas, ianuis clausis, exclusisque interdictis nominatim, in quatuor autem anni festis maioribus ritu solemni, et publico. Simul vetuit, ne ob unius domini, vel cuiusque privati culpam, populus generatim interdicatur sacris.

XC. Scienter violantes interdictum clerici in sacris irregularitatem, ceteri excommunicationem Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt.

XCI. Appellatione interdictum non suspenditur, neque ad cautelam sub conditione adimitur.

§. IX. De cessatione a divinis.

XCII. Speciatim localis cessatio a divinis usuvenit in Ecclesiis pollutis effuso sanguine, vel semine, aut sepultura excommunicatorum, ignisve combustione.

XCIII. In polluta Ecclesia scienter celebrans non fit irregularis.

XCIV. Personalem a divinis cessationem, seu abstinentiam a Sacramentis ex consilio servant, non ex praecepto puerperae, menstrua patientes, graeci presbyteri post coniugii usum, poenitentes ante congruam expiationem, iudices post capitalem sententiam.

§. X. De suspensione.

XCV. Clericos tantum afficit censura suspensionis, sacra eis ministeria ordinis, et officii vetans, et beneficii fructus adimens.

XCVI. Antiqui Patres, et canones eam promiscuis vocabulis abstinendi, vel interdicendi, vel prohibendi saepe indicebant.

XCVII. Dein consuevit conceptis verbis decerni suspensio vel ab ordinibus, vel ab officio, aut beneficio, vel ab utroque simul.

XCVIII. Hinc maior, vel minor, tum generalis, vel specialis, itemque temporanea, vel perpetua suspensio appellatur ex variis eiusdem speciebus.

XCIX. Eas quum antiqui canones, tum decretales, et pontificiae sanctiones pluribus ex caussis edixerunt in Episcopos nominatim, et alios ipso facto.

C. Tum in Praelatos inferiores.

CI. In collegia quoque, Capitula, et Universitates.

CII. In clericos etiam singulos alicuius tredecim criminum reos.
CIII. In Regulares insuper septem in casibus.
CIV. Ab ordine suspensus, officium, et beneficium administrat, a beneficio suspensus, ordinem, et officium exercet.
CV. Suspensis ab ordine officioque sacerdotali denegantur litterae dimissoriae, ac testimoniales.
CVI. Contumaces in suspensione post annum amittunt ipso iure beneficia.
CVII. Violantes suspensionem fiunt irregulares.
CVIII. Episcopo lex Tridentina permittit subditos ex informata conscientia suspendere.
CIX. At censuras omnes, nonnisi ob expressam caussam in scriptis proferendas fore statuit Concilium Lugdunense sub Innocentio IV., id quod regiis rescriptis hoc in regno firmatum est.

§. XI. De depositione ac degradatione.

CX. Poena irrevocabilis ecclesiasticos in perpetuum exuens ordinum usu, officiis, et beneficiis, est depositio, ac degradatio.
CXI. Iudicis tantum sententia irrogatur haec poena, irregularitas autem ipso iure.
CXII. Depositio verbis, et simplici exauctoratione iudicis infertur, degradatio postulat solemnem ab Episcopo ritum, publicamque degradati traditionem potestati saeculari.
CXIII. Ante Constantinum M. sola viguit depositio, postea invaluit sensim degradatio.
CXIV. Hanc induxisse, aut firmasse videntur leges imperiales Honorii, et Iustiniani.
CXV. Medii aevi Patribus, et Synodis magis retrusio in claustris monasticis, quam degradatio reorum capitalium placuit.
CXVI. Quoad leges civiles corporeas poenas, exiliumque foro episcopali non permittebant.
CXVII. Consuevit enim Ecclesia tum postulare brachium regium ad comprimendos post depositionem contumaces.
CXVIII. Depositos nisi traderet Episcopus laicae Potestati, haec suo iure non trahebat ad capitale iudicium.
CXIX. Eos enim subiectos habuit forus ecclesiasticus usque ad realem traditionem ex moribus, ac legibus.
CXX. Praeterquam assassinii, laesaeque maiestatis reos ipso iure degradatos, in foro laico iudicandos, omissa episcopali coeremonia degradationis.

CXXI. Hanc tradunt Ivo Carnotensis, Bonifacius VIII., et Pontificale Romanum.

CXXII. Synodicam sententiam exquirebant ad clericos deponendos canones antiqui.

CXXIII. Recentiores Episcopo dioecesano mandant degradationem cum Abbatibus, Praelatisque mitra, et baculo pastorali utentibus concelebrare.

CXXIV. Nunc rei capitalium criminum ad triremes mittuntur saepius, vel perpetuo carceri mancipantur, sine depositione, vel degradatione.

CXXV. Ex novem dumtaxat sceleribus ecclesiasticorum nunc locus datur solemni degradationi, et saeculari Curiae traditioni.

CXXVI. Ob alia crimina, quamvis capitalia rei clerici primum verbali depositione, et excommunicatione plectendi sunt: postea incorrigibiles iudici laico, praevia degradatione tradendi.

CXXVII. Depositi, vel degradati ad amissos ordinum gradus fere numquam redeunt, nisi quis manifesta resipiscentia, et emendatione gratiam promeruerit ab Apostolica Sede cum Episcopi sui consensu.

§. XII. De poenis corporeis et temporalibus.

CXXVIII. Octo poenarum corporalium genera sanxerunt leges, quarum sex in foro etiam ecclesiastico usu vigent.

CXXIX. Damni reficiendi poenam lus divinum, et humanum imperat.

CXXX. Carceris detrusionem lex Mosayca, legesque tum civiles, tum canonicae iubent.

CXXXI. Verbera fustium, flagellorum, vinculorum priscae Romanorum leges, tum canones, et decretales.

CXXXII. Talionem, scilicet par crimini supplicium Mosayca, Romanaeque itidem leges.

CXXXIII. Pecuniarias mulctas in talionis vicem subrogatas commendant civiles, et ecclesiasticae constitutiones.

CXXXIV. Infamiam inexpiabilem ipso iure inferunt rapinae, fraudes, lenocinia, artes ludicrae.

CXXXV. Exilium triplex leges, peregrinationem sacri canones adhibuere.

CXXXVI. Servitutem, et quasi servitutem morti proximam abolevit Iustinianus. Huius regni leges, et mores praesidium clausum, regiasque triremes adhibent in utroque foro.

CXXXVII. Mortis corporeae poenam, et cruenta supplicia procul omnino habet forus ecclesiasticus.

CXXXVIII. Varia criminum qualitas poenas, vel acerbiores, vel minores postulat.

CXXXIX. Eas propterea ex diversis caussarum adiunctis aequi iudicis arbitrium vel minuit, vel exasperat.

CXL. In dubio, molliendas potius, quam exasperandas.

CXLI. Pecuniarias, et corporeas sunt qui salubriores putant, quam spirituales, nonnisi in subsidium infligendas. Laicos tamen in ecclesiastico foro censuris, et poenis tantum spiritualibus plecti consentiunt huius regni mores, ac leges.

I. Potestatem infligendi spirituales tantum poenas, censurasque canonicas ecclesiastico foro Lex evangelica procul dubio demandavit. Salutarem simul corporis castigationem videtur Christus Dominus concessisse, dum sua ipse manu flagellis funiculorum e templo eiecit vendentes, et ementes domus Dei profanatores (1). At gladii temporalis usum, et capitalium poenarum, quae mortem reis corpoream, mutilationemve membrorum inferunt, omnino interdixit: quum Petro gladium evaginatum in satellites vim iniustissimam inferentes iussit gladium remittere in vaginam (2). Mulierem quoque in adulterio deprehensam ex lege Moysis lapidibus obruendam tali poena exemit (3). Suos praeterea discipulos increpavit, quod voluissent ignem de coelo adscire ad consumendum Samaritanos, qui Dominum ipsum non receperant. Cum dixissent enim discipuli eius Iacobus, et Ioannes: *Domine vis dicimus, ut ignis descendat de coelo, et consumat illos?* conversus Dominus increpavit illos dicens: *nescitis, cuius Spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* (4).

II. Praecipuus inde hic finis est poenarum ecclesiasticarum *emendatio*, ut nimirum peccantes quomodolibet homines resipiscant, atque ad rectam semitam salutis redeuntes discant scelera ex animo formidare. Finis alter aliis praebet *exemplum*, ut suis in officiis omnes contineantur; odioque habeant crimina metu poenarum, quem Apostolus respexit Timotheo scribens: *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant* (5). Saeculares autem poenae, praesertim capitales potissimum deposcunt publicam *vindictam*, quae violatis legibus cultum, laesisque partibus honorem restituat (6). Discrimen istud prae-

(1) Matth. *cap.* 11. *vers.* 12., *et seq.* Ioan. *cap.* 1. *vers.* 15.
(2) Matth. *cap.* 26. *vers.* 51., *et* 52., Ioan. *cap.* 18. *vers.* 11.
(3) Ioannis *cap.* 8. *vers.* 5. *ad* 11.
(4) Ioannis *cap.* 8. *vers.* 52. *ad* 56.
(5) I. ad Timoth. *cap.* 5. *vers.* 20. Huc spectat illud Ciceronis in *Laelio*. *Improbis poena*, ait *statuenda est, ut et quos natura retinere in officio non potest, ii magnitudine poenae maleficio submoveantur.*
(6) Tres eiusmodi fines, rationesque poenarum a Philosophis generatim perpensas memorat A. Gellius *noct. Attic. lib.* 6. *cap.* 14.

docuit B. Chrysostomus, ubi duplex imperii genus, civilis, et sacerdotalis, edisserit, ita scribens: *Hoc imperium* Ecclesiae *primum non hoc praecipuo studio spectat, ut perpetrata scelera* vindicet, *sed ut ne omnino quidem perpetrentur. Deinde si perpetrata sint, non ut aegrotantem de medio tollat, sed ut ipsa deleantur. . . Qui externum imperium gerit, si adulterum arripuerit, protinus in eum animadvertit. Ecquid porro hinc commodi existit? Hoc enim non est vitium de medio tollere, sed aegram, ac sauciam animam abigere . . . Nam tu quidem perinde facis, ac si morbo aliquo in capite enato non morbum esse comprimas, sed caput amputes. Ego vero non ita, sed morbum trunco; atque eum quidem a mysteriis, sacrisque septis arceo: ceterum eumdem postea excitatum, ac vitio liberatum, melioremque per poenitentiam effectum rursus assumo* (1).

III. Has propterea species canonicarum poenarum Traditione Apostolica, et prisca consuetudine invectas adhibet iure suo Ecclesia in foro externo *exomologesim*, seu *publicam* poenitentiam superius expositam (2), tres potissimum censuras excommunicationis, suspensionis, et interdicti mox explicandas (3), irregularitatem, seu ad ordines quum accipiendos, tum exercendos incapacitatem (4), privationem officii, et beneficii (5), amotionem a statu clericali, depositionem, et degradationem a sacris ordinibus, traditionemque Potestati saeculari.

IV. Medicinas peccatorum esse poenas generatim praedocuit auctor ethicorum (6). Duplicis vero generis poenae quum sint, aliae nimirum *perpetuae*, seu *irrevocabiles*, aliaeque *temporariae*, suaque ipsarum natura *revocabiles*: quo inter utrasque magis pateat differentia, factum est, ut has temporarias peculiari nomine *censuras* appellare Canonistae consueverint, potius auctoritatem iuris decretalium recentio-

(1) Chrysost. *hom. 15. in ep. 2. ad Corinth.* Idemque S. Doctor *lib. 2. de sacerdotio cap. 3.* ait: *Expedit quidem iudices, cum homines facinorosos leges transgressos fuisse deprehenderint, magna se praeditos auctoritate, et potestate ostendant, eosdemque, vel invitos cogant suos ipsorum mores mutare: heic vero non vim afferre, sed suadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quem* emendandum *susceperis. Neque enim nobis facultas tanta* a legibus *data ad delinquentes coercendos: ac ne si dedissent quidem, haberemus, ubi vim eiusmodi, potentiamque exercere possemus, cum Christus eos aeterna corona donet non qui coacti, sed qui certo animi proposito a peccato abstineant.*

(2) De hac superius dictum est *lib. VIII. num. XXX., et XXXI.*

(3) Poenam, censuramque canonicam Graeci Patres *epitimium* appellant. ab επιτιμαω, idest *castigo.* Septima Synodus in *can. omnis iactantia* 21. *qu. 4.*, clericos fulgidis vestibus ornatos iussit *epitimio* tradi: et qui vilibus, ac religiosis vestibus utentes deriderent eos per epitimium corrigi. Io. Diaconus in vita S. Gregorii, *antequam exiret de hac vita:* scribit, *non solvit eum ab excommunicationis* epitimio.

(4) Videsis dicta eodem *lib. II. tit. X. num. CXII. et seqq.*

(5) Quinam sint ob crimina beneficiis ecclesiasticis privandi, sat dixi in *tract.* de beneficiis *cap. ult. num. XXV. et seq.*

(6) Aristotel. *lib. 2. ethicor.*, quem secutus est, S. Thom. 2. 2. *qu. 43. art. 7. ad 1. Quicumque stultus est in culpa, erit sapiens in poena*, ait S. Gregorius *in can. qui ea 10. dist. 38.*

ris, quam priscorum canonum sectantes. Nam *quaerenti*, *quid per ecclesiasticam* censuram *debeat intelligi . . . per eam non solum interdicti, sed suspensionis, et excommunicationis sententiam intelligi* Innocentius III. rescripsit (1). Quandoquidem tres huiusmodi censurae ea semper conditione ad tempus infliguntur, ut reos afficiant, quoadusque ii resipuerint, et veniam poenitentia promeruerint: *quia et plectendo, et ignoscendo vita hominum corrigitur*, inquit S. Augustinus (2). Censuram hinc nostri fere concordes definiunt, quod sit *poena ecclesiastica spiritualis, et medicinalis baptizatum hominem, ut a peccato resipiscat, privans usu quorumdam spiritualium* (3). Ceteras propterea poenas ecclesiasticas, quae ita locum veniae admunt iure ordinario, ut resipiscentibus, nonnisi ex dispensatione arbitraria extra ordinem aliquando remittantur; cuiusmodi sunt irregularitas, depositio, degradatio, a censuris dissociant: quemadmodum poenas legitimas a censura morum, notisque censuris olim Romani distinguebant (4).

V. Duplicis generis censuras, *latae* nimirum, et *ferendae sententiae*, priscos etiam Ecclesiae Patres adhibuisse liquet. Quas continuo sine iudicis sententia peccantes incurrunt, statim ac admiserint crimen adnexam habens censuram, ecclesiastica nimirum lege sancitam cum clausula *ipso iure*, *ipsoque facto*, vel *statim*, vel verbis aequipollentibus: has *latae sententiae* dicimus (5). Ceteras *ferendae*, quas lex ita comminatur futuras, ut eae, nonnisi post iudicis sententiam valeant reos in iudicio rite convictos, vel confessos, vel contumaces afficere in utroque foro interno, et externo. Priores enim *latae* sententiae, quamvis oporteat in foro externo etiam rite declarari, citato, auditoque reo in suis defensionibus: ipse tamen, reus, si quando ei bene successerit externum iudicem fallere: humanamque sententiam evadere, animam solo ministerio legis iam intrinsecus damnatam, et perculsam reipsa sentiet (6).

(1) Innoc. III. in *cap. quaerenti 20. de verb. signif.*

(2) S. Aug. in *can. prodest et severitas 4. C. 23. qu. 5.*

(3) Benedict. XIV. *de Syn. dioec. lib. 7. cap. 44. num. 1.*

(4) Quatuor praecipuas ignominiae notas ob minora delicta civibus Romanis inurere quotannis Censores morum consuevisse iam liquet, quas abolendi ius habebant sequentes Censores, ex traditis a Nieupoort *rit. Rom. sect. 2. cap. 9. §. 1.* In primis amovere Senatorem a Senatu, et cathalogo Senatorum. II., publicum equum equiti adimere. III., civem tribu sua movere, ex honestiori puta in minus decoram. IV., civem in caeritum tabulas referre, in ultimam scilicet classem aerariorum, in qua incolae oppidi Caere ob servata in Gallico bello sacra Romanam ex privilegio civitatem adepti sine iure suffragii censebantur.

(5) Io. Gersonius *de vita spirituali lect. 4. coroll. 7. to. 3. oper. col. 49.* condocet excommunicationes *latae* sententiae *tantumdem operari, ut absque processu alio iudiciali, aut nova constitutione possit iudex statim probato facto, vel confesso ferre iuris sententiam, et eamdem publicare: non sic ubi canones essent solum ferendae sententiae, quoniam monitiones, et processus secundum terminos Iuris praerequirerentur multiplices.*

(6) Duplicem sententiae formam exteriorem in censuris quum *latae*, tum *fe-*

VI. Haereticos, apostatas, schismaticos a semetipsis ipso facto damnatos, atque ab Ecclesiae corpore abscissos vitare prisci Patres procul dubio consueverunt ex Apostolica Traditione, ac lege. Haereticum *hominem post unam, et secundam correptionem* devita: *sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit* proprio iudicio *condemnatus*, ad Titum scripsit Apostolus (1). *Si quis vobis evangelizaverit, praeterquam quod accepistis, anathema sit*, idem Apostolus ad Galatas scripsit, omnes ita haereticos ipso facto maledictos, et excommunicatos denuncians (2). *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales Spiritum non habentes*, concinit S. Iudas idem Apostolus (3). Lapsos aevo martyrum fideles christianam Fidem abiurando, vel *sacrificatos*, vel *thurificatos*, vel *idolatras*, vel *libellaticos* ipso facto excidisse ab Ecclesiae unitate, et communione ostendunt cum primis B. Cypriani litterae ad Clerum Romanum, et Antonianum, Clericque Romani ad ipsum Cyprianum (4), mox canones Concilii Eliberitani (5), Ancyrani (6), aliorumque posteriorum. Canones vulgo Apostolorum bigamos, concubinarios, adulteros *in consortio Sacerdotum esse* non posse, aut *ex consortio sacerdotali*, dum sanxerunt (7): videntur censuram suspensionis, poenamque irregularitatis ipso facto statuisse. Synodus Gangrensis anno 324. quum Eustathii errores de

rendae sententiae infligendis consuetam, videsis supra hoc *lib. tit. XI. de sent. definit. num. VIII.*

(1) Ad Titum *cap. 3. vers. 10., et 11.* Ex hisce Apostoli verbis profluxisse mos videtur in episcopali foro citandi lapsos ipso facto in censuras ad dicendam caussam, quare declarari non debeant in eas incidisse, antequam ipsi *proprio iudicio damnati* in foro externo manifestentur, eos, ut sciat populus vitare. S. Augustinus hunc ipsum Apostoli locum ita vertit: *quia subversus est huiusmodi, et peccat, et est* a semetipso *damnatus*, in *can. dixit Apostolus 29. C. 24. qu. 3.* Idemque S. Doctor *lib. 21. de Civ. Dei cap. 26. num. 2.* rursus ait: *Haeretici, et schismatici ab huius unitate corporis separati possunt* (ubi lateant occulti) *idem percipere Sacramentum* Corporis, et Sanguinis Domini, *sed non sibi utile, immo vero etiam noxium . . . non sunt quippe in eo vinculo pacis, quod illo exprimitur Sacramento* S. Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone Iudaeo *num. 36.* de schismaticis, et haereticis loquens, *cum horum nemine communicamus*, ait *quum atheos, et impios esse, ac iniustos, et exleges sciamus.*

(2) Ad Galathas *cap. 1. vers. 8.*

(3) B. Iudas *ep. canonica vers. 19.*

(4) *Quos* lapsos *quidem satis mirati sumus*, rescripsit ad B. Cyprianum Clerus Romanus ad *hoc usque prosilire voluisse, ut tam urgenter, et tam immaturo, atque acerbo tempore in tam ingenti, et immenso crimine, atque delicto* pacem *sibi non tam peterent, quam vindicarent, immo iam, et in coelis habere se dicerent. Qui si habent, quid petunt quod tenent? Si autem* non habere *illos probatur, hoc ipso quod petunt, cur non iudicium eorum sustinent, a quibus petendam* pacem, *quam* utique non habent, *putaverunt? Quod si aliunde praerogativam* communicationis *habere se credunt, cum Evangelio illam conferre conentur.*

(5) Conc. Eliberitan. an. 305. *can. 1. 2., et 3.*

(6) Conc. Ancyran. an. 314. *can. 1., et seq.*

(7) *Can. 16., et 17.* vulgo *Apostolorum.*

nuptiis, et esu carnium, et agapis proscripsisset, canonibus viginti totidem *anathematismos* decrevit in eos, qui aliter crederent, vel agerent, addita singulis canonibus clausula *anathema sit*, quae latam ipso iure sententiam indicat (1). In rebelles Regis, et regni proditores *anathema maranatha* (hoc est perpetuam excommunicationem iudicio Dei reservatam) fulminant Synodus Toletana IV. an. 633., et Toletana XIV. an. 693., his conceptis verbis: *qui contra hanc nostram definitionem praesumpserit*, anathema maranatha, *hoc est perditio in adventu Domini sit, et cum Iuda Scharioth partem habeant et ipsi, et socii eorum* (2). Silverius Papa Guilisarium patritium anathematizavit ob violentias ab eo sibi illatas, et in Synodo statuit, ut *si quis deinceps ullum unquam Episcoporum taliter deceperit*: anathema maranatha *fieret in conspectu Dei, et S Angelorum* (3). Mos item vetustus arcendi spontaneos poenitentes a Sacramentorum participatione, et fidelium communione, donec publicam poenitentiam per annos plures egissent priscis canonibus indictam, vel in extremo tantum vitae periculo, commonstrant primitivos delinquentes quum laicos, tum clericos, variis censuris ecclesiasticis ipso iure obstrictos, quum cogerentur eas a nullo iudice singulatim inflictas expiare, aut in perpetuum perferre sine ulla spe reconciliationis, praesertim relapsi, et scelestiores. Adhaec auctor operis *de vita contemplativa*, quod saeculo V. in lucem prodiit, apertis verbis tradit clericos in grave crimen, quamvis occultum collabentes aevo suo statim coram Deo excommunicationem, aut suspensionem a divinis, et sacris ministeriis incurrere in foro interno (4). Hinc desipuisse Wan-Espenium scite commonet Benedictus XIV. (5) inconsiderate asserentem, censuras excommunicationum *latae* sententiae in veteri Ecclesiae disciplina per decem saecula ignotas fuisse, easque recens adinventas (6).

(1) Syn. Gangrensis an. 324. in collect. Conc., quorum decreta Gratianus habet in *can. si quis discernit 15. dist. 28.*, *can. si qui 1. dist. 30.*, *can. si quis vituperat dist. 31.*, *can. si quis despicit dist. 42.*, *can. si quis alienum C. 17. qu 4.* Celebriores fuere XII. anathematismi a S. Cyrillo Alexandrino adversus Nestorium conscripti, quos probarunt Synodi Ephesina, et Chalcedonensis. Ab anathemate excommunicationem distinxit Synodus Meldensis, et Capitulare Caroli M. in *can. nemo Episcoporum 41. C. XI. qu. 3.*

(2) Toletan. IV. *cap. 75.*, et Tolet. XIV. *cap. 10.* Ea in re Patres Toletani secuti sunt Apostolum, qui *ep. 1.* ad Corinth. *cap. ult. vers.* 22. scripserat: *Si quis non amat Dominum nostrum I. C. tit. anathema Maran Atha.*

(3) Silverius ad Amatorem Episc. in *can. Guilisarius 30. C. 23. qu. 4.*

(4) *Lib. 2. de vita contemplativa cap. 3.*, cuius auctorem alii Prosperum Aquitanicum, Iulianum Pomerium alii opinantur, haec habet: *Hi, qui in aliquo gradu ecclesiastico constituti, aliquod crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videbitur propterea communicare, et officium suum implere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt . . . Qui autem ea commiserit, et ideo prodere metuunt, ne sententiam iustae excommunicationis accipiant, sine caussa communicant: immo vero dupliciter contra se iram divinae indignationis exasperant, quod et hominibus innocentiam fingunt, et contempto Dei iudicio abstinere se ab altari propter homines erubescunt.*

(5) Benedict. XIV. *lib. 7. de Syn. dioeces. cap. 44. num. 6.*

(6) Wan-Espen. *par. 3. iur. eccles. tit. II. cap. 6. num. 19.*

VII. Observat Navarrus excommunicationes latae sententiae, antequam Sextus Decretalium a Bonifacio VIII. promulgaretur anno 1398. ad summum triginta sex numerari, easque ad viginti sex ab iis facile redigi, qui aliquot eiusdem generis casus non disiunctim, sed una supputarent: mox eodem Sexto Decretalium superinductas alias XXXII: ex Clementinis deinde L., tum extravagantibus Romanorum Pontificum constitutionibus, nec non Synodorum episcopalium statutis dioecesanis, et provincialibus, visitationum decretis, edictis, ac Regularium constitutiones alias ferme innumeras accessisse: ratus propterea *valde utilem, immo et necessariam fore aliquam earum limitationem, saltem quoad forum conscientiae* (1). Huic non spernendae opinioni subscribunt eximii, gravesque Doctores, duabus potissime rationibus adducti. In primis enim videtur *iustitia distributiva* id vetare, ne mentes hominum ob delicta minora, et plerumque occulta ita nunc passim, ut ob graviora olim, vel manifesta dumtaxat scelera, unis ex aequo, iisdemque poenis asperioribus crucientur. Adhaec natura insitum hominibus *officium erga se* omni iure postulat, ut bonam sibi quisque famam custodiat, et sua non prodat in foro externo crimina occulta nullis testimoniis, aut indiciis detecta, neque se a communione fidelium, aut Sacramentis accipiendis vel ministrandis abscissum, amotumque profiteatur ultro, antequam erit in iudicio rite convictus, et damnatus.

VIII. Hinc delendam ex edicto Archiepiscopi Neapolitani poenam suspensionis ipso facto latam in Parochos, qui nonnulla in sepeliendis pauperum cadaveribus nova statuta non servarent, censuit Praesul Altovitus S. Congregationis Concilii Secretarius, dum eam caussam proposuit definiendam die 18. Maii 1686. Simul et sequenti anno 1687. die 20. Decembris excommunicationem ipso etiam facto decretam in Synodo Vasionensi contra ecclesiasticos ludentes aleis, vel taxillis: nec non in Synodo Melitensi contra clericos arma prohibita clam detinentes (2). Ipsa dein S. Congregatio Concilii rescripsit die 30. Augusti 1732., deleri ex Synodo Larinensi poenam suspensionis, etiam levissimae a sacrificio Missae celebrando crastina tantum die in presbyteros latam, qui congregationi casuum moralium non interessent (3). Et Benedictus XIV. addit sese consuevisse, dum Secretarii munus ipsemet in ea S. Congregatione obiret, hortari Episcopos, vel amice ipsum consulentes, vel visis eorum Synodis ante promulgationem, inde ut expungerent novas omnes latae sententiae censuras (4).

IX. Ut per excessum hac in re vitiosum, ita e contrario per defectum ab aequo, et recto medio procul maxime sunt, qui cunctas omnino censuras latae sententiae student ab Ecclesia universali avellere,

(1) Navar. in *manuali cap. 27. num. 49.*, cuius sententiam laudat, et multis comprobat Benedictus XIV. *loc. cit. cap. 45.*

(2) Altovitus apud Benedictum XIV. *cit. cap. 45. num. 1., 2., et 3.*

(3) S. Congr. Conc. *thes. resol. to. 6. pag. 387.*, apud Bened. XIV. *ibid. n. 4., et ult.*

(4) Bened. XIV. eodem *cap. 45. num. 1.*

eas etiam, quas vetusto canonum iure probatissimo sancitas in criminibus enormibus iam novimus: dum temere garriunt cum Godscalco Rosemondo Lovaniensi Theologo plus obesse, quam proficere (1), aut cum Ayala ipsas ex eo per calumniam carpunt, quod sine canonica monitione infligantur (2). Enimvero nedum perpetua, et communi consuetudine, quae ab Apostolorum, et martyrum aevo initium habuit, uterque confutantur: sed recitatis etiam Apostolorum Pauli, et Iudae verbis, qui haereticos, et blasphemos veritatis *pro iudicio condemnatos*, atque *a semetipsis segregatos* denunciant. Nam ex evangelica Lege *qui non credit, iam iudicatus est* (3).

X. Hoc itaque genus censurarum usu mediocri, et moderato in Ecclesia universa omnimodis commendatur, quum sacris canonibus apposite usurpatum perpetuo sit ad animos fidelium a criminibus gravioribus efficaciter avertendos, flectendosque ad praecipua Dei mandata, et rectam disciplinam. Ad destruens potius, quam aedificans immoderatus earumdem abusus ne nimis excurrat, aequi et boni Praesules Ecclesiarum satis habeant subditos quisque suos coercere censuris ipso facto iam latis communi Iure canonum, decretalium, et constitutionum Sedis Apostolicae: novas alias localibus edictis: aut Synodis, aut visitationum decretis non superaddant, sed immo recens inductas abrogare ipsi etiam studeant. Vix dum grave aliquod scandalum, vel frequens delictum irrepserit alicubi, quod sua quidem contagione minitans animabus perniciem in dies maiorem non alio valeat remedio, nisi censura latae sententiae praefocari: hanc expediet aliquando episcopali sanctione tunc indicere, quemadmodum vir prudens arbitrabitur ex adiun-

(1) *Valde inconsultum, et periculosum est*, inconsulto scribit Godscalcus in *suo confessionali cap. 20., quod Episcopi in suis statutis ceteri quoque iudices tam faciles sint in multiplicando censuras: unde expediens esset, ut etiam inquit Gerson, ut* omnes *constitutiones excommunicationis latae sententiae in* Iure, *vel statutis contentae, quarum usus nullus est, aut plus obest, quam prodest, expressa revocatione cassarentur in provinciis, et dioecesibus, et in Ecclesia* universali. *Expediens etiam esset, ut nulla excommunicationis sententia ferretur de facto a Iure, vel iudice, neque pro praesenti, neque pro futuro, nisi pro manifesta contumacia, qua quis ostendit se non paratum audire Ecclesiam.* Nimiam istius audaciam, qui parvipendit priscam, et communem Ecclesiae universalis consuetudinem, simul et Conciliorum, summorumque Pontificum, et Patrum eximiorum auctoritates, suasque in partes falso trahit Gersonium nil ei faventem, merito retundit Benedictus XIV. *loc. cit. cap. 44. num. 5.*

(2) Ayalam satis refellit Theophylus Raynaudus *to. 14. oper. pag. 514.*, ab eodem Benedicto XIV. laudatus *ibidem num. 5.* in fine, id inter alia ostendens, promulgationem legis aliquid imperantis, vel prohibentis utique habere vim canonicae monitionis. Addam ex quotidiano Curiarum ecclesiasticarum usu, et stylo, reos in censuras ipso facto prolapsos citari quidem, et moneri ad dicendam caussam quare declarari non debeant in eas incidisse, et rite audiri suis in defensionibus, antequam in foro externo denuncientur. Itaque lex ipsa promulgata in foro interno canonicas cuique monitiones praemittit, in foro autem externo eas reipsa faciunt iudices ante sententiam damnationis.

(3) Ioan. *cap. 3. vers. 18.* Haec autem verba explicans S. Aug. *tract. 12. in Ioan.* ait: *nedum apparuit iudicium, et iam factum est iudicium.*

*

clis loci, personarum, et rerum, quae tutam, immotamque regulam non admittunt (1).

XI. In censuris *ferendae* sententiae amplior quidem est Episcopis potestas, et usus: dummodo eas iaculentur iustis ex caussis ob graves nimirum, non vero leves culpas. Ut *nullus Sacerdotum quemquam recte fidei hominem pro* parvis, et levibus *causis a communione suspendat*, prisci canones vetant (2). *Quia anathema est aeternae mortis damnatio, nonnisi pro* mortali *debet imponi crimine*, ex canone Concilii Meldensis (3). S. Petrus Damianus Innocentium II. hortatus est, ut corrigeret abusum iam tunc inoletum plectendi uno anathematis mucrone et graviter, et leviter peccantes (4). Gersonius eos reprehendit acrius, qui *pro solis incommodis temporalibus evitandis, aut commodis politicis conservandis* gladium spiritualem inconsulto vibrant ad perniciem (5). Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi decrevit ani-

(1) Ad rem hanc eliquandam Benedictus XIV. *cit. lib. 7. cap. 46.* plura condocet ex priscis canonibus, Patrum exemplis, rebusque iudicatis. B. Hieronymus in *can. resecandae 16. C. 24. qu. 3.*, *resecandae sunt putridae carnes*, ait, *et scabiosa ovis a caulis repellenda: ne tota domus, massa, corpus, et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.* Consonat S. Aug. in *can. corripiatur 17. ead. C. et qu.* Tum B. Prosper in *can. ecce autem 18. ead. C. et qu.* explicatius docet: *in eis, qui diu portati, et salubriter obiurgati corrigi noluerint, tamquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi: ne . . . isti, qui emendari despiciunt, et in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suae perditionis inficiant.*

(2) Conc. Aurelian. V. an. 594. *can. 2.*, Wormaciense *can. 13.*, et Arvernense II. *can. 2.* apud Gratianum in *can. nullus Sacerdotum 52. C. XI. qu. 3.*

(3) Conc. Meldense an. 845. *can. 56.* in *can. nemo Episcoporum 41. C. XI. qu. 3.* Id etiam tradit Provinciale Conc. Coloniense an. 1563. *part. 13. cap. 5.*, *to. 9. collect. Hard.* ibi: *Cum excommunicatio poena sit, qua nulla maior est in Ecclesia, nec sit excommunicandus quis, nisi pro peccato* lethali, *quod anathema sit aeternae mortis damnatio, nec infligendum veniat, nisi his, qui aliter corrigi non possunt: debebit iudex non ante excommunicare quempiam, quam cognoverit id, vel caussae gravitatem, vel eius, qui extra communicationem pellendus est, apertam contumaciam praecepto iusto acquiescere nolentis, exigere.*

(4) S. Petr. Damian. *epist.* 12. ad Innoc. II. ita scribit: *Delinquit* levi *quadam, ac* perexigua *offensione transgreditur, et continuo veluti haereticus, et tamquam cunctis criminibus teneatur obnoxius, anathematis sententia condemnatur. Et quum dictante iustitia, alia sit ultione plectendus, qui plus delinquit, alia qui minus excedit: heic graviter, leviterque peccantibus aequa cunctis, et indifferens poena solius scilicet* anathematis *irrogatur. . . Quamobrem si sanctae prudentiae vestrae placet, hunc morem de cetero a decretalibus paginis amoveri praecipiat, et vel damni pecuniae, vel alterius cuiuslibet ultionis calculum in earum transgressores praefigat: ne quod aliis est ad tuitionis munimenta provisum, aliis ad perniciem proveniat animarum.*

(5) Gerson. in *tract. de vit. spirit. lect. 4. corol. 7. to. 3. oper. Qui pro solis*, ait, *incommodis temporalibus evitandis, aut commodis politicis conservandis aeternam vult infligere mortem, cui quaeso similis erit, illi nimirum, qui volens abigere muscam a fronte vicini, eam securi perculiens, vicinum stolidus excerebravit, aut ei parem dixerim, qui studens curationem medici vulneris in pede equi sui, pedem confestim abrupit, et scidit, equumque peremit.*

madversione condigna plectendos iudices, *ut poena docente discant, quam grave sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare*: (1) idque *in suspensionis, et interdicti sententiis* voluit etiam observari. Tridentina tum Synodus ecclesiasticos Praesules commonet, quod gladius excommunicationis ad continendos in officio populos valde salutaris *sobrie, magnaque circumspectione exercendus est*: *quum experientia doceat, si temere, aut* levibus *ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem* (2). Censuras itidem suspensionis, et interdicti, tametsi minus graves non esse ob levia delicta ferendas, neque ob gravia quaelibet, sed graviora dumtaxat crimina, quae nimirum videantur pravi exempli, aut contumaciae correctionem postulare, docet ex communiori Doctorum sententia Benedictus XIV. (3). Utque nonnisi monito, et audito reo ob crimina rite probata in episcopali foro censurae infligantur ecclesiasticae, aut Sacramenta denegentur, cautum est regio rescripto ad Regiam Audientiam Calabriae ulterioris dato die 13. Decembris 1760., ad recursum Caesaris Gironda civitatis Tabernae.

XII. Poenae spiritualis natura quidem censuris indita efficit, ut eas non alia possit, nisi ecclesiastica, et episcopalis potestas *iurisdictionis* perinde lapsis, et contumacibus infligere, ac poenitentibus remittere. Ea nimirum, quam suis Christus Dominus Apostolis dedit quum ligandi, tum solvendi animas: et ubi peccantes contumaces iussit procul a commercio fidelium habendos fore, inquiens, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus, et publicanus* (4). Cuiusmodi legem Domini videtur Apostolus explicuisse, dum scripsit: *si quis non obedierit verbo vestro, hunc* notate, *nec* commercium *habere cum illo, ut confundatur: non tamen, ut inimicum existimate, sed ut fratrem corripite* (5). Et rursus: *si quis frater* nominatur *in vobis, aut fornicator, aut idolis serviens . . . cum eo nec* cibum *sumere convenit* (6). His autem verbis Apostolum de nominatione iudiciaria, quae reos in foro externo manifestat locutum plane tradit S. Augustinus (7). Praeterquam quod Apostolus ipse per epistolam palam denunciavit eorum nomina, quos ob compertam infidelitatem publico iudicio damnaverat, Timotheo ita scribens: *quidam circa fidem, naufragaverunt, ex quibus est Hymenaeus, et Alexander, quos tradidi Satanae, ut*

(1) Innoc. IV. in *cap. 1. de sent. excomm. in VI.*

(2) Trid. in *cap. 3. ses. 25. de reform.*

(3) Bened. XIV. *cit. lib. 7. de Syn. dioec. cap. 44. num. 3.* Idemque *cap.* 46. scite edisserit, an expediat censuras in eos ferre, qui immunes a ieiunio commisceant carnibus pisces in diebus esurialibus, vel tabaco abutantur in Ecclesia praesertim ante sacrificium Missae, aut eucharisticam communionem: et generatim, an, et quando id expediat ob leves culpas, quae graves evaserint ex loci, vel personarum, vel frequentiae adiunctis.

(4) Matthaei *cap. 18. vers. 7.*

(5) II. ad Thessalonic. *cap. 3. vers. 14.*

(6) I. ad Corinth. *cap. 6. vers. 21.*

(7) S. Aug. in *can. multi 18. C. 2. qu. 1.*, cuius explicationem superius retuli hoc eodem *lib. IV. tit. 1. num. 1.*

discant non blasphemare (1). Aliaque ad Corinthios epistola evulgavit alterum eiusmodi iudicium protulisse in quemdam incestuosum, aiens: *iudicavi tradere huiusmodi hominem Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat* (2). S. Hieronymus *dupliciter etiam nunc traduntur homines*, ait, *in potestatem zabuli. Uno modo, cum delictum eius manifestum fit Ecclesiae, et per Sacerdotes de Ecclesia pellitur, ut notatus ab omnibus erubescat . . . Alio autem modo, cum peccatum eius manifestum non fit hominibus* (3). Nam eadem potestate in utroque foro interno, et externo priscos Episcopos ab initio usos, patefaciunt iam memoratae B. Cipriani, Romanique Cleri litterae, simul et aliorum Patrum scripta, et antiqua Conciliorum acta.

XIII. Perspicua tot monimenta vetustati fidem hac in re penitus detrahunt Wan-Espenio, qui cum Morino negat externum Ecclesiae forum fuisse prioribus sex saeculis, et ponit audacter *clavium* potestatem a potestate *iurisdictionis* episcopalis tamdiu olim non seiunctam, quoad invaluit fori *externi*, atque *interni* distinctio, quam recens inventam putat, et blande carpit: eoque animo ius ferendi censuras a potestate clavium deducit, ut eas in foro Poenitentiae dumtaxat ab antiquis Patribus indictas arguat calumniose, perpetuam fori externi consuetudinem vel dissimulans, vel contemnens (4).

XIV. Unius, eiusdem potestatis ligare, ac solvere quum sit, episcopalis inde iurisdictio ministerium absolvendi etiam a censuris perpetuo sibi iure vindicant in utroque foro, excepto uno mortis articulo. Lapsos in apostasiam ipso facto per sese a fidelium communione seiunctos B. Cyprianus non semel scripsit ad communicationem venire non posse; *nisi prius illis ab Episcopo, et Clero manus fuerit imposita:* increpitans illos acrius, qui aliter egissent (5). Ex iisdem aliquot publice poenitentibus *si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati fuerint: non expectata praesentia nostra*, ait, *apud* presbyterum *quemcumque praesentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, apud* diaconum *quoque exomologesin facere delicti sui possunt, ut manu eis in poenitentia imposita veniant ad Dominum cum* pace (6). Alios hanc vetustissimam disciplinam firmantes canones recensui superius ex antiquis Conciliis Eliberitano, Carthaginensibus, et Nicaeno (7).

XV. Quum sacramentalis autem absolutio poenitentium in ministro exigat omnimodis ordinem Sacerdotii ex dogmate inibi ostenso, videtur B. Cyprianus, ni mea me fallit opinio, mandasse diaconis iurisdictionem absolvendi a censura excommunicationis moribundos in foro tantum externo, et publicam Ecclesiae pacem illis donandi, qui occultam cum Deo reconciliationem cordis contritione, ac sincera poeniten-

(1) I. ad Timoth. *cap. 1. v. ult.* (2) I. ad Corinthios *cap. 5. v. 5.*
(3) S. Hieron. in *can. audi denique Apostolum 21. C. XI. qu. 3.*
(4) Wan-Espen *par. 3. iur. eccl. tit. 11. cap. 2. num. 14., et seq.*
(5) S. Cyprian. *ep. 10., 11., et 12., alias 15., 16., et 17.*
(6) Idem *ep. 13, alia 18.*
(7) *Lib. II.* harum Inst. *tit. VIII. n. XL. ad XLIII. et n. LIV.*

tia promeruisse, aut ab infinita misericordia Domini saltem non desperare tunc viderentur (1). Enimvero Apostoli quum instituissent per diaconos obire officia exteriora: perpetuo inde more factum est, ut diaconi generatim, seu ministrantes quorumlibet inferiorum ordinum clerici, prima vix etiam tonsura initiati mandatam sibi episcopalem iurisdictionem exteriorem vicario iure in subditos exercerent, ab ordine quum episcopali, tum sacerdotali dividuam, et seiunctam (2), laicis omnino exclusis. *Indecorum est enim* laicum *vicarium esse Episcopi, et* saeculares *in Ecclesia iudicare: in uno enim eodemque officio non debet dispar esse professio. Quod etiam in lege divina prohibetur, dicente Moyse*: non arabis in bove, simul et asino (3). *Unde oportet nos et divinis libris et SS. Patrum obedire praeceptis, constituentes, ut hi, qui in* administrationibus *Ecclesiae Pontificibus sociantur, discrepare non debeant nec professione, nec habitu,* ut condocent Patres Concilii Hispalensis II, in quibus praecelluit S. Isidorus (4). Cumque in Romana Synodo sub Papa Symmacho Maximus Episcopus Bleranus definiendam proposuisset quaestionem, *si licuit* laico *homini* anathema *in ordinem ecclesiasticum dictare? aut si potuit* laicus anathema *dicere, et contra canones quod ei non competebat, constituere? S. Synodus dixit: non licuit* (5).

XVI. Si quando saeculi Principes edictis, legibusque suis haereticos anathematizarunt (6): id eo quidem sensu dixere, ut anathematismos a Patribus Ecclesiae iam latos promulgarent latius, regioque brachio executioni demandarent iidem ipsi, tamquam custodes canonum (7). *Omnes enim*, Iustinianus ait, *qui ab iis quatuor conciliis damnati, et anathematizati sunt, et damnatorum dogmata, eosque, qui eadem*

(1) Varias DD. opiniones in hac Cypriani sententia enodanda discutit Car. Blascus *to. 2. opusc. dissert. 1.*

(2) Videsis Suarez *de censuris disp. 2. sect. 3. summ. 11.*

(3) Deuteronomii *cap. 22. vers. 10.*

(4) Conc. Hispal. II. in *can. in nona actione* 22. *C. 16. qu. 7.*

(5) In *can. bene quidem 1. dist. 96.*

(6) Iustinianus in *l. cum recta 5.* §. 2. *C. de summ. Trinit. nos sequentes*, ait *Ss. Apostolorum, et eorum, qui post eos in sanctis Dei Ecclesiis conversati sunt, dogmata* . . . anathematizamus *omnem haeresim, praesertim vero Nestorium etc.* Tum in *l. cum Salvatorem 6.* § 2. *3., et 4., C. eod. tit.* ter idem verbum iteravit, inquiens: anathematizamus *omnem haeresim, praecipue vero Nestorium...* anathematizamus *insuper, et Eutychetem... similiter autem* anathematizamus, *et Apollinarium.* Dein Iustinianus II. edictum de fide suum, quod refert Evagrius *lib. 5. cap. 4.*, concludens *omnibus* ait, *qui illis contraria vel senserunt, vel senserint, denuntiamus* anathema, *alienosque a S. catholica, et apostolica Dei Ecclesia iudicamus.* Rex Bermundus in privilegio, quod indulsit Bellico de Aureolis, et refert Otalora *de nobilit. cap. 6.*, in fine haec habet: *qui contra factum meum venerint, iram regiam patiantur, et sententiam excommunicationis.* Apud Bignonium, in *notis* Marculfi *cap. 1. pag. 432.*, Rex Dagobertus hanc sanctioni suae clausulam fertur adiecisse: *si quis hoc non observaverit, et heic, et in futuro* anathema *sit.* Videsis Gonzalez in *cap. 2. de iudiciis num. 6.*

(7) Germon. *lib. 2. cap. 14 num. 12.*

senseruat, ac sentiunt, anathematizamus (1). Id quod non aversantibus quidem, sed immo expetentibus Ecclesiae Patribus agere Principes religiosi consueverant. Mos enim in Ecclesia catholica iam inoleverat, ut in haereticos, et schismaticos, aliosque ab Episcopis ritu solemniori damnatos, et a communione abscissos nedum clerici, sed laici etiam deberent insimul conclamare *anathema*. Hinc Leo Consul, qui falsum testimonium, suadente Photio, et Michaele Imperator in S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum dixerat, interrogatus et Legatis apostolicis in octava Synodo oecumenica *act.* IX., an Photium, et omnes a Synodo anathemate confixos anathematizaret; respondit primum: *quis sum, ego, ut anathematizem? anathematismus in caussa fidei sit; at vero Photius orthodoxus est, ut quid anathematizabo eum?* Mox reponentibus Legatis: *opera eius peiora sunt omni haeresi, quia diaboli operarius est:* Consul poenitens, et obediens dixit: *cum vos iudicetis fieri*, anathematizo *et ego cunctos, quos anathematizavit sancta haec universalis Synodus* (2). In illis vero subsecutis, aut subditorum conclamationibus, aut Principum edictis canonicam sententiam Episcoporum sectantibus nullam sibi auctoritatem infligendi spirituales censuras vindicavit umquam laica Potestas, a Deo instituta, ut corpus gladio suo, non spiritum percuteret subditorum ab officio desciscentium.

XVII. *Nefas autem sit saeculari cuilibet magistratui*, ait Synodus Tridentina, *prohibere ecclesiastico iudici, ne excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet . . . cum non ad saeculares, sed ad ecclesiasticos haec cognitio pertineat* (3). Huic tamen decreto regnicolae refragantur, Regiae Potestati aeconomicae vindicantes, quoties datur locus recursui ad Principem ab iurisdictionis ecclesiasticae abusu, ius impediendi, amovendique fulminationem censurarum. Praesertim ubi agitur de laicis rerum Ecclesiae, piorumque locorum occupatoribus, vel decimas non solventibus, quos in foro non ecclesiastico, sed laico in ius vocari iamdiu consuevit, aut de caussis olim ecclesiasticis ad forum laicum avocatis (4), et aliis, in quibus clerici nostri fori laico parent (5), aut de novis Romanorum Pontificum sanctionibus regio placito destitutis (6), novisque item decretis Conciliorum hoc in regno non acceptatis (7), aut ubi manifestam iniquitatem, vel iniustitiam praeseferant episcopales censurae contra ius, vel non rite prolatae. Nam innumerae prostant in archivio regalis Iuris-

(1) Iustin. in *l. cognoscere 7. C. de summa Trinit.* in fine.

(2) Ex *act.* 9. Synodi octavae. Videsis N. Alexandrum *hist. saec. 9., et 10. dissert. 4. de Photiano schismate, et VIII. Syn.* §. 23. Morem illum retinuisse videtur forma iuramenti professionis fidei, a Pio IV. indicta illis verbis prope finem: *haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas ego pariter damno, reiicio, et anathematizo.*

(3) Trid. in *cap. quamvis excommunicationis gladius 3. sess. 25. de ref.*

(4) Eas recensui superiori *lib. III. tit. VIII.*

(5) De his dictum satis eodem *lib. III. tit. VI.*

(6) Videsis dicta superius *lib. 1. tit. V. num. XVI.*

(7) Videsis *lib. II. tit. VI. cap. 1. num. XXXV. et cap. III. num. XLV.*

dictionis, quas Proreges olim, et Collaterale Consilium, mox Regiae Iurisdictionis Delegati ad Episcopos regnicolas dedere litteras hortantes, ut a fulminandis excommunicationibus in eiusmodi casibus abstinerent, vel fulminatas revocarent (1).

XVIII. Foeminae, quamvis religiosae adnexam dignitati Abbatissae iurisdictionem habentes in subditos quum clericalis characteris, tum potestatis, censurarum incapaces, plusquam laici viri sunt. Quod prisca, et iamdiu exoleta ordinatio *diaconissarum*, quae instar diaconorum ritu solemni, et manuum impositione ab Episcopis olim fiebat (2), nullum hierarchiae gradum, nullumque Ordinis Sacramentum revera foeminis contulisset umquam, ex Patrum unanimi traditione liquet (3): sed famulatum dumtaxat exteriorem sexui muliebri valde congruum, eo praesertim tempore, quo baptismus per immersionem, et communes pauperum mensae in Ecclesia vigebant (4). Sacris inde virginibus, earumque Abbatissis, et Praepositis nec professio regularis, nec sacrum velamen, nec quaelibet eis largita iurisdictio, valent ecclesiasticam potestatem ferendi, vel solvendi censuras attribuere, quam nonnisi clericis mandari posse canones tradunt (5). Id quod firmavit etiam Ho-

(1) Ex traditis in consultatione super Synodo Romana Benedicti XIII. *num.* 42, et apud Gizzarell. *consult.* 21.

(2) Diaconissarum ordinationes commemorant Tertullianus *lib. 1. ad uxorem cap.* 7. S. Epiphanius *haeresi 79.*, Synodus Chalcedonensis *can. 15.*, auctor *constit. apostol. lib. 8. cap. 19.*, antiqui rituales Graecorum, Ordo Romanus, ceteri apud Io. Morinum in *comm. de sacris ordination.*

(3) S. Epiphanius *lib. 3. haer. 79. contra Collyridianos: Quamquam diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem*, ait, *aut ullam eiusmodi administrationem institutus est, sed ut mulieribus sexus honestati consulatur . . . si mulieribus praeceptum esset sacrificare Deo, aut regulare quidquam operari in Ecclesia: oportebat magis Mariam ipsam sacrificium perficere in novo Testamento . . . cuius uterus templum factum est . . . At non complacuit, sed nec baptisma dare concreditum est, alioqui potuisset Christus ab ipsa baptizari potius, quam a Ioanne.* Contestantur id etiam Tertullianus *de veland. virgin. cap. 9.*, et S. Irenaeus *cap. 1. cap. 7.* contra Gnosticos S. Augustinus in *can. mulierem 17. C. 23. qu. 5.* Synodus Carthagin. IV. *can.* 99. vetuit mulieribus, quamvis doctrina, et castimonia conspicuis *sacra tractare ministeria.* Synodus Laodicaena *can. 4., non oportet mulieres ingredi ad altare.* S. Isidorus *lib. 2. de offic. cap. 17., in gradibus*, vel officiis ecclesiasticis, ait, *nulla foeminis munia praescribuntur, namque non permittitur eis in Ecclesia loqui, vel docere, sed nec tingere, nec offerre.* Ceteri apud Hallierium *de sacr. elect. par. 2. sect. 4. §. 2.*

(4) Concilium Arausicanum I. an. 441. *can.* 26., diaconissarum ordinationes abrogandas fore decrevit. Idque firmarunt Gallicana item Concilia, Epaonense an. 517. *can.* 21., et Aurelianense II. *can.* 18. an. 533.

(5) Innocentius III. in *cap. nova quaedam 10., de poenit., et remiss.* rescripsit absonum, et absurdum omnino esse, *quod Abbatissae moniales proprias benedicunt, ipsarumque in criminibus confessiones audiunt.* Emm. Gonzalez in notis ad hanc decretalem fert a Carolo M. *lib. 1. leg. Franc. cap. 26.* ita cautum: *Auditum est aliquas Abbatissas contra morem S. Dei Ecclesiae benedictiones cum manus impositione, et signaculo sanctae Crucis super capita virorum dare, nec non et velare virgines cum benedictione sacerdotali: quod omnino vos sanctissimi Patres in vestris parochiis interdicendum esse scitote.*

norius III., dum rescripsit Abbatissam excommunicare non posse Canonicas suas, et clericos iurisdictioni suae subiectos, utque Abbas apostolicus delegatus ecclesiastica censura compelleret utrosque ad servandum Abbatissae mandata salutaria (1). Verumtamen quasi episcopalem iurisdictionem ex privilegio apostolico indultam nonnullis virginum Monasteriis, et Abbatissis per idoneos earum Vicarios nunc exerceri iam superius monui (2).

XIX. Lex iurisdictionis etiam in caussa est, ut censurae non alios, nisi subditos afficiant (3), nec alibi, quam in propria cuiusque dioecesi fulminentur (4). Ad paganos itaque Baptismo expertes, qui Ecclesiae non subsunt, et foris sunt, censurae nihil attinent (5). Summus vero Pontifex, quia nullum in terris habet superiorem, nullis obstringitur censuris a quavis etiam oecumenica Synodo latis (6), aut a praeteritis Pontificibus: quum par in parem non habeat imperium (7). At universos ubique fideles quum laicos, tum clericos etiam Praesules Romanae Sedi generatim subiectos ita ligant censurae papales; non minus, quam a Conciliis generalibus sancitae (8): ut quaslibet ab aliis

(1) Honor. III. in *cap. dilecta 12. de maiorit.*, *et obed.* Ad Abbatem S. Michaelis Abricensis ita rescripsit: *Dilecta in Christo filia Abbatissa ... plerumque canonicas suas, et clericos suae iurisdictioni subiectos propter inobedientiam, et culpas eorum* officio, beneficioque suspendat: *iidem confisi ex eo, quod eos excommunicare non potest*, suspensionem *huiusmodi non observant ... mandamus quatenus dictas Canonicas, et clericos, ut Abbatissae praefatae obedientiam, et reverentiam debitam impendentes eius salubria monita, et mandata observent*, ecclesiastica censura *compellas.* Decretalem hanc integram quisquis expenderit aequa lance, videbit plane, quod Honorius Abbatissam censuit expertem omni potestate quum excommunicandi, tum aliam quamlibet censuram ferendi, suspensionemque ab officio, et beneficio non spiritualem, sed temporalem longe differre a censura suspensionis a divinis. Perspicuum vero, et communem sensum huiusce decretalis perperam detorquet Wan-Espen *cit. par. 3. tit. 11. cap. 2. num.* 13., ubi adstruit ex ea censuram suspensionis antiquo Iure inter censuras a potestate clavium dependentes connumeratam non fuisse: vel oblitus, vel suo non advertens animo decretalem Honorii III. pertinere ad disciplinam recentiorem, quae tres inter censuras praecipuas habet suspensionem a divinis, ut Innocentii III. suppar epistola tradit in *cap. quaerenti 20. de verb. sign.*

(2) *Lib. III. tit. XIII. de foro exempt. saecul. num. XLII.*

(3) Clemens III. in *cap. a nobis 21. de sent. excomm. Hac sententia*, inquit, *nonnisi* subditi *obligantur*, *nisi forte plus contulerit maior*, *et largior auctoritas delegantis.*

(4) Bonif. III. in *cap. ut animarum 2. de const. in VI.*, *statuto Episcopi*, ait, *quo in omnes*, *qui furtum commiserint*, *excommunicationis sententia promulgatur*: subditi *eius furtum* extra *ipsius* dioecesim *committentes minime ligati noscuntur: cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune.* Consonat *can. 1. cum seqq. C. IX. qu. 2.*

(5) I. ad Corinthios *cap. 5. vers. 12. Quid mihi de his*, *qui foris sunt*, *iudicare?* Apostolus inquit.

(6) Symmachus in *can. aliorum 14.*, *et* Gelas. in *can. cuncta per mundum 17. C. 9. qu. 3.* Paschalis in *cap. significasti 4. de electione*, Nicolaus in *can. inferior sedes 4. dist. 21.* (7) Innoc. III. in *cap. innotuit 20. de elect.*

(8) Ex *cit. can. aliorum*, *et can. cuncta per mundum*, S. Ambrosius in *can.*

inflictas censuras eadem suprema dissolvat pontificia potestas (1). Episcopales autem censurae aut a Praelatis inferioribus, locorumque Ordinariis, quasi episcopalem iurisdictionem habentibus inflictae in dioecesanos tantum subditos cuiusque proprios vim habent suam, alienos, exemptosque non tangunt (2). Ut vero subditi eisdem rite affecti in foro suo, vel ordinario, vel delegato, vel extraordinario, et speciali eas ubilibet formident, ipsasque alii etiam exempti non contemnant: Synodus Tridentina decrevit, ut *censura, et interdicta nedum a Sede Apostolica, sed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur* (3). *Nemo contemnat vincula ecclesiastica: non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem, dedit*, ait B. Chrisostomus (4).

§. I. *De excommunicatione.*

XX. Praecipua censurarum species, et omnium gravissima dicitur *anathema*, et maior *excommunicatio*, quae nimirum separat hominem baptizatum ab unitate Ecclesiae, eumque maledictum, ac Satanae traditum privat intrinsecus amicitia Dei omni sanctorum communione, et externo etiam commercio fidelium. Hoc sensu *anathema* in sacris utriusque Testamenti paginis accipitur (5). *Nihil enim aliud significat* ana-

si Petrus 17. S. Aug. in *can. quandocumque 6.* Marcellus in *can. rogamus 15.* et S. Leo *in can. manet ergo Petri privilegium 5. C. 24. qu. 1.*

(1) S. Athanasius in *can. fuit semper 11.*, *et* Xystus II. in *can. fratres 19. C. 9. qui 3.*

(2) *Can. 1. et seqq. C. 9. qu. 2.* Quot modis variam subiectionem, seu forum proprium extra loca originis, et domicilii sortiantur homines, qua ordinarium, qua delegatum vel communi, vel speciali Iure, ac privilegio, satis explicui superiori *lib. III. tit. IX. et seqq.*

(3) Trid. in *cap. censurae 12. ses. 25. de regular.* Consonat decretum Concilii Nicaeni in *can. sequetur 73. C. XI. qu. 3.* Excommunicatos enim a proprio Episcopo, alii etiam Episcopi nequeunt in communionem recipere: nisi iudicio superiori antea fuerit sententia dioecesani abrogata, vel absolutio rite concessa, ex Conc. Antiocheno in *can. si quis a proprio 2.*, et Sardicensi in *can. si Episcopus 4. C. XI. qu. 3.* Et Honorius Papa in *can. cum sit omnibus 20. ead. C.*, *et qu.* decrevit, ut *excommunicatorum nomina tam Episcopis vicinis, quam suis parochianis indicent*, ac descripta in foribus Ecclesiae palam faciant.

(4) Chrysost. in *can. nemo 31. C. XI. qu. 3.* Alex. III. in *cap. nulli 8. de sent. excom. nulli se possunt*, inquit, *privilegio Apostolicae Sedis tueri, quominus excommunicatos vitare debeant.*

(5) Numeror. *cap. 21. vers. 2, et 3: Vovit Isael votum Domino, et dixit: si mihi tradideris populum istum subiectum*, anathemabo *illum, et civitates eius, et* anathemavit *eum, et civitatem eius, et vocatum est nomen loci illius* anathema. Haec verba exponens S. Augustinus *lib. 4. quaest. in Numeros n. 55., et 56.* ait: *Videndum est, quomodo dicatur* anathemabo, *quod vovetur, et tamen pro* maledicto *ponitur . . . Hinc vulgo dictum est, ut* devotatio *dicatur, nam* devotare *se quemquam nemo fere dicit, nisi* maledicens . . . *Hinc ductum est, ut* anathema *detestabile aliquid, et abominabile videatur. Ut enim nihil*

thema, *nisi a Deo separationem* (1). S. Augustinus, *nihil sic debet formidare Christianus*, ait, *quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum eius. Si non est membrum, non vegetatur spiritus eius. Quisquis autem, inquit Apostolus, non habet spiritum Christi, non est eius* (2). *Omnis Christianus, qui a Sacerdotibus excommunicatur, satanae traditur; quomodo? scilicet, quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione removetur. Unde illos, quos tunc Apostolus satanae esse traditos praedicat, excommunicatos a se esse demonstrat* (3). Nam instar palmitis a vite abscissi christianus gladio spirituali Ecclesiae seiunctus, a Christi corpore mystico statim arescit in gehennam ignis destinatus.

XXI. Mortiferam hanc abscissionem intrinsecus patiuntur omnes aeque occulti, ac publici excommunicati. At exterior a consortio fidelium separatio, nonnisi pubblica episcopali sententia proscriptos, ipsoque facto notorios vitandos constringit (4). Hos enim sacri canones arcent, nedum a perceptione Sacramentorum, ab ingressu Ecclesiae, et comprecationibus, verum etiam a fidelium colloquio, consalutatione, convivio, contubernio, profanisque omnibus humanae societatis officiis (5), ab agendo etiam, patrocinando, et testificando in iudiciis (6), atque im-

inde victor in usus suos auferret, sed totum in poenam luendam voveret, hoc erat anathemare, *quod vulgo dicitur* devotare. Ab Apostolo dictum *anathema* in eos, qui aliter, quam ipse evangelizarent, iam superius monui *num. VI.* Idemque seipsum fuisse olim *anathema a Christo*, dum ipsius Ecclesiam persequeretur, non erubuit scribens ad Romanos *cap. 9. ver. 2. Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse* anathema *esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitae.*

(1) Ex V. Synodo in *can. certum est C. 23. qu. 3.*

(2) S. Aug. in *can. nihil sic debet 33. C. 10. qu. 3.*

(3) Idem in *can. omnis christianus 32. ead. C. et qu.*

(4) Greg. IX. in *cap. si quem 59., et pen. de sent. excom.*, et Martin. V. in Conc. Constant. in *const. ad evitanda scandala* aperte indulsit catholicis, ut possent ecclesiastica Sacramenta suscipere ab haereticis etiam, et schismaticis non denunciatis. Idipsum tradit Ennodius sub nomine Symmachi in *can. nonne directa 1. C. 8. qu. 4.*

(5) Chrysost. in *can. ad mensam 24.*, S. Greg. in *can. rogo 25.*, Syn. Tolet. I. in *can. si quis laicus 26.* S. Isidor. *in can. cum excommunicato 18. C. XI. qu. 3.* Ex vulgato glossae versiculo *Os, orare, vale, communio, mensa negatur* excommunicatis publicis, et vitandis.

(6) Alex. IV. in *cap. decernimus 8. de sent. excomm.* At reus in iudicium vocatur excommunicatus, et cogitur per alium respondere, suasque defensiones adferre: *ne videatur de sua malitia commodum reportare*, Alexander III. respondit in *cap. intelleximus 7. de iudiciis.* Et Innocentius III. in *cap. cum inter Priorem 3. de except.* rescripsit fas excommunicato esse in iudicio excipere, appellare, omnemque defensionem proferre: secus autem reconvenire, partemque actoris agere. Alexander IV. in *cap. decernimus 8. de sent. exc. in VI.* decrevit iudicem Laicum ab ecclesiastico censuris compellendum, ut excommunicatos ab actibus iudiciariis excludat, et repellat.

petratione litterarum apostolicarum, et cuiuslibet beneficii (1), tamquam interdictos aqua, et igni. Qui vero praelationem, dignitatemque ecclesiasticam habuerint, omnem honorem, et potestatem iurisdictionis, salvo ordinis charactere, amittunt, simul et ordinis executionem, exercitium, ac ministerium (2). Mortuis etiam in excommunicatione, antequam sint absoluti, suffragia precum adimunt (3), et ecclesiasticam sepulturam (4).

XXII. Communicantes vero cum eis fideles pro modo culpae, et contumaciae puniuntur (5). *Si quis cum excommunicato licet in domo preces coniunxerit, iste communione privatur* ex canone vulgo Apostolorum (6). *Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, si laicus est, excommunicetur: si clericus, deponatur* ex Concilio

(1) Innocent. III. in *cap. dilectus filius 29. de rescriptis*, *et cap. postulastis 7. de cler. excomm. ministr.* Hinc in litteris pontificiis ecclesiastica beneficia conferentibus invaluit stylus absolvendi impetrantes a quavis excommunicatione, ac censura ad illum dumtaxat effectum. At beneficia prius obtenta retinet excommunicatus. Rescripsit enim Innocentius III. in *cap. fraternitati 6. de cler. excom., vel depos. ministr.* clericos anathemate innodatos, qui officia celebrare divina praesumpserint, posse omnibus beneficiis ecclesiasticis spoliari. Et S. Congr. Concilii censuit matrimonium coram Parocho excommunicato etiam vitando, et publice denunciato contractum ideo valere, quia beneficium parochiale non amittit, ex traditis a Fagnano in *cap. ad abolendam 9. de haereticis num. 39.* Tametsi quod coram Parocho haeretico publico ineatur, invalidum est ex eiusdem Congregationis sententia apud Fagnan. *ibidem num. 38.* Nam Nicolaus II. in *const. noverit universitas* 2., privatos ipso iure Beneficiis antea quaesitis haereticos voluit. Et S. Pius V. in *const. cum ex Apostolatus 29.*, Sedi Apostolicae reservavit beneficia ob haeresim vacantia ipso iure.

(2) S. Cyprian. in *can. Novatianus C. 7. qu. 1.*, *qui nec unitatem spiritus*, ait, *nec conventionis pacem observat, et se ab Ecclesiae vinculo, et Sacerdotum collegio separat, nec Episcopi potestatem habere potest nec honorem.* Hinc Praesul excommunicatus alium excommunicare non potest, ex ep. Nicolai I. in *can. ait Caelestinus 25.*, *et can. aperte inquit 33. C. 24. qu. 1.*: nec iudicare, ex eiusdem Pontificis sententia in *can. miramur 37. eod. C. et qu.* nec dignitates aut beneficia conferre, aut res ecclesiasticas alienare, ex Conc. Lateran. III. in *cap. quod a praedecessore 2. de schismat.*, *et ordinatis ab eis.*

(3) S. Leo in *can. de communione 1. C. 24. qu. 2.*, Gelasius in *can. quicumque 37. C. XI. qu. 3.* Innoc. III. in *cap. a nobis 28. de sent. excom.* rescripsit non esse pro mortuis in excommunicatione orandum, quamvis contriti decessisse videantur: nisi ex praevia eorum contritione rite probanda eos post mortem absolverit, seu absolutos apud Deum declaraverit Ordinarius loci.

(4) Inn. III. in *cap. sacris 12. de sepulturis* ait: *sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus* defunctis: *et ut careant ecclesiastica* sepultura, *qui prius erant ab ecclesiastica unitate praecisi, nec in articulo mortis Ecclesiae reconciliati fuerint*: eorumque corpora vi, vel casu in coemeterio ecclesiastico tumulata exhumentur procul iactanda.

(5) Nicolaus I. in *can. excellentissimus 102.*, et Urban. II. in *can. sanctis canonibus 110. C. XI. qu. 3.*, et Innoc. III. in *cap. nuper 29. de sent. excom.*

(6) *Can.* 11. vulgo *Apost.* quem laudant apocryphae ep. S. Fabiani in *can. sicut Apostoli* 16., et S. Callixti in *can. excommunicatos 17. C. XI. qu. 2.*

Carthaginensi IV. (1). *Pari cum eis crimine teneatur obnoxius*, ex Concilio Carthaginensi II. (2). *Si quis cum eo, aut palam, aut absondite locutus fuerit, statim cum eo communem excommunicationis contrahet poenam*, ex regula monachorum S. Isidori (3). *Si quis cum illo colloqui, aut convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur*, h. e. devitetur, ex Synodo Toletana I. (4). Hincmaro Rhemensi Nicolaus I. rescripsit communicantes cum Engeltrude saepe damnata eius fautores pari *vinculo anathematis* esse adstrictos, et aliter agendum cum iis, qui *ex vera necessitate*, vel *ignorantia*, quam qui ex *studio* vel simulata necessitate communicarent. (5). Innocentii III. decretales hac in re Nicolao consonant, ex quibus apertius colligitur, eos tantum communicantes cum vitando excommunicato, qui scienter in eius crimine partem quoque susceperint vel consilio, vel ope, vel adsensu, ipso facto excommunicationem quoque maiorem incurrere: alios, qui sine criminis participatione *praesumptuose* conversantur, *nisi commoniti destiterint*, pari *excommunicationis vinculo sunt innodandi*, ferendae scilicet sententiae (6): ceteros nonnisi *minorem excommunicationem* incurrere nullatenus reservatam (7), *quae* nimirum ex Gregorii IX. sententia *a* sola *perceptione Sacramentorum separat* (8); non ab ingressu Ecclesiae, et consortio fidelium (9). Verum *qui praesentibus maiori excommunicatione nodatis scienter celebrare praesumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in Iure) laqueum non incurrere*, Bonifacius VIII. censuit (10). Qui vero ab excommunicatis ordinationes, vel dignitates, aut beneficia acceperint, eos impetratis carere sanxit Concilium Lateranense III. (11), videlicet exercitio ordinum, non charactere.

XXIII. Hac vero lege, quae officia humanae societatis abrumbit, nonnulli eximuntur, quos ad conversandum cum excommunicatis obstringit, vel naturale ius coniugii, patriaeque potestatis, et sanguinis necessitudinum, dominii, et servitutis, ac famulatus, vel necessitas eorum salutis quum corporeae, tum spiritalis. In Romana Synodo S. Gregorius VII. propterea subtraxit uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos servientes, et omnes alios, qui non adeo

(1) Carthagin. IV. in *can. qui communicaverit 19.*, *ead. C.*, *et qu.*

(2) Carthag. II. in *can. qui marito 29. ibidem.*

(3) S. Isidor. in *cap. cum excommunicato 18. ibidem.* Cuiusmodi sententiam falso desumptam insuper ex VIII. Synodo per Gratianum in *can. si quis frater 28. ead. C. et qu.* notant inibi Correctores.

(4) Toletan. I. in *can. si quis laicis 26. ibidem.*

(5) Nicol. I. in *can. excellentissimus 102. ead. C. et qu.*

(6) Innoc. III. in *cap. nuper 29.*, *et cap. quod in dubiis 30. de sent. excom.*

(7) Ex *cit. cap. nuper 29.*, et concord.

(8) Greg. IX. in *cap. si quem 59. eod. tit.*

(9) Innoc. III. *in cap. a nobis 2. de except.* Fagnan. in *cap. responso 43. de sent. excom. num. 12.*

(10) Bonif. VIII. in *cap. is qui in Ecclesia 18. de sent. excom. in VI.*

(11) Conc. Later. in *cap. quod a praedecessore 1. de schismat.*, *et ordinat. ab eis*, ibique Fagnanus.

curiales (puta familiares) *sunt* , *ut* eorum consilio scelera perpetrentur , et eos, qui ignorantes *excommunicatis communicant* : peregrinos etiam et viatores in terra excommunicatorum ementes ab iis necessaria, ubi nempe alii , a quibus emant , non adsint ; nec non aliquid illis *non in sustentationem superbiae , sed humanitatis caussa* dantes (1). Quum disputarent olim , num talibus exemptis B. Gregorius necessitatem Iuris imposuisset , an arbitrariam dumtaxat facultatem indulsisset communicandi cum excommunicatis Innocentius III. Doctoribus Bononiensibus distinguendo rescripsit eos, qui obsequii familiaris nexum ante excommunicationem cum eo contraxissent, necessitate Iuris debere cum ipso illud continuare ; alios nullo eiusmodi iure obligatos posse , ubi *articulus necessitatis immineat*, si velint, communicare citra consensum criminibus (2). *Duobus modis non se maculat malus* , S. Augustinus docet : *si ei non consentias, et si redarguas. Hoc est non communicare, non consentire: communicatur quippe , quando facto eius consortium voluntatis , vel approbationis adiungitur* (3).

XXIV. Quum vero Deus O. M. nullius peccatoris mortem velit aeternam , sed magis ut omnes cum ipso vivant in regno coelorum : Ecclesia vestigiis Apostolorum insistens lapsos contumaces censuit a communione sanctorum eo animo abscindere , ac Satanae trucissimo tradere , ut eos inde ad poenitentiam conversos suum in gremium recipiat ; illosque dum iacentes urget gladio lethali, ad erigendum sese, ac vivificandum resipiscentia spiritum simul sollicitat. *Disciplina enim est excommunicatio, et non eradicatio* (4): quum Christus Dominus evangelica parabola de zizaniis non eradicandis aeternae impiorum separationis iudicium sibi reservarit (5). *Tolerandi sunt quidem mali pro pace* , commonet S. Augustinus, *nec* corporaliter *ab eis recedatur* : *sed* spiritualiter *exire est facere* , *quod pertinet ad correctionem malorum* (6). Spes ergo resipiscentiae postulat , ut excommunicati corporalem agere vitam inter fideles ab Ecclesia tolerentur (7) , velut iacentes filii ad spiritalem vitam revocandi, non tamquam hostes irreparabili iactura profligati. Hinc Innocentius III. rescripsit excommunicatos , et interdictos convocari semel in hebdomada debere , ut

(1) S. Gregor. VII. in *can. quoniam 203. C. XI. qu. 3.* Id quod firmavit Innocentius III. in *cap. quod in dubiis 30.*, *et cap. inter alia 31. de senten. excom.* Exceptiones eiusmodi hoc versiculo solent Doctores exprimere. *Utile* , *lex* , *humile* , *res ignorata* , *necesse.* Videsis Gibalinum *de censuris disqu. 7. quaest. 9. consect. 3.* B. Gregorii canonem fuso calamo explicantem.

(2) Innoc. III. in *cit. cap. inter alia 31. de sent. excom.*

(3) S. Aug. in *can. a malis 8. C. 23. qu. 4.*

(4) Ex Urbani II. ep. in *can. notandum 37. C. 24. q. 3.*

(5) Matthaei *cap. 13. vers. 29., et 30.*

(6) S. August. in *can. tolerandi 1., et seq. C. 23. qu. 4.*

(7) B. Hieronymus in *can. qui secundum 13. ead. C., et qu. Numquam enim spiritalis* , ait , *carnalem persequitur* : *sed ignoscit ei, quasi rusticano fratri. Scit eum posse proficere per tempus : et si quando Ægyptiae filium viderit irascentem , recordatur unius patris, qui boves creavit, et culices, et in magna domo non solum esse vasa aurea , et argentea , sed et lignea , et fictilia.* Consonat B. Gregorii M. in *can. haec autem vita 15. ibidem.*

verbi Dei praedicationem audiant, atque ad correctionem inducantur, dummodo nullum interea iis adstantibus divinum officium celebretur (1).

XXV. Hac ipsa ratione fit, ut insordescentes per annum in excommunicatione, qui praeceptis Ecclesiae satisfacere, absolutionemque petere contempserint, corporeis etiam poenis fore comprimendos leges, et canones iubeant. Fridericus II. Imperator, dum banno imperiali proscripsit omnes haereticos, eorumque sectarios, credentes, receptatores, defensores, et fautores, insimul constituit: *ut si postquam quilibet eorum fuerit ab Ecclesia* excommunicatione *notatus, satisfacere contempserit* intra annum, *ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, vel ad eligendum aliquos ad huiusmodi, neque ad testimonium admittatur, sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad haereditatis successionem accedat. Nullus praeterea ei super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam habeat firmitatem; nec caussae aliquae ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per eum confecta nullius penitus sint momenti* (2). *Item quaecumque Communitas, vel persona* per annum *in excommunicatione facta propter libertatem Ecclesiae perstiterit, ipso iure imperiali banno subiiciat: a quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab Ecclesia absolutus fuerit* (3). Carolus II. Andegavensis praeterea sanxit, ut multa pecuniaria coercerentur insordescentes in excommunicatione, absolutionemque intra annum petere negligentes: nimirum Comites viginti quatuor uncias auri regio fisco persolverent, Baro duodecim, miles sex, cives tres, agricola unam, et dimidiam; post biennium vero duplum singuli, nisi appellatum intra annum sit, vel rogatus noluerit Episcopus absolutionem impertiri (4). Hoc anni spatium ad peragendam caussam excommunicationis, eamque purgandam antiqui canones indulserant (5). Tum in Synodo Tridentina decretum est, concubinarios post trinam monitionem contumaces fore excommunicandos, mox post annum in prava consuetudine, spretis censuris, perseverantes ab Ordinariis locorum severius puniendos (6). *Excom-*

(1) Innoc. III. ad Ferrar. Ep. in *cap. responso 43. de sent. excom.*

(2) Frid. II. in *Auth. credentes C. de haereticis*, sumpta ex §. 8. imperialis constitutionis, quam Fridericus anno 1220. eo die, quo ab Honorio III. coronatus est, edixit, et Honorius idem Pontifex adprobavit, eamque integram habet Gothofredus *to. 2. Corp. Iur. Civ.* post libros feudorum.

(3) Idem Imp. §. 3. eiusdem constitutionis, unde sumpta est *Auth. item quaecumque C. de Episc., et clericis.*

(4) Carol. II. Andeg. in huius regni *cap. si quis in excommunicatione 24. tit. de morantibus in excommunicatione.* Huiusmodi lex, an usu umquam vigueri, me penitus latet.

(5) Conc. Carthag. V. in *can. rursus 36.*, et Gelasius in *can. quicumque 37.*, *C. XI. qu. 3.*

(6) Trid. in *cap. grave peccatum 8. ses. 24. de ref. matr.* statuit *concubinarios tam solutos, quam uxoratos. . . si postquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse . . . quod si in concubinatu per*

municatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur: sed si obdurato animo censuris innexus in illis per annum *insorduerit, etiam contra eum, tamquam de haeresi suspectum procedi possit* (1). Hinc patet *anathema maranatha*, quod primitivi Patres ea lege fulminabant, ut nullam ab eo in terris absolutionem indulgerent iudicio Dei dumtaxat reservatam, iamdiu exoleverit.

XXVI. Priscam fulminandi anathematis formam solemniorem tradit Zacharias Papa. *Debent duodecim Sacerdotes*, ait, *Episcopum circumstare, et lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis, vel excommunicationis proiicere debent in terram, et conculcare pedibus; deinde epistola per parochias mittatur continens excommunicatorum nomina, et caussam excommunicationis* (2). Tum Honorius, sive Ioannes VIII. denuncianda palam fore nomina excommunicatorum vicinis etiam Episcopis, eaque ad fores Ecclesiae, ut cunctis pateant, inscribenda constituit: *quatenus in utraque diligentia, et excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus excludatur, et excusationis caussa omnibus auferatur* (3). Nunc prolatam semel a Curiis episcopalibus sententiam excommunicationis, exscriptis eius exemplis, seu libellis nomina excommunicatorum exhibentibus ad valvas Ecclesiae cathedralis, et parochialis adfixis, Parochi, aliive, quibus mandaverit Episcopus, palam populo denunciantes ritu solemni iam dicto fulminant citra Episcopi praesentiam.

§. II. *Qui excommunicationem ipso facto incurrunt.*

XXVII. Praecipua mox crimina operae pretium est speciatim indicare, quae frequentius coercentur publica excommunicatione quum latae, tum ferendae sententiae sancita sacris canonibus, et legibus ec-

annum censuris neglectis permanserint, contra eos ab Ordinario severe pro qualitate crimin's procedatur, Mulieres . . . si ter admonitae non paruerint, ab Ordinariis locorum nullo etiam requirente ex officio graviter pro modo culpae puniantur, et extra oppidum, vel dioecesim, invocato, si opus fuerit, brachio saeculari eiiciantur. Istud Tridentinae reformationis caput inter alia quum Regius Censor censoria nota signasset, eaque de re Legati Apostolici ad Philippum II. conquererentur *art. 32.* querelarum apud B. Chioccarell. *to. 14. arch.* Cardinalis Granuela Prorex reposuit nullum hoc in regno impedimentum dari Curiis ecclesiasticis, quominus in concubinarios monitionibus canonicis, et spiritualibus censuris animadverterent: dummodo eae ab exilio, et vinculis mancipatione, aliisque poenis corporeis, ac pecuniariis in laicos infligendis abstinerent ad Potestatem laicam pertinentibus. Id quod novis etiam Concordatis *an. 1741. cap. 6. art. 5.* firmatum est.

(1) Trid. in *cap. quamvis excommunicationis gladius 3. ses. 25. de reform.* Videsis dicta superius *tit. XIV. num. XIX.*

(2) Zacharias in *can. debent 106. C. XI. qu. 3.*

(3) *Can. curae sit 20. eadem C. et qu.*, quem alii Honorio, alii Ioanni VIII. in Concilio Ravennae tribuunt.

clesiasticis usu probatissimis. *Ipso* quidem *facto* incidisse in excommunicationem Summo Pontifici reservatam in primis denunciantur, qui *haeresim*, vel *schisma*, vel *apostasiam* admiserint (1). 2, *Sortilegi* (2). 3, qui suadente diabolo in clericum, vel monachum violentas manus iniecerint (3), vel captum in custodia detinuerint (4). 4, licentiam dantes, vel exequentes offendendi personas, aut res illorum, qui censuras fulminant, easve observant (5). 5, arma qui deferunt ad infideles (6). 6, Ecclesiarum violatores, et incendiarii (7). 7, raptores (8), invasores, detentoresque praediorum ecclesiasticorum (9). 8, fures sacrilegi cum effractione (10). 9, falsarii litterarum apostolicarum (11). 10, Qui officialium Romanae Sedis vel sua apud illam negotia gerentium beneficia eis adempta contulerint aliis, vel receperint (12). 11, qui Romipetas invadunt, aut prohibent devolutionem caussarum ad Curiam Romanam (13). 12, pugnantes in duello, eorumque patrini, et

(1) Ex perpetuis Ecclesiae canonibus supra expositis *hoc lib. tit. XIV. n. XXIV.*

(2) Ex traditis etiam superius *tit. XV. num. XLII., et XLIII.*

(3) Innoc. III. in Conc. Lateran. *can. si quis suadent 29. C. 17. qu. 4.* Clemens III. *in cap. tua nos 19. de sent. excomm.*, et Conc. Vienn. in *Clement. si quis suadente 1. de poenis.* Simul qui personas ecclesiasticas eligendi ius habentes, vel eorum consanguineos laedere, aut gravare praesumpserit, aut persequi, aut bonis spoliare ob electionem ab eis petitam, et non obtentam, ipso facto excommunicationem incurrit latam a Greg. X. in *cap. sciant cuncti 12. de elect. in VI.* Quinimmo si notoria ita fuerit percussio clerici, ut nulla possit tergiversatione coelari, nec exculpari, sacrilegus percussor vitandus tunc est ante iudicis quoque sententiam ex Martini V. *const. ad evitanda scandala*, et Clementis III. in *cap. cum non ab homine 14. de sent. excom.* Adde persecutores Cardinalium ex *cap. felicis de poenis in VI.*, et offendentes Pontificem ex *Clement. 1. de poenis*, et Paul. II. in *cap. etsi dominici 3. de poenit., et remiss.* in Extr. comm.

(4) Innocentius III. in *cap. nuper 29. eod. tit.*

(5) Greg. X. in *cap. quicumque 11. de sent. excom. in VI.*

(6) Clemens V. *in Extravag. multa 1. de Iudaeis*, et Paull. II. in Extravag. *etsi dominici 3. de poenit., et remiss.* Bened. XIV. in *const. Pastoralis 14. §. 7.*

(7) Conc. Arausican. in *can. canonica instituta 107. C. XI. qu. 3.*, et Clemens III. in *cap. tua nos 19. de sent. excom.*

(8) Lucius in *can. omnes ecclesiae raptores 5. C. 17. qu. 4.* Quoslibet rerum Ecclesiae usurpatores anathemati subiectos declarat etiam Tridentina Synodus in *cap. si quem clericorum 11. sess. 22. de ref.* At huic Tridentino decreto obstat censoria nota, quae iudices ecclesiasticos in foro saltem externo non patitur iudicia exercere in laicos rerum Ecclesiae detentores.

(9) S. Greg. VII. in *can. quicumque 4. C. 12. qu. 2.*

(10) Clemens III. in *cap. conquesti sunt 22. de sent. excom.*

(11) Innoc. III. in *cap. dura 4., et cap. ad falsariorum 7. de crimine falsi.* Reservatio quidem non his decretalibus, sed §. 6. Bullae Coenae inducta est. Ioannes XXII. in *extravag. prodiens eod. tit.* falsantes monetam Regis Franciae et confinium locorum ipso facto excommunicatos voluit.

(12) Eugen. IV. in *Extravag. divina 3. de privilegiis.*

(13) Paull. II. in *cap. etsi dominici 3. de poenit., et remiss.*, Bened. XIV. in *const. pastoralis 13. §. 10. to. 1.* Bullar.

fautores (1). 13, violatores ecclesiasticae libertatis, et iurisdictionis (2), vel immunitatis quum localis (3), tum realis (4), et personalis (5). 14, simoniaci (6) omnes ex fiduciaria etiam confidentia in beneficiis (7). 15, exenterantes cadavera, et ea decoquentes, ut alio transferant ossa tumulanda (8). 16, Domini temporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto divina celebrare, vel impediunt, ne de Ecclesia exeant excommunicati (9). 17, Regulares parochialia Sacramenta sine Parochi permissu, vel sine privilegio apostolico ministrantes, et qui absolvunt excommunicatos a canone, vel statutis provincialibus, aut synodalibus (10). 18, interdictum, vel cessationem a divinis generalem ab Apostolica Sede sancitum non servantes (11). 19, qui fratres, vel sorores tertii Ordinis tempore interdicti recipiunt in suis Ecclesiis (12). 20, Quique religiosi, vel clerici saeculares, aliquem inducunt ad vovendum, iurandum, vel promittendum, ut sepulturam apud eos eligat, electamve, ne mutet. 21, violatores clausurae sanctimonialium (13).

(1) Trid. in *cap. detestabilis 19. sess. 25. de ref.* Clemens VIII. in *const. illius vices 11.* reservavit censuram hanc a Patribus Trid. ipso facto latam sine reservatione.

(2) Honor. III. in *cap. noverit. 49., et cap. gravem 53. de sent. excom.* Bonif. VIII. in *cap. eos. qui 5., et ult. de immun. in VI.*, *et* Paul. II. in *cap. etsi dominici 3. de poenit., et remiss.* in Extrav. comm.

(3) Conc. Tolet. XII. in *can. diffinivit 35. C. 17. qu. 4.*, Greg. XIV. in *const. cum alias*, Benedictus XIII. in *const. ex quo divina*, Clemens XII. in *const. in supremo iustitiae solio*, quas confirmarunt Concordata *cap. 2. art. 34., et 35.* Fagnanus in *cap. cum pro caussa 27. de sent. excom. n. 36., et ult.*

(4) Conc. Lateran. III. in *cap. non minus 4. de immunitate*, Innoc. III. in *cap. adversus 7. eod. tit.* Bonif. VIII. in *cap. clericis 3. eod. tit. in VI.* At hanc Bonifacii constitutionem abrogavit Clemens V. in Conc. Vien. *cap. quoniam un. de imm. Eccles.* in Clementinis.

(5) Conc. Paris. in *cap. nullus iudicum 2. de for. compet.* Bonif. VIII. in *cap. quoniam 3. de immun. Eccl. in VI. et cap. un. de iniur. in VI.*, et Paul. II. in *cit.* Extr. *etsi dominici 3.*

(6) Paul. II. in *extravag. cum detestabile 2. §. statuentes de simonia*, et Extravag. *etsi dominici 3. de poenit., et remiss.*

(7) Pius IV. in *const. Romanum Pontificem.* et S. Pius V. in *const. intolerabilis.* Videsis dicta superius *tit. XVI. num. XXXII., et seq., et num. L.*

(8) Bonif. VIII. in *Extravag. detestandae 1. de sepult.*

(9) *Clement. gravis 2. dent. excom.*

(10) Idem in *Clement. religiosi 1. de privileg.*, *et excess. privileg.* Hinc Xystus IV. in *Extravag. vices illius 2. de tregua*, *et pace* concordiam inter Mendicantes Religiosos, et Parochos Germaniae initam qui violarent, ipso etiam facto excommunicatos voluit.

(11) Paul. II. in Extrav. *etsi dominici 3. de poenit., et remiss.*

(12) *Clement. cum ex eo 3. eodem tit.*

(13) Greg. XIII. in *const. ubi gratiae 28.* tam viris, quam mulieribus ingredi septa monialium sine licentia interdixit. S. Pius V. in *const. decori 8.* exire de clausura sua monialibus: tum in *const. Regularium 20.* foeminis religiosam virorum clausuram ingredi vetuit. Conc. Chalcedonense in *can. si qua virgo*, ait, *se dedicaverit Deo, similiter monachus, non licet eis nuptiis iungi. Si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati.* Censuram

XXVIII. Casuum huiusmodi reservatorum Sedi Apostolicae non una, eademque conditio est. Nam Paulus II. declaravit, quod in plenariis remissionibus a seipso semel in vita, et semel in mortis articulo concessis, atque in facultatibus absolvendi generatim a casibus reservatis nonnulli speciatim excepti semper intelligerentur: scilicet *offensa ecclesiasticae libertatis*, *violatio interdicti ab eadem Sede impositi*, *crimina haeresis*, *conspiratio in personam*, *aut statum Romani Pontificis*, *seu quaevis offensa*, *inobedientia*, *seu rebellio in eumdem Pontificem*, *Sedemve Apostolicam*, *presbytericidium*, *offensa personalis in Episcopum*, *seu alium Praelatum*, *invasio*, *depraedatio*, *occupatio*, *aut devastatio terrarum Romanae Ecclesiae mediate*, *vel immediate subiectarum*, *invasio Romipetarum*, *seu quorumlibet ad Romanam Curiam venientium prohibitio devolutionis*, *caussarum ad ipsam Curiam*, *delatio armorum*, *aliorumque prohibitorum ad partes infidelium*, *impositio novorum onerum realium*, *vel personalium Ecclesiis*, *vel ecclesiasticis personis*, *simonia super ordinibus*, *vel beneficiis assequendis*, *et generatim casus omnes in bulla coenae contenti*, *quae consuevit*, ait, *in die coenae Domini per Praedecessores suos Romanos Pontifices publicari:* statuitque nemini licere irretitos hisce criminibus absolvere sine speciali eiusdem Pontificis licentia, nec indulta generalia umquam suffragari (1). Hinc fit, ut in iubilaeis Pontifices largiri cunctis Confessariis consueverint facultatem absolvendi nedum generalem ab omnibus Sedis Apostolicae reservatis criminibus, sed et specialem ab iis etiam in bulla coenae contentis.

XXIX. Haec autem bulla coenae, quam Benedictus XIV. more Praedecessorum innovavit (2), viginti articulos complectitur, in iisque commixtos casus a Paulo II. exceptos. 1., anathematizantur haeretici, et schismatici, eorumque fautores, qui eorumdem libros de Religione tractantes legunt, retinent, imprimunt, vel defendunt. 2, appellantes a Romano Pontifice ad futurum Concilium oecumenicum. 3, piratae pontificium mare infestantes. 4, naufragorum christianorum bona surripientes. 5, nova pedagia, seu gabellas, praeterquam in casibus iure, vel a Sede Apostolica permissis, imponentes. 6, falsarii omnes litterarum apostolicarum. 7, deferentes ad christianorum hostes, haereticosve arma, et bona. 8, impedientes, ne victualia, ceteraque ad Romanam Curiam deferantur. 9, qui offendunt recurrentes ad Sedem Apostolicam, aut apud illam commorantes. 10, aut peregrinos, aliosve Romam devotionis caussa adeuntes. 11, aut Cardinales, Ecclesiarumque Praelatos, Legatosve, ac Nuntios pontificios, aut personas in Urbe negotia vel

itaque sine reservatione Patres Chalcedonenses indixerant sacrilegis nuptiis, reservatio autem accessit ex memoratis Pontificum sanctionibus contra violantes clausuram monialium, quam firmavit Benedictus XIV. in *const. salutare 40. §. 4. to. 1.* Bullarii.

(1) Paul. II. an. 1468. in Extr. *etsi dominici 3. de poenit., et remiss.* Videsis dicta superius *lib. II. tit. VIII. num. LII.*

(2) Benedict. XIV. in *const. pastoralis 14. to. 1.* Bullarii.

sua, vel aliena gerentes. 13, qui appellant a gravamine, vel futura litterarum apostolicarum executione ad potestatem laicam, vel executionem impediunt, vel executores vexant. 14, impedientes temere delegatis apostolicis, aliisve iudicibus ecclesiasticis notionem, iudiciumque de causis beneficiariis, et decimarum, et spiritualibus, adnexisque. 15, qui personas ecclesiasticas ad laica tribunalia trahunt: aut statuta ecclesiasticae libertati adversa promulgant, vel adhibent. 16, impedientes Praelatis, iudicibusque ecclesiasticis suam ipsorum exercere iurisdictionem, simul et recurrentes ad Curiam saecularem ad eludenda fori ecclesiastici iudicia. 17, usurpantes iura, bona, et redditus Ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorumque ad Sedem Apostolicam, et quaslibet ecclesiasticas personas pertinentia. 18, qui collectas, decimas, et alia onera personis ecclesiasticis, earumque rebus, aut redditibus imponunt. 19, iudices laici in criminalibus causis clericorum se ingerentes, occupantes Urbem, aliasve civitates, aut provincias Romanae Ecclesiae, aut mediate, aut immediate subiectas, supremamque inibi iurisdictionem pontificiam usurpantes, vel turbantes.

XXX. Iam praemonui superius Potestatem regiam hoc in regno intercessisse continuo, ut isthaec Bulla ne acceptaretur, quod nonnulli ex ea articuli delerentur, aut reformarentur, iurisditioni laicae, moribusque regni adversantes, puta 5, 8, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, et 20. Leges nostras, mores, resque iudicatas de hisce articulis alias recensui (1): turbas quoque inter ministros utriusque Potestatis commotas, et pro conditione temporum intermissas. Ea quotannis in cathedralibus Ecclesiis quamquam consuevisset iamdudum publicari, donec regiis litteris ab Tribunale Iurisdictionis datis die 29. Iunii 1765. vetita eius publicatio fuit: at vero placitum regium singulis iubilaeis ab Apostolica Sede hucusque concessis, quoties impertivit Collaterale olim Consilium, mox Regalis Camera S. Clarae, servata forma relationis Curiae Capellani Maioris, consuevit Curia ista suo hanc clausulam voto adiicere, quod Bulla coenae in apostolicis iubilaei litteris laudata intelligatur exinde nullatenus acceptari (2). Et si quando eam in fori ecclesiastici decretis memorari contigit: Regalis Iurisdictionis delegati irrita facere acta regiis literis non destitere. Tandem Rex Ferdinandus IV., praevia consultatione Regalis Camerae S. Clarae publico sanxit edicto die 4. Iunii 1768., ne quis hanc bullam in utriusque Siciliae regnis detinere amplius, nec promulgare, nec tueri, nec typis edere deinceps audeat, nec ea quomodolibet uti: poenis acer-

(1) *Lib. 2.* harum Instit. *tit. VIII. num. LII.*

(2) In dies gliscentia inde mala aversurus Papa Clemens XIV. D. N. sua, qua pollet sapientia eminenter, datis pro universale iubilaeo litteris die 12. Decembris 1769., reticuit penitus Bullam coenae, largitus generatim cuilibet presbytero ex adprobatis Confessariis facultatem universos christifideles in foro conscientiae absolvendi ab excommunicatione, aliisque ecclesiasticis censuris, et poenis, omnibusque peccatis, et criminibus quantumcumque enormibus Sedi etiam Apostolicae *quomodocumque reservatis* per quoscumque suas, suorumque Praedecessorum *pontificias constitutiones*, et quarum tenore haberi voluit pro expressis.

bioribus in contumaces, tamquam reos laesae maiestatis animadversurus. Regioque rescripto eiusdem mensis die 18. ad Praesides Provinciarum transmisit edicti sui exempla typis impressa pro eo rite promulgando quaquaversus. In foro autem interno, quidquid sit de controversis inter Romanam, Regiamque Curiam capitibus: dubitandum non videtur, quin reservatam Sedi Apostolicae excommunicationem incurrant ceteri graviora scelera patrantes, quippe quam aliae dudum sanctiones canonicae inflixerant mox bulla coenae instauravit.

XXXI. Sunt et aliae excommunicationes ipso facto, sed sine reservatione apostolica latae quum Iure communi, tum novis constitutionibus, ex. gr. in eos, qui pro tuenda, vel restituenda monialium clausura saecularis magistratus brachium, auxiliumque ab Episcopis postulatum, denegant (1). 2, impedientes monialium visitationem (2). 3, qui serunt, nutriunt discordiam in electionibus monialium (3). 4, Quum regulares utriusque sexus, tum clerici in sacris contempta religione voti, aut legis ecclesiasticae sacrilegas nuptias ineuntes (4). 5, Insuper consanguinei, affinesque omnes in gradibus prohibitis matrimonium scienter contrahentes (5). 6, Mendicantes religiosi ad ordinem non mendicantium ex septis Carthusianis transeuntes, quique eos recipiunt (6). 7, Fraticellorum sectam, qui se tertio B. Francisci ordine iactant, assumentes, iisque habitum, vel suum vivendi ritum concedentes (7); aut mulieribus beguinis faventes (8). 8, Principum curias religiosi adeuntes, ut suis, vel Praelatis, vel monasteriis officiant, et arma detinentes intra septa regularia (9). 9, Mendicantes, qui sine Papae licentia domos ad habitandum accipiunt, aut quaesitas alienant (10). 10, Habitum religiosum temere dimittentes, aut sine superioris permissu ad quaelibet studia litterarum accedentes, quique ipsos habitu dimisso leges, aut physicam doceant scienter (11). 11, Religiosi qui sibi decimas aliis Ecclesiis debitas usurpant, vel debitam aliis earum solutionem prohibent (12). 12, Qui interdictum ecclesiasticum ab Ordinario loci, vel Synodo Provinciae, decretum, quod in cathedrali, aut paroeciali Ecclesia servetur, non servant (13). 13, Qui faciunt,

(1) Trid. in *cap. Bonifacii 5. sess. 25. de regularibus*, Greg. XIII. *in const. ubi gratiae 28.*, *et const. dubiis*, et Alex. VII. in *const. felicis.*

(2) Clementina *attendentes 2. de statu monachorum.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. indemnitatibus 43. §. postremo de electione in VI.*

(4) Conc. Vienn. in Clement. *un. de consanguinitate, et affinitate.*

(5) Eadem Clement. *un. de consangu. et affin.*

(6) Ioannes XXII. in Extravag. I. *de regular.*, et Martinus IV. in Extravag. *viam 1. eodem. tit.* inter commun.

(7) Io. XXIX. Extravag. in *ad nostrum 4. de regularibus.*

(8) Clementina I. *de religiosis domibus.*

(9) Conc. Vien. in Clement. *ne in agro dominico 1. de statu monachor.*

(10) Clement. *cupientes 3. de poenis*, et Gregorius X. in *cap. religionum un. relig. dom. in VI.*

(11) Bonif. VIII. in *cap. ut periculosae 2. ne clerici, vel monachi in VI.*

(12) Clementina *religiosi 1. de decimis.*

(13) Clementina *ex frequentibus 1. de sent. excommunicationis.* In violatores interdicti perinde Sedis Apostolicae, ac Ordinariorum non reservatam in hoc

ut Conservatōres Regularium sese in aliis caussis , praeterquam de manifestis iniuriis , et violentiis ingerant (1). 14 , Qui ordinationes , collationesque dignitatum , et beneficiorum, alienationesque rerum Ecclesiae schismaticis factas probaverint (2). 15 , Qui haereticos in loco sacro scienter sepeliunt (3). 16 , aut publice excommunicatos , manifestosve usurarios , vel quoslibet alios interdicti tempore in loco religioso , praeterquam in casibus Iure concessis (4). 17 , Qui ecclesiasticos electores , vel eorum consanguineos ob electionem non obtentam vexant (5). 18 , Extorquentes vi , et metu absolutionem a censuris (6). 19 , Mandantes , vel ex alieno mandato patrantes caedem christiani hominis (7). 20 , Non servantes statuta contra persecutores Cardinalium (8) 21 , Qui suis in terris tauros agitari permittunt (9), 22 , Dantes licentiam deferendi in statu ecclesiastico pugiones, et quaelibet arma tribus palmis breviora (10). 23, Raptores mulierum , eorumque fautores (11). 24 , Iudices simulata caussa examinis adeuntes foeminam (12). 25, Officiales communitatum usuram foventes , aut probantes (13). 26, Extorquentes pecuniam praetextu officii inquisitoris (14). 27, Qui Praelatos, et ecclesiasticos ad subiiciendum laicis Ecclesias , eorumque bona, et iura contra canones compellunt (15). 28 , Qui saeculares exactiones a rebus Ecclesiarum , et clericorum immunibus extorquent (16) : aut eas pro aliorum caussis praegravant *pignorationibus* , quas vulgus *repraesalias* appellat (17). 29 , Qui statuta contra libertatem ecclesiasticam in usum revocant (18). 30, Sequestrationem fructuum beneficii litigiosi rite decretam impediens , fructusque occupans (19). 31, Qui prohibent ne quidquam ecclesiasticis vendatur, aut ematur , iisve res alimentarias, vel obsequia adimunt (20). 32, Impressores librorum sine licentia superiorum (21). 33, Impugnantes in

textu censuram dein reservavit Paulus II. in *cit.* Extravag. 3. *de poenit. et remis.* ut dictum paulo superius est *num. XXVIII.*

(1) Bonif. VIII. in *cap. hac constitutione 15., de officio delegati in VI.*
(2) Concil. Lateran. III. in *cap. quod a Praedecessore 1. de schismaticis.*
(3) Alex. IV. in *cap. quicumque 2. de haereticis in VI.*
(4) *Clementina 1. de sepulturis.*
(5) Greg. X. in *cap. sciant 15. de electione in VI.*
(6) *Cap. de his, quae vi, metusve caussa fiunt in VI.*
(7) Ex Conc. Lugd. sub Inn. IV. in *cap. 1. de homicidio in VI.*
(8) Bonif. VIII. in *felicis cap. 5. de poenis in VI.*
(9) Ex S. Pii V. *const. 48.*
(10) Ex S. Pii V. *const. 145.*
(11) Trid. in *cap. decernit 6. sess. 24. de ref.*
(12) Bonif. VIII. in *cap. mulieres 2. de iudiciis in VI.*
(13) Clement. *ex gravi un. de usuris.*
(14) Clement. *nolentes 2. de haereticis.*
(15) Gregor. X. in *cap. hoc consultissimo 2. de rebus Eccl. non alien. in VI.*
(16) Bonif. VIII. in *cap. quamquam 4. de censibus in VI.*
(17) Greg. X. in *cap. etsi pignorationes un. de iniuriis in VI.*
(18) Honor. III. in *cap. noverit 49. de sententia excommunicationis.*
(19) Clement. *un. de sequestratione possessionis, et fructuum.*
(20) Bonif. VIII. in *cap. eos, qui 5. de immun. eccles. in VI.*
(21) Ex Leonis X. *const. 11.*

concionibus, vel disputationibus Montes pietatis (1) : 34 , Rectores Universitatum promoventes ad gradum doctoris , vel ad cathedras , neglecta fidei professione (2). 35 , Qui indulgentias in Ecclesia esse, vel inutiles asserunt , vel eas concedendi potestatem negant (3). 36 , Quique affirmant matrimonia filiorum familias sine consensu parentum irrita esse , eaque parentes rata , vel irrita facere posse (4). 37 , Populumque avertunt a solutione decimarum (5). 38 , Alienatores rerum ecclesiasticarum quovis titulo sine canonicis solemnitatibus (6). 39 , sine consensu Principis vectigalia imponentes (7). 40 , usurpantes custodiam , regalia , et bona vacantium Ecclesiarum , et beneficiorum , praeterquam ubi fundator id praescripserit (8). 41 , qui domos locant ad publicum foenus exercendum (9), quique statuta faciunt, ut usurae solvantur , solutaeque ne repetantur, aut ita iudicant (10). 42 , Episcopi , aliique Praelati Romanam Curiam latenter adeuntes inscio Pontifice , eoque non viso , aut sine ipsius licentia inde discedentes , quique illos receptaverint scienter , id nisi Papae curaverint manifestare (11). 43 , laicus haeresis caussam cognoscens (12). 44 , cogentes , aut virum , aut mulierem , ne matrimonium libere contrahant (13) , aut aliquam virginem, vel viduam, vel aliam quamcumque mulierem invitam , praeterquam in casibus in Iure expressis , ad suscipiendum habitum cuiuslibet religionis , vel emittendam professionem, aut eorum voluntatem avertentes a statu , et votis regularibus (14). 45, Impedientes etiam ne Legati Sedis Apostolicae recipiantur (15). 46, Qui ab excommunicatione reservata in articulo mortis , vel ob causam urgentem sub conditione absoluti sese amoto periculo, et impedimento non praesentaverint Sedi Apostolicae, aut Episcopo, cui reservata cen-

(1) Ex Leonis X. *const. 12.*
(2) Ex Pii IV. *const. 88.*
(3) Trid. in *decr. de indulgentiis sess. 25.*
(4) Trid. in *cap. 1. sess. 24. de ref. matr.*
(5) Clement. *cupientes 3. de poenis.*
(6) Paul. II. in *Extravag. ambitiosae un. de reb. Eccl. non alien.* Tametsi hic textus censuram Sedi Apostolicae non reservavit , reservatio tamen addita a Conc. Trid. in *cit. cap. 11. sess. 22. de ref.* contra usurpatores rerum Ecclesiae nonnullis videtur etiam alienantes complecti, quorum opinioni arridet notata superius *lib. II. tit. VIII. num. LII.* Sed regula Iuris odia restringens contrarium suadet, quum usurpatio longe distet ab alienatione.
(7) Alex. III. in *cap. innovamus 10. de censibus.*
(8) Greg. X. in Conc. Lugdun. *cap. generali 13. de elect. in VI.*, *et* Io. XXII. in Extrav. *un. ne sede vacante.*
(9) Idem in *cap. usurarum 1. de usuris in VI.*
(10) *Clement. un. de usuris.*
(11) Ioann. XXII. in *cap. ut Praelatorum 23.*, *et cap. etsi deceat 3. de maiorit. et obed.* in extr. com.
(12) Bonif. VIII. in *cap. ut inquisitionis. 18. de haereticis in VI.*
(13) Trid. in *cap. ita plerumque 9. sess. 24. de ref. matr.*
(14) Trid. in *cap. anathemati 18. sess. 25. de regul.*, *et monial.*
(15) Io. XXII. in *Extr. super gentes un. de consuetud.* inter communes.

sura sit, vel conditionem non impleverint, in eamdem ipso facto reincidunt (1).

XXXII. *Quia conditor canonis* (quo censura excommunicationis ipso facto infligitur) *eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*, Innocentius III. rescripsit (2). Dubitant vero Doctores, an censuras, ipso sine reservatione latas, vel Iure communi, vel pontificiis sanctionibus valeant inferiores etiam confessarii remittere, non secus, quam Episcopi, locorumque Ordinarii. Ea mihi probanda sententia videtur, quae negat. Nam Benedictus XI. privilegiis Fratrum Praedicatorum, Minorumque fines constituens inter alia edixit, ut ii a confessionibus *excommunicatos respuant*, propterea quod *excommunicationem, quae infligitur maxime a Iure quandoque pro crimine*, removere non possint (3). Mandatam ergo ab Episcopis iurisdictionem excipiendi confessiones poenitentium habentes, nisi expressam acceperint facultatem absolvendi a maiori etiam excommunicatione: ab ea quamvis non reservata suos non poterunt poenitentes absolvere. Secus puto de censuris episcopalibus latae sententiae non reservatis ex coniecturali Episcoporum voluntate: aliter nullum esset discrimen inter censuras ab Episcopis sibi reservatas, et non reservatas.

XXXIII. Quum occulti peccatores, lapsi etiam ipso facto in excommunicationem, ab Ecclesia tolerentur, in externa scilicet fidelium communione, omnes quum clerici, tum laici generatim; in sacris quoque ministeriis ordinum, officiisve sacerdotalibus clerici speciatim, antequam sententia iudicis rite denuncientur (4): versa vice qui notoria, seu manifesta publica patraverint crimina, sunt generatim ante iudiciariam denunciationem vitandi. Clemens III. respondit, *quod a communione illius, qui pro sacrilega manuum iniectione in clericum in edictum excommunicationis incidit, licet denunciatus non sit, debes abstinere: nisi forte id tibi soli pateret, in quo casu ipsum privatim tantummodo evitabis, quamdiu ab Ecclesia toleratur* (5). *Quod si publica fama est, aliquem verberasse clericum, nec Episcopus, nec*

(1) Bonif. VIII. in *cap. eos qui 21. de sent. excomm. in VI.* Videsis dicta superius *lib. II. tit. VIII. num. LIV.*

(2) Innoc. III. in *cap. nuper 29. de sent. excomm.*

(3) Bened. XI. in Extravag. *inter cuncta 1. de privilegiis §. observent.*

(4) Ex supra iam dictis *hoc tit. n. XXI. Tolerandos, qui non sunt manifesti peccatores*, commonet S. Hieron. in *can. nolite recedere 22. C. 11. qu. 3. Plerumque boni viri propterea sufferunt aliorum peccata, et tacent, quia saepe deferuntur publicis documentis, quibus ea, quae ipsi sciunt, iudicibus probare non possunt*, S. Aug. ait in *can. plerumque 27. C. 2. qu. 7., et can. 18; et 19. eod. C. qu. 1.* Conc. Vasense I. in *can. si tantum 2. C. 6. qu. 2.* decrevit, ne patefiant crimina, quae novit Episcopus, quamdiu probare ea non potest: *ille tamen, quamdiu nihil probari potest, in communione omnium, praeterquam eius, qui tum reum iudicat, permanebit.* Consonat Conc. African. in sequ. *can. placuit 3.* Lucius III. in *cap. vestra 7. de cohab. cler., et mul. aliud est*, ait, *quando crimen notorium non diffitetur presbyter, vel de ipso est canonice condemnatus: aliud est pene occultum, quod ab Ecclesia toleratur.*

(5) Clem. III. in *cap. cum non ab homine 14. de sent. excom.*

alius communicare sibi debet, nisi ad arbitrium Episcopi de hoc se purgaverit (1). Martinus V. in Concilio Constantiensi indulgendum censuit, *ut nemo deinceps a communione alicuius . . . . praetextu cuiuscumque sententiae, aut censurae ecclesiasticae ab homine, vel a Iure generaliter promulgatae teneatur abstinere, vel aliquem vitare: nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit . . . . a iudice publicata, et denunciata specialiter, et expresse; constitutionibus apostolicis, et aliis in contrarium non obstantibus quibuscumque: salvo si quem pro sacrilega* manuum in clericos *iniectione sententiam latam a canone adeo* notorie *constiterit incidisse, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffugio excusari, nam a communione illius, licet denunciatus non sit, volumus abstinere iuxta canonicas sanctiones* (2). At Basileense Concilium quum priorem decreti Constantiensis partem iisdem verbis innovasset, posteriorem ita extendit, ut omnes notorie prolapsos in excommunicationem generatim sanxerit vitandos fore (3). Tum Leo X. in Concilio Lateranensi V. pariter interdixit communionem haberi cum excommunicatis, aut publica sententia denunciatis, *aut si ita notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari: nam a communione illius abstineri volumus*, ait, *iuxta canonicas sanctiones* (4). Hinc patet, cur debeamus nedum manifestos percussores clericorum vitare, sed quoslibet etiam ex notorio crimine excommunicatos ipso facto, prius quam in iudicio proclamentur. Notorium sane tria efficiunt, denunciatio iudicis, propria confessio, et facti evidentia (5). Quosnam vero oporteat inter notorios, aut manifestos, et publicos peccantes referre, iam praemonui superius (6).

XXXIV. Nil autem excommunicatis occultis, et quantumlibet toleratis indulgent recitati canones Constantiensis, Basileensis, Lateranensis. Propterea qui sacrorum ordinum ministeria exercere non dubitaverint, fiunt irregulares (7).

XXXV. Verumtamen iudex quemlibet rite denunciaturus ipso facto

(1) Idem in *cap. cum desideres 15. eod. tit.*

(2) Martin. V. in *cit. const. ad evitanda scandala* in actis Conc. Constant. Plures vero sunt ex percussoribus clericorum a censura immunes: praesertim qui non suadente diabolo, sed vim vi repellendo eos percusserint: quique, ut Gregorius IX. rescripsit in *cap. cum voluntate 54. §. ult. de sent. excom.* vel zelo devotionis, vel iure praelationis, et magisterii, aut disciplinae duxerint eos corrigere.

(3) Conc. Basileense *sess. 20. §. ad evitanda, 11.* kal. Febr. 1445.

(4) Leo X. in Conc. Lateran. V. an. 1522. *sess. 11. in const. primitiva illa §. statuimus insuper.* Videsis Fagnanum in *cap. quod a Praedecessore 1. de schismaticis num. 39., et seqq.* fusius edisserentem relatos canones Constantiensem, Basileensem, et Lateranensem cum S. Antonino, Ab. Panormitano, Felino, Covarruvia, et aliis.

(5) Greg. IX. in *quaesitum 10., et ult. de cohab. cler., et mul.*

(6) Hoc *lib. IV. tit. VIII. § 2. num. XXVI. ad XXX.*

(7) Conc. Antioch. in *can. si quis Episcopus 6.*, et Conc. Martini Papae in *can. si quis 7. C. 11. qu. 3.*

excommunicatum vitandum, antea debet in iudicium vocari, et commonere, una saltem peremptoria citatione (1), ut compareat ad dicendam caussam quare declarari non debeat incidisse in excommunicationem illo canone, illave constitutione ecclesiastica sancitam ob illud crimen admissum: eumque in suis defensionibus audire, *ut caussa* in iudicio *probetur*, *propter quam ecclesiastici canones hoc fieri iubent* (2).

§. III. *De excommunicatione ferendae sententiae.*

XXXVI. Poena omnium gravissima quum sit maior excommunicatio: ratio postulat, ut eam, nonnisi in casibus in Iure expressis mox enumerandis boni Praesules infligant (3): ob *eas* nimirum *culpas*, *pro quibus antiqui Patres arceri ab Ecclesia iusserunt committentes* (4). Nam poenae molliendae sunt potius, quam exasperandae (5). Quinimmo lapsos in crimina huic censurae obnoxia contumaces tantum, et obduratos, qui nimirum episcopales monitiones contemnunt, spirituali gladio fore ad resipiscentiam compellendos: resipiscentibus vero parcendum, sacri canones imperant. *Foro enim*, ait Symmachus Papa (6), *abscindenda sunt vulnera*, *quae fomenta non sentiunt*: *similiter et illi extorres debent fieri ab Ecclesia*, *qui sacerdotali admonitione non corriguntur*, *dicente Domino* (7): auferte malum ex vobis. Apostolus de potestate a Domino accepta *in aedificationem*, *et non in destructionem* loquens, ait: *omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei*, *et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, *et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*, *quum impleta fuerit vestra obedientia* (8). Haec Apostoli verba ad reos contumaces bis, et tertio mo-

(1) *Nec Canonici suo Decano excommunicationem possunt obiicere*: *cum super hoc nec* commonitus, *nec* impetitus *fuerit*: *neque ipsi propter hoc eum duxerint evitandum*, rescripsit Inn. III. in *cap. in praesentia 36. de sent. excomm.* Idemque in Conc. Later. IV. *cap. sacro 48. eod. tit.* prohibuit, *ne quis in aliquem excommunicationis sententiam*, *nisi competenti* admonitione *praemissa . . . promulgare praesumat*. Tum Greg. X. in Conc. Lugdun. *cap. constitutionem 9. eod. tit. in VI.* declarat eos, qui monentur, exprimendos nominatim esse: tribusque monitionibus, vel una pro tribus cum intervallo dierum fore in ius vocandos, nisi facti necessitas aliter suaserit.

(2) Ex lib. const. in *can. nemo Episcopus 11. C. 2. qu. 2.*, et Syn. Meldens. in *can. nemo Episcoporum 41. C. 11. qu. 3.*

(3) Fagnan. in *cap. adhaec 4. de relig. domib. num. 63.* Huc spectant dicta paulo superius *num. XI.*

(4) Conc. Aurelian. V., et Vormaciense in *can. nullus 42. C. 11. qu. 3.*

(5) Gratian. in *can. poenae 18. de poenitentia dist. 1.*, ex *l. interpretatione 42. D. de poenis*, et Bonif. VIII. in *cap. in poenis 49 de reg. Iur. in VI.*

(6) Symmachus in Romana Synodo *can. in canonibus 57. C. 16. qu. 1.* S. Gregor. in *can. corripiantur 18.*, et B. Prosper in *can. ecce 18. C. 24. qu. 3.*

(7) Deuteronomii *cap. 13.*, *et 1. ad Corint. cap.*

(8) II. ad *Corint. cap. 10. vers. 5.*, *et 6.*

nendos antequam segregentur a corpore fidelium, referri S. Gregorius M. docet (1).

XXXVII. Sunt qui putant excommunicationem posse ab eo sine citatione proferri, qui vim vi repellendo procedat (2). At nullo id iure probatum mihi videtur (3). Quinimmo S. Gregorius M. Ianuarium Episcopum graviter reprehendit, quod Isidorum ob acceptas ab eo iniurias excommunicasset: *dum pro vindicta propriae iniuriae*, ait, *quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti* (4). Innocentius IV. autem rescripsit licuisse Aurelianensi Decano, si *ballivus eum bonis suis mundanis iniuriose spoliare, vel ea violenter occupare praesumpserit, contra illius violentiam, iniuriamque se tueri* gladio spirituali excommunicationis: *quoniam adversus eius nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat* (5). Nec etiam hoc textu adstruitur licere iudici ecclesiastico vim vi repellenti aliquem sine praeviis monitionibus excommunicare.

XXXVIII. In primis domus Dei sanctitudo postulat, ut qui seditionem, clamores, rixas in Ecclesia excitaverit, vel profana gesserit negotia, vel turbaverit divina sacrificia, et officia, excommunicetur (6).

(1) S. Gregorius M. in *can. de excommunicat. 15. C. 24. qu. 3.*

(2) Fagnanus in *cap. procurationes 22. de censibus num. 34.* scribit iura vetantia, ne feratur excommunicatio sine culpae cognitione, ac monitione, locum sibi vindicare, *quando Episcopus procedit, ut iudex: non autem quando procedit ut pars, et tamquam ille, qui iure suo utitur: tunc enim etiam sine caussae cognitione tenet excommunicatio*, ex *can. si sacerdos 2. de offic. ordin. cap. Romana §. caveant de sent. excom. in VI. et can. quidam 5. qu. 1.*

(3) Nam Eugenius Papa in *cit. cap. si sacerdos* Fagnani opinioni nil favet, ubi rescripsit, quod ordinarius sciens aliquem illati damni reum, non ut iudex vel homo ex probationibus iudiciariis, sed ut Deus ex confessione sacramentali, possit eum *non nominatim* a communione removere: *sed debet eum*, Pontifex ait, *admonere, ne se ingerat: quia nec Christus Iudam a communione removit.* Innocentius IV. in *cap. Romana 5. §. caveant de sent. excomm. in VI.*, quem Fagnanus pro se itidem laudat, simul commonet, *ne sententias excommunicationis sive specialiter, sive generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet* si tale quid fecerint, vel etiam *pro iam commissis sub hac forma*; si de illis infra tale tempus minime satisfecerint, *proferre praesumant: nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa praecesserit.* Denique S. Gregorius M. in *can. quidam 2. C. 5. qu. 1.*, a Fagnano in suam partem adductus occultum manifesti criminis reum anathemate generatim non expresso nomine percussit. Id quod ad nostram quaestionem nil pertinet.

(4) S. Gregor. M. ad Ianuarium in *can. inter querelas 27., et seq. C. 23. qu. 4.* Consonat Gersonius supra laudatus *hoc tit. num. II.*

(5) Innoc. IV. in *cap. dilecto filio 6. de sent. excom. in VI.* Consonat Innocentius III. in *cap. cum ex officii 16. de praescript.*, ubi firmavit sententiam excommunicationis ab Archiepiscopo Senonensi latam in eos, qui visitantem Archiepiscopum contemnentes ei procurationem inhumaniter negaverant. Et Syracusano Episcopo Ioannes Papa in *can. visis 1. C. 16. qu. 2.* rescribens, ait: *si contra sacerdotium agere praesumpserint, muletentur, et felici mucrone Episcopi sacerdotum piacula resecentur.* Silverius Papa Guilisarium, eiusque fautores anathematizavit vi ab eo retentus, pane tribulationis, et angustiae aqua sustentatus, *can. Guilisarius 30. C. 23. qu. 4:* id ex notorio facinore egit.

(6) Greg. X. in Conc. Lugduu. *cap. decet 5. de immunit. Eccles.* debitam

Sanctimonialium quoque monasteria frequentans (1). Sacrilegi rerum Ecclesiae invasores (2), et furantes in Ecclesia sine effractione (3), sacrasve res, in loco etiam non sacro (4). Vasa sacra in profanos usus adsumens (5): oleumque ad sacra gentilium deferens, aut lucernam in synagoga Iudaeorum incendens (6). Famosos libellos in Ecclesia ponens (7).

XXXIX. Persistentes in vitio iurandi per creaturas (8), vel peierandi (9) ob illatam Deo iniuriam excommunicandi etiam sunt. Quemadmodum et divina praecepta contemnentes. Usurarios, qui post monitionem foenerari non destiterint, usque ad dignam satisfactionem adstringendos vinculo excommunicationis, rescripsit Alexander III. (10). Concubinarii tam soluti, quam iugati, si ter admoniti a prava consuetudine se non seiunxerint, ut excommunicatione feriantur, sanxit Synodus Tridentina (11). Quique prima uxore dimissa, duxerit secundam (12). Clericus insuper a suspectarum mulierum colloquio, vel consortio ter monitus, non abstinens (13). Qui rapinas, et depraedationes faciunt (14). Quique navigantes capiunt, aut bonis spoliant (15).

XL. Adduntur qui praeceptis Ecclesiae, suique Praelati non obtemperant (16). Praesertim qui eucharisticam communionem paschalem quo-

Ecclesiis venerationem contemnentes, ut *praeter processum Ordinariorum divinae ultionis, et nostrae*, ait, *acrimoniam formident*, h. e. excommunicationem, ut exponit glossa ibidem. Et Synodus Tridentina *sess. 22.* in decreto *pro observandis, et evitandis in celebratione Missae* sanxit, ut Ordinarii locorum auctoritate etiam delegata *censuris ecclesiasticis, aliisque poenis fidelem populum compellant ea inviolate servare, quae ad divinum cultum in sacrificio Missae, et celebrationem divinorum officiorum pertinent.*

(1) Ex Conc. Later. III. in *cap. monasteria 6. de vit., et honest. cleric.*

(2) Nicol. I. in *can. de viro 17. C. 12. qu. 2.*

(3) Greg. IX. *cap. conquestus est 16. de for. compet.*

(4) Io. VIII. in *quisquis 21. C. 21. C. 17. qu. 4.*, ibi: *si post secundam, et tertiam conventionem coram Episcopo satisfacere detrectaverit: sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut secundum Apostolum nemini fidelium misceatur 1. Cor. 5.*

(5) Ex *can. 72.* vulgo Apostolorum.

(6) Ex *can. 70.* vulgo Apostolorum.

(7) Conc. Eliberitan. in *can. si qui inventi 3. C. 5. q. 1.*

(8) Ex Conc. Carthag. IV. in *can. clericum 9. C. 22. qu. 1.* in sequenti *can. si quis per capillum Dei 10.* fertur a pseudo-Isidoro S. Pius anathematizare laicos verbis blasphemiae iurantes.

(9) Ex *can. praedicandum 17., et ult. C. 22. qu. 1.* Hunc Eutychiano Papae inscribit Gratianus a pseudo Isidoro deceptus, Teodulpho Aurelianensi Episcopo Romani Correctores. Videsis dicta superiori *lib. III. tit. VIII. num. VI.*

(10) Alex. III. in *cap. praeterea 7. de usuris.*

(11) Trid. in *cap. grave peccatum 8. sess. 24. de ref. matr.*

(12) Ex *can. 41.* vulgo *Apostolorum.*

(13) Eugen. in *cap. si quisquam 2. de cohabit. cleric. mulier.*

(14) Conc. Meldens. in *cap. de illis 1. de raptoribus, et incendiariis.*

(15) Conc. Lateran. III. in *cap. excommunicationi 3. de raptoribus* istae censura ferendae sententiae coercet: qui vero naufragos christianos spoliant, eos excommunicationi ipso facto subiacere sanxit.

(16) Excipe hoc in regno praeceptum de solvendis decimis ex iis, quae supra

tannis non accipiunt (1). Qui excommunicatis vitandis, et denunciatis audacter participant, si commoniti non destiterint (2). Qui iuravit, vel spopondit aliquem ducere in uxorem, monitis non adquiescens, ecclesiastica censura compellitur ad contrahendum, nisi canonicum aliquod obstiterit impedimentum (3). Et coniuges ambo ad praestanda vicissim obsequia coniugalia cogi etiam consueverunt (4), ubi a toro divertat alteruter sine caussa. Vicarii, Officialesque suffraganeorum suo in officio delinquentes, et metropolitica iussa contemnentes a Metropolitanis excommunicatione corripiuntur (5). Qui ad Synodum canonice vocatus venire contemnit, aut sacerdotalibus respuit praesens obedire praeceptis, aut antequam caussa ipsius definiatur, a Synodo abire praesumit excommunicandus est (6).

XLI. Eadem contumaciae ratio efficit, ut in iudiciis qua civilibus, quam criminalibus fori ecclesiastici, testes citati, si adire citantem iudicem, vel coram eo respondere ad interrogata renuerint, excommunicentur, et ecclesiastica censura compellantur ad perhibendum testimonium veritati (7). Principales etiam personae in ius vocatae criminaliter *ad dicendam caussam quare*, et incusatis rite contumaciis, statim excommunicantur (8) : quum nullus iis ad se defendendum terminus tunc impertiatur, sed absentes contumaces instar praesentium damnentur (9). In caussis autem civilibus damnati debitores, quamvis peremptoriis praeceptis de solvendo, vel aliud quidpiam faciendo non obtemperaverint : debent primum realiter, et personaliter compelli ad

monui *lib. III. tit. VIII. num. II.* Divina lex contumaces imperio sacerdotis morte plectendos iussit Deuteronomii *cap. 17. vers. 12. Qui superbierit*, lex ait, *nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis: morietur homo ille, et auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Iure hinc merito contumaces gladio spirituali percutiendos fore sanxerunt, *can. si autem* 11., *can. si quis vero 13.*, *et can. absit 14. C. XI. qu. 3.*

(1) Ex Conc. Later. IV. in *cap. omnis utriusque sexus 12. de poenit.*, *et remiss.* Videsis dicta superius *lib. II. tit. VI. num. L.*

(2) Innoc. III. in *cap. quod in dubiis 30. de sent. excom. et can. 10.* vulgo *Apostolorum.*

(3) Alex. III. in *cap. praeterea 2.*, *et cap. ex litteris 18. de sponsalibus.* Mulieres autem ad promissa coniugia ineunda non cogi, sed moneri tantum, iam dixi *lib. II. tit. XI. num. LXI.*

(4) Ex *cit. cap. ex litteris 10.*, ibi: *ecclesiastica censura compellas, ut. .. et maritali affectione pertractet.* Iurisdictionis autem Regiae Delegatus Marchio Nicolaus Fraggiani datis ad Regiam Audientiam litteris die 18. Aprilis 1761. rescripsit hoc in regno vetitum, ne uxores ad cohabitandum suis cum viris ecclesiastica potestas censuris compelleret: quum tale iudicium sibi vindicent laici magistratus.

(5) Innoc. IV. in *cap. Romana 1. de offic. Vicarii in VI.*

(6) Conc. Triburiens. in *can. certum est 43. C.* 11. *qu. 3.*

(7) Alex. III. in *cap. 1.*, *2.*, *3.*, *et 4.*, *totoque tit. de testibus cogendis.*

(8) Conc. Carthagin. III. in *can. quisquis 1. C. 4. qu. 5.*

(9) Gratian. post *can. absens 13. C. 13. qu. 9.* Videsis notata superius hoc *lib. tit. IV. num. XVIII.*

satisfaciendum, quum nonnisi in subsidium liceat eos excommunicare (1).

XLII. Ex Tridentina reformatione *in caussis iudicialibus ... quandocumque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate ab ipsis* (iudicibus ecclesiasticis) *fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quam definiendo a censuris ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur in caussis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque etiam* laicos *per mulctas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus eo ipso, quod exactae fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem per suos proprios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque iuris remedia procedere, et caussas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga iudicem contumacia: tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo, praeter alias poenas ferire poterit. In caussis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel personalis fieri poterit, erit a censuris abstinendum: sed si dictae executioni facile locus esse non possit, licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, praecedente bina saltem monitione, etiam per edictum id postulet* (2).

XLIII. In ecclesiasticas personas foro Ecclesiae subiectas vim omnem suam habet ista lex Tridentina. At laicos ab ea eximamus oportet ex regni moribus, et sententia Regii Censoris haud semel memorata. Hos enim non pecuniariis, neque corporeis poenis mulctari unquam patitur saecularis potestas, sed censuris tantum, poenisque spiritualibus plecti in ecclesiastico foro consentit. Hinc ne laicos in eo contumaces coercere solis censuris cogatur in iudiciis: mos inolevit adhibendi ecclesiasticos laicorum collitigantium fideiussores, et expromissores; qui pecuniariis primum, corporeisque poenis, deinde in subsidium spiritali gladio coguntur, servata forma Tridentina.

XLIV. Antiquior inde stylus procedendi contra debitores in forma R. Camerae Apostolicae obligatos ad Tridentinam amussim reformatus est. Nam debitorem in Iure confessum, et pure obligatum iudex olim damnabat continuo ad satisfaciendum creditori, eumque excommunicatum fore decernebat sub conditione, nisi tot intra dies satisfaceret: quibus elapsis ob contumaciam, et periurium absque alia monitione excommunicatum iam esse proclamabat. Post comitia vero Tridentina S. Pius V. constituit, cuique se obliganti in forma R. Camerae praecipere iudicem, h. e. Auditorem Camerae Apostolicae debere, ut debi-

(1) Conc. Meldens. in *can. nemo Episcoporum 41. C. 11. qu. 3.*, *anathema* inquit, *nonnisi pro mortali debet imponi crimine, et illi, qui aliter non poterit corrigi.* Gregorius IX. autem in *cap. ult. de rescriptis* censuit citatum in civili apostolicarum litterarum caussa, si non comparuerit, excommunicandum fore quasi contumacem.

(2) Trid. in *cap. quamvis excommunicationis gladius 3. sess. 25. de ref.* Videsis Fagnanum in *cap. sacro 45. de sent. excom. num. 18., et seq.* caput hoc late explicantem.

tum solvat illo certo die, si vero nunc non solverit, ad executionem realem, et personalem in eum sine ulla citatione personali procedatur, et in subsidium excommunicetur, ubi executio in eum fieri facile nequibit, tamquam contumax, et periurus (1). Cum isthaec obligatio clericorum in forma R. Camerae apostolicae, et cum pacto incusandi eam in quovis foro, et loco eos dudum consuevisset a dioecesanis Curiis episcopalibus ad forum Neapolitanum Tribunalis Nuntiaturae trahere: Ferdinandus IV. Rex die 5. Augusti 1769. regio rescripto vetuit cunctis huius regni Notariis, ne ambo eiusmodi pacta, seu clausulas in contractibus, et instrumentis clericorum deinceps adiiciant, privationem officii, aliasque poenas arbitrarias comminatus.

XLV. Sit ne timenda aeque iniusta, ac iusta excommunicatio, operae pretium est nunc edisserere. Divinum Ezechielis oraculum audiamus in primis oportet. *Vae*, Dominus ait, *qui et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmentum panis, ut interficerent animas, quae non moriuntur, et vivificarent animas, quae non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis ... Pro eo quod moerere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristavi . . , eruam populum meum de manu vestra* (2). Hinc B. Hieronymus, *quomodo Sacerdos*, ait, *mundum leprosum non facit, sic Episcopus, vel presbyter non alligat eos, qui insontes sunt* (3). Id etiam condocet S. Augustinus, inquiens: *si quisquam fidelium fuerit anathematizatus iniuste, potius ei oberit, qui facit, quam qui hanc patitur iniuriam. Spiritus enim sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur, immeritam nulli ingerit poenam* (4), Synodus Agathensis corripiendos fore, puniendosque decrevit Episcopos, *si sacerdotali moderatione postposita innocentes, aut minimis caussis culpabiles excommunicare praesumpserint* (5). *Irritam esse iniustam Episcoporum damnationem, et idcirco a Synodo retractandam*, censuit Concilium Carthaginense IV. (6). Ex B. Gregorio M. *non debet is poenam sustinere canonicam, in cuius damnatione non est canonica prolata sententia* (7). *Si iniusta est*, Gelasius scripsit, *tanto eam curare non debet, quanto apud Deum, et Ecclesiam eius neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo*

(1) S. Pius V. in *const. inter illa 113. to. 1.* Bullarii, Galles. *de oblig. Camer. par. 2. qu. 3.*, ibique Zachias, et Fagnan. *loc. cit. num. 21.* Videsis dicta superiori *lib. III., tit. XX. num. VI.* Ex duobus in solidum obligatis in unum si fieri executio realis, aut personalis valeat: alterum, qui tali nequeat executione compelli, tunc excommunicari nullatenus posse, censuit S. Congr. Conc. die 12. Dec. 1585., apud Gallemart. in decl. ad cit. Trid. *cap. 3. sess. 25. num.* 11.

(2) Ezechiel. *cap. 13. vers. 19., et 22.*

(3) B. Hieron. in *can. quomodo 44. C. XI. q. 2. et can. 57., 58. et 59. ibidem.*

(4) S. Aug. in *can. illud. plane 87. C. XI. qu. 3.*, tum in *can. 45. 47. ad 51., 53., et 90. ead. C., et qu.*

(5) Synod. Agathens. in *can. Episcopo 8. C. XI. qu. 3.*

(6) Carthagin. IV. in *can. irritam 35. ead. C., et qu.*

(7) S. Greg. M. in *can. non debet 64. cap. C., et qu.*

ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum (1), In foro interno quidem res ita se habet.

XLVI. At in externo foro *sententia Pastoris, sive iusta, sive iniusta fuerit, timenda est* ex B. Gregorii M. canone apud Gratianum in primis breviato. Sed hunc ipsum (2) deinde Gratianus idem latius exscribit his verbis: *Utrum iuste, an iniuste obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est: ne is, qui subest, et cum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suae sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est litigari timeat, vel iniuste, nec Pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne et si iniuste ligatus est, ex ipsa tumidae reprehensionis superbia culpa, quae non erat, fiat* (3). Nimirum in foro externo subditi censuram vel iniustam Praelati sui debent non contemnere marte proprio, sed coguntur interea servare, quoadusque eam rite, vel abrogaverit superior in gradu appellationis, vel ad cautelam indulserit absolutionem pendente appellationis iudicio (4). Potestatibus enim a Deo institutis omnis anima iure divino subiecta, quum resistere prohibeatur, ac resistendo gravem contumaciae noxam contrahat a B. Gregorio expensam, et insuper nemini liceat in caussa propria sibi ius dicere: palam hinc est, cur damnatus iniuste nequeat sese innoxium declarare, aut solvere extrinsecus ab iniustis vinculis, sed opus habeat instar reorum ad sublimiores iudices ab inferioribus provocare. Nam dubia saepe videtur hominibus, et controversa hinc iustitia, hinc iniquitas, vel error sententiarum, et innocentes delatorum criminum sibi nil conscios non raro, ut noxios damnant probi iudices, mendacibus testimoniis, actisve publicis decepti. Itaque iniustae censurae in foro interno contemnendae sunt, in externo timendae (5).

(1) Gelasius in *can. cui est illata 47. ead. C., et qu.*

(2) S. Greg. M. in *can. sententia 1. ead. C., et qu.*

(3) Idem *hom. 26. in Evang.* apud Gratianum post *can. non solum 77. C. XI. qu. 3.* Urbanus I. etiam fertur ita rescripsisse: *valde est timenda sententia Episcopi, licet iniuste liget, can. quibus Episcopi 27. ead. C., et qu.* At inter apocryphas pseudo-Isidori decretales hanc Urbani epistolam doctiores abiiciunt.

(4) Ex Conc. Carth. IV. in *can. clericus 30. C. XI. qu. 3.*, *clericus, qui Episcopi circa se districtionem iniustam putat, recurrat ad Synodum.* Alexander II. in *can. audivimus 4. C. 24. qu. 1.*, Valerianum Episcopum ab Henrico Ravennati Archiep. nulliter excommunicatum apostolica auctoritate absolvit, h. e. non ligatum ea censura rescripsit. Alexander III. in *cap. ad praesentiam 16. de appell.* rescripsit Eboracensi Arch., quod iudices appellationis, *licet presbyter non esset excommunicatus, de iure, de facto tamen eum fecerunt absolvi* Innocentius III. in *cap. cum contingat 36. de offic. et pot. iud. del.* rescripsit, *cum excommunicatum quis se asserit iniuste, vix vel numquam est eius (antequam absolutus fuerit probatio admittenda, nisi tunc tantum cum asserit in excommunicationis sententia intolerabilem errorem fuisse patenter expressum.* Idipsum respondit in *cap. per tuas 40. de sent. exc.*, et Honorius III. in *cap. venerabilis 52. eod. tit.*

(5) Innoc. III. in *cap. a nobis 28. de sent. excomn. Iudicium Dei*, ait,

XLVII. Iure hinc merito constitutum ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi, ut iudices appellationis *sententias interdicti, vel suspensionis, seu excommunicationis, nullatenus, nisi vocatis partibus, et de appellatione legitime cognito, revocent, aut denuncient esse nullas* (1). Et Innocentius III. rescripsit excommunicatos appellantes non esse audiendos, *priusquam fuerint absoluti . .., et nisi gratiam absolutionis implorent, ne sententiam ecclesiasticam contemnere videantur, et per hoc amplius ex suo contemptu ligentur*: illos tantum non cogi eam postulare, qui se *post legitimam appellationem* excommunicatos fuisse conqueruntur, vel *intolerabilem errorem* in sententia esse *patenter expressum*: Sedem vero Apostolicam eos omnes absolvere ad cautelam sub conditione recidendi semper consuevisse, donec de iniustitia, vel nullitate censurae constiterit (2). Nam saepe in iudiciis dubitatur, utrum irrita sit, an potius irritanda censura iniuste prolata. Cuiusmodi quaestionem iudices appellationis vario marte dirimunt ex variis rerum adiunctis rite apud ipsos eliquandis: puta ex defectiva, vel dubia probatione criminis in reum delati, ex neglectis accusati, vel absentis, vel contumacis defensionibus, ex suspicione Praelati excommunicantis, ex errore sententiae, ex monitionibus omissis, vel non servata forma canonum, et Concilii Tridentini, ceteris id genus. Validam vero esse excommunicationem inflictam ordine iuris non servato, et posthabita Concilii Tridentini forma superius exposita, eaque notatum indigere absolutione censuit S. Congregatio Concilii (3). Audiendi propterea non sunt, qui opinantur sententiam, seu promulgationem censurae ipso facto suspendi remedio *nullitatum*, quae adversus eam *per capita*, ut aiunt obiiciantur, patefacientes, vel errorem in iure, aut facto, vel praetermissum iuris ordinem.

XLVIII. Una, eademque lege appellationes ab iniustis quum latae, tum ferendae sententiae censuris moderati videntur Pontifices Innocentius III., et IV., nullum inter eas discrimen innuentes. At forenses

veritati, quae non fallit, nec fallitur, semper innititur: iudicum autem Ecclesiae nonnumquam opinionem sequitur, quam et fallere saepe contingit: interdum ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: et qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus.

(1) Innoc. IV. in Conc. Lugd. *cap. Romana 3. §. sententias de app. in VI.* Consonat Innoc. III. in *cap. solicitudinem 54. de appellat.* Videsis dicta superius *tit. XII. num. XII.*

(2) Innoc. III. in *cap. per tuas 40. de sent. excom., et cit. cap. cum contingat 36. de off., et pot. iud. deleg.* Idemque in Conc. Lateran. IV. constituit, appellantem ab iniusta excommunicatione, *si absque periculo morae potest, ad excommunicatorem cum suo mandato remittat* iudex appellationis *infra competentem terminum absolvendum: alioquin ipse per se, vel per alium, prout viderit expedire, sufficienti cautione recepta munus eis absolutionis impendat, cap. sacro 48. de sent. excom.* Dum Honorius III. in *cap. venerabili 52. eod. tit.* sententiam suspensionis Episcopo appellanti relaxavit ad cautelam praestito iuramento parendi mandatis Archiepiscopi, *si constiterit seipsum culpabilem extitisse.*

(3) Congr. Conc. apud Gallemart. in *declar. ad cap. 3. sess. 25. de reform. num. 8.*, *et* Fagnan. in *cap. responso 43. de sent. excom. num. 113.*

distinguendo vim maiorem tribuunt appellationi a censuris latae sententiae, utrumque scilicet effectum devolutivum, et suspensivum (1): vix unum devolutivum appellationi a censuris ferendae sententiae. Inde vice versa Fagnanus putat citatos ad dicendam caussam quare non debeant excommunicari, vel suspendi, vel interdici, bene appellare ab eiusmodi citatione censuram comminante, appellationemque admitti cum effectu etiam suspensivo: propterea quod tunc nequeat amplius reparari futurum sententiae gravamen. Citatis vero ad dicendam caussam quare declarari non debeant incidisse in excommunicationem, aliamve censuram, ideo non dari beneficium appellationis, quia possunt comminatam vitare censuram appellando post sententiam efficaciter (2).

XLIX. Quodnam vero gravamen inferat utravis citatio ad dicendam caussam quare, equidem non video. Nullum certe praesentaneum inesse, aut imminens omnes cum ipso Fagnano fatentur: quia nil gravat, dum canones, ac leges exequitur iudex quemlibet sibi subditum alicuius criminis delatum in ius ideo vocans, ut defensiones eius audiat adversus accusatoris aut ministri fiscalis probationes. Futurum inquies ex comminata censura. At istam, aio, citatus, vel poterit suis evadere defensionibus ac repulsa testium adversorum, suamque innocentiam ostendendo: vel si convictus, aut confessus erit, non gravantem, sed iustam accipiet sententiam, quam non praevia citatio parit, sed iuridica probatio admissi criminis. Quum in utroque igitur casu longe absit a canonica, et legitima citatione gravamen qua praesens, qua futurum: nulla ratio citatis indulget intempestivum, et absurdum beneficium appellationis a censura litteris citatoriis comminata. Si enim cuique liceret ab eiusmodi citationibus appellare; officium iudicis ordinarii, caussa non cognita, sileret in ipso iudicii limine. A decreta in carceres detrusione, vel tortura, vel sequestro, aliave id genus interlocutione ante sententiam appellantes audiri, et leges, et mores utique indulgent. Isthaec vero patentia gravamina neque per speciem in citationibus ad dicendam caussam quare inesse iam liquet. Prohibita insuper sacris canonibus appellatio suspensiva a fulminatis ferendae sententiae censuris indicat eam simul a citationibus praeviis ad eam conducentibus interdictam: quia nolentes finem nolunt, et media, quae ad illum tendunt, quidquid aliter inani argumentatione Fagnanus adstruat sine ulla Iuris auctoritate.

L. Si quid autem iusserit Episcopus etiam, uti Sedis Apostolicae delegatus sub poena excommunicationis, ubi valeat poenas alias primum comminari: S. Congregatio censuit ab eiusmodi praeceptis appellari quod ad effectum quoque suspensivum, nullamque fore excommunicationem inde latam, quae nonnisi in subsidium, quoties aliis poenis esse locus nequeat, exercenda est (3).

(1) Rota Rom. *dec. 2. num. 5. de dolo, et contum.* apud Fagnanum. in *cap. per tuas 40. de sent. excom. num. 24.*

(2) Fagnanus *loc. cit. num. 22., et seq.*

(3) S. Congr. Conc. apud Gallemart. in *decl. cap. 3. sess. 25. de ref. n. 7.*

§. IV. *De monitorio excommunicationis ad finem revelandi.*

LI. Testator quidam suis quum iussisset heredibus, ut restituerent usuras omnibus, qui eas ipsi persolvisse probarent, heredes autem id exequi negligerent: Innocentius III. Pisano Archiepiscopo rescribens, *sub poena excommunicationis*, ait, *publice in Ecclesia proponi facias, vel proponas, ut qui super hoc noverint veritatem, procedant ad testimonium proferendum* (1). Ex hac decretali originem duxisse monitoria excommunicationis ad finem revelandi videntur. Ad corrigendos autem eorumdem abusus Tridentina Synodus ita constituit. *Excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis* ad finem revelationis, *ut aiunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus, praeterquam ab Episcopo decernantur, et nunc non alias, quam ex re non vulgari, caussaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quae eius animum moveat, nec ad eas concedendas cuiuslibet saecularis etiam magistratus auctoritate adducatur: sed totum hoc in eius arbitrio, et conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse iudicaverit* (2).

LII. Hocce decreto Praelatis inferioribus nullius etiam dioecesis, et quasi episcopalem habentibus iurisdictionem cum territorio separato vetitum isthaec monitoria excommunicationis decernere, solis Episcopis propterea nemini demandata, vident omnes (3). Vicariis autem generalibus Episcoporum non item, si mandatum ad id speciale habeant, quemadmodum nec Vicariis Capitulorum, Sede vacante (4). In locis tamen exemptis, nulliusque dioecesis, non Episcopos viciniores adire, sed Sedem Apostolicam propterea oportet (5).

LIII. *Ex re vulgari* non esse indicendam excommunicationem Tridentini Patres censuerunt: nimirum pro rebus modici valoris ex conditione personarum aequo arbitrio definiendi. Consuevit exinde Archiepiscopalis Curia Neapolitana hanc singulis monitoriis adiicere conditionem: *dummodo oratoris intersit, saltem in ducatis quinquaginta* (6). In aliis huius regni locis minor etiam pecuniae quantitas, inspecta postulantium paupertate, solet locum episcopali arbitrio dare.

LIV. Arbitrium vero Episcopi, ut recte procedat, plura simul debent in monitoriis concedendis concurrere. 1, quod eius, qui postulat monitorium, intersit revelationes testium habere, ut per eas bona, seu iura ad se pertinentia inquirat, ac vindicet ab iniustis detentoribus.

(1) Innoc. III. in *cap. ad nostram 20. de iureiurando.*
(2) Trid. in *cap. quamvis excommunicationis gladius 3. sess. 25. de ref.*
(3) Id quod praemonui *lib. II. harum Inst. tit. XXIV. num. X.*
(4) S. Cong. apud Gallemart. in *declar. cap. 3. sess. 25. de ref. n. 3., et 5.*
(5) Ex eiusdem S. Cong. sententia oraculo S. Pii V. suffulta die 6. Octobris 1579. apud Gallemart. *cit. num. 5.*
(6) Ex eo fortasse, quod modicas, et minores caussas usque ad 50. solidorum summam definivit ius commune in *l. 1. C. de defensor. civit.* Videsis quae adnotata sunt superiori *lib. III. tit. XVIII. num. XX.*

2, quod sibi aliunde non suppetant necessariae probationes ad agendum in foro competenti, easque cum iuramento etiam, si videbitur opportunum, declaret sibi deesse: quum nonnisi deficientibus ordinariis remediis liceat in subsidium implorare opem extraordinariam excommunicationis. 3, quod ignoret omnino deperdita, vel occulta monimenta, et testimonia, personasque testium idoneorum in iudicio producendas. 4, quod certas personas quum principalium in ius vocandas, tum testium nullatenus indicet, vel nominet in capitibus monitorii. 5, neque infamiam alicuius, aut crimen detegat. 6, quod revelationibus accipiendis in iudicio tantum civili utatur (1).

LV. Si qua istarum conditionum deficiat, monitorium Episcopus vel non concedet, vel concessum contrario imperio revocabit ad postulationem eius, cuius ex adverso interest, ne illud publicetur. Quod si erit ab Apostolica Sede per subreptionem, obreptionemve impetratum, executor apostolicus, auditis partibus, fore non publicandum pariter decernet.

LVI. Publicatis canonicis monitoriis subditi, antequam excommunicatio contra contumaces non revelantes fulminetur, obtemperare omnino debent revelando ea, quae sciverint, in scriptis apud Episcopum, eiusve Curiam: suas at revelationes non coguntur cum iuramento firmare. Quod si contigerit eos ipsos deinde in foro competenti rite interrogatos aliter, quam in revelationibus dixerint, deponere cum iureiurando; posteriora testimonia tamquam firmiora in iudicio locum habebunt, eosque punire de falso tunc non licebit (2).

LVII. Notarii etiam revelare instrumenta, supremasque tabulas edere, quas ii confecerint, compelluntur, ne ab officio suo, quod publicum est, desciscant (3). Plures autem sunt, quos ad revelandum non obligant monitoria. Principales primum rem alienam detinentes: quum nemo naturali iure cogatur semetipsum prodere, aut infamare palam, reumque se publico iudicio tradere, quamvis malae fidei possessor a peccato numquam exeat, nisi restituat occulte saltem, quod iniuste retinet. Qui vero se a restituendo immunes putant aliqua exceptione legitima freti: eo minus adiguntur ad revelationem. 2, omnes, quos ad testificandum iura non cogunt, puta liberi contra parentes, coniux in coniugem, consanguinei adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinos, ceteros in primo gradu coniunctos, neque in libertos, aut patronos (4).

LVIII. Revelationes in scripturam redactae, si nullius criminis, aut infamiae indicium faciant, actoribus, quorum interest, integrae conceduntur eo pacto, ut iis nonnisi ad agendum civiliter sint in foro competente usuri. Si quid vero scriptum in eisdem erit, quod cuipiam possit molestiam criminalem inferre, aut famam laedere: tunc nomina

(1) De his requisitis uberius loquuntur M. A. Genuensis in *praxi Cur. Archiep. Neap. cap. 1.*, et Monacell. *to. 1. formular. tit. 6. form. 15.*

(2) Genuens. *cit. 1. cap. n. 16.*

(3) Monacel. *loc. cit. n. 8.*

(4) Ex Paulo in *l. lege Iulia 4. D. de testibus.*

testium revelantium satis erit partibus indicare, ut eos in iudicio nominent, ac producant inibi citandos, et rite examinandos. Alienum porro est ab episcopali officio intercedendi pro reis apud criminales magistratus, quod occultos reos Episcopi extra ordinem detegant, et saeculari potestati plectendos offerant indiciis brachio spiritali compertis (1). Propterea dum decernunt episcopales Curiae, quod publicentur exposita monitorii capita, et post trinam publicationem fulminetur contra non revelantes excommunicatio, simul vetant, ne revelationes inde futurae partibus ostendantur, vel tradantur, nisi Curiae ipsae illas pandere, ac dare censuerint.

LIX. Usus eiusmodi monitoriorum, et excommunicationis quia proficuus publicae utilitati, et efficax ad inquirendum (2) iura partium deperdita, vel subtracta, coniectas in latebras scripturas qua publicas, qua privatas, ignotosque testes, atque ad extimulandum iniustos detentores ad restitutionem rei alienae; usque adeo viget nedum conniventibus, sed consentientibus palam laicis magistratibus, ut in basilica, seu aula ipsa Magnae Curiae Vicariae, regiique Neapolitani Consilii S. Clarae in dies a cursoribus Archiepiscopi Neapolitani de mandato Curiae ipsius publicentur isthaec monitoria ad inquirendum occultos detentores processuum, et scripturarum latentium. Quod ideo monitum velim, ut plane constet regii Censoris notam super Tridentino decreto iam exposito ad hunc articulum nil omnino pertinere.

§. V. *De personis excommunicandis.*

LX. Ex dictis hactenus patet incertas etiam, et occultas personas consuevisse in Ecclesia excommunicari, quoties manifesti criminis auctores ignorentur. Maligno spiritu repletus quidam anno 596. contestationem iniquam, et criminosam contra Castorium Sedis Apostolicae notarium, ac responsalem noctu in publico loco Romae quum posuisset, callido contradicens Pontifici B. Gregorio M. pacem Longobardorum tractanti exosam Exarchae Romano: *oportet* ex ipsius M. Pontificis sententia, *ut publice exeat, et quaecumque in contestatione sua loqui praesumpsit, ostendat. Quod si non exierit, neque publice confessus fuerit, quisquis ille sit, qui hoc agere praesumpsit, vel consensum in tantae iniquitatis consilio praebuit, ex Dei, et Domini Nostri Iesu Christi spiritu definimus, ut sancti eius Corporis, ac Sanguinis participatione privatus sit. Si vero, quia latet, et quoniam nescitur, teneri ad disciplinam non valet, si tanti mali conscius, etiam prohibitus Corpus ac Sanguinem Domini percipere praesumit,*

(1) Huc spectant dicta superius hoc *lib. IV. tit. VI. num. XIII., et XXII.*

(2) *Multa enim, quae in iudicio captiosa praescriptionis vincula promi non patiuntur, investigat, et promit sacrosanctae Religionis auctoritas*, ait Imp. *l. 1. C. Th. de episcopali iudicio.* Nugatur idcirco Molinaeus velut novum, et iniquum criminando Tridentinum decretum de monitoriis ad finem revelandi: vetusto iure decretalium, receptisque moribus comprobatum.

anathematis ultione percussus sit (1). Conspicuum, hoc exemplum excommunicationis *generalis* contra incertos, et incognitos iniquitatis filios, quominus imitentur Episcopi, nil obstat: ubi lateant praesertim auctores homicidii, vel furti sacrilegi, vel cuiuslibet comperti facinoris.

LXI. Antequam vero fulminetur excommunicatio eiusmodi, debent per edictum citari omnes generatim, qui crimen illud admiserint, ad dicendam caussam quare in eos ferri non debeat sententia excommunicationis, vel praemoneri ad satisfaciendum intra tot dies. Nam in Concilio Lugdunensi cautum est, *ne tales sententias excommunicationis, sive specialiter in aliquos pro futuris culpis, videlicet si tale quid fecerint; vel etiam pro iam commissis sub hac forma, si de illis infra tale tempus minime satisfecerint, proferre praesumant: nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa praecesserit* (2). Ut Patrum Lugdunensium verbis utamur, *generalem* excommunicationem dicemus, quae in reos occultos, incertosque fertur: *specialem* in manifestos, certoque nomine designatos.

LXII. *In Universitatem, vel Collegium proferri excommunicationis sententiam*, insuper prohibuit idem Lugdunense Concilium, *cum nonnumquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri: se in illos dumtaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit*, promulgandum censuit (3). Ne dixeris cum Florentino, quod municipium, decuria, societas multis constans capitibus, unius personae vice fungitur (4), nimirum fictione Iuris, non secundum rei veritatem. Nam veros, non fictos criminum auctores gladius spiritalis reapse percutit.

LXIII. Adde magis expedire, ut multitudo peccantium ab Ecclesia non percutiatur gladio excommunicationis. *Non potest esse*, monet S. Augustinus, *salubris correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem . . . Si contagio peccandi multitudinem invaserit: divinae disciplinae severa misericordia necessaria est. Nam consilia separationis, et inania sunt, et perniciosa, atque sacrilega, quia impia, et superba sunt, et plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos* (5). Ea idcirco Iuris civilis

(1) S. Greg. M. ad Episc. Ravennatem, eiusque Clerum, et populum in *can. quidam maligni spiritus 2. C. 5. qu. 1.* Rem hanc videsis apud Fleury *to.* 8. *hist. eccl. ad an. 598.*

(2) Inn. IV. in Conc. Lugd. *cap. Romana 3. de sent. exc. in VI.*

(3) *Cit. cap. Romana* §. *ult.* Innocentius III. in *cap. dilectus 30. de simonia* Cantuariensi Archiepiscopo rescripsit, quod ob simoniacam pravitatem in monasteriis, et religiosis locis pullulantem non generatim, sed speciatim *adversus eos, qui labe fuerint huiusmodi maculati, tam dantes, quam recipientes canonicae severitatis exerceat ultionem.* In alia eiusdem Pontificis decretali ad Hugonem Ferrariensem Episcopum in *cap. responso nostro 43. de sent. exc.* legimus *Ferrarienses cives* excommunicatione, et interdicto ligatos, non civitatem Ferrariae: eos videlicet, qui in bello civili faverant Othoni Imp. Romanae Ecclesiae hosti, ceteros non item.

(4) Florent. Iurec. in *l. mortuo reos 22. D. de fideiussoribus.*

(5) S. Aug. in *can. non potest 32. C. 23. q. 4.* Alexander III. Toletano

regula, *ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimirum multis personis grassantibus exemplo opus est* (1): locum habet in paucis acriter plectendis, ut ceteri formidine poenae corrigantur.

LXIV. Quin etiam in singulos, qui peccant, non exercendam semper vindictam, commonent SS. Ambrosius (2), et Augustinus (3): praesertim, ubi mala exinde maiora, et publica timeantur gravium dissensionum, et schismatum. *Cum quisque fratrum*, S. Augustinus inquit, *idest christianorum intus in Ecclesiae societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur: fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est; atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi praecipit, dicens*: ut inimicum eum non existimetis, sed corrigite, ut fratrem . . . *Quando ita cuiusque crimen notum est, et omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere: non dormiat severitas disciplinae* (4). Rebus autem gestis docemur excommunicationes Regum, et Principum improspere cessisse, pacemque publicam fere turbasse (5). Enim vero plus mansuetudo consuevit animos Principum, quam rigor flectere (6).

Archiepiscopo rescripsit in *cap. latores 4. de cler. excom. ministr.* ex multitudine magna peccantium eos tantum, qui plus deliquerit, acerbiori, alios minus culpabiles poena mitiori plectendos.

(1) Claud. Saturn. in *l. aut facta 16. in fin. D. de poenis.*

(2) S. Ambros. in *can. quod Christus 26. C. 23. qu. 4.*

(3) S. Aug. in *can. ipsa pietas 14. ead. C., et qu. In huiusmodi caussis*, ait S. Doctor prope huius canonis finem, *ubi per graves dissensionum scissuras non huius, aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent: detrahendum est aliquid severitati, ut maioribus malis sanandis caritas sincera subveniat.* Haec ipsa verba Gratianus alias recitaverat in *can. ut constituetur 25. in fin. dist. 50.*

(4) S. Aug. *lib. 3. contra ep. Parmeniani num. 13. to. 9. oper. col. 64.*, collaudatus a Benedicto XIV. *lib. 7. de syn. dioec. cap. 35. num. 12.* Consonant alia eiusdem Patris testimonia in *can. 1., 2., 3., 4., 5., et C. 23. qu. 4.* Propterea Constantium, et Valentem Impp. quamvis haereticos Arianorum fautores, et Christianorum persecutores nuspiam legimus excommunicatos, aut ab ingressu Ecclesiae prohibitos fuisse. At Imp. Anastasium iconoclastam anathematizavit Symmachus Papa, et Leonem Isaurum Gregorius III. litteris primum commonitoriis ab eadem haeresi revocare stutuit, mox in Synodo Romana eum, cunctosque iconomachos anathemate confixit.

(5) Silenda potius nobis, quam memoranda sunt schismata aerumnoso, et truculenta bella civilia excommunicationes Principum subsecuta: praesertim, ubi Henricum IV. Germaniae Regem B. Gregorius VII. a fidelium communione seiunxit, et Urbanus II. iterum anathematizavit; mox Alexander III., et Urbanus III. Fridericum I. Imperatorem, Innocentius III. Ioannem Anglorum Regem, Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum Galliae, Innocentius IV. Fridericum II. Imp. (*cap. ad apostolicae 2. de sent. et re iud. in VI.*), Ioannes XXII. Ludovicum Bavarum, Urbanus VI. Ioannem Castellae Regem, Innocentius VII. Ladislaum Neapolitanum Regem, Alexander VI. Carolum VIII., Iulius II. Ludovicum XII. Galliae Reges, Clemens VII. Henricum VIII. Angliae Regem, Xyxtus V. Henricum Navarrae Regem cum Henrico eius patruele Condaeo Principe, ceteros alii.

(6) Innocentius III. Antisiodorensi, et Aurelianensi Episcopis rescribens *ep.*

LXV. Mortuos criminosos an possit Ecclesia quum excommunicare, tum absolvere, non immerito dubitatur. Qui negant, divinum illud Evangelii oraculum urgent, quo Christus Dominus Petro potestatem ligandi, et solvendi *super terram* dumtaxat demandavit, non subtus terram (1). Mors enim criminales actiones extinguens, humano dum iudicio subtrahit defunctos, immortales ipsorum spiritus Deo solum iudicandos continuo sistit (2). Canones hinc statuunt generatim, ut qui habuerint cum fidelibus communionem viventes, eam quoque mortui obtineant in sacrificiis, et suffragiis precum populi christiani, et ecclesiastica sepultura (3). E contrario quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus (4).

LXVI. Consueverunt nihilominus prisci Patres eos, qui supremum diem obivissent sine poenitentia notoriis criminibus irretiti, suffragio oblationum, et precum privare (5), scelestiores praesertim haereticos etiam anathematizare, eorumque nomina e sacris diptycis delere (6).

109. lib. 15., *Fraternitati vestrae consulimus*, ait, *bona fide, quatenus cum carissimo in Christo filio nostro Philippo Rege Francorum illustri quanto melius poteritis, componere studeatis: quoniam arcus, qui semper est tensus, vires amittit, nisi aliquoties extendatur, et nonnumquam Reges, et principes melius vincuntur mansuetudine, quam rigore.*

(1) Gelasius ad Faustum in *can. legatur 2. C. 24. qu. 2.* haec scripsit. *Qui certe hoc faciendi solus habuit potestatem*, B. Petro *principaliter mandat Apostolo*: quae ligaveris super terram . . . quae solveris super terram. Super terram, *inquit. Nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolvi.*

(2) Conc. Toletan., seu Hispalense II. in *can. quorumdam 14. dist. 23.*, *et l. ult. D. de bonis eorum, qui ante sent. mortem sibi consciv.*

(3) S. Cyprianus *ep. 66.* ad Clerum Furnitanum scribens iussit, *ne pro dormitione* Geminii Victoris *fieret oblatio*, *aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentaretur*: propterea quod is Geminium Faustinum presbyterum ausus esset testamento suo tutorem deputare, spreto canone Concilii Africani id sub ea poena vetante.

(4) In Codice Africano *can. 81.* decretum sic est. *Post mortem anathema ei Episcopo dicatur, atque eius nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur*, qui haereticos, vel paganos, quamvis consanguineos sibi heredes nuncupasset. S. Augustinus *ep. 50. ad Bonifacium scripsit: si vera essent, quae ab eis* (sc. Donatistis) *obiecta sunt Coeciliano* Carthagin. Episc. *et nobis possent aliquando monstrari, ipsum iam mortuum anathematizaremus.* Hanc S. Augustini sententiam pluries ab ipso alibi repetitam recitarunt Patres in V. Synodo, et Gratianus habet in *can. sane profertur 6. C. 24. qu. 2.* Evagrius *lib. 4. cap. 37.* tradit, quod Theodorum Mopsuestenum post mortem iamdiu condemnatum, nomine eius ex diptychis expuncto Synodus V. oecumenica uno omnium consensu anathematizavit. Haec Synodus ipsa in fine *cit. can. sane profertur*, ecclesiasticam ea in re traditionem rite discussam comprobavit, *quod oportet haereticos, et post mortem anathematizari.*

(5) Quinta Synodus initio eiusdem *can. 6. C. 26. qu. 2.* Socrates *lib. 7. cap. 45.* narrat Originem annis circiter ducentis post ipsius obitum a Theophylo excommunicatum: Ioannem vero post mortem anno quinto, ac trigesimo receptum a Proclo in communionem. Theodoretus *lib. 5. cap. 34.* nomen B. Chrysostomi ecclesiastici tabulis ab Alexandro Antiocheno Episcopo adscriptum refert, postquam diu in illis defuisset.

(6) Urban. II. in *can. sane 3. C. 24. qu. 4.*, et Innoc. III. in *cap. ex parte 21. de sepulturis.*

Et vice versa mortuos restituere in communionem, seu suffragia precum ecclesiasticarum, eorumque nomina diptychis inscribere (1): quoties constitisset ipsos fuisse, vel iniusta damnatos sententia, vel in articulo mortis Ecclesiae reconciliatos. In recentiori autem disciplina morientes in peccato notorio sine ullis poenitentiae signis, puta latrones, et fures in ipso latrocinio (2), pugnantes in duello, ac torneamentis (3) interfecti, publici usurarii (4), et concubinarii (5), qui sibi mortem consciverunt voluntariam (6), id genus ceteri, ecclesiastica sepultura, publicisque suffragiis privantur; sed nulla in eos anathematis sententia ferè promulgatur. Spiritibus enim ab humano corpore seiunctis nullum addit supplicium terrena excommunicatio, vel in ignem prolapsis ex divina damnationis sententia, vel in pace Domini per occultam cordis poenitentiam requiescentibus. Et exempli ratio si spectetur, maiorem certe formidinem incutiunt hominibus proiecta extra Ecclesiam sub oculis omnium cadavera, quae canes, avesque devorent, quam nunciata per aures anathemata.

§. VI. *De absolutione excommunicatorum.*

LXVII. Excommunicatis, quos in mortis articulo presbyter quicumque per Sacramentum Poenitentiae rite absolverit, nec coemeterium, et sepulturam, neque alia Ecclesiae suffragia denegari Gregorius IX. rescripsit (7). Si quis vero *excommunicatus*, *in quo indicia fuerint poenitentiae manifesta; nec per eum steterit, quominus reconciliaretur ecclesiasticae unitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, an pro absoluto ab Ecclesia sit habendus, et utrum pro tali recipienda sit eleemosyna, et a fidelibus sit orandum*: interrogatus Innocentius III. rescripsit eum, *quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur*, apud Ecclesiam non absolutum putari; sed posse, ac debere ipsi defuncto beneficium absolutionis impendi, a Sede nimirum Apostolica in casibus eidem reservatis, a qua esset ipse, dum viveret,

(1) S. Leo M. inquit in *can. de communione 1.*, Gelasius in *can. legatur 2. C. 24.*, *et* Innoc. III. in *cap. a nobis 28. de sent. excomm. Hinc si contingat interdum* (ait Innocentius idem in *cap. sacris 12. de sepulturis*), *quod excommunicatorum corpora . . . in coemeterio ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni potuerint, exhumari debent, et procul ab ecclesiastica sepultura iactari.*

(2) Conc. Triburiense in *cap. fures*, *et latrones 2. de furtis*, Eugen. III. in *cap. super eo 2. de raptoribus.*

(3) Conc. Later. III. in *cap. 1. de torneamentis*, Trid. in *cap. detestabilis duellorum usus 19. sess. 25. de ref.*

(4) Conc. Later. III. in *cap. quia in omnibus 3. de usuris.*

(5) S. Aug. in *can. quibus 16.*, S. Hieron. *can. in praesenti 20.*, S. Gregorius in *can. pro obeuntibus 21. C. 13. qu. 2.*

(6) Conc. Bracharense I. in *can. placuit 12. C. 23. qu. 5.* Sed casu fortuito mortuus non est ecclesiastica sepultura privandus, Innoc. III. in *cap. ex parte 11. de sepult.*

(7) Greg. IX. in *cap. parochiano tuo 14.*, *et ult. de sepultur.*

absolvendus (1): ut ei exinde suffragia, et sepultura ecclesiastica indulgeantur, interim denegata (2).

LXVIII. Eodem ritu vivorum ut absolvantur mortui, haeredesque ipsorum pro eis compellantur satisfacere, simul iussit Innocentius (3). Consuetam in Ecclesia formam reconciliandi excommunicatos in vita resipiscentes tradit Concilium Arausicanum (4): et Rituale Romanum. Ad eam similitudine accedit absolutio defunctorum, paucis verbis ab Innocentio III. expressa, quam explicatius exhibent apostolicae litterae S. Poenitentiariae apud Fagnanum (5).

LXIX. Quos contigerit a reservata excommunicatione in mortis ar-

(1) Innoc. III. in *cap. a nobis 28. de sent. excom.*

(2) Ex supradictis *hoc. tit. num. XXI.* Fabulantur Graeci corpora excommunicatorum in cineres non dissolvi, sed integra, instar tympani turgentia permanere, donec absolvantur. Id quum sibi persuasum haberet Emmanuel Malaxus *in histor. Constantinop.* fert ita contigisse mulieri damnatae ob calumniam Gennadio Patriarchae illatam, aiens: *Qui anathemate percussi ab Ecclesia exulant, cum eorum corpora maneant indissoluta, et integra, indigent absolutione, ut liberentur vinculo excommunicationis. Nam quemadmodum corpora eorum ligata sunt, et indissoluta super terram: sic animae quoque ipsorum ligatae sunt a diabolo, et ab eo poenis divexantur. Quando autem corpus veniam accipit, execrationis vinculo solutum, Deo bene iurante, etiam anima de manibus diaboli libera exit, et vitam aeternam adipiscitur.* Apud N. Alexand. *hist. eccl. saec. 4. dissert. 45. de Purgatorio art. un. prop. 2. n. 21.*

(3) In fine *cit. cap. a nobis haec* addit Pontifex: *Absolutionis autem forma servetur, ut fiat cum poenitentiali psalmo, et tam oratione dominica, quam alia consueta. Haeredes quoque ipsius ad satisfaciendum pro ipso, si monitione praemissa noluerint, per districtionem ecclesiasticam compellantur.*

(4) Conc. Arausic. in *can. cum aliquis 108. C. XI. qu. 3.*, ibi. *Cum aliquis vel excommunicatus, vel anathematizatus poenitentia ductus venium postulat, et emendationem promittit: Episcopus, qui eum excommunicavit, ante ianuas Ecclesiae venire debet, et duodecim presbyteri cum eo, qui eum hinc circumstare debent. Et ille si terrae prostratus veniam postulat, et de futuris cautelam spondet: tunc Episcopus apprehensa manu eius dextera in Ecclesia illum introducat, et communioni christianae reddat, et septem psalmos poenitentiales decantet cum istis precibus* Kyrie eleyson, Pater noster; salvum fac servum tuum. *Oratio: Praesta quaesumus Domine huic famulo tuo dignum poenitentiae fructum, ut Ecclesiae tuae sanctae, a cuius integritate deviaverat peccando, admissorum veniam consequendo reddatur innoxius.* Quod vero non debeat absolutio excommunicatis faciliter indulgeri, ne facilitas veniae addat ad delinquendum stimulos, monet S. Ambrosius in *can. est iniusta 33. C. 23. qu. 4.*

(5) Fagnan. in *cit. cap. a nobis 28. de sent. excom. num. 14.*, litteras a S. Poenitentiaria pro defunctis ab excommunicatione reservata absolvendis hoc typo expressas tradit: *Si sic vobis visum fuerit, vobisque de praedicti N. viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, ut eumdem sic defunctum, dummodo illius heredes iniuriam passis, quibus ille, si viveret, occasione praemissorum satisfucere teneretur, prius competenter satisfaciant, vel per eos non stet, quominus arbitrio vestro satisfaciant competenter in eo, in quo tenentur, ab excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurrit, absolvere in* forma Ecclesiae consueta, *et in foro conscientiae tantum licite valeatis, ad effectum dumtaxat, ut pro illius anima publicae, et privatae orationes, ac preces fieri, eiusque corpus ecclesiasticae tradi sepulturae possint, facultatem, et auctoritatem vobis concedimus.*

ticulo absolvi a quovis presbytero sine speciali mandato, vel excommunicantis Episcopi, vel Sedis Apostolicae (1): eos omnino debere, si convaluerint, sese in foro externo Ecclesiae repraesentare, ut publicam a legitima Potestate absolutionem obtineant, postquam illata partibus damna, et iniurias antea refecerint, spondeantque simul crimina eiusmodi non admissuros amplius, et mandatis Ecclesiae parituros; ex antedictis liquet (2). Id si neglexerint, in censuram relabuntur (3). Hanc enim regulam usu vigentem inveterata consuetudo probavit (4) ut absolutus a censuris in foro interno per Sacramentum Poenitentiae vi etiam Bullae Iubilaei, vel Cruciatae, vel cuiuslibet privilegii apostolici ligatus adhuc in foro externo remaneat, donec per sententiam Praelati sui publicam rite absolvatur (5). Proinde Benedictus XIV. in suis Iubilaei litteris pro anno sancto Poenitentiariis urbis primum, mox totius orbis speciatim indulsit, *ut absolvere possent per seipsos tantum, et in foro dumtaxat conscientiae* quascumque personas sibi confitentes a quibuscumque sententiis *excommunicationis*, aliisque ecclesiasticis *censuris* etiam Sedi Apostolicae quomodolibet etiam in Bulla coenae reservatis. Verum a publica censura nominatim a quocumque iudice lata absolverent ad effectum dumtaxat consequendi indulgentias: ita ut postea in eamdem censuram recidentes deberent omnino *parere iudicis sententiae, et absolutionem ab eodem petere, perinde ac si numquam absoluti fuissent*. Utque nullum absolutionis eiusmodi, neque confessionis testimonium iis poenitentibus daretur, simul iussit (6).

LXX. Sacra Urbis Poenitentiaria facultatem utique ampliorem habet absolvendi a censuris etiam publicis in utroque foro *Regulares* generatim, *Saeculares* vero quum clericos tum laicos tunc in utroque foro ab-

(1) De reconciliandis, et sine mora communioni restituendis quibuslibet in mortis periculo multos habet canones Gratianus *C. 26. qu. 6., et 7.*

(2) *Lib. II. tit. VIII. num. LIV.*, et hoc *tit. num. XIV.* Addantur decretales Alexandri III. in *cap. ex tenore 10.*, Urbani III. in *cap. adhaec 22.*, Honorii III. in *cap. super eo 51.*, *et cap. gravem 53. de sent. exc.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. eos, qui 22. eod. tit. in VI.* Huc alludit ea Gratiani quaestio, an peccata semel dimissa redeant? quam multis Patrum sententiis discutit *C. 33. de poenitentia qu. 3. d'st. 4.* Beda in *can. revertar 5. ead. C. et qu.* exponens illud Satanae effatum: *revertar in domum meam, unde exivi*, ait: *timendus est iste versiculus, non exponendus: ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam non vacantes opprimat.*

(4) Eamque a S. Congregatione Concilii, et Rota Romana saepe usurpatam fert Fagnanus in *cap. postulastis 7. de cler. excom. num. 14.* Tum *seq. num. 31.* addit absolutum ab occulta simonia, ac dispensatum ad Episcopo vigore Conc. Trid. *cap. 6. sess. 24. de ref.* nil ea absolutione iuvari ab beneficia obtinenda.

(5) Innocentius III. in *cap. a nobis 28. de sent. exc.* duplex vinculum excommunicationis internum, et externum Evangelii auctoritate ostensurus, *quod in suscitatione Lazari*, ait, *sermo evangelicus manifestat: quem prius Dominus suscitavit, et Apostolis praecepit postmodum solvere suscitatum.* Idipsum praedocuerat B. Gregorius in *can. tunc vera 62. C. XI. qu. 3.*

(6) Benedicto XIV. in *const. convocatis 20. num. 4., et 6.* pro anno Iubilaei data die 25. Novem. 1749., to. 3. Bullarii.

solvit, vel mandat eos absolvi, ut Benedictus XIV. docet, *quando agitur de censuris publicis latis a iure, praesertim Sedi Apostolicae reservatis, etiam nominatim declaratis, vel si agatur de latis nominatim ab homine, tunc quando delegati, vel alterius iudicis, a quo latae fuerint, iurisdictio expiraverit; seu quando absolutio per eosdem iudices, aut alios ad Romanum Pontificem, et ad dictam S. Sedem remissae fuerit; seu quando sic censura ligati legitime impediuntur, quominus praesentiam iudicum, vel illorum, qui eos sic ligarunt, aut alium, seu alios, quos de iure deberent, adire possint.* Verum hac eos lege absolvit, vel iudici absolvendos remittit, *si iudicato paruerint, et parti satisfecerint, vel quamprimum potuerint, pareant, et satisfaciant: alioquin in easdem censuras reincidant*, vel oblatam renuenti parti satisfactionem sententia non condictam arbitrio Maioris Poenitentiarii adimpleant (1). Consuevit insuper Sedes Apostolica largiri nonnumquam per Bullas, vel Cruciatae, vel Iubilaei potestatem in utroque foro absolvendi eos, qui de iniuriis, damnisque partibus satisfecerint (2).

LXXI. Ob duplicem caussam, puta ob violentas manus in clericum iniectas, et violatam simul Ecclesiae immunitatem excommunicatus, qui unam solummodo expresserat, dum absolutionem petiit, et obtinuit, ut cogeretur praevia monitione pro altera etiam Ecclesiae satisfacere tanquam excommunicatus, nimirum altero adhuc vinculo censurae irretitus, rescripsit Innocentius III. (3). Et ei, quem ob crimina multa pluribus excommunicationibus religassent plures Praelati, absolutionem unius ab uno, cui satisfecisset, obtentam non prodesse pro aliis (4). Nequit enim *falsa* poenitentiae cuipiam suffragari, *quum spretis pluribus de uno solo poenitentia agitur*, inquam cum Innocentio II. (5). Eodemque iure quos in pontificiis cuiuslibet gratiae litteris Papa misericordi dispensatione singulatim absolvit a quovis vinculo excommuni-

(1) Idem in *const. Pastor bonus 95.* de facultatibus Maioris Poenitentiarii §. 6., et 7., *to.* 1. Bullarii. Videsis quae superius dixi *lib. II. tit. VIII. de Sacr. Poenit. num. LIII. et seq.*

(2) Ex traditis a Fagnano *loc. cit. num. 26., et 29.* Praedecessorum hinc exempla secutus Benedictus XIV. in *cit. const. convocatis art. 5.*, ad alios Poenitentiarios extendit anno Iubilaei facultatem absolvendi poenitentes a censuris etiam publicis, et per sententiam denunciatis cum onere ad S. Poenitentiariam recurrendi. *Post absolutionem nimirum,* ait, *conficiant libellum supplicem expresso nomine, cognomine, ac dioecesi poenitentis, et casu huiusmodi censurae subiecto, et subtus scribant testimonium absolutionis ab eadem censura concessae; eumdemque poenitentem dirigant ad Officium Poenitentiariae Apostolicae, ut recipere possit Breve in forma* missi, *vel* remissi *absoluti iuxta praxim eiusdem officii Poenitentiariae.*

(3) Innoc. III. in *cap. cum pro caussa 27. de sent. excom.*, et Alex. III. in *cap. ex parte tua 5. de offic. iud. ord.* censuit compellendum redire ad Sedem Apostolicam cum veridicis episcopalibus litteris eum, qui absolutionem ab ea impetraverat per subreptionem, occultatis nimirum excessibus censuram promeritis.

(4) Innoc. III. ad G. Sedis Apost. Legatum in *cap. officii 42. eod. tit.*

(5) Inn. II. in *can. fratres 8., et ult. C. 33. qu. 3. de poen. dist. 5.*

cationis ad effectum suae ipsius dumtaxat gratiae consequendum: a ceteris censurae vinculis nullam aliam eis in utroque foro absolutionem indulget (1). *Si* autem *Summus Pontifex scienter etiam excommunicato participet litteris , verbo , vel osculo , seu alio quovis modo : ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur , nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi* , Clemens V. declaravit (2).

LXXII. Ceterum resipiscentibus , qui se offerant iudicato parere, ac satisfacere , vel sufficienter caveant : absolutio debet non differri ob assiduum salutis aeternae periculum , etiamsi pars adversa , ne absolvantur , appellationem interponat (3). Quomodo sit autem absolutio indulgenda in iudicio appellationis ex antedictis colligitur (4).

* Episcopis Tridentina Synodus amplam dat potestatem suos absolvendi subditos a quibuslibet casibus occultis Apostolicae Sedi reservatis in foro dumtaxat interno , et dispensandi etiam super irregularitatibus itidem occultis. *Liceat Episcopis* , ait lex Tridentina , *in irregularitatibus omnibus , et suspensionibus ex delicto* occulto *provenientibus, excepta ea , quae oritur ex* homicidio voluntario , *et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum , dispensare , et in quibuscumque* casibus occultis, *etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per seipsos , aut per Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere , imposita poenitentia salutari. Idem et in* haeresis *crimine in eodem foro conscientiae eis tantum , non eorum Vicariis sit permissum* (5). Quod speciatim *Episcopis* indulget Synodus oecumenica , ceteris locorum Ordinariis , Praelatisque inferioribus negare plane videtur. Homicidium voluntarium hoc decreto excipitur: propterea quod ex alio eiusdem Concilii decreto (6) qui *sua voluntate* hominem etiam occulte necaverit , *omni ordine , ac beneficio , et officio ecclesiastico perpetuo careat.* Qui vero *non ex proposito , sed casu, vel vim vi repellendo patraverit homicidium.* Sicuti apostolicam dispensationem in foro externo, caussa per Episcopum cognita potest impetrare , ita episcopalem quoque absolutionem , et dispensationem ob crimen occultum lex Tridentina videtur non ademisse.

(1) Innoc. III. *in cit. cap. postulastis 7. de sent. exc.* ibique Fagnanus.

(2) Clemens V. in *cap. si summus 4. de sent. excom.* in Clementinis. Innocentius III. in *cap. in praesentia 46. eod. tit.* rescripserat Canonicos non posse decano suo excommunicationem obicere: *quum ipsi propter hoc non duxerint evitandum, sed Episcopis in mensa , et Canonici communicaverint ei etiam in divinis.* Et rursus in *cap. proposuit 8. de cler. excom. ministr.* ratam habens collationem praebendae a Legato Apostolico factam clerico Tusculano, censuit ei non obstare exceptionem excommunicationis: *cum de absolutione, et communione Episcopi fuerit facta fides.* Clementem ab Innocentio nil dissentire facile noverit, qui consideret diversos unius ab altero casus resolutos.

(3) Alex. III. in *cap. qua fronte 25. de appellat.*

(4) Hoc eodem *tit. num. XLVII.*

(5) Trid. *in cap. liceat 6. sess. 24. de ref.* Videsis Gallemart. in declarat. et remiss. huius decreti, plura dubia in eo adimentibus.

(6) Trid. *in cap. cum etiam 7. sess. 14. de ref.*

§. VII. *De minori excommunicatione.*

LXXIII. Exclusionem hominis a communione eucharistica, et sacris mysteriis, videlicet a Missa communicantium, *minorem excommunicationem*, ἀφορισμον, idest *separationem* prisci canones appellarunt, et infligere saepius consueverunt (1). Simul Gregorius IX. in textu decretalium definit *minorem* excommunicationem esse, *quae a perceptione Sacramentorum separat*: ibique simul declarat, nudo excommunicationis verbo in sententiis iudicum non minorem modo, sed maiorem quoque inflictam censeri (2).

LXXIV. Aliam insuper speciem minoris excommunicationis exhibent canones, quae non Sacramentorum perceptionem adimeret in Ecclesia universali, sed mutuam dumtaxat communionem inter Ecclesias particulares, fraternamque societatem inter Episcopos exteriorem dissolveret, ut litteras excommunicati Antistitis communicatorias, vel commendatitias, quae *formatae* dicebantur, publicas unius fidei, et communionis tesseras, alii non admitterent, personasque ab eo dimissas, vel commendatas suis in Ecclesiis non reciperent (3). Hanc ipsam in fratres ab apostolica Traditione devios praecepisse Apostolus videtur, scribens ad Thessalonicenses: *denuntiamus autem vobis fratres, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum Traditionem, quam acceperunt a nobis* (4). Concilium Carthaginense V. decrevit, ut Episcopi ad Synodum vocati, *nisi rationem impedimenti sui apud Primatem suum reddiderint, Ecclesiae suae communione debent esse contenti* (5). Episcopus etiam, qui alienum sub-

(1) Theodoretus *ep. 77.* ad Eulalium *to. 3.* de iis, qui potius infirmitate, quam malitia peccarent: *arceantur*, inquit, *a participatione sacrorum mysteriorum, a cathecumenorum autem oratione non prohibeantur, neque a divinarum Scripturarum auditione, neque a magistrorum admonitione* S. Gregorius Thaumat. *can. 5. to. 5. Conc.* apud Labbaeum haec habet: *Aliena, quae invenerunt, detinentes . . . a precibus oportet abdicare.* Conc. Ilerdense an. 524. in *can. qui Sacramento 11. C. 22. qu. 4.*, sanxit periuros *uno anno a communione Corporis, et Sanguinis Domini segregandos*, reatumque suum eleemosynis, fletibus ieiuniis expiaturos. Idem Concilium *can.* 4. incestuosos eadem segregatione puniens, *usque ad Missam cathecumenorum*, ait, *in Ecclesia tolerentur.* Conc. Iliberitanum an. 305. *can. 21.* decrevit, ut qui *tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat, ut correptus esse videatur.* Ex decretis Gelasii Palea in *can. qui vero 38. C. 11. qu. 3.*, Communicans scienter excommunicato vitando, *donec ab excommunicatore poenitentiam accipiat, Corporis, et Sanguinis Domini commmunione privatum se esse cognoscat.*

(2) Greg. IX. in *cap. si quem 59. de sent. exc.* laudatus *hoc tit. num. XXII.*

(3) Opt. Milevit. *lib. 2. pag. 48. Totus orbis*, ait, *commercio formatarum in una communionis societate concordat.* Harum litterarum necessitas, et frequens usus liquet ex *can.* 32. vulgo Apost., et Conc. Carthag. I. Antiocheno, Chalcedonensi, et S. Aug. apud Gratianum *can. 6. usque ad 9., et ult. dist. 71.*

(4) *Ep. 2.* ad Thessalonic. *cap. 3. vers. 6.*

(5) Conc. Carthag. V. in *can. placuit 10. dist. 18.*

ditum ad clericatum promoverit, vel monasterio alterius praefecerit, *a celerorum communione seiunctus suae, tantum plebis communione contentus sit* (1). Ex parte igitur, non totum christianae societatis vinculum ista minori excommunicatione abruptum conspicimus (2). Utraque vel minimum, vel nullum fere usum in foro externo nunc obtinet.

§. VIII. *De interdicto.*

LXXV. Prohibiti vel Ecclesiam ingredi, vel sacris, divinisve officiis adesse, vel in coemeterio, aut sepultura ecclesiastica tumulari, vel Sacramenta vivorum suscipere, minoris etiam excommunicationis vinculis obstringi plane videntur, quum a communione fidelium non omnimodis, sed ex parte solum segregentur, ab unitate Ecclesiae minime abscissi. At decretalium textus, et Canonistae consueverunt eos censura *interdicti* notatos speciatim dicere. *Interdictum* enim in Iure canonico (3) stricte accipitur pro *censura ecclesiastica, quae sacris aliquot, divinisque rebus privat vel personas, vel loca, vel utraque.*

LXXVI. Si quidem triplex interdicti genus usuvenit, *personale*, *locale*, et *mixtum*. Et rursus duplex, *generale*, ac *particulare*. Quod certas personas ubilibet ab ingressu Ecclesiae, usuque rerum divinarum excludit *personale* dicitur (4). *Locale* divina officia, et sacra fieri in aliqua Ecclesia, vel ara, vel urbe ita prohibet, ut personis eiusdem loci libertatem relinquat alibi sacris adesse, ac frui (5). *Mixtum*

(1) Idem in *can. si quis 2. dist. 58.* Regula etiam S. Benedicti *cap. 44.*, monachi tardius venientis exclusionem ab oratorio, et mensa communi *excommunicationem* vocat.

(2) Optat. Milevit. *lib. 4. pag. 77. Vides, frater Parmeniane*, inquit, *sancta germanitatis vincula inter nos, et vos in totum rumpi non posse.* Quodammodo spectat huc illud Isaiae *cap. 56. vers. 5. His, qui dicunt vobis, non estis fratres nostri dicite, fratres nostri estis.*

(3) In Iure civili *interdicta erant formae atque conceptiones verborum, quibus Praetor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat: quod tunc maxime fiebat, quum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur*, ut Iustinianus docet initio *tit.* Inst. *de interdictis.* Videlicet, *quorum bonorum, pro haerede, pro possessore, uti possidetis, et utrobi, unde vi*, etc. *Sunt tamen*, addit Imp. §. 1., *qui putent proprie interdicta ea vocari, quae prohibitoria sunt, qui interdicere sit denunciare, et prohibere.*

(4) De clericis interdictis loquitur Alexander III. in *cap. clerici 3.*, *et latores 4. de cler. excom.*, *vel interdicto ministr.* De nominatim interdictis Inn. III. in *cap. ex parte 23. de verb. sign.* Bonif. III. in *cap. in cui 20. de sent. exc. in VI.* Huius censurae exempla habuit ante Christum etiam prisca paganorum superstitio, et praecipue Druidum. Nam Iulius Caesar mores eorum enarrans inquit: *Si quis vel publicus, vel privatus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima: quibus ita est interdictum, hi numero impiorum, ac sceleratorum habentur, hi omnes decedunt aditumque, sermonemque defugiunt, ne quid ex contagio incommodi accipiant nec suum petentibus ius redditur, neque honos ullus communicatur.*

(5) De locis interdicto suppositis Innoc. III. in *cap. postulastis 7. §. quaesivistis de cler. exc. vel interdicto*, et Bonif. VIII. in *cap. is, qui 18. §. un. de sent. exc. in VI. et cap. si civitas 17. eod. tit. in VI.*

denique personas, et loca simul afficit (1). *Generali* quidem interdicto vel totus Clerus, aut Collegium, aut populus, aut Universitas, aut Civitas a sacris arcetur (2): vel a tota urbe, aut terra, aut castro, aut provincia, aut regno sacra subtrahuntur (3). Unam vero, pluresve, singulatim vel personas, vel Ecclesias ex multis in uno, eodemque loco sistentibus *particulare* interdictum percellit.

LXXVII. Publicos poenitentes omnes ecclesiastico *interdicto personali* obnoxios dudum habuit vetus Ecclesiae disciplina, quippe quos a divinis officiis, et Missa communicantium, et susceptione Sacramentorum tamdiu arcebant sacri canones, donec admissa crimina lethalia expiarent, et per quatuor gradus intermedios, *fletus*, *auditionis*, *substrationis*, et *consistentiae*, ad plenam ipsi redirent communionem fidelium (4). Prima Synodus Nicaena lapsos poenitentiam acturos a fidelium comprecationibus, et sacris ad triennium extrusit inter audientes, mox eis ad communes populo preces admissis oblationes, et synaxim ad plures alios annos interdixit (5). *Canonum censura*, tradit S. Isidorus, *post septem annos remeare poenitentem in pristinum statum praecipit* (6): quum a Sacramentis interea, divinisque officiis communicantium fidelium procul arceatur. *Sunt qui arbitrentur hoc esse poenitentiam, si abstineant a Sacramentis coelestibus*, ait S. Ambrosius (7): ut ostendat prohibitos, et abstinentes a participatione Sacramentorum poenitentes veram non agere poenitentiam sine contritione cordis, corporis castigationibus, et emendatione vitae. Matrimonium insuper cum ceteris Sacramentis poenitentibus interdixit Siricius (8). Baptisterium tempore Quadragesimae interdixit Synodus Toletana (9). Poenitentes *a communione sacrorum exclusos* fert etiam Sozomenus (10). Hinc videntur canones vulgo Apostolorum, ni mea me fallit opinio, potius interdictum a sacris, quam excommunicationem maiorem tunc sanxisse, ubi hos, et illos peccantes *a communione Ecclesiae* eiicien-

(1) Bonif. VIII. in *cap. si sententia 11. eod. tit. in VI.*

(2) Clero interdicto non interdictum populum, nec e converso declaravit Bonifacius VIII. in *cap. si sententia 11. de sent. exc. in VI.* De civibus Ferrariae generatim interdictis agit Innoc. III. in *cap. responso 43. de sent. exc.*

(3) De generali locorum interdicto Inn. III in *cap. cum in partibus 17. de verb. sign.* Greg. X. in *cap. praesenti 10.*, Bonifacius VIII. in *cap. si civitas 17. de sent. exc. in VI.*, et Clementina *gravis 2. eod. tit. Si civitas, castrum, aut villa subiiciantur ecclesiastico interdicto: illorum suburbia, et continentia aedificia eo ipso intelligi volumus interdicta . . . ne vilipendi valeat sententia,* inquit Bonifacius VIII. in *cap. si civitas 17. eod tit. in VI.*

(4) Constat ex supradictis *lib. II. tit. VIII. num. XXXI.*, et ex 47. canonibus poenitentialibus ad calcem Gratiani.

(5) Nicaena Synodus *can.* 11., et 12. apud Gratianum in *can. si qui vero 4. de poenitentia dist. 5.*

(6) S. Isidorus in *can. hoc ipsum 11. C. 33. qu. 2.*

(7) S. Ambrosius in *can. sunt qui 56. de poenitentia dist. 1.*

(8) Siricius in *can. de his vero 12. C. 33. qu. 2.* Cuiusmodi interdictum abrogavit ex indulgentia S. Leo in *can. in adolescentia 14. ead. C. et qu.*

(9) Toletana apud Gonzalez *de iurepatr. cap. 2. in not. lit. c.*

(10) Sozomenus *lib. 7. hist. cap. 16.*

dos edixerint simpliciter (1) : anathema vero significasse his aliis verbis : *ab Ecclesia omnino abscinditor*, *excommunicatione mulctator*, *excommunicatione percellitor* (2). Cunctos itaque peccantes publica poenitentia expiandos *interdicto personali* consueverunt prisci Patres coercere.

LXXVIII. In aliquos etiam speciatim antiqui canones interdictum ecclesiasticum sanxerunt. Ab Ecclesiae liminibus arcendum, qui aliquem de Ecclesia violenter rapuerit, Gelasius quinto saeculo exeunte rescripsit (3). S. Gregorius M. sacrorum altarium communionem iis interdixit, qui sacris nesciunt canonibus obedire (4). Concilium Ilerdense an. 524 incestuosos Missae catechumenorum adesse in Ecclesia permisit, cetera sacra, et cibum eucharisticum eis interdixit (5) : nec non coniugium Synodus Agathensis (6), Aurelianensis (7), Triburiensis (8). Eodem saeculo sesto S. Gregorius M. coniuges ob voluptatem culpabilem ab ingressu Ecclesiae, seu a sumptione Corporis Domini abstinendos censuit (9). Ab Ecclesiae liminibus arcendum Archidiaconum, Archipresbyterum, ceteros, qui officia, vel beneficia ecclesiastica sine iudicio, et consensu Episcopi conferrent, a Callixto Papa sancitum fert Gratianus (10) : sed nos rectius dicamus a pseudo-Isidoro traditum ex saeculi sexti moribus. Nicolaus I. saeculo IX. suas occidentibus uxores alterum coniugium penitus interdixit (11). Matremque necanti vetuit ad annum Ecclesiam ingredi, tum triennalem inter audientes poenitentiam imperavit, oblationes vero ipsius ad septennium respuit (12). Stephanus V. post ann. 885. Hastulphum, qui suam uxorem interfecerat, ad alteram numquam ducendum commonuit, publi-

(1) *Can.* vulgo Apost. 8., 9., 10., 15., 23., 29., 30., 42., 47., 53., 55., 56, 57., 58., 62., 65., 68. Coniecturae huic admodum favet *can.* 44. his verbis conceptus: *Qui cum haereticis preces coniunxerit*, dumtaxat a communione *seiungitor*. Enimvero particula *dumtaxat* minorem aliis censuram denotans plus indicat maiorem excommunicationem, quae omnes alias censuras habet sibi adnexas, ex canone non inflictam. Tres hinc omnes *excommunicationis*, *suspensionis*, *et interdicti latas sententias* promulgavit Eugenius IV. in locorum Ordinarios, qui privarent beneficiis commorantes in urbe, et cunctos, qui ea reciperent, addens ab ea *excommunicationis* sententia solum Pontificem praeterea neminem, absolutionem posse extra mortis articulum indulgere, Extr. *divina 3. de privilegiis*. Itaque Eugenius modo expressit duas accessorias excommunicationi censuras modo reticuit eas tacito iure adnexas.

(2) *Can.* vulgo Apostol. 27., 28., 44., 72., et 75.

(3) Gelasius in *can. frater 10.*, *et can. ad Episcopos 11. C. 15. qu. 4.*

(4) S. Greg. in *can. consona 13. C. 25. qu. 1.*

(5) Syn. Ilerdens. an. 524., in *can. de his, qui 9. C. 35. qu. 2.*

(6) Agathens. an. 506., in *can. de incestis 8. ead. C. et qu.*

(7) Aurelianens. an. 511., in *can. incestis 3. C. 35. qu. 8.*

(8) Triburiens. an. 895. *can. si quis cum duabus sororibus 8. C. 34. qu. 2.*

(9) S. Greg. ad Augustin. in *can. vir cum propria 7. C. 33. qu. 4.*

(10) Callixtus (an. 219. creatus Pontifex) in *can. nullus omnino 11. C. 16. qu. 7.* Huius autem decretales inter apocryphas adscribuntur.

(11) Nicolaus I. an. 858. in *can. interfectores 5. C. 33. qu. 2.*

(12) Idem in *can. latorem 15. eadem C. et qu.* Consonat Paschalis II. in *can. nullus laicorum 18. C. 16. qu. 7.*

cam indicens ei poenitentiam, et sacra simul prohibens (1). Saeculo XI. Alexander II., ut *ab Ecclesiae liminibus arceatur* occupans Ecclesias, vel ecclesiastica bona, de iisque disponens, constituit (2). S. Gregorius VII. suscipienti episcopatum, inferioresque dignitates de manu laicorum, et laicis investituram ecclesiasticam dantibus *introitum Ecclesiae* interdixit (3). Idemque presbyteris, diaconis, subdiaconis, *qui in crimine fornicationis iaceant*, *interdicimus*, ait, *Ecclesiae introitum, usque dum poeniteant, et emendent* (4). *Cui* vero *est Ecclesiae interdictus ingressus, per consequens censetur ipsa divinorum celebratio interdicta*, inquit Bonifacius VIII (5).

LXXIX. Alios etiam simili interdicto castigant novae disciplinae constitutiones. Qui divina scienter celebrent, vel celebrari faciant in civitatibus, castris, villis, locisve aliis ab Ordinario dioecesano, vel delegatis iudicibus, vel a Iure interdictis, aut excommunicatos publice, interdictosve ad officia divina, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittant, *ingressum Ecclesiae sibi noverint interdictum*, donec satisfecerint arbitrio interdicentis, ex Bonifacii VIII. constitutione (6). Urbanus VIII. cunctos Ecclesiarum saecularium rectores onera Missarum perpetua, sine licentia dioecesani suscipientes, pecuniamque pro eiusmodi legatis acceptam apud idoneam personam non deponentes interdicto punit (7).

LXXX. In Episcopos, Praelatosque speciatim interdicta non semel sanxerunt pontificiae decretales, bullaeque posteriores: praesertim postea quam Innocentius IV. in generali Concilio Lugdunensi constituit, *ut Episcopi, et alii superiores Praelati nullius constitutionis, sententiae, sive mandati occasione incurrant sententiam* interdicti, vel suspensionis *ipso iure*: *nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur* (8). Ex eiusdem Concilii canone, *quisquis* non rite aliquem excommunicant, interdicit, suspendit contra formam Iuris, *per mensem unum ab ingressu Ecclesiae, et divinis officiis noverit se suspensum* (9), ipso scilicet facto, quisquis erit iudicium ecclesiasticorum, exceptis Episcopis. Gregorius X. ad cohibendos visitatores pecuniam, vel munera, vel procurationem iusto maiorem extorquentes, vel eam non impenso visitationis officio accipientes, *Patriarchae*, inquit, *Archiepiscopi*, *Episcopi* duplum ultra mensem restituere differentes, ingressum sibi Ecclesiae sentiant interdictum (10). Bonifacius VIII., ut bona et fructus vacantium

(1) Steph. V. in *can. admonere 8. eadem et qu.*
(2) Alexander II. electus an. 1061., in *can. nullus 18. C. 16. qu. 7.*
(3) S. Greg. VII. an. 1073., in *can. si quis deinceps 12. eadem C., et qu.*
(4) Idem in *can. si qui sunt 15. dist. 81.*
(5) Bonif. VIII. in *cap. is, cui 20. de sent. exc. in VI.*
(6) Bonif. VIII. in *cap. Episcoporum 8. de privileg. in VI.*
(7) Urbanus VIII. in *const. 43. §. 5., et 7.*
(8) Innoc. IV. in *cap. quia periculosum 4. de sent. excom. in VI.*
(9) Idem in *cap. cum medicinalis 1. eod. tit. in VI.* Eamdem censuram ipso facto iisdem fere verbis Innocentius III. in Conc. Later. IV. praescripserat in *cap. sacro 48. de sent. excom.*
(10) S. Greg. X. in Conc. Lugd. II. *cap. exigit 2. de censib. in VI.* Idipsum firmavit lex Tridentina in *cap. Patriarchae 3. sess. 24. de ref.*

Ecclesiarum, dignitatum, beneficiorumque ipsis Ecclesiis, et beneficiis, et successoribus beneficiariis reservarentur, ea ne quis usurparet, vetuit: *alioquin Episcopi, et eorum superiores*, ait, *ab ingressu Ecclesiae, ceteri ab officio, et beneficio tamdiu eo ipso noverint se suspensos; quousque restitutionem fecerint* (1). Paulus II. alienanti bona Ecclesiarum, monasteriorumque inconsulto Romano Pontifice, aut contra formam Iuris, *si pontificali*, ait, *vel abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae sit penitus interdictus* (2). Ex tridentina lege *Metropolitanus suffraganeos Episcopos* ultra annum *absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denunciare tenetur* (3). Eodem interdicto Urbanus VIII. afficit promotos ad cathedrales Ecclesias, etiam Cardinales, qui unum intra mensem a die promotionis, puta consecrationis iter ad suam residentiam non arripiant (4).

LXXXI. Quod ad *locale interdictum* saeculo VI. S. Gregorius M. Ecclesiam ab Episcopo Exuperantio, in aliena dioecesi dedicatam interdixit, ne publicae illic Missae celebrarentur ulterius (5). Tum Missas publicas in coenobiis vetuit Episcopis celebrare (6). Episcopus Aquensis a B. Gregorio Turonensi fertur sacra interdixisse Ecclesiae suae, donec res eidem Ecclesiae violenter ablatas restituerent (7). In eo altare, ubi Episcopus Missam cantavit, aliam eo ipso die presbyter celebrare interdixit Synodus Antisidiorensis ann. 578 (8). Arianorum Ecclesiam duos annos clausam fert S. Gregorius M. (9). Saeculo VII. ob pravos cuiusdam presbyteri mores S. Eligius Noviomensis Episcopus in dioecesana visitatione quamdam basilicam interdicto subiecit (10). Con-

(1) Bonif. VIII. in *cap. praesenti 9. de offic. Ordinarii in VI.* Io. XXII. in Extravag. *un. ne sede vacante aliquid inn.* de usurpatoribus iisdem loquens, ait: *si quidquam aliquis. . . perceperit, illudque intra mensem non restituerit cum effectu: eo ipso si Episcopus, vel superior Praelatus fuerit, a pontificalibus, et ingressu Ecclesiae noverit se suspensum.*

(2) Paul. II. in Extr. *ambitiosae un. de reb. Eccl. non alien.*

(3) Trid. in *cap. eadem 1. sess. 6. de reform.*

(4) Urbanus VIII. in *const. 190. §. 7.*

(5) S. Greg. M. in *can. lator 3., et ult. C. 16. qu. 2.*

(6) Idem in *can. Luminoso 6. C. 18. qu. 2.*

(7) S. Greg. Turonens. *de gloria Confessor. cap. 71.* haec habet: *Denique condemnatus, spoliatusque Sacerdos* (Episcopus nimirum Aquensis) ad *urbem rediit, atque prostratus in oratione coram sepulchro Sancti, dicto psalmi capitulo, ait: non hic accendetur lumen, nec psalmorum modulatio canetur, gloriosissime Sancte, nisi prius ulciscaris servos tuos de inimicis tuis, resque tibi violenter ablatas Ecclesiae sanctae restituant. Haec cum lacrymis effatus sentes cum acutis aculeis super tumulum proiecit, egressusque clausis ostiis, similiter in ingressu alias collocavit. Typus is erat derelicti penitus loci.* Baronius id etiam refert ad *an. 579. num 16.*, et Gonzalez in *notis ad cap. 2. de iurepatr. lit. C. in fine.*

(8) Syn. Antissidiorens. in *can. in altare 97. de cons. dist. 2.*

(9) S. Greg. in *can. Arianorum 21. de consecr. dist. 1.*

(10) S. Audoen. Rothomag. Archiep. in *vita S. Eligii lib. 2. cap. 21.*

cilium Toletanum XIII. damnavit abusum tunc in dies gliscentem interdicendi officia divina in Ecclesiis leves ob caussas, nudandi sacris vestibus altaria, divinorumque sacrificiorum cultum subtrahendi: sacerdotes vero id praesumentes perpetua ignobilitate, ac dignitatis amissione puniendos decrevit; nisi eos legitima caussa impulerit, puta contaminatio sacrorum ordinum, subversio fidei, hostilitas, et obsidio, vel aliqua Iuris ecclesiastici constitutio (1). Nam delictum personae in damnum Ecclesiae non est convertendum (2). Sexta Synodus oecumenica in Oratoriis privatis Missarum celebrationem interdixit (3). Saeculo IX Papa Ioannes VIII. ob violatam Ecclesiae, ac Sacerdotii immunitatem, seque ipsum a Landberto Witonis filio, et Adalberto Bonifacii filio, Carolomanni ministris vi captum, et sub custodia detentum S. Petri Basilicam sacris nudavit, altare cilicio cooperuit, ostia clausit, atque ad Lateranos transtulit sacra (4). IX. saeculo Concilia duo Cabilonense, et Metense I., seu Mediomatricis, censuerunt discordias patronorum, divisionesque Ecclesiarum ab heredibus compatronis attentatas abolere interdicto episcopali, quo Missarum solemnia prohibeantur in Ecclesiis eorum (5). Tum Synodus Triburiensis an. 895. reliquias au-

(1) Conc. Toletan. XIII. an. 683. *can. 7. Quod supplicium*, ait, *merebuntur, qui divinae servitutis cultum malitia intercedente ab altaribus Christi subducunt? . . . Quicumque ergo Sacerdotum, vel ministrorum deinceps caussa cuiuslibet doloris, vel amaritudinis permotus, aut altare divinum vestibus sacratis exuere praesumpserit, aut qualibet alia lugubri veste accingi, seu etiamsi consueta luminariorum sacrorum obsequia de templo Dei eduxerit, atque (quod peius est) occasionem nutrierit; unde de templis Domini, aut officia consueta desint, aut oblatio singularis sacrificii videntur in aliquo defraudari, si eum antea verae poenitudinis coram Metropolitano satisfactio non purgaverit, ignobilitati perpetuae mancipatus iuxta superiorem sententiam Domini, et loci sui dignitate se noverit, et honore privari: illis procul dubio personis ab hac ultionis sententia separatis, quae aut contaminationem sacrorum ordinum, vel subversionem sanctae fidei metuentes, aut hostilitatem, vel obsidionem perferentes, seu etiam divinorum iudiciorum sententiam metuentes, tale fecisse contigerit, in quorum facto plus humilitas, qua Deus placetur, quam interni laboris dolositas declaratur.* S. Augustinus, *tribus ex caussis*, ait, *loca sanctorum transmutanda sunt. Prima, cum necessitas persecutorum loca eorum gravaverit. Secunda, cum difficultas locorum fuerit. Tertia, cum malorum societate gravantur, can. tribus 36. de consecr. dist. 1.*

(2) S. Greg. in *can. si Episcopum 3. C. 16. qu. 6.*

(3) Sexta Synodus an. 681. in *can. clericos 34. de consecr. dist. 1.* Id quod antea statuerat Synodus Aurelianensis, an. 511. in *can. unicuique 33. ibidem.*

(4) Ex Ioannis VIII. *ep. 84.*, Annal. Francor. *ad an. 878.* Idem vero a probis fidelibus improbatum fert Muratorius ad *an. 878. to. 5. annal. Ital.*

(5) *Cap. 1., et 2. de iurepatronatus.* Vulgatus decretalium textus Gregorianus *cap. 1. eod. tit.* inscribit perperam Concilio Mediolanensi, quod ex Concilio Mediomatricis fert rectius prima decretalium collectio, et repetitum in Synodo Cabilonensi II. anno 813. monet Gonzalez in *notis ad idem cap. 1. de iurep. lit. a: Praecipiatur ab Episcopo civitatis*, hic textus ait, *ut nullo modo ibi Missarum solemnia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, et pari voto, atque consilio Ecclesia illa Sacerdotem canonice habeat, qui libere ibi suum ministerium peragere possit.* Hunc ipsum canonem Cabilonensem Grego-

ferri ab Ecclesia decrevit, eamque ita claudi, ut nullus in ea sacrum ministerium celebret, donec communi heredum patronorum consensu, et consilio Episcopi statuatur ibi presbyter idoneus (1). Ut altaria superflua destruerentur, insuper decrevit Concilium Meldense an. 545 (2). In Ecclesiis non consecratis, aliisque locis ab Episcopo non permissis sacra non celebranda statuit Concilium Triburiense (3). Ob sepulta infidelium cadavera in Ecclesiis officia divina interdixit Concilium Agrippinense an. 887. (4). Si quem induxerint regulares, vel clerici saeculares ad sepulturam in suis Ecclesiis eligendam, electamve non variandam, eiusque cadaver una cum omnibus pro eo sepeliendo acceptis intra decem dies non restituerent Ecclesiae, in qua erat de iure sepeliendus: ipsas eorum Ecclesias cum coemeteriis tamdiu interdicto subiacere Bonifacius VIII. constituit, donec plenam facient restitutionem omnium praedictorum (5). Ceterum *Ecclesia interdicto subiecta nec in capella eius celebrari, nec in coemeterio ipsius eidem Ecclesiae contiguis poterit sepeliri: secus si contigua non existant*, idem Bonifacius VIII. declaravit (6).

LXXXII. *Mixtum* loci, et personae interdictum sanxit Paschalis II., prohibens Ecclesiam scindi arbitrio laicorum. *In potestatem ergo proprii Episcopi*, ait, *Ecclesiae reducantur: alioquin et Ecclesiae ipsae, et clerici earumdem divinis destituantur officiis* (7).

LXXXIII. *Generale interdictum*, quod vel personas omnes alicuius Cleri, aut populi, familiae, Universitatis, dioecesis, vel Ecclesias cunctas alicuius loci, seu civitatis, seu provinciae, seu regni involvit, ignotum penitus prioribus Ecclesiae saeculis, et inusitatum fuisse plures haud obscuri nominis Doctores tenent (8). At vestigia istius antiquissima, quae supersunt in canonibus vulgo Apostolorum priscos Ecclesiae mores ostendentibus, contrariam suadent sententiam. Ita enim se habet canon XXXV. *Si quis ordinatus Episcopus ministerium, et curam populi sibi commissam . . . non prae voluntate sua, sed prae malitia populi non susceperit: maneto ipse quidem Episcopus*, Clerus

rio Papae Gratianus infelicius tribuit in *can. considerandum 35. C. 16. qu. 7.* Eumque Correctores monent citatum esse in Capitularibus Caroli M. et legibus Langobardicis.

(1) Conc. Triburiense an. 895. temporibus Formosi Papae, et Arnulphi Imp. in *cap. quaecumque 2. de iurepatr.* et in *can. si plures 36. C. 16. qu. 7.*

(2) Conc. Meldense in *can. Ecclesiae 17. de consecr. dist. 1.*

(3) Triburiense an. 895. in *can. Missarum 12. eod. dist. 1. de cons.*

(4) Agrippinense in *can. Ecclesiam 28. ibidem.*

(5) Bonif. VIII. in *cap. animarum 1. de sepulturis in VI.*

(6) Bonifac. VIII. in *cap. si civitas 17. de sent. excom. in VI.*

(7) Paschalis II. (an. 1059. in *can. sicut 19. C. 16. qu. 7.* De ecclesiis, et personis insimul interdictis loquitur Gregorius IX. in *cap. permittimus 57. de sent. exc. in VI.*

(8) Rousselius *lib. 8. Pontif. iurisd. cap. 1. num. 31.* quonam tempore huius censurae usus in Ecclesia invaluisset, adhuc non liquere ait. Morinus *lib. 2. exercitat. cap. ult.* initium adscribit saeculo decimo. Claudius Fleury *par. 3. Inst. Iur. Can. cap.* 21. eam perinde, ac generalem excommunicationem primis saeculis inusitatam asserit.

vero eius civitatis a communione segregator, eo quod tam inobedientem populum non corripuerint. S. Augustinus Comiti Bonifacio, qui hominem de Ecclesia rapuerat, communionem, eiusque domui oblationes interdixit. *Oblatio domus tuae*, ait, *a clericis ne suscipiatur, interdixi: communionemque tibi interdico* (1). Insuper *loca Sanctorum transmutanda* monet S. Augustinus, *quum malorum societate gravantur* (2). Ecclesias igitur ex malorum societate transmutandas interdicto generali subiicere veteres consuevisse hinc etiam patet.

LXXXIV. Auxilii vero Episcopi iuvenis, qui totam Classiciani domum inconsulta commotione animi anathematizaverat ob ipsius Classiciani peccatum, rigorem carpit idem S. Augustinus ad eum sic scribens: *audisti fortasse aliquos magni nominis sacerdotes quempiam cum domo sua anathematizasse peccantium. Sed forte si essent interrogati, reperirentur idonei reddere inde rationem. Ego autem, quoniam si quis a me quaerat, utrum recte fiat, quid ei respondeam non invenio: numquam hoc facere ausus sum de quorumdam facinoribus unanimiter adversus Ecclesiam perpetratis, nisi gravissime commoverer . . . Quomodo vel Deo, vel hominibus iustam possumus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno spiritali supplicio puniamus* (3). Hisce verbis haud negat S. Doctor conspicuos Patres quandoque ob crimen patris familias totam illius domum excommunicatione percussisse, iustis forsan rationibus adductos: quamquam exempla eorum sectari ipse numquam sit ausus (4). Utique is abusum generalis anathematis, quo parvulis etiam domus excommunicatae baptismus, aliisque innocentibus sacra mysteria cum aeternae salutis periculo adimebantur, improbandum, et corrigendum recte studuit: alias minores censuras, et interdicta sacrorum, quamvis generalia non item: ubi ratio nimirum publica ea postularet ad contaminatae domus, aut gentis flagitia vindicanda, vel spes ad meliorem frugem revocandi principes familiarum peccantes poenis ad filios, et subditos extensis

(1) S. August. in *can. miror. 8. c. 17. qu. 4.*

(2) Idem in *can. tribus ex caussis 36. de consecr. dist. 1.*

(3) Idem in *can. si habes 1. C. 24. qu. 3.* Eamdem sententiam repetit Doctor in *can. cum quisque, 19., et can. non potest 32. C. 23. qu. 4.*

(4) Gratianus initio *qu. 3. C. 24.* multis exemplis probandum primo assumit, *quod pro peccato alicuius tota familia excommunicanda sit. Pro peccato Sodomitarum*, ait, *parvuli eorum, qui beneficio aetatis paterna flagitia nesciebant, coelesti igne sunt consumpti*, Gen. 19. *Pro peccato Amalechitarum non solum parvuli eorum, sed etiam bruta animalia usque ad mingentem ad parietem iussa sunt a Domino deleri.* 1. Regum 15. *In novo etiam Testamento nonnumquam peccatis exigentibus gravis pestilentia desaevisse legitur, quae etiam illos involvit, qui peccati conscientiam non habebant.* Mox distinguendo explicat pro peccatis parentum parvulos corporaliter flagellari a Domino, non spiritaliter. *Haec enim fuit*, ut S. Augustinus docet in cit. *can. si habes. 1. eod. C. et qu., corporalis poena, qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus, qui eiusdem impietatis participes fuerunt, pariter interfectos.* Minores autem excommunicationes interdicto illatae, quae Sacramenta ad aeternam salutem omnino necessaria non adimunt, naturali morte videntur quidem esse mitiores.

quum participes in crimine, tum innoxios. Nam rationes omnes a S. Augustino congestae ad generalia solum anathemata expungenda collineant.

LXXXV. Sexto inde saeculo plura occurrunt exempla. Ob nefariam necem Praetextati Rothomagensis Episcopi sacra illi Ecclesiae generatim interdicta fert B. Gregorius Turonensis (1). In Synodo Agathensi anno 506. *populus banno christianitatis constrictus* memoratur, qui ecclesiasticae communionis interdictum procul dubio sonat (2). *Bannus Dei* appellatur in Synodo Confluentina anno 822., *bannus episcopalis* in Concilio apud Theodonis Villam sub Lodovico Pio an. 821., Triburiensi an. 895. (3).

LXXXVI. Saeculo XI. S. Gregorius VII. necem S. Stanislai Cracoviensis Episcopi, et martyris a Boleslao Poloniae rege impetratam ulturus Provinciam Gnesnensem sacris omnibus generatim interdixit (4). Sequenti saeculo quum Henrico II. Rex Anglorum tres filias suas unam Regi Castellae, alteram Duci Saxoniae, tertiam Siciliae Regi nuptas in regno suo invitas detineret, instantibus viris, qui suas expetebant uxores, Alexander III. rescripsit Regem ab Archiepiscopo Cantuariensi, aliisque delegatis apostolicis fore commonendum, ut eas intra dies tot restitueret, alias termino elapso *tota provincia, intra quam detinebatur, aut transferantur*, ait, *quamdiu ibi fuerint, donec viris suis non restituantur, ab omnibus divinis officiis, praeter baptisma parvulorum, et poenitentias morientium cessent* (5). Idem Pontifex ab Episcopo Carnotensi consultus respondit, quod iudex ab Apostolica Sede delegatus Episcopo rebelli, et contumaci *vel ingressum Ecclesiarum, vel sacerdotale officium interdicat, aut etiam terram illius, quae ad iurisdictionem suam pertinet, specialiter interdicto supponat* (6). Mox Innocentius III. ob repudiatam a Philippo Galliae Rege uxorem Ingerburgem Canuti Danorum Regis germanam, superinductam thoro coniugali Mariam Ducis Meraniae filiam, interdicto generali totum Galliae regnum subiecit (7). Tum Ferrarienses etiam cives, quod in bello ci-

(1) S. Greg. Turonens. *lib. 8. hist. eccles. cap. 31.*, laudatus ab Altaserra, *de iurisd. eccles. par. 2. cap. 12.* Claudius Fleury *par. 3. Inst. Iur. Can. cit. cap. 21.* affirmat *primum interdictorum usum exeunte saeculo VI.* deprehendisse apud Gregorium Turonensem *lib. 34. num. 53.*, ab eoque plura Episcoporum exempla referri, *qui ob crimina atrocia imperarunt cessationem a divinis, ut Ecclesiae in luctu constituerentur.*

(2) Syn. Agath. in *cap. si quis presbyter 2. de purg. canon.*, ibique Gonzalez. Huiusmodi verbum in Capitularibus Caroli Calvi, et Concilio Coloniensi usurpatum fert Inn. Cironius *observat. lib. 1. cap. 16.* in edicto Henrici II. apud Matth. Paris. ad an. 1163. *interdictum Christianitatis* dicitur ibi: *si quis inventus fuerit ferens litteras Domini Papae, vel mandatum Thomae Archiepiscopi, continens* interdictum Christianitatis *in Anglia, capiatur, et retineatur.*

(3) Apud Cironium *loc. cit.*

(4) Ex Longino historico Polono N. Alexander *hist. eccl. saec. XI. cap. 2. art. 11. de S. Greg. VII. num. 8.*

(5) Alex. III. in *can. non est vobis 11. de sponsal.*, ibique Gonzalez.

(6) Idem in *cap. sane 22. de offic. et pot. iud. deleg.*

(7) Innoc. III. in *cap. adhaec 1. de postulat. Praelator. cap. novit 7. de of-*

vili faverent Othoni Imperatori Romanae Ecclesiae hosti Innocentius ipse generatim excommunicavit, sacrisque omnibus interdixit (1). Multo plura exinde obstrepuerunt id genus interdicta, quae singulatim percurrere nimis longum esset : quum hactenus dicta satis commonstrent huius censurae usum a primis usque saeculis in Ecclesia viguisse.

LXXXVII. Varios quidem abusus peperit vel animus Praelatorum caussis non legitimis commotus ad sacra interdicenda, et improvidus rigor, vel subtracta parvulis, et infirmis ad salutem necessaria Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae, vel infelicium temporum conditio, et contumacia peccantium obduratissima, vel ministrorum excessus, aut plus aequo, aut minus interdicta servantium : scilicet malitia hominum, non medicina censurae. Hinc scandala ergo exorta, hinc turbae, querelaeque assiduae, interdicta Ecclesiarum et Communitatum, sine discrimine infamantes, velut rem novam disciplinae recentioris. Tantum vero videntur abesse a prolatis Ecclesiae Romanae sententiis fomenta eiusmodi abusuum, ut eos immo radicitus omnes extirpare studuerint pontificiis decretalibus, novisque constitutionibus Alexander III, Innocentius III., Bonifacius VIII., ceteri subsecuti Pontifices antiquos canones, et decreta Patrum sectantes.

LXXXVIII. Enimvero Baptismum parvulorum, et Poenitentias morientium retroactis temporibus vetitas primus omnium Alexander III. excepit ab interdicto generali Provinciarum Angliae (2). Idemque Hospitalariis, et Templariis indulsit semel in anno ad ecclesiasticum officium admitti in Ecclesia interdicta (3). Innocentius III. praeterea indulsit baptizatos parvulos sacro Chrismate deliniri, et verbum Dei interdictis etiam, et excommunicatis praedicari (4) : morientibus vero tempore interdicti generalis, non modo Poenitentiam, sed et Viaticum eucharisticum, clericisque obeuntibus, qui illud servaverint, sepulturam ecclesiasticam, silentibus campanis, aliisque solemnitatibus (5) concessit :

ficio legati, et cap. cum inter 5. de consuet. de isto Galliae interdicto loquitur. Spondanus in *contin. Baronii ad an. 1198. num. 8.* fert Philippum eumdem in contumacia menses novem obluruisse, in eumque commotam populi seditionem non ante deferbuisse, quam Rex resipiscens, dimissa pellice, absolutionem censurae ab Apostolica Sede promeruisset. Hic enim finis est interdicti generalis, ut principes familiarum, et gentium contumaces, Ecclesiaeque praeceptis rebelles molestiis filiorum, subditorumque innocentium commoti ad resipiscendum facilius adigantur. Itaque fit aliquando, *ut qui suis meritis firmus est, turbetur alienis*, inquam eum S. Ambrosio in *can. turbatur navis 7. C. 24. qu. 1.* : dum scilicet ob aliena patrum, seu dominorum peccata innoxii cum noxiis generatim plectuntur ecclesiastico interdicto.

(1) Idem in *cap. responso 43. de sent. exc. in VI.*

(2) Alex. III. in *cit. cap. non est vobis 12. de sponsal. et matr.* huiusmodi abusum in censura domus Classiciani ab Auxilio Episcopo lata speciatim reprehendit S. Augustinus in *can. si habes 1. C. 24. qu. 3.*

(3) In Conc. Later. *cap. cum et plantare 3. §. quod si de privilegiis.*

(4) Innoc. III. in *cap. responso nostro 43. de sent. exc.* Hinc pro convocando ad sacras conciones populo tunc licere campanas pulsare, monet Gonzalez in *comm. ad cap. quod in te 11. de poenit. remiss. in fin.*, et Barbosa *lib. 3. vol. 192. num. 33.*

(5) Idem in *cap. quod in te 11. de poenit., et remiss.*

quemadmodum et Templariis, eorumque oblatis (1). *Utque in conventualibus Ecclesiis bini, et bini, vel simul tres horas canonicas valeant legere, non cantare, ianuis clausis, interdictis, et excommunicatis exclusis, et voce ita demissa, quod exterius audiri non possint*: instar Regularium, qui a Sede Apostolica indultum eiusmodi obtinuerant; necnon crucesignatis, et peregrinis Poenitentia, quam postulaverint, detur (2). Simul in Concilio Lateranensi Episcopis nominatim, non interdictis, quique interdicto caussam non dederint, facultatem celebrandi clam tempore interdicti largitus est (3). Mox Gregorius IV. generatim constituit, ut pro renovanda Eucharistia sacrificium Missae tunc semel in hebdomada celebretur (4).

LXXXIX. Bonifacius VIII. rigorem interdicti generalis magis, magisque temperavit. Indulsit enim eo vigente solemnem Chrismatis confectionem in die Coenae Domini, et nedum pueris, sed adultis etiam Baptismum, et Confirmationem (5). Insuper sanis extra mortis periculum omnibus, praeterquam excommunicatis, et qui caussam interdicto dederint, Sacramentum Poenitentiae, quotidianam Missarum, divinorumque officiorum in omnibus Ecclesiis celebrationem, ianuis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, exclusis excommunicatis, interdictisque nominatim, eamque in quatuor anni festivitatibus maioribus ritu solemni, et publico, interdictis etiam admissis, exclusis tantum excommunicatis, et iis, qui caussam dederint interdicto (6): *quia excrevit indevotio populi*, ait, *pullulant haereses, et infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur* (7). Simul constituit non esse pro quovis pecunia-

(1) Idem in *cap. ut privilegia 25. de privilegiis.*

(2) Idem in *cit. cap. quod in te* 11. *de poenit.* At libertatem, quam sibi sumpserant quidam exempti ex privilegio celebrandi officia divina pulsatis campanis, alta voce, et apertis ianuis, prorsus coercuit ipse Innocentius III. *ep.* 12. *lib. 5. registri.*

(3) Idem in Conc. Later. *cap. quod nonnulli 25. de privilegiis.* Tum Innoc. IV. in *cap. quia periculosum 5. de sent. exc.* amplius decrevit Episcopos, Praelatosque superiores nullo interdicti vinculo fore obnoxios, quod speciatim eos non exprimat. (4) Greg. IX. in *cap. permittimus 57. de sent. excom.*

(5) Bonif. VIII. in *cap. quoniam 19. de sent. excom. in VI.*

(6) Idem in *cap. alma mater 24. et ult. eod. tit. in VI.* Bonifacianum pro diebus solemnioribus indultum a Martino V., et Eugenius IV. extensum ad festivitatem Corporis Christi fert glossa in *Clement. 1. de reliquiis verb. revelatione.* Atque a Leone X. ad festum Conceptionis B. M. V. tradunt Barbosa in *cit. cap. alma mater num.* 18. et Emm. Gonzalez in *cap. quod in te* 11. *de poenit., et remiss.* Praeterea illis, qui Bulla Cruciatae potiuntur, eorumque consanguineis ad quartum usque gradum, verisque famulis Apostolica Sedes indulget sacris adesse in cunctis Ecclesiis, et privatis etiam Oratoriis, Eucharistiam sumere, simul ac omnia Sacramenta, et nuptiales benedictiones, ex traditis a Trullench in *comm. ad Bullam Cruciatae lib.* §. *5.*, et M. Mendo in *eamdem Bull. disp. cap. 3.*

(7) Bonif. VIII. in *cit. cap. alma mater.* Ubi glossa refert quamdam Marchiae Anconitanae civitatem tam diuturno obcalluisse interdicto, ut plerique inibi quum annos 30., et 40. nulla vidissent Missarum sacrificia, presbyteris ea tandem celebrantibus illuderent.

rio domini debito sacris interdicendam ipsius terram, vel civitatem sine speciali Papae licentia (1). Dein sub Eugenio IV. Synodus Basileensis vetuit, ne qua civitas, oppidum, castrum, vel locus interdicto ecclesiastico subiiciatur, ob culpam, seu caussam privatae cuiuscumque personae: nisi ea prius fuerit nominatim, et rite excommunicata, ipsamque domini, seu rectores, ac magistratus eorumdem locorum, postulante iudice ecclesiastico, intra biduum non eiecerint (2). Itaque modum iustum interdictis generalibus impositum a Pontificibus novae disciplinae auctoribus esse, non eversum plane iam liquet, antiquo non retento, sed temperato rigore.

XC. Violantes vero censuram presbyteros, qui divina scienter in loco interdicto celebraverint, praeterquam in casibus, vel iure communi, vel ex privilegio personali exceptis, irregularitatem incurrere Papae soli reservatam, et incapacitatem ad beneficia, et officia ecclesiastica sanxit etiam Bonifacius VIII. (3). Excommunicationem in eos, et suspensionem ab omni officio, et beneficio, privationemque beneficiorum iamdiu sanxerant Innocentius III. (4), et Gregorius IX. (5). Ceteros omnes quum clericos, tum laicos etiam regulares, et exemptos interdictum ab Apostolica Sede, vel Concilio provinciali promulgatum, quod viderint, aut sciverint in Ecclesia cathedrali, vel parochiali, et matrici locorum observari non servantes, excommunicatione ipso facto Sedi Apostolicae reservata compescendos decrevit Clemens V. in Concilio Viennensi (6). Secus autem, id si ignoraverint (7). Sed personaliter interdictos, aut excommunicatos officia divina celebrantes, nisi moniti statim destiterint, *perpetuae depositionis sententiam incurrere* Alexander III. rescripsit (8).

XCI. *Sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiae lata suspensio*, nempe interdictum, *aut ipsius effectus per appellationem sequentem minime suspenditur*, inquit Bonifacius VIII. (9). Generalis vero interdicti relaxationem ad cautelam non habere locum decrevit Gregorius X. (10).

(1) Bonif. VIII. in *cap. provide 2. de sent. excom.* in Extravag. comm.
(2) Synod. Basileensis 11. kal. Febr. 1435., *sess. 20.*
(3) Bonif. VIII. in *cap. is, qui 18. §. un. de sent. excom. in VI.*
(4) Innoc. III. in *cap. postulastis 7. de cler. exc., vel interd. ministr.* clericos ecclesiasticis beneficiis spoliandos, monachos, et moniales in arctioribus monasteriis ad poenitentiam detrudendos iussit.
(5) Greg. IX. ad Arch. Brachar. in *cap. tanta est 18. de excess. Praelator.*
(6) Clementina *1. 2., et 3. de sent. excomm.*
(7) Quemadmodum ab excommunicatione excusatur, qui clericum esse ignorans aliquem percusserit, Alex. III. in *cap. si vero 4. de sent. excom.*
(8) Idem in *cap. clerici 3. de cler. exc., vel interd. min.*
(9) Bonif. VIII. in *cap. is, cui 20. de sent. exc. in VI.* Consonant Clementina *1. eod. tit.*
(10) Greg. X. in Conc. Lugdun. *cap. praesenti 10. de sent. exc. in VI.*

§. IX. *De cessatione a divinis.*

XCII. Interdicta locorum non semel cessationes a divinis ideo appellantur (1), quia divina cessant in locis interdictis. Verum notione strictiori *cessatio a divinis* ea speciatim dicitur, quam sine iudicis decreto ipso facto servandam canones imperant in quavis Ecclesia ob humani sanguinis, vel seminis effusionem sic polluta, aut igne combusta, ut eam oporteat consecrare, aut solemni benedictione repurgare (2). Alexander III., et Innocentius III. rescripserunt, quod pollutam adulterio, vel homicidio, vel sepultura excommunicatorum Ecclesia per aspersionem aquae cum vino, et cinere solemniter benedicta reconcilietur (3); etiam si consecrata ea non esset (4). Hanc vero reconciliationem solis Episcopis peragendam Gregorius IX. mandavit, dum eam simplicibus sacerdotibus cum aqua etiam ab Episcopo benedicta, non obstante consuetudine, seu verius corruptela Provinciae Baracharensis, prohibuit (5).

XCIII. *Is, qui in* Ecclesia *sanguinis, aut seminis effusione* polluta, *vel qui praesentibus maiori excommunicatione notatis scienter celebrare praesumit, licet in hoc temerarie agat* irregularitatis *tamen (cum id non sit expressum in Iure) laqueum non incurrit. Is vero, qui scienter in loco celebrat*, interdicto *(nisi super hoc privilegiatus existat, aut a Iure sit concessum eidem)* irregularitatem *incurrit, a qua nequit per alium, nisi per Romanum Pontificem liberari*, Bonifacius VIII. declaravit (6). Patet hinc differentia inter cessationem a divinis localem, et interdictum, et cur eam inter censuras Doctores non recenseant. Enimvero nullam ex ea poenam accipiunt polluentes Ecclesiam, neque ad resipiscendum adiguntur, id quod censura potissimum spectat.

XCIV. Personalem vero cessationem a divinis eam dicere abstinentiam licebit, quam nullo cogente praecepto, sed consilio tantum suadente sacri canones demandarunt. Nimirum ut puerperae, eniaeque mulieres ab ingressu Ecclesiae ad multos dies abstineant (7), quaeque

(1) Clementina 1. *de sent. excom.*

(2) Ex Conc. Nicaen. in *can. Ecclesiis 20. de consecr. dist. 1.* haec habet Gratianus. *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne excussae, aut sanguinis effusione, aut cuiuscumque semine pollutae fuerint.* Eamdem sententiam repetit in *can. Ecclesiis 3. dist. 68.* Additque alium huc alludentem ex Hygino Papa in *can. si motum 19. de consecr. dist. 1.* Sed suppositione pseudo-Isidoriana uterque laborat. Concilium Triburiense decrevit, Ecclesia combusta licere *in capellis cum tabula consecrata*, h. e. altaribus cum lapide consecrato, Missas interim celebrare donec restaurentur; *aliter omnino interdixit, can. concedimus 30. de consecr. dist. 1.* Consonant Innoc. III. in *cap. ligneis 6. de consecr. Eccle., vel altar.*

(3) Alex. III. in *cap. significasti 6. de adulter. et stupro*, et Innoc. III. in *cap. proposuisti 4. de consecr. Eccl. vel alt.*

(4) Greg. IX. in *cap. si Ecclesia 10., et ult. de cons. Eccl. vel alt.*

(5) Idem in *cap. aqua 9. eod. tit.*

(6) Bonif. VIII. in *cap. is, qui 18. de sent. exc. in VI.*

(7) Lex Mosaica parienti masculum ad dies 40., foeminam ad 80. ingressum

menstrua patiuntur (1); ut ministri Sacramentorum a sancto ministerio sancte tractando satagant se amovere, quoad usque se peccato lethali maculatos consciverint (2), ut graeci presbyteri, nonnisi ex dierum aliquot intervallo post suum coniugii usum ad sacrum altare accedant (3); quemadmodum et coniugati laici ad Eucharistiam (4), ut poenitentes usque ad congruam expiationem sumere Eucharistiam differant (5), quemadmodum et magistratus post iudicium sanguinis, et capitales sententias (6).

§. X. *De suspensione.*

XCV. *Peculiaris clericorum censura vetans clericis suos ordines, et sacra ministeria exercere, vel officium ecclesiasticum, et beneficii fructus interdicens*, ea speciatim *suspensio* dicitur in Iure Canonico: ista idcirco laicos nunquam afficit, ecclesiasticis ministeriis, officiis, et beneficiis expertes omnino, et incapaces. Dum vero suspensos ab Ecclesiae communione, communibusque suffragiis, vel ab ingressu Ecclesiae, ac participatione Sacramentorum perinde clericos, ac laicos legimus in antiquis praesertim canonibus, Patrumque scriptis (7), eadem suspensionis vox late inibi accepta non aliud, nisi excommunicationem, vel interdictum revera significat. Vera enim suspensio non adimit clericis passivam Sacramentorum participationem, neque ingressum Ecclesiae, nec fidelium communionem.

templi vetuit, Levitici *cap. 12.*, de qua S. Greg. M. in *can. cum enixa 1. dist. 5.* Sed enixam eadem hora, qua peperit, Ecclesiam adire sine culpa, gratias Deo acturam, respondit idem Augustino in *can. si mulier 2. dist. 5.*

(1) Ex cit. Levitici *cap. 15.* S. Gregorius idem in *can. ad eius 4., et ult. dist. 5.* exemplo mulieris sanguinis fluxum patientis, quae fimbriam Domini tetigit, et sanata continuo est, comprobat mulieres vitio naturae menstruo infirmantes neque ab Ecclesiae liminibus, neque a mysterio sanctae communionis prohiberi nunc debere.

(2) Inn. in *can. proposuisti 2.*, et Siricius in *can. quia aliquanti 4. dist. 82.*

(3) Siricius in *can. plurimos 3.*, et Innocentius I. in *cit. can. proposuisti 2. dist. 82.*

(4) De iis loquitur Apostolus 1. *ad Corinth. cap. 7. vers. 5.* his verbis, *abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi.*

(5) Conc. Bracharens. in *can. si quis de corpore 6.*, Conc. Araus. in *can. qui recedunt 7. C. 27. qu. 6.*

(6) S. Ambrosius *ep. 56. Qui in aliquos capitalem*, ait, *sententiam ferendam existimaverunt, plerique etiam* sponte se abstinent, *et laudantur quidem, nec ipsi eis possumus non praedicare: quia auctoritatem Apostoli eatenus observamus, ut iis communionem non audeamus negare . . . ideo maiores maluerunt indulgentiores esse circa* iudices, *ut dum gladius eorum timeretur, et reprimeretur scelerum furor non incitaretur: quod si negaretur communio, videretur criminosorum vindicata poena. Maluerunt igitur priores nostri, ut id in voluntate magis* abstinentis, *quam in necessitate sit legis.* Huc spectat *can. 56.* Concilii Eliberitani, an. 305, his verbis conceptis. *Magistratum anno, quo agit duumviratum, prohibere placet, ut se cohibeat.*

(7) S. Augustinus *ep. 137. In episcoporum concilio* Africano ait, *constitutum est nullum clericum, qui nondum convictus sit*, suspendi a communione *debere, nisi ad causam suam examinandam se non praesentaverit.*

XCVI. In primitiva Ecclesia usum huius censurae ab aevo usque martyrum viguisse iam liquet, quam promiscuis, amplisque verbis, vel *abstinendi*, vel *interdicendi*, aut *prohibendi* consueverunt Patres indicere S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus, et martyr suos increpans presbyteros, qui persecutionis tempore lapsos, poenitentia nondum peracta in communionem admitterent: *si in iisdem perseveraverint*, ait, *utar ea admonitione, qua me uti Dominus iubet, ut interim* prohibeantur *offerre, acturi, et apud nos, et apud confessores ipsos, et apud plebem universam caussam suam, quum Domino permittente in sinum matris Ecclesiae recolligi coeperimus* (1). Idemque ad Pomponium scribens, *consulto, et cum rigore fecisti*, ait, *frater carissime*, abstinendo *diaconum, qui cum virgine saepe mansit* (2). Praeterea diaconus ob culpam minus enormem a menstrua solum praebenda, seu portione fructuum altaris, quae singulis quolibet mense distribuebatur, suspendit (3). Bigamos, concubinarios, adulteros *ex consortio sacerdotali*, repellunt canones vulgo Apostolorum (4); nec non a *ministerio publico* transmigrantes de sua ad alienam parochiam praeter sui Episcopi voluntatem (5). In Concilio Carthaginense V. constitutum, ut *ab ecclesiastico removeantur officio* diaconi, presbyteri, Episcopi ab uxoribus non abstinentes (6). Concilium Ancyranum decrevit *presbyteros, qui immolaverunt*, honorem *quidem sedis propriae retinere: offerre autem illis, et sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officiis fungi non liceat* (7). S. Ambrosius salutarem commendat morem, ut clerici a mandatis sibi officiis, et ministeriis repellantur ad tempus (8), h. e. suspendatur. Gelasius clericos negotiationibus inhonestis ex lucris turpibus incumbentes contumaciter a *clericalibus officiis abstinere coegerit* (9). Ex decreto Concilii Aurelianensis, *si diaconus, aut presbyter crimen capitale commiserit, simul et ab* officio, *et a communione pellatur* (10). Quinisexta Synodus Trullana *presbyterum*, inquit, *per ignorantiam non legalibus nuptiis detentum cathedram quidem habere, sed ab* officio abstinere *praecipimus; sufficit enim huiusmodi indulgentia ei: sed benedicere aliis eum, qui vulnera sua debet curare, congruum non est* (11). S. Gregorius Turonensis hanc ipsam censuram vocabulo *excommuni-*

(1) S. Cyprian. *ep. 10.* (2) Idem *ep. 62. ad Pomponium.*

(3) S. Cyprian. *ep. 28.*, alias *34. Interim se a divisione mensurna tantum contineatur*, ait, *non quasi a ministerio ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostram praesentiam differantur.*

(4) *Can. 16., et 17.* vulgo Apostolorum superius citati *n. VI.*

(5) *Can. 14., et 15.* (6) Carthag. V. in *can. placuit 13. dist. 32.*

(7) Conc. Ancyranum an. 314. *in can. presbyteros 32. dist. 50.*

(8) S. Ambros. *serm. 2. in psalm. 118. Sunt ergo*, ait, *qui ad tempus a mandatis* (puta officiis, et monasteriis ordinum) *pro misericordia repelluntur: sicut et illis consulitur, qui vomunt. Nam quemadmodum manens in corpore quod vomendum est, plus acescit, ita qui debet excludi, si retineatur, nec se corrigat, totum corpus exulcerat.* (9) Gelas. in *can. consequens 2. dist. 88.*

(10) Conc. Aurelian. I. an. 511. in *can. si diaconus 13. dist. 81.*

(11) Synodus Trullana an. 692. in *can. presbyterum 16. dist. 28.*

candi etiam expressit (1). Gelasius negotiatores clericos, et lucra turpia inhiantes cohibiturus, *in quocumque gradu sint positi*, ait, scribens ad Episcopos Lucaniae, *a clericalibus officiis abstinere cogantur* (2).

XCVII. Deinde mos invaluit usu, adhuc vigens suspensionem conceptis verbis decernendi, vel *ab ordinibus*, vel *ab officio* solum, aut *beneficio*, vel ab utroque simul (3). Quoad beneficiariae praebendae ordinibus adnexae olim fuere ad sextum usque saeculum (4): prisci Patres videntur eos ab utroque simul officio, et beneficio, seu ministerio sacro, et omni rerum ecclesiasticarum administratione fructibusque suspendisse, quibus officium solum, vel ministerium, aut Ordinis exercitium interdicerent, aut a consortio sacerdotali arcerent. At e contrario solam a clericali praebenda suspensionem iam novimus a S. Cypriano in eos decretam, quos noluit ab officio, et ministerio sacro suspendere. Post seiunctos autem ab ordinibus titulos praebendarum, seu beneficiorum, horumque collationes, seu institutiones ab Ordinum collatione, consueverunt quum legumlatores, tum iudices in hac censura distinguere officium a beneficio, sacrorumque ministerium ab administratione, ac iurisdictione, adeo ut alterum sub altero non contineatur, nisi vel iudex utrumque in sua expresserit sententia (5). Hinc eodem saeculo sexto Ursicium Cadurcensem Episcopum fert B. Gregorius Turonensis ab episcopali Ordine, et Sacerdotio suspensum, salva ei administratione rerum Ecclesiae (6). Et Concilium Hispalense II. dum sanxit *desertorem clericum cingulo* honoris, *atque* Ordinis *sui exutum aliquo tempore in monasterio relegandum* (7): suspensioni *Ordinis* palam addidit suspensionem honoris puta beneficii. Nicolaus I. Archiepiscopo Albuino rescribens, dum vetuit Lanfredo Episcopo inveni venationem, ait, *si in hoc contumax fuerit*, *a* ministerio *cessare debebit* (8). Alexander III. Stigandum Dorobernensem Archiepiscopum ab officio episcopali suspendit, non item a iurisdictione, et beneficio (9).

(1) S. Greg. Turon. an. 572. *lib. 8. cap. 20.* haec habet: *Ursicius Cadurcensis Episcopus* excommunicatur, *eo quod Gundevaldum excepisse publice est confessus, accepto huiusmodi placito, ut poenitentiam tribus annis agens neque capillum, neque barbam tonderet, vino et carnibus abstineret*, Missas celebrare, clericos ordinare, Ecclesiasque, et Chrisma benedicere, eulogias dare *non auderet: utilitas tamen Ecclesiae sicut solita erat, per eius ordinationem omnino exerceretur.* (2) Gelasius in *can. consequens 2. dist. 88.*

(3) Urbanus II. in Melphiensi *can. eos quaest. 10. dist. 32. Eos, qui post Subdiaconatum uxoribus vacare volunt, ab omni sacro* ordine *removamus*, aut, officioque *atque* beneficio *Ecclesiae carere decernimus . . . . si vero Episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsi* officii *interdictione* mulctentur.

(4) Ex traditis in *tract. de beneficiis cap. 1. num. XX., et XXI.*

(5) Id quo observat glossa in Clementina *cupienti. de poenis verb.*

(6) Greg. Turonens. *loc. cit.*

(7) Conc. Hispal. II. in *can. placuit C. 21. qu. 2.*

(8) Nicolaus I. in *can. quorumdam 1. dist. 34.*

(9) Rogerius Hovedenus ad annum 1902. haec scribit. *Consecratus est igitur Wlstanus Wigorniensis Episcopus ab Altredo Eboracensi Archiepiscopo, eo quod Stigando Dorobernis Episcopo* officium episcopale *tunc a Domino Papa interdictum erat, quia Roberto Archiepiscopo vivente Archiepiscopatum sumere*

Versa vice Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. solam beneficiorum collationem eis prohibuit, qui post secundam correctionem indignis beneficia conferrent (1).

XCVIII. Hinc licebit distinctionis gratia *maiorem suspensionem* appellare, quae omnimodum usum Ordinis, et officii, beneficiique simul ex toto adimit, salvo semper titulo dignitatis, et beneficii (2) *minorem* vero, quae particulatim, vel ordinis ministerium, vel officii, aut beneficii administrationem interdicit. Eam alii *generalem*, hanc *specialem*, vel *particularem* passim nuncupant. Aliae rursum *ad tempus* limitatum irrogantur suspensiones, quae solo temporis lapsu ita cessant continuo, ut nullam oporteat obtinere absolutionem aut sententiam iudicis (3): aliae sine ulla temporis limitatione prolatae tamdiu durant arbitrio Episcopi, vel iudicis ob tacitam spem remissionis, donec eas ipse remiserit. *Perpetua* vero citra ullam veniae spem suspensio ubi decernitur: non medicinalem, mobilemque censuram, sed stabilem, firmamque poenam depositionis ea tunc inurit.

XCIX. In *Episcopos* nominatim (4), locorumque Ordinarios, in *Collegia*, et Capitula, in *clericos regulares* pro criminibus, culpisque plurimis nedum canones antiqui, sed novum etiam Ius decretalium, et constitutiones Pontificum sanxerunt suspensionem qua maiorem, qua minorem. In primis quod ad *Episcopos*, Zacharias Papa in Synodo Romana *a sacro Corpore, et Sanguine Domini* suspendit perinde Episcopum, ac presbyterum, qui Missam ab se inchoatam non perficiat usque in finem, nisi passio aliqua, seu corporis invalitudo, vel mentis alienatio intercesserit (5). Gregorius IX. *si quis ordinaverit, seu ad ordinem praesentaverit aliquem*, ait, *promissionem, vel iuramentum ab eo recipiens, quod super provisione sua non inquietet eamdem: ordinator a collatione, praesentator vero ab executione ordinum per triennum, et ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos* (6). 2. Clericos alienae parochiae sine licentia Superioris sui ordinantem a collatione ordinum per annum ipso facto suspensum declarant Grego-

praesumpsit: canonica tamen possessione *praefato Dorobernensi Archiepiscopo Stigando, non suo ordinatori Aldredo facta.*

(1) Innoc. III. in *cap. grave nimis 29. de praeb., et dignit.*

(2) Ex cit. Conc. Ancyrano in *can. presbyteros 32. dist. 50.*, et Trullano in *can. presbyterum 16. dist. 28.*

(3) *Ne scilicet poena tempore determinata contra sententiae fidem ulterius porrigatur*, inquam cum Papiniano in *l. Imperator 8. D. de postulando.*

(4) Episcopos enim, aliosque superiores Praefatos neque interdictum, neque suspensionem ipso facto incurrere, nisi eos expressa lex nominet, supra iam commonui ex decreto Concilii Lugdunensis sub Inn. IV. in *cap. quia periculosum 5. de sent. exc. in VI.*

(5) Zacharias in *can. nullus Episcopus 57. de consecr. dist. 1.*

(6) Greg. IX. in Extravag. comm. censuras omnes excommunicationis, *suspensionis*, et interdicti a suis Praedecessoribus ipso facto latas contra simoniacos confirmavit.

rius X (1), Bonifacius VIII. (2), Synodus Tridentina (3), et Innocentius XII. in Bulla *speculatores* (4). Abbates etiam, aliique Praelati *concedentes dimissorias contra formam decreti* Tridentini, *ab officio, et beneficio per annum sunt ipso iure suspensi* (5). 3. Praelatos, qui Ecclesias suas earumque bona, et iura laicis subiiciant sine Capituli sui consensu, Sedisque Apostolicae licentia, profitendo ea se ab illis tamquam superioribus tenere, aut laicos patronos Ecclesiarum, et advocatos in perpetuum, vel ad longum tempus constituendo, Gregorius X. *ipso facto ab officio, et administratione*, clericos vero id praesumentes a *perceptione beneficiorum* suspensos ad triennium fore sanxit (6). Quique Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis praesumpserit, *ab administratione spiritualium, et temporalium noverit se suspensum*, ex decretali Gregorii IX. (7). 4. Alienanti bona Ecclesiarum, inconsulto Romano Pontifice, aut contra formam constitutionis Paulinae, *si pontificali, vel abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes sub interdicto huiusmodi animo perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem a regimine, et administratione suae Ecclesiae sit eo ipso suspensus*, ex Pauli II. constitutione (8). 5. *Episcopi, et alii facultatem habentes*, qui resignationes beneficiorum in casibus iure non permissis, aut contra formam Pianae constitutionis admiserint, *a beneficiorum collatione, nec non electione, praesentatione, confirmatione, et institutione, prout cuique competit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem a Romano Pontifice meruerint obtinere* ex S. Pii V. constitutione (9). 6. Qui viros ecclesiasticos capiunt, captosque ad resignandum sua beneficia cogunt, vel impediunt, ne citati ad Sedem Apostolicam adeant, *a perceptione fructuum Ecclesiarum suarum, si fuerint Praelati, triennio sint suspensi inferiores eo ipso beneficiis*

(1) Greg. X. in Conc. Lugdun. *cap. eos, qui 2. de tempor. ordin. in VI.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. nullus* 4., *et ult. eod. tit. in VI.*, ita sanxit: *Nullus Episcopus, vel quivis alius infanti, nisi forte religionem intraret, seu illiterato: sed nec absque sui superioris licentia homini dioecesis alienae clericalem praesumat conferre tonsuram: nec etiam coniugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros ordines promoveri . . . alias per unum annum a collatione clericalis tonsurae dumtaxat noverit suspensum.*

(3) Trid. in *cap. ordinationes 8. sess. 25. de ref.* S. Pius V. in *const. 75.* eadem censura plectit promoventes religiosum non professum ad sacros ordines.

(4) Ex supradictis *lib. II. tit. X. num. CIX.*

(5) Ex Trid. in *cap. abbatibus 10. sess. 23. de ref.*

(6) Greg. X. in Conc. Lugd. *cap. hoc consultissimo 2. de Eccl. non alien.*

(7) Greg. IX. in *cap. si quorumdam 2. de solutionibus.*

(8) Paulius II. in Extravag. *ambitiosae un. de reb. eccles. non alien.* Eamdem suspensionem sanxit contra abutentes potestate sibi delegata in caussa alienationis bonorum Ecclesiae, aut per gratiam, timorem, sordes illegitimae alienationi consentientes idem Paulus II. in *bulla 2. to. 1.* Bullarii.

(9) S. Pius V. in *const. quanta Ecclesiae Dei incommoda*, die 10. Aprilis 1566. in M. Bullario, quam edixit daturus modum resignationibus per locorum Ordinarios admittendis, antea vetitis altera eius *constit.* incip. *officium creditae*, mense Aug. 1567. de beneficiorum resignationibus.

sint privati, ex Concilio Viennensi (1). Fructus beneficiorum vacantium primi, vel secundi anni occupans, eosque infra mensem ei, ad quem pertinent, non restituens, *eo ipso*, *si Episcopus*, *vel superior Praelatus fuerit*, *a pontificalibus*, *et ingressu Ecclesiae sit suspensus*, ex Ioannis XXII. constitutione (2). 7. Episcopi, et alii Praelati superiores, nec non Abbates, et regimina Ecclesiarum obtinentes apud Sedem Apostolicam promoti ad suas Ecclesias absque litteris pontificiis accedentes, nihil interim de proventibus earum percipere statuit Bonifacius VIII. (3). 8. Sacra limina non visitantes singulis trienniis per sese, aut specialem procuratorem Episcopi, nisi legitimum eos excusaverit impedimentum, ipso facto suspensi tamdiu sunt ab ingressu Ecclesiae, ab administratione spiritalium, et temporalium, atque a perceptione fructuum episcopalium, quos interea Capitulum exiget in Ecclesiae utilitatem impendendos, donec a contumacia resipiscentes veniam a Sede Apostolica obtinuerint, ex bulla Xysti V. (4). 9. Delinquens in officio inquirendi contra suspectos haeresis *Episcopus*, *aut Superior suspensionem ab officio per triennium eo ipso incurrit* ex canone Viennensi (5). 10. Ingredientes clausuram monialium sine necessitatis caussa Episcopos *pro prima vice ab ingressu Ecclesiae interdictos*, *pro secunda a munere pontificali*, *et a divinis suspensos*, *ac deinceps ipso facto excommunicatos* declaravit Gregorius XIII. (6). 11. Incendiariis poenitentiam serviendi Deo Hierosolymis, aut in Hispania per annum integrum refectionemque damni, *si Episcopus relaxaverit*, *damnum restituat*, *et per annum ab officio episcopali abstineat*, Innocentius II. decrevit (7).

C. *Inferiores Praelati ab officio*, *et beneficio noverint se suspensos*, *quousque de duplo gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant*, quoties visitando dioecesim munera, vel non impenso visitationis officio procurationem acceperint, ex Concilio Lugdunensi (8). *Si quis iudex ecclesiasticus ordinarius*, *aut etiam delegatus contra conscientia*, *et contra iustitiam in gravamen partis alterius in iudicio quidquam fecerit per gratiam*, *vel sordes : ab executione* officii per annum *noverit se suspensum*, *ad aestimationem litis* praeterea *condemnandus* ex Concilio Lugdunensi (9). Conservatores Regularium, qui a Sede Apostolica dantur, *si de aliis*, *quam de manifestis iniuriis*, *et violentiis scienter se intromiserint*, *seu ad alia*, *quae iudicialem indaginem exigunt*, *suam extenderint potestatem* : *eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi*, ait Bonifacius VIII. (10).

(1) Clem. V. in Conc. Vienn. *cap. multorum 2. de poenis* in Clementinis.
(2) Io. XXII. in Extravag. *suscepti 2. de electione.*
(3) Bonif. VIII. in Extravag. *iniunctae 1. de electione.*
(4) Ex Xysti V. *const. Romanus Pontifex* publicata die 20. Decembris 1585., quam edisserit Fagnanus in *cap. ego N. 4. de iureiur.*
(5) Ex Conc. Vienn. in Clement. *multorum 1.* §. *verum de haereticis.*
(6) Greg. XIII. in *const. dubiis*, lata die 30. Decembris 1582.
(7) Innoc. II. in *can. pessimam 32. C. 23. qu. 8.*
(8) Greg. X. in Conc. Lugd. *cap. exigit 2. de censibus in VI.*
(9) Inn. IV. in Conc. Lugd. *cap. cum aeterni 1. de sent. et re iud. in VI.*
(10) Bonif. VIII. in *cap. hac constitutione 15. de offic. iud. deleg. in VI.*

CI. Ad *Collegia* quod attinet, Bonifacius VIII. vacantibus Ecclesiis cathedralibus, regularibus, collegiatis prospiciens, ait: *Capitula, Conventus, Collegia, et singulares eorumdem personae, bona a Praelatis ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia saepe occupant, inter se dividunt, subripiunt, dilapidant, dissipant, et consumunt... decernimus, ut hi eo ipso sint, et tamdiu maneant ab officio, et beneficiis quibuscumque suspensi, donec plene restituerint* (1). 2. Ioannes XXII. occupantes beneficiorum fructus primi anni coercent, *si Capitulum*, ait, *Universitas, vel Collegium fuerit, interdicto se noverint subiacere* (2). 3. Insuper *Capitula, et Conventus Ecclesiarum, et Monasteriorum, et alii quicumque* suos apud Sedem Apostolicam promotos Praesules absque Sedis eiusdem litteris recipientes *tamdiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec eiusdem Sedis gratiam meruerint obtinere*, Bonifacius VIII. constituit (3). 4. Ab ingredientibus religionem qui acceperint prandia, coenas, pecunias, aliasve res, *si Capitulum, vel Conventus fuerit*, suspensionem Sedi Apostolicae reservatam eo ipso subiacere decrevit Urbanus IV. (4). 5. In eos etiam, qui formam a S. Pio V. imperatam in beneficiorum resignationibus non servaverint, *quod ad Capitula, et Conventus a divinis suspensionem* ipso facto promulgavit S. Pius V. similiter reservatam (5).

CII. *Clericos* quoslibet in primis suspensionem ab ordinibus ipso facto incurrere, qui sint ad Ordines male promoti, vel ab alieno Episcopo sine Ordinarii sui litteris, aut dimissoriis, aut testimonialibus, vel communionem cum Romana Ecclesia non habentibus, vel interstitiis non servatis, nec dispensatis, vel extra tempora in iure statuta, vel ante legitimam aetatem, vel per saltum, vel sine titulo beneficii, aut sufficientis realis patrimonii, vel spretis canonibus nonnullos a sacra ordinatione arcentibus: iam superius traditum satis est (6). 2. Plura uno die sacrificia Missarum celebrantes Hispanos, et in ultimo dumtaxat Corpus, et Sanguinem Domini sumentes Concilium Toletanum XII. ab eadem communionis gratia ad annum suspendit (7). 3. Qui ab usurariis manifestis oblationes acceperit, eosque christianae tradiderit sepulturae, accepta reddere compellatur, *et donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab* officii *sui maneat executione suspensus*, ex Alexandro III. in Concilio Lateranensi (8). 4. Parochialis sacerdos clandestina, vel

(1) Bonif. VIII. *in cap. quia saepe 4o. de elect. in VI.* Benedictus XIV. in *const. pastoralis*, edita 4. Kal. Maii 1756., super spoliis Antistitum, et Ordinariorum huius regni Neap. mandat cuivis Praelato recens promoto, ut diligenter inquirat, an a Vicario Capitulari, et aliis a Capitulo deputatis aliquid commissum, vel omissum fuerit in cura spolii Praedecessoris, ac *delinquentes pro modo culpae punire non praetermittant.*

(2) Io. XXII. in Extr. *suscepti 2. de electione.*

(3) Bonif. VIII. in Extravag. *iniuncta 1. eod. tit. de elect.*

(4) Urban. IV. in Extravag. *sane 1. de simonia.*

(5) S. Pius V. in *cit. const. quanta ecclesiae Dei incommoda.*

(6) *Lib. II. tit. X. de Sacram. Ordinis.*

(7) Tolet. XII. in *can. relatum est 11. de consecr. dist. 2.*

(8) Alex. III. in *cap. quia in omnibus 3. de usuris.*

interdicta coniugia prohibere si contempserit, *per triennium ab officio suspendatur*, ex Innocentio III. (1). *Si Parochus, vel alius sacerdos sive regularis, sive saecularis alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia, matrimonium coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu* suspensus *maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, absolvatur*, ex Tridentino (2). 5. Clerici eligentes indignum ad dignitates, et beneficia, quae curam animarum habent adnexam, *et eligendi tunc potestate privatos, et ab ecclesiasticis* beneficiis *triennio noverint se suspensos*, ex Alexandro III. (3), et faciunt se indignos ad obtinenda beneficia (4). Eamdemque censuram incurrunt celebrantes electionem per saecularis potestatis abusum (5), et confirmantes electionem indigni ad regimen animarum (6). 6. Incontinentiae vitio laborantes clerici praesertim nefando, moniti non resipiscentes, ab officio, et beneficio suspendendi sunt (7). Raptores vero mulierum *si clerici fuerint, de proprio gradu decidant* ex lege Tridentina (8), idest ipso facto ab ordinibus, officiis, et beneficiis suspendantur. 7. A crapula, et ebrietate non abstinentes post canonicas monitiones *ab officio*, vel *beneficio* suspendendos constituit Innocentius III. (9). 8. *Virgata, vel partita veste* utentes publice, nisi caussa *rationabilis adsit*, clericos minores Clemens V. a beneficiorum fructibus eo ipso suspendit ad sex menses, clericos in sacris inhabiles ad obtinendum beneficium per idem tempus declarat: presbyteris, et dignitatem, aut personarum habentibus beneficiorum quoque fructus ad annum interdicit (10). 9. Disputantes in concionibus de Immaculatae Virginis conceptione, aut vulgari sermone scribentes, eamque impugnantes, censura item suspensionis compescunt S. Pius V., et Gregorius XV. (11). 10. Officium, et cultum in choro a clericis debitum ut poena suspensionis Episcopi promoveant, Innocentius III. constituit (12). 11. Occupantes bona Ecclesiarum, beneficiorum ad suam collationem, vel praesentationem, vel custodiam pertinentium Episcopi, et eorum superiores ab ingressu Ecclesiae, ceteri vero *ab officio, et beneficio* tamdiu eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint, ex

(1) Innoc. III. in Conc. Later. *cap. cum inhibitio 3. de clandest. despons.*
(2) Trid. in *cap. tametsi 1. sess. 24. de ref. matr.*
(3) Alex. III. in Conc. Lat. *cap. cum in cunctis 7. §. ult. de elect.*, et Innoc. III. in *cap. cum Wintoniensis 25. eod. tit.*
(4) Inn. III. in *cap. per inquisitionem 26. eod. tit.*
(5) Inn. III. in Conc. gen. *cap. quisquis 43. eod. tit.*
(6) Idem in *cap. nihil est 44. eod. tit.*
(7) Inn. III. in Conc. gen. *cap. ut clericorum 13. de vit., et hon. clericor.* Alex. III. in *cap. sicut 4., et cap. si autem 6. de cohabit. cler., et mul.* Greg. IX. in *cap. quaesitum 10. eod. tit.*, et Pius V. in *const. 72.*
(8) Trid. in *cap. decernit 6. sess. 24. de ref. matr.*
(9) Inn. III. in Conc. gen. *cap. a crapula 14. de vita, et honest. cler.*
(10) Clemens V. in *Clement. quoniam. 2., et ult. eod tit.*
(11) S. Pius V. *const. 114. §. 2.*, et Greg. XV. *const. 29.* in Bull. M.
(12) Innoc. III. in *Conc. gen. cap. dolentes 9. de celebr. missar.*

Bonifacio VIII. (1). 12. Violantes damnabiliter interdictum, suspendendos ab *officio*, *et beneficio* fore Gregorius IX. rescripsit (2).

CIII. Regularibus, praesertim Ordinis Praedicatorum, et Minorum Alexander IV. voluit, ne ante annum probationis elapsum quemquam ad professionem recipiant, nec impediant interea suis alumnis transire ad aliam religionem, vel ad saeculum redire: alias *a receptione quorumlibet ad professionem eiusdem ordinis fore ipso facto suspensos*, aliisque poenis gravioribus plectendos (3). 2. Qui decimas Ecclesiis debitas usurpant sibi, vel fraudant, earumque solutionem avertunt, vel impediunt: *tamdiu maneant ab officii administrationibus, et beneficiis suis suspensi, donec destiterint, et satisfecerint* ex Concilio Viennensi (4). *Qui vero scienter postposuerint confitentibus conscientiam facere de solvendis huiusmodi decimis, ab officio praedicationis tamdiu maneant ipso facto suspensi*, donec confitentibus ipsis, ubi poterunt, conscios debitae solutionis fecerint: *exinde excommunicationem ipso facto incursuri, si praedicare praesumpserint, praedicta negligentia non purgata* (5). Praelati regularium, ad quos aliquid perenerit per excessus religiosorum ex legatis, vel restitutionibus male blatorum incertis, *nisi Ecclesiis, aut personis ecclesiasticis damnificatis, vel laesis satisfactionem plenariam exhibuerint intra mensem, postquam fuerint requisiti, suspensionis sententiam usque ad satisactionem debitam eo ipso incurrunt* (6). 4. Monachis nigris speciam Clemens V. modum vestis religiosae, regularumque disciplinam deniens eos, qui habitum regulae difformem deferrent, si abbas, vel rior esset, a beneficiorum collatione, aliis ab administratione officii, uod haberent, per annum suspendit eo ipso, ceteros inhabiles tamiu fore ad beneficia ecclesiastica, administrationemque simul iussit: mdemque censuram ad biennium in eos prorogavit, qui venationi clarosae vacarent (7). 5. Ab audiendis vero confessionibus poenitentiam, suo Episcopi arbitrio suspendant Regulares, quos antea adprobarint, aesertim ubi eos in sacro ministerio deficere quomodolibet noverint, emens X. edixit (8). 6. Largitionem, missionemque munerum Relaribus utriusque Ordinis mendicantium, et non mendicantium, praer leviora esculenta, et poculenta, seu ad devotionem pertinentia nuscula, interdixerunt Clemens VIII., et Urbanus VIII., transgressoque officiis, et gradibus, tum voce activa, et passiva ipso facto prilos voluere (9). 7. Onera Missarum perpetua sine Generalis, vel Pro-

1) Bonif. VIII. in *cap. praesenti, 9., et ult. de ord. in VI.*
2) Greg. IX. in *cap. tanta est 18., et ult. de exces. Praelat.*
3) Alex. IV. in *cap. non solum 2. de regularibus in VI.*
4) Clem. V. in Conc. Vienn. *cap. religiosi 1. de decimis* in Clementinis.
5) Clementina *cupientes 3. de poenis.*
6) Clementina *religiosi 1. de privilegiis.*
7) Clementina *ne in agro 1. §. si quis autem de statu monachor.*
8) Clemens X. in *const. suprema 7. to. 6.* Bullarii M.
9) Clemens VIII. in *const. religiosae 28.*, an. 1594., quam Urbanus VII. firmavit in *const. nuper*, 16. Oct. 1640.

vincialis licentia in scriptis suscipientes Regulares omnibus item officiis, et voce activa, et passiva eo ipso privat Innocentius XII. (1).

CIV. Plures hinc, et varios gradus oportet in singulis suspensionum sententiis qua Iuris, qua hominis distinguere, quum alios aliae parint effectus. Nam suspensus *ab ordine* retinet officii administrationem, fructusque beneficii: *a beneficio* suspensus non prohibetur quum ordines, tum officium exercere, quemadmodum et suspensus *ab officio* fructus beneficii percipit, exercetque ordinis ministeria. Suspensis tamen *ab officio* licere in casu necessitatis, ubi alii presbyteri absint, baptizare, Synodus Aurelianensis decrevit (2). Quilibet vero suspensus ius eligendi ad beneficia activum, et passivum simul amittit (3). Sed suspensus ab officio episcopali videtur praebendas ad collationem suam pertinentes posse conferre (4).

CV. Nomen suspensi clerici olim expungebatur e matricula, seu albo clericorum Ecclesiae inservientium, et praebendis participantium, atque in sacris dypticis non recitabatur (5). Suspensis praeterea de una ad aliam Ecclesiam proficiscentibus mos erat denegandi litteras communicatorias (6). Nunc suspensis ab ordine, officioque sacerdotali tantum denegantur episcopales *litterae*, quae dicuntur *discessus*, seu *dimissoriae* ad celebrandum ubilibet Missae sacrificium, nec non *testimoniales* ad beneficia obtinenda, ceteri ab officio, vel beneficio suspensi illas tantum, non has iure postulant.

CVI. Qui diu haerent in suspensione contumaces, puta ad annum, vel amplius, privantur ipso iure beneficiis. Nam Coelestinus III. de iis loquens, qui suspensionem quatriennio sustinuerant, *non licet suspensis*, ait, *illa, quae habuerunt beneficia, vel quae postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere* (7). Idipsum servari in eos, qui

(1) Innocentius XII. in *const. nuper* 21. Iunii 1695.

(2) Synod. Aurelian. I. an. 511. in *can. si diaconus 14. dist. 81.*

(3) Innocentius III. in *cap. cum dilectus 8. de consuetudine, quia nobis constitit electionem ipsam a suspensis, et de suspenso etiam*, inquit generaliter, *celebratam, eam iustitia cassavimus exigente.* Idemque in *cap. cum inter R. seniorem* 16. *de elect.* rescripsit: *si constiterit, quod electio fuerit facta suspensis, ea omnino cassata ipsi monasterio de persona idonea consulatur.* Consonat Clementina *quoniam 2. de vit., et hon. cler.*

(4) Innocent. III. in *cap. quia diversitatem 5. de concess. praeb.* rescripsit, quod Archiepiscopus Eboracensis, *et si fuerit sua culpa suspensus, non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa praebendarum erat donatio devoluta: sed ad illum tempore suspensionis illius praebendarum donatio pertinebat, qui praeter eius desidiam, et negligentiam poterat praebendas donare.*

(5) S. Aug. *ep. 137.* morem eiusmodi sat innuit scribens: *quid obest homini, quod ex illa* tabula *non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia?*

(6) Idem S. Aug. eadem *ep. 137. Bonifacius hanc*, inquit, *humilitatem suscepit, ut nec* litteras *acciperet, quibus in peregrinatione honorem suum quaereret, ut in eo loco, ubi ambo ignoti sunt, circa ambos aequalitas servaretur.* Earumdem litterarum usum praecipiunt canones vulgo Apostolorum 12., et 32.

(7) Coelestin. III. in *cap. cum bonae memoriae 8. de aet., et qual. et ord. praefic.* ibique Io. Andreas in *glos. margin.*

per annum in ea censura insorduerint, monet Ioannes Andreas, instar excommunicatorum.

CVII. Violantes vero suspensionem fiunt irregulares. *Si suspensione durante* (nimirum ab executione officii per annum) *damnabiliter ingesserit se divinis*, irregularitatis *laqueo se involvet secundum canonicas sanctiones: a qua, nonnisi per Summum Pontificem poterit liberari*, ex Innocentii IV. sententia (1). In foro solum interno Episcopis Tridentina Synodus vel restituit, vel indulsit potestatem dispensandi super occultis suspensionibus, et irregularitatibus (2).

CVIII. Saepe dubitatur, an liceat Episcopo ex informata conscientia ob caussam occultam, quae in externo foro ex actis iudiciariis non constet, suspendere sacerdotes ab ordine, et officio, et an ita suspensi, appellatione interposita, si celebraverit, irregularitatem incurrant? Sacra Congregatio Concilii affirmantem probavit sententiam (3): inhaerens decreto Synodi Tridentinae. Dum enim ea statuit, *ut ei, cui ascensus ad sacros Ordines, a suo Praelato ex quacumque caussa etiam ob* occultum *crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter fuerit interdictus:* aut *qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit* suspensus, *nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, et dignitates, sive honores restitutio suffragetur* (4), videtur posuisse in episcopali arbitrio potestatem suspendendi ex informata solum conscientia sine actis, quamvis in posteriori orationis membro non iteraverit ea in priori iamdicta verba, *etiam ob occultum, crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter* (5).

(1) Innoc. IV. in Lugd. *cap. cum aeterni 1. de sent.*, *et re iudic. in VI.* Idemque in *cap. cum medicinalis 1. de sent. exc. in VI.*, *si contingeret eos sic suspensos*, ait, *divina officia exequi, sicut prius* irregularitatem *non effugient iuxta canonicas sanctiones, super qua nonnisi per summum Pontificem poterit dispensari.* Consonant Bonifac. VIII. in *cap. is cui 20. cod. tit. in VI.*, et Greg. IX. in *cap. apostolicae 9. de cler. exc.*, *vel interd. min.*

(2) Trid. in *cap. liceat 6. sess. 24. de ref.* Id quod iam explicui satis *lib. II. tit. IX. num. C.*, *et seq.*

(3) S. Congr. Conc. in Sagonensi 21. Iunii 1625., apud Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 7. cap. 71.* haec habet: *Episcopus Sagonensis ex facultate sibi attributa decreto Concilii* cap. 1. sess. 14., *ex caussis sibi notis suspendit parochum ab exercitio curae: sed ille appellavit, et praecepto Episcopi contempto, celebravit, et curam exercuit. Quaeritur, an a dicta suspensione detur* appellatio, *ita ut parochus, non obstante appellatione interposita per exercitium curae effectus fuerit* irregularis? *Sacra Congregatio Concilii censuit ab huiusmodi suspensione non dari* appellationem, *et parochum, qui Sacramenta, ut supra, ministravit,* irregularitatem *contraxisse.* Et rursus censuit die 16. Decembris 1730. sustineri suspensionem a divinis ab Episcopo Capritano ex informata tantum conscientia duobus Sacerdotibus inflicta. Id quod etiam respondit in Uritana, seu Tarentina 20. Augusti 1735., apud Benedict. XIV. *loc. cit. num. 3.* Huc spectant etiam dicta superius hoc *tit. num. XLVI.*, *et seq. et num. XCI.*

(4) Trid. in *cap. cum honestius 1. sess. 13. de ref.*

(5) Ex responso eiusdem S. Congregationis ad Episc. Alericensem dato die 24. Nov. 1657. apud Bened. XIV. *loc. cit. num. 3.*

CIX. At Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunensi constituit, ut sententiae nedum excommunicationis, sed suspensionis etiam, et interdicti a quovis Praelato, et iudice *inscriptis* proferantur cum expressione *caussae*, *propter quam* proferuntur, eiusque exscriptum *exemplum* petenti *infra mensem tradatur*: *temerarius* autem *huiusmodi constitutionis violator per mensem unum ab ingressu Ecclesiae divinis officiis noverit se suspensum*: *Superior vero*, *ad quem recurritur*, *sententiam ipsam sine difficultate relaxans*, *latorem* iudicem *ad expensas*, *et omne interesse condemnet*, *et alia puniat animadversione condigna*: *ut poena docente*, *discant iudices*, *quam grave sit sententias* censurarum *sine maturitate debita fulminare* (1). Itaque Patres Lugdunenses cum Tridentinis conciliaturus aio, quod subditi debeant sententias censurarum non rite inflictas vereri, ac servare, donec a superioribus relaxentur: superiores autem formidare poenas quum Iure latas, tum ferendas ob suae potestatis abusum.

§. XI. *De depositione ac degradatione.*

CX. Non censura medicinalis est *depositio*, et *degradatio*, ut superius praemonui: sed *poena irrevocabilis presbyteros*, *diaconos*, *ceteros clericos in perpetuum omnino exuens ordinum exercitio*, *officiis*, *et beneficiis*: seu *plenaria clerici de omni honoris*, *et ordinis gradu ad statum laicum deiectio*. Quos enim antiqui canones a sacro Ordinum ministerio amovebant, relicto eis honore, ac dignitate, seu loco inter clericos (2), aut a maiori ad inferiorem ordinem vel perpetuo redigebant (3): eos nunc suspensos potius notione vocum stri-

(1) Innoc. IV. in *cap. medicinalis 1. de sent. exc. in VI.* Huius canonis sententiam firmarunt hoc in regno regia rescripta ad Marchionem Nicolaum Fraggiannium data die 29. Novembris 1760; 2. Maii, et 5. Iunii 1761. in caussa recursus PP. Carmelitarum, quibus deletum fuit decretum ex informata conscientia sine actis in eos a P. Elia prolatum.

(2) Conc. Ancyran. *can. 1.* lapsos primum in sacrificia idolorum presbyteros, mox reluctantes sine fraude, censuit *eos cathedrae quidem honoris esse participes*, *non licere autem ipsis offerre*, *seu sermonem conferre*, *vel omnino sacerdotale aliquod munus obire*. Tum *can. 2.*, *diaconos similiter*, *qui sacrificant*, *postea reluctati sunt*, *alium quidem honorem habere*, *ipsos autem ab omni sacro ministerio cessare*, *sive a pane*, *sive a calice offerendo*, *vel praedicando*. Sed si Episcopi . . . *aliquid amplius dare*, *vel offerre voluerint*, *in eorum potestate id esse*. S. Basil. *can. 27. De presbytero*, *qui per ignorantium nefariis nuptiis implicatus est*, *definivi*, ait, *quae oporteat*: *esse quidem cathedrae participem a reliquis autem actionibus abstinere*. Et *can. 70. Diaconus*, *qui pollutus est labiis*, *et se eo usque peccasse confessus est*, *a ministerio prohibebitur*, *Sacramentorum autem cum diaconis particeps esse sinetur*.

(3) Conc. Tolet. I. *can. 4. Subdiaconus*, *defuncta uxore*, *si aliam duxerit*, *ab officio*, *in quo ordinatus fuerat*, *removeatur*, *et habeatur inter ostiarios*, *vel lectores*, *ita ut Evangelium*, *et epistolam non legat*. Conc. Trullan. *can. 20. Ne liceat Episcopo in alia*, *quae ad se non pertinet*, *civitate publice docere. Si quis autem hoc facere deprehensus fuerit*, *ab episcopatu desistat*, *presbyteri autem munere fungatur*. In Conc. Nicaen. II. *can. 5.*, clericus maledicus, qui spectatos virtute ad episcopatum sine datione auri electos inhonorat, ad ultimum gradum ordinis sui redigitur, sitque sociorum omnium postremus.

ctiori , quam depositos , vel degradatos dicimus (1). Verum ab omni gradu clericali depulsus quum inter laicos a communione fidelium non arceatur (2) : patet excommunicationis censuram poena depositionis ipso iure infligi , eam nisi lex , aut iudex palam superaddiderit ob criminis atrocitatem (3) , vel ob contumaciam degradati sacra ministeria attrectantis ex intervallo fulminaverit (4).

CXI. Latae nunquam, sed ferendae solum sententiae quum sit depositio , et degradatio : idcirco differt ab *irregularitate* , quae ipso iure, ipsoque facto impedimentum quoque perpetuum parit ad ordines vel suscipiendum , vel susceptos exercendum in casibus Iure communi , et pontificio tantum expressis (5). Nam Episcoporum nemini fas est vel in synodis localibus, vel edictis irregularitatem statuere , aut aliquos declarare irregulares, praeterquam ubi eam Ius commune sanxerit apertissime (6). Irregulares praeterea in clericali statu , et consortio permanent , privilegio fori , et canonis gaudentes : degradati vero laicorum statum , sortemque prorsus abeunt.

CXII. Tametsi canones antiqui nullum videntur discrimen statuisse

(1) Alexander III. in *cap. at si clerici 4. de iudiciis* aperte distinguit suspensionem ab ordinibus temporariam a *perpetua depositione*, seu remotione ab altaris ministerio. Id etiam ipse rescripsit in *cap. latores 4. de cler. excom. vel depos. min.*

(2) Ex *can.* 24. vulgo Apost. *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus in fornicatione, aut periurio, aut furto deprehensus* deponitor, *non tamen a* communione *excluditor*. S. Basilius *ep. ad Amphilochium de canonibus cap. 3. to. 3. Diaconus post diaconatum fornicatur a* diaconatu *quidem eiicietur : in laicorum autem locum depulsus a* communione *non arcebitur*. Et *cap. 32. Qui peccatum ad mortem peccant clerici, de* gradu *quidem deiiciuntur, a laicorum autem* communione *non arcentur*. Conc. Aurelian. III. an. 538. *can. 6. Si quis adulterasse aut confessus fuerit, vel convictus*, deposito *ab officio*, communione *concessa, in monasterio toto vitae suae tempore retrudatur*. Et *can. 8. Si quis clericus furtum, aut falsitatem admiserit, quia capitalia etiam sunt crimina*, communione *concessa, ab ordine*, degradetur. Ex Conc. Trullan. *can. 10.*, clericus ad usuras commodans, *communione concessa ab ordine degradetur.*

(3) Ex *can. 28.* vulgo Apost. *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus pecuniae interventu hanc dignitatem nactus fuerit* : deponitor *tam ipse , quam qui eum ordinavit, et omnino a* communione *abscinditor*. Et *seq. can. 29. Si quis Episcopus saecularium magistratuum familiaritate usus per ipsos ecclesiam nactus fuerit*, deponitor: *segregantur autem a* communione , *quicumque cum ipso communionem habent.* Tum *can. 63. Si quis clericus, aut laicus synagogam Iudaeorum , aut haereticorum conventiculum ingressus preces cum illis coniunxerit , deponitor, et a communione abscinditor*. Conc. Arelatense II. *can. 14. Si quis clericus pecuniam dedit ad usuram*, depositus *a* communione *habeatur extraneus.*

(4) Ex *can.* 27. vulgo Apost. textus in *cap. si quis 1. de cler. exc. vel dep. ministr. Si quis Episcopus aut presbyter, aut diaconus depositus iuste pro certis criminibus ausus fuerit attrectare ministerium sibi aliquando commissum; hic ab Ecclesia abscindatur*. Consonat Conc. Antioch. in *cap. si quis 2. eod. tit.*

(5) De irregularitate satis dictum est *lib. II. tit. X. num. XCVIII. ad CXXIV.*

(6) Ex traditis a Bened. XIV. *de syn. dioec. lib. 7. cap. 67. num. 7.*

inter *depositionem*, et *degradationem*, et utrumque vocabulum promiscue usurpaverint (1) : tamen recentiores *depositionem* plerumque accipiunt pro *verbali*, et *simplici* exauctoratione, quae infertur per sententiam iudicis ecclesiastici : *degradationem* pro *reali*, et *solemni* caeremonia episcopali, qua damnatus clericus propalam sacris vestibus, suique Ordinis insigniis ab Episcopo, aliis Episcopis, vel saltem Abbatibus, aut presbyteris circumstantibus exuitur, potestati saeculari continuo traditur (2).

CXIII. Ævo martyrum ad tria saecula videtur depositio verbalis tantum adhibita, quum eorum temporum conditio non ferret clericos degradatos magistratibus saeculi christianis, quos Ecclesia tunc non habuit, ab Episcopis tradi. Propterea canones vulgo Apostolorum, ubi ob crimina multa deponendos fore clericos iusserunt, nullum de ritu externo depositionis, nec de illorum traditione laicis iudicibus verbum faciunt, nec Patres coaevi (3). Quos vero depositos insordescere in criminibus, vel contumacia, vel sacra nossent ministeria tractare, eos tunc prisci Patres ab omni consortio fidelium segregabant excommunicatione maiori, ut ad poenitentiam ipsos reducerent (4): quum nil ultra facere tunc posset Ecclesia. Postquam vero ad publicam Ecclesiae pacem a Constantino M. largitam accessit iurisdictio temporalis ecclesiastica in causis etiam profanis clericorum qua civilibus, qua criminalibus, et exemptio clericorum ab laico christianorum magistratuum foro, mos inde paulatim invaluit, ut suas ipsi Episcopi censuras, et sententias nedum implorato brachio saeculari exequerentur, sed clericos etiam iure depositos, vel contumaciores, et impoenitentes, in quos censurae ecclesiasticae nil proficerent, ritu publico degradarent, mox in manus laicae

(1) Conc. Cabilonense II., alias Moguntinum anno 813. in *can. dictum est 8. dist. 31.* enarrat *presbyteros propter suam negligentiam canonice* degradatos, *et saeculariter gradu amisso vivere, et poenitentiae agendae bonum negligere.* Unde statuit, *ut gradu amisso* agendae poenitentiae gratia in monasterium, aut in canoniam regularem mittantur .... alias in contumaciam *ab Ecclesiae communione separentur.* Versa vice pseudo-Isidorus ex Pii ep. 2. apocrypha in *can. si quis sacerdotum 18. C. 11. qu. 1.*, fert, quod *depositus curiae tradatur, et recipiat, quod inique gessit.* Vides in utroque canone promiscuum depositionis et degradationis usum.

(2) Bonif. VIII. in *cap. degradatio 2. poenis in VI.* verbalem depositionem a reali degradatione distinguens, tradit etiam huius celebrandae ritum.

(3) S. Cyprianus Episc. Carthag., et martyr. *ep. 3. ad Rogatium* illius aetatis morem comprobat, ita scribens: *Si ultra te contumelias suis exacerbaverit, et provocaverit, fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel* deponas, *vel abstineas.* Et Petrus Alexandrinus *ep. canon. cap. 10.* apud Beveregg. *to.* 2., ministerium sacrum dumtaxat interdictum perpetuo deponendis memorat, inquiens: *Non est aequum, ut vel clerici, qui sua sponte aufugerunt, lapsi autem, et reluctati sunt,* amplius *in sacro* ministerio *maneant.*

(4) Liquet ex *cit. can. 27.* Apost., et Antiocheno in *cit. cap. si quis 2. de cler. exc. vel depos. ministr.* S. Gregorius M. *in can. accedens 10. dist. 50.* eamdem tenens disciplinam Lunensi Episcopo rescripsit, ut Saturninum presbyterum, qui ob crimen a *Sacerdotii ordine deiectus* celebrare Missas praesumpsit, cito excommunicaret usque ad mortem, solumque Viaticum ei mortis tempore indulgeret.

Potestatis continuo traderent legitimis poenis citra sanguinem comprimendos. Ex Concilio Carthaginensi III, cui S. Augustinus interfuit an. 397., *non aliter puniatur clericus, nisi obnoxius repertus Sacerdotio* nudatus *fuerit ab Episcopo suo, vel clericatus honore* (1). Hinc S. Augustinus vigentem iam tunc disciplinam explicans, docuit iudicis ecclesiastici officium esse reos primum *coercere*, et *corripere*, post *excommunicare*, tandem *degradare* (2): primum omnium indicans morem degradandi clericos instar exauctorationis militum saeculi, ante iam depositos, et excommunicatos.

CXIV. Viam deposito post excommunicationem degradando stravit fortassis lex Honorii Imperatoris quinto saeculo ineunte, addicens Curiae Regiae, publicisque laicorum muneribus clericos a sacro ministerio deiectos, et segregatos, ut regressum amplius ipsi non haberent ad statum clericalem (3). Tum saeculo VI. Iustinianus Imperator solemnem videtur caeremoniam degradationis probasse: dum edixit clericos sacris vestibus fore *spoliandos*, antequam poenis legitimis laica Potestas eos afficeret ab seipsa damnatos ob crimina civilia, seu communia (4), de quibus perinde in clericos, ac laicos idem Imperator maluit foro laico notionem reservare.

CXV. Patres vero traditionem eorum, quos sacris ordinibus deponerent, in manus laicae Potestatis declinare, quoad possent interea studuerunt, ipsos in monasterio acturos poenitentiam detrudendo. Concilium Agathense an. 506, constituit, ut si *Episcopus*, *presbyter*, *aut diaconus capitale crimen commiserit*, *aut chartam falsaverit*, *aut falsum testimonium dixerit*, *ab officii honore* depositus *in* monasterium *retrudatur*, *et ibi*, *quamdiu vixerit*, *laicam tantummodo communionem accipiat* (5). Aurelianense III. an. 538. ita decrevit. *Si quis adulterasse*, *aut confessus fuerit*, *vel convictus*, depositus *ab officio*, *communione concessa*, *in* monasterio *toto vitae suae tempore retrudatur* (6), Pelagius an. 555. clericum Romanum Ecclesiae Thea-

(1) Carthag. III. in *can. si quis cum clerico 45. C. 11. qu. 1.*

(2) S. Aug. in *can. forte in populo 11. C. 23. qu. 4. Si iudex es*, ait, *si iudicandi potestatem accepisti, si apud te accusetur aliquis, si veris documentis, testibusque convincitur: coerce, corripe, excommunica, degrada.*

(3) Hanc Honorii legem fert Gothofredus *ad l. 39. Cod. Theod. tit. 2.* his verbis conceptam: *Quemcumque clericum indignum officio suo Episcopus iudicaverit, et ab Ecclesiae* ministerio *segregaverit; aut si cui professum sacrae Religionis sponte dereliquerit, continuo sibi eum* Curia *vindicet: ut liber illi ultra ad Ecclesiam recursus esse non possit: et pro hominum qualitate, et quantitate patrimonii, vel* Ordini *suo, vel* Collegio *civitatis adiungatur, unde ut quibuscumque apti erunt*, publicis necessitatibus *obligatur*. Eamdem recitat Benedictus XIV. *lib. 7. de Syn. dioeces. cap. 34. num. 9.*

(4) Iustin. *Nov. 83. §. 2.* ad Ioannem Pr. Pr. ita rescripsit: *Istud palam est, si reum esse putaverit eum, qui convenitur, provinciae Praeses, et poena iudicaverit dignum: prius hunc* spoliari *a Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate, et ita sub legum fieri manu.* Hisce verbis non licuisse ex anteactis moribus laico iudici clericum ex quovis crimine corporaliter plectere, nisi post degradationem, traditionemque illius ab Episcopo faciendam.

(5) Conc. Agathens. in *can. si Episcopus 7. dist. 50.*

(6) Conc. Aurel. III. in *can. si quis clericus 10. dist. 81.*

nensis pro crimine adulterii depositum a clericatus ordine detrusit in monasterio urbis Romae ad agendam poenitentiam (1). S. Gregorius M. lapsos Sacerdotes, vel Levitas, vel quoslibet de Clero a sacris ministeriis deiectos *monasteriis ad poenitentiam* tradidit (2). Ex Concilio Toletano IV. an. 905. clerici arma in seditione sumentes *amisso ordinis sui gradu in monasterium poenitentiae tradantur* (3). Concilium Cabilonense an. 650. *presbyteros canonice* degradatos *agendae poenitentiae gratia in* monasterium, aut *canoniam regularem* mittendos constituit (4). Eugenius an. 655. sacerdotem, aliumve quemlibet ecclesiastici Ordinis pro scelere depositum providentia Episcopi detrudendum *in loco bene proviso*, ubi peccata lugeat, rescripsit (5). Alexander III. clericos iure depositos in districto claustro monachorum ad septennium, vel quinquennium claudendos censuit (6). Idemque Salernitano Archiepiscopo respondit, quod *non debet Episcopus quemlibet depositum pro suis excessibus* (*cum suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere*) *iudici* tradere *saeculari* (7). Idipsum Parisiensi Episcopo consulendum duxit Innocentius III., ut quemdam scilicet falsarium *in perpetuum carcerem ad agendam poenitentiam* includeret: quamvis ex antiquis canonibus: suoque ipsis decreto iam sanxerat falsarios omnes degradandos, mox Potestati saeculari tradendos (8). Tum revelantes peccata in Sacramento Poenitentiae audita depositos, in arctum detrudi monasterium iussit (9).

CXVI. Quoad imperii leges Episcopis non indulgerent publicum iudicium de criminibus clericorum profanis, et communibus: Ecclesia clericos ob crimina ecclesiastica, puta haeresim, schisma, illicitas ordinationes, improba sacrorum ministeria primum rite damnabat, mox depositos, vel excommunicatos postulabat, ut exilio, aliisque poenis corporeis citra sanguinem Potestas Regia, et saecularis comprimeret. Concilium Antiochenum an. 341., ubi sanxit clericos depositos, aut suspensos, qui ministeria interdicta exercerent, excommunicandos fore tandem constituit, ut *si aliquis ista omnia contempserit, et Episcopus minime emendare potuerit*, Regis *iudicio ad* requisitionem, *Ecclesiae exilio damnetur* (10). Ana-

(1) Pelagius in *can. Romanus 11. dist. 81.*
(2) S. Greg. M. in *can. de lapsis 5. C. 16. qu. 6.*
(3) Tolet. IV. in *can. clerici 5. C. 25. qu. 8.*
(4) Conc. Cabilonens. in *can. dictum est 8. dist. 81.*
(5) Eugenius in *can. sacerdos 7. dist. 81.*
(6) Alex. III. in *cap. sicut dignum 6. §. ult. de homicidio.*
(7) Idem in *cap. at si clerici 4. in fin. de iudiciis.*
(8) Innoc. III. in *cap. novimus 26. de verb. signif.* Idemque Lundensi Archiep. *ep. 10. lib. 4. reg.* rescripsit, ut alium falsarium, qui se Apostolicae Sedis legatum simulans nomen, officiumque pontificale attrectaverat, *perpetuo carceri* manciparet, *pane doloris, et aqua angustiae sustentandum.*
(9) Idem in *cap. omnis utriusque sexus 12. de poenit., et remis.*
(10) Conc. Antioch. in *cap. si quis presbyter 2. de cler. exc. vel depos. min.* Antonius Augustinus hunc canonem habet in *cap. 1. eod. tit.* in 1. comp. decretal., sed sine illa clausula *ad requisitionem Ecclesiae.* Eamque revera deesse in Conc. Antiocheno commonet Gonzalez in notis ad idem *cap. 2. de cler. exc. vel dep. min. lit. a.*, ratus priorem huius cap. partem ex Antiocheno, po-

stasius Papa exeunte saeculo IV. scribens de Manichaeis, *per publicos iudices*, ait, *perpetuo sunt exilio relegati* (1). Concilium Carthaginense IV. an. 401. decrevit, eos, qui defenderent clericum ab Episcopo damnatum, et exauctoratum, auctoritate Regum plectandos esse poena damni, pecuniae, atque honoris (2). Pelagius Iustiniano imperante rescripsit Narseti in Italia duci, ut Episcopis Liguriae, Venetiarum, et Histriae schismaticos ab Ecclesia iam damnatos sua reprimeret potestate: *quia regulae Patrum*, ait, *hoc specialiter constituerunt, ut si qua ecclesiastici officii persona, cui subiecta est, restiterit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur, atque damnetur. Quod si forte, et hoc contempserit, et permanserit divisiones, et schisma faciendo, per* potestates publicas *opprimatur.... non solum* exilio, *sed etiam* proscriptione rerum, *et pura* custodia *per* publicas potestates *debeant coerceri* (3). Synodus Vernensis a Stephano II. celebrata saeculo VIII. recitatam Concilii Antiocheni sententiam repetens ait, ut *Regis iudicio exilio damnetur* contumax episcopalibus sententiis (4). Henrico Friderici Barbarossae filio imperatore Coelestinus III. consultus, *utrum liceat Regi, vel alicui saeculari personae iudicare clericos cuiuscumque ordinis sive in furto, sive in homicidio, vel periurio, seu quibuscumque fuerint criminibus deprehensi*, respondit Brundusino Episcopo, quod *si clericus in aliquo mortali crimine legitime fuerit deprehensus, atque convictus ab ecclesiastico iudice deponendus est. Qui si* depositus *incorrigibilis fuerit,* excommunicari *debet*: *deinde contumacia crescente* anathematis *mucrone feriri: postmodum vero si contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, per* saecularem *comprimendus est* potestatem, *ita quod ei deputetur*, exilium, *vel alia* poena legitima *inferatur* (5).

CXVII. Constat igitur, quod Ecclesia consuevit saeculare brachium postulare ad comprimendam eorum contumaciam, quos gradu ordinis iam deposuisset: quoties eos in monasterio ad poenitentiam retrudere non posset, deficiente sibi tunc armata familia, vel sua sub manu, et custodia non haberet. Quos vero criminum communium, et capitalium reos magistratus laici suis mancipassent vinculis, et iudicio publico fori saecularis subactos pro conditione temporum, et locorum iam damnassent: in capitales poenas legitimas eos ipsi non dabant, nisi post peractam coram seipsis, lictoralibusque suis caeremoniam degradationis, illos vestibus clericalibus nudatos ab episcopali manu traditos extemplo recepissent. Eamque in manus laicas traditionem degradatorum sponte

steriorem ex Vernensi conflatam a B. Raymundo Pennafortio verbis nonnihil mutatis.

(1) Anastasius *ep. 1. cap. 3.*

(2) Conc. Carthag. IV. *can.* 2. Gratianus canonem hunc inscribit Conc. Carthag. V., silentioque omisit imploratam Regum auctoritatem, ut adstrueret poenas eiusmodi corporeas ecclesiastica Synodi auctoritate sancitas.

(3) Pelagius in *can. de Liguribus 43. C. 23. qu. 5.*

(4) Conc. Vernense sub Stephano II., *can. 9.*, apud Gonzalez in notis *cit. cap. 2. de cler. exc., vel dep. min. lit. a in fine.*

(5) Coelestin. III. in *cap. cum non ab homine 10. de iudiciis.*

non sua Episcopi, sed instantibus laicis magistratibus, peragebant aegro quidem animo, timentes, ne partem aliquam in capitali eorum imminente supplicio haberent, rogantesque, ut citra mortem, aut sanguinem saltem plecterentur. A moribus enim priscorum Patrum evangelicam lenitatem spirantibus longe abfuit studium tradendi ultro laicae Potestati perimendos clericos, quos capitalium criminum reos in foro ecclesiastico deprehendissent. Hinc est, cur altum in antiquis canonibus sinceris silentium de huiusmodi traditione canonica. Enimvero eam pseudo-Isidorus, ni mea me fallit opinio, primus omnium invexit, vel iniuria temporum, malitiaque humana invectam tradidit duabus apocryphis decretalibus SS. Pii, et Stephani, quibus imperatum ab iis aevo martyrum effutiit, ut clericos ob calumniam, aliudve crimen depositos Ecclesia *traderet Curiae* servituros, legitimasque poenas daturos (1). Ecquis autem id verosimile putaverit, bene conscius Apostolum Paulum, Cyprianum, et suppares Patres omnes tunc nimium exhorruisse in iudiciariis fidelium caussis profana gentilium tribunalia, ut inibi ne christiani contaminarentur?

CXVIII. Novae disciplinae abhinc aera post firmatam totius ordinis clericalis a foro laico exemptionem in iudiciis etiam criminum profanorum, et communium, exceptis paucissimis (2), Doctores nihilominus disputabant, utrum depositos, vel degradatos clericos, tamquam exutos privilegio clericali possent iure suo iudices laici capere, ac damnare sine episcopali eorum traditione, an deberent hanc poscere antea, et expectare. Anceps hinc erat quid agendum, ubi canonicae constitutiones sanxissent, ut clericus ab ecclesiastico iudice degradatus pro eo, vel illo crimine traderetur Curiae puniendus? Ea de re consultus Innocentius III. rescripsit Parisiensi Episcopo, quod diversa nonnulli Pontificum Praedecessorum respondissent, Doctoresque in varias abiissent opiniones, at sua ex sententia *degradatio celebranda est praesente saeculari potestate, ac praenunciandum est ei, cum fuerit celebranda, ut in suum forum recipiat degradatum, et sic intelligitur Curiae tradi saeculari, pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur* (3).

CXIX. Haec decretalis, aliaeque paullo superius recitatae constitutiones canonicae quum veteris, tum novae disciplinae, quae man-

(1) S. Pio Papae, et martyri in *can. si quis sacerdotum 18. C. 11. qu. 1.* hanc sententiam inscribit ex officina pseudo-Isidori Gratianus: *Si quis sacerdotum, vel reliquorum clericorum suo Episcopo inobediens fuerit, aut insidias ei paraverit, aut contumeliam, aut calumniam, aut convicia intulerit, et convinci potuerit: mox* depositus Curiae traduntur, *et recipiat quod iniquè gessit.* Et hanc alteram S. Stephano item Papae, ac mart. in *can. clericus 8. C. 3. qu. 4. Clericus vero, qui Episcopum suum accusaverit, aut insidiator exiterit, non est recipiendus, quia infamis effectus est, et a gradu recedere, ac* Curiae tradi *statuimus.* Utrumque mihi videtur pseudo-Isidorus conflasse ex paullo ante recitatis legibus Honorii, et Iustiniani.

(2) De quibus dictum est *lib. III. tit. IV. num. XX. et seq.*

(3) Innoc. III. in *cit. cap. novimus 27. de verb. sign.*

dant Episcopis detrudere in arctum monasterium ad agendam poenitentiam clericos depositos per sententiam Iuris, vel hominis, seu verbaliter degradatos, eo collineant, ut simul ostendant istos foro Ecclesiae subiectos adhuc permanere, quoadusque Ecclesia post solemnem degradationem reapse tradiderit Curiae saeculari. Id quod pluribus firmat Benedictus XIV. (1).

CXX. Sunt qui adhuc dubitant in exceptis criminibus *assassinii*, *et laesae maiestatis*. Quandoquidem ex generali Concilio Lugdunensi I. sub Innocentio IV.: *quicumque Praelatus, seu quaevis alia ecclesiastica, saecularisque persona quempiam christianorum per assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit* (*quamquam mors ex hoc forsitan*) *aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, et depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, et beneficio incurrit sententias* ipso facto . . . *et postquam probabilius constiterit argumentis aliquem tantum scelus commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel* depositionis, *seu diffidationis adversus eum sententia requiritur* (2) : nostro autem Concordatorum iure laicus iudex praeveniens ecclesiastici rei capturam instructo in eum processu criminali debet ante sententiam, eiusque executionem expectare Tribunalis Mixti declarationem *super qualitate assassinii* (3). Perduelles itidem clericos Potestas regia consuevit mancipare vinculis, et capitale iudicium laesae maiestatis in eos exercere ex iuribus iam supra expositis (4). Captos huiusmodi, laicisque in carceribus legitime detentos clericos, et foro ecclesiastico iam egressos Ecclesia sub manu sua, non habens tradere Curiae saeculari, quum non possit realiter: istorum degradationem non oportere hinc arguunt, quippe quae futuram degradandi traditionem solummodo spectat. E contrario Novella Iustiniani paullo ante memorata laico Praesidi Provinciae, qui generatim reos profanorum criminum clericos tunc prehendebat, iudicabatque secundum imperii leges, videtur necessitatem ex iure manifesto,

(1) Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 7. cap. 34. num. 3.*

(2) Innoc. IV. in Conc. Lugdun. *cap. humani 1. de homic. in VI.*

(3) Concord. *cap. 4. art. 4.*, superius exposita *cit. lib. III. tit. VI. n. XXIX.*

(4) Eodem *lib. III. ibidem num. XX.* Variam res gestae disciplinam hac in re exhibent iam inibi traditam. Nonnulla heic addantur exempla. Apud Gregorium Turonensem *lib. 5., cap. 20.*, feruntur Salonius, et Sagittarius Episcopi, ac Praetextatus Rothomagensis Archiep. non alios experti fuisse iudices nisi Ebbonem, et alios Coepiscopos, quum Ludovicus Pius illos detestandae coniurationis auctores maluisset in concilius Episcoporum incruenta subire iudicia. Tum Arnulphus Rhemensis Archiepiscopus sub novo Rege Hugone Capetio proditionis reus quum ageretur, in Synodo Rhemensi caussam dixisse fertur a Thomasino *par. 2. lib. 4. cap. 94. num. 5.* Apamiensem Episcopum conspirationis in Regem delatum Philippus Pulcher custodiendum tradidit Archiepiscopo Narbonensi, donec suspiciones diluisset, eumque repetenti Bonifacio VIII. restituit, ex relatis a Thomasin. *ibidem.* At Richardus Eboracensis Archiep. an. 1405. velut et conscius conspirationum in Regem damnatur in Anglia fuit, ultimoque supplicio peremptus. Sed innoxium eumdem quum deprehendisset Innocentius VII., anathemate confixit omnes mortis eius auctores, quos Gregorius XII. tandem absolvit.

quod *palam* esse Imperator dixit, potius nunciasse quam imposuisse, ut *sacerdotali dignitate ab Episcopo* singuli spoliarentur, priusquam *sub legum manu* fierent, h. e. supplicia legitima subirent. Haec Iuris communis auctoritas coniecturam facit, solemnem degradationis caeremoniam cum actu immediato traditionis sublatam novo iure non fuisse, ubi facinorosis clericis ademit ipso facto privilegium fori, eosque in laicas manus derelictos voluit. Verum in tanta re, quamvis non fidei traditae, sed mobilis disciplinae definire nil ausim, iudiciumque supremis Potestatibus relinquo integrum.

CXXI. Formam degradandi expressit Ivo Carnotensis Episcopus ad Ioannem Aurelianensem ita respondens exeunte saeculo XI: *De presbytero, qui in statu femineo Sacramenta ecclesiastica profanavit, breviter respondeo, quia, ut sacrilegus, et idolatra iudicandus est, quem si tractare vultis secundum* censuram canonicam, *oportet, ut adhibitis vobis aliis quinque Episcopis, publice detractis sacerdotalibus indumentis, per singulos eum gradus deponatis, et depositum perpetuo carcere damnetis, aut in aeternum exilium detrudatis* (1). Bonifacius VIII. postulanti Episcopo Biterensi fusius eam descripsit: *Verbalis degradatio*, inquit, *seu depositio ab ordinibus, vel gradibus ecclesiasticis est a proprio* Episcopo, *sibi assistente in degradatione* clericorum in sacris *constitutorum ordinibus certo episcoporum numero diffinito canonibus facienda: quamquam Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum praesentia sufficiat in degradatione eorum, qui* minores *dumtaxat ordines receperunt.* Actualis *vero, sive* solemnis. . . *clerici degradatio fiet, ut exauctoratio eius, qui militiae deservit armatae, cui militaria detrahuntur insignia . . . Clericus igitur degradandus vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum seu ornamentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, ad Episcopi praesentiam adducatur: cui Episcopus publice singula . . . singulariter auferat, ab illo vestimento, seu ornamento, quod datum, vel traditum fuerat ultimo, inchoando, et descendendo gradatim degradationem continuet usque ad primam vestem, quae datur in collatione tonsurae: tuncque radatur caput illius, ne clericatus vestigium remaneat in eodem*; verba interim dicens congrua, nimirum iis opposita, quae in conferendis ordinibus proferuntur (2).

CXXII. Numerum Episcoporum ad degradationis sententiam proferendam Concilium Carthaginense I. definivit an. 348: statuens, ut diaconus caussam depositionis suae acturus a tribus vicinis Episcopis, presbyter a sex, Episcopus a duodecim audiatur (3). Idque firmarunt subsecuta Concilia Carthaginense II, III., et IV. (4). Dein Concilium Hispalense II., cui praefuit S. Isidorus, decrevit, *ut iuxta priscorum Patrum synodalem sententiam nullus nostrum sine concilii examine quemlibet presbyterum, vel diaconum* deiicere *audeat . . . Episcopus enim*

(1) Ivo Carnotens. Episc. *ep. 161.* ad Io. Aurelian. Episc.

(2) Bonif. VIII. in *cap. degradatio 2. de poenis in VI.* Hanc ipsam formam tradit explicatius Pontificale Romanum.

(3) Conc. Carthag. I. in *can. si quis tumidus 3. C. 15. qu. 7.*

(4) Carthag. II., III., et IV. in *can. felix. 4.*, *can. si autem 5.*, *et can. Episcopus 6. ead. C. et qu.*

sacerdotibus, ac ministris solus honorem dare potest: *solus* auferre *non potest* (1).

CXXIII. Processu temporum exoleta synodorum provincialium convocatione ob difficultatem congregandi praescriptum sacris canonibus numerum Episcoporum, Gregorius IX. Rhemensi Archiepiscopo eiusque suffraganeis rescribens, concessit, *ut sacerdotem, vel alium clericum in sacris Ordinibus constitutum (cum pro haeresi fuerit saeculari Curiae reliquendus, aut perpetuo immurandus) convocatis abbatibus, aliisque Praelatis, et religiosis personis, ac litteratis suae dioecesis, de quibus expedire videbitur, suus* solus *possit* Episcopus *degradare* (2). Clericos minorum ordinum sola Episcopi dioecesani sententia exauctorari posse, alios non item, iam vidimus a Bonifacio VIII. rescriptum. Mox Hadriano VI. conquesti quum essent Germaniae Principes, quod rara nimium degradatio ex difficultate congregandi ad iudicium tot Episcopos, et magno ea in re dispendio velificaret corruptis moribus ecclesiasticorum (3): tandem Tridentina Synodus decrevit licere *Episcopo per se, seu illius* Vicarium *in spiritualibus generalem contra clericum in sacris etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum ad illius* condemnationem, *nec non* verbalem depositionem, et per scipsum *etiam ad* actualem, *atque* solemnem degradationem *ab ipsis Ordinibus, et gradibus ecclesiasticis in casibus, in quibus aliorum Episcoporum praesentia in numero a canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere: adhibitis tamen et in hoc sibi adsistentibus totidem* abbatibus *usum mithrae, et baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate, aut dioecesi reperiri, et commode interesse possint: alioquin* aliis personis *in ecclesiastica* dignitate *constitutis, quae aetate graves, ac iuris scientia commendabiles existunt* (4). Hos autem abbates, vel viros ecclesiastica dignitate pollentes in Episcoporum vicem suffectos habere votum decisivum iudicio degradationis docet Benedictus XIV. (5).

CXXIV. Posthaec nihilo secius degradationum sententiae factae sunt multo rariores. Nam *nunc temporis Sacerdotes, aliique clerici tam maiorum* quam *minorum ordinum ad* triremes *libere amandantur, vel etiam* perpetuo carceri *mancipantur sine praevia verbali, multoque*

(1) Conc. Hispal. II. an. 619. in *can. sexta actione 1. ead. C., et qu.* Postremam huius canonis sententiam Gratianus iterum, iterumque recitat in *can. Episcopus 7., et ult. eiusdem C., et qu.*, et in *can. Episcopus 2. dist. 67.*

(2) Greg. IX. in *cap. quoniam 1. de haereticis 6.*

(3) Bohemerus *iur. eccles. protestant. to. 5. tit. 37. de poenis num. 118.*, inter centum gravamina a Principibus Germaniae Hadriano VI. exposita haec habet *art. 12. Tandem ut in peccatis, maleficiisque perpetrandis magis adhuc foveantur, praeter omnem aequitatis rationem aliquatenus interdictum est Archiepiscopis, et Episcopis, ne malefactores hos publice criminali iudicio reos agere possint, nisi prius degradatos: id quod tantis sumptibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea perquam rarissimum* uncti *illi malefactores merita plectantur poena.*

(4) Trid. in *cap. cum vero 4. sess. 13. de reform.*

(5) Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 7. cap. 34. num. 4. in fine*, et in *const. quam grave 69. §. 8. to. 4. Bullar.*

minus reali degradatione, inquit praelaudatus Pontifex (1). Praelati enim, et iudices ecclesiastici materna Ecclesiae lenitate commoti, satius ducunt capitalium criminum reos clericos, mitigato solemnis degradationis rigore, ad poenas corporales citra mortem per sese damnare, quam eos in discrimen capitis offerre solemniter degradatos, si Curiae saeculari traderent, ob incertam, nisi mavis dicere inanem spem impetrandi ab ea suis ipsorum precibus ultimi supplicii remissionem: nisi enormitas flagitiorum, et necessitas obsequendi votis popularibus, regiisve insinuationibus publicam aliquando vindictam secundum leges flagitantibus aliter suaserit, et sanctiones ecclesiasticae, aut pontificiae solemnem degradationem, traditionemque laicae Potestati speciatim imperaverint (2).

CXXV. Novem crimina speciatim enumerat Benedictus XIV., quibus clerici nunc degradati Curiae saeculari traduntur ex legibus Ecclesiae (3), 1, haeresis et apostasia a fide cum relapsu, vel pertinacia (4). 2, falsificatio litterarum apostolicarum (5). 3, gravis contumelia, vel calumnia, seu conspiratio in sui Episcopi necem (6). 4, assassinium (7). 5, nefandum crimen non semel admissum (8). 6, sollicitatio ad turpia in sacramentali confessione (9). 7, celebratio Missae aut sacramentalis confessionis auditio sine ordine sacerdotali (10). 8,

(1) Idem in *cit. const. quam grave 69. §. 16.*, post Catalanum in *comm. ad Pontif. Rom. tit. 16. §. 4. num. 6. to. 3.*

(2) Idem Bened. XIV. *cit. lib. 2. de Syn. dioec. cap. 34 num. 7.*, *hodie nullus clericorum*, ait, *solemniter degradatus re ipsa traditur Curiae saeculari, nisi qui ob grandia delicta meretur poenam capitalem. Quinimmo non ob quodlibet crimen, cui est a legibus inflicta poena ultimi supplicii, potest clericus exauctorari, et saeculari foro subiici: sed debet esse crimen, cui a iure communi ecclesiastico, aut a pontificiis sanctionibus sit expresse, et nominatim adnexa degradationis poena.*

(3) Idem *loc. cit.*

(4) Ex Lucio III. in *cap. ad abolendam 9.*, *et* Greg. IX. in *cap. excommunicamus 15. de haereticis*, Bonif. VIII. in *cap. quoniam*, *et cap. super eo eod. tit. in VI.* Paulus IV. eos praecipue, qui negarent mysterium SS. Trinitatis, vel Christi Domini conceptionem ex Spiritu S., vel intactam Deiparae virginitatem, vel Christi mortem, sanxit degradandos fore, Curiaeque saeculari tradendos, eiusque bullam innovavit Clemens VIII. *const. 97. to. 3. Bulla.*

(5) Ex Inn. III. in *cit. cap. ad falsariorum 7. de crimine falsi*, *et cap. novimus 27. de verb. sign.*

(6) Ex *can. si quis sacerdotum 18. C. 11. qu. 1.* At apocrypham esse auctoritatem huiusce canonis ex S. Pii Papae, et mart. commentitia epistola prolati iam praemonui superius *num.* CXVIII. Hac idcirco ratione subtrahendum aio crimen istud ex numero scelerum, in quibus poena traditionis Curiae saeculari locum speciatim nunc habet. Benedictus autem XIV. *loc. cit.* observat plerosque Doctorum tenuisse, quod nequeat clericus ob crimen eiusmodi, nisi fuerit incorrigibilis, degradari, perinde ac ob alia non excepta flagitia.

(7) Ex gen. Conc. Lugdun. in *cap. 1. de homicidio in VI.*, de quo Ius nostrum quid statuerit, iam explicui supra *num. CXIX.*

(8) Ex S. Pii V. *const. horrendum 95. to. 4. Bullarii. par. 3.*

(9) Ex Greg. XV. *const. 34. to. 3. Bullarii.*

(10) Ex Clementis VIII., et Urbani VIII. constitutionibus, quas innovavit Benedictus XIV. in *const. Sacerdos in aeternum 97. to. 1. Bull. sui.* Quum

falsae monetae aureae, vel argenteae fabricatio in provinciis Italiae, eiusque erogatio, vel tonsio verae (1). 9, sacrilegum furtum Eucharistiae, vel sacrae pyxidis etiam sine divinis particulis (2).

CXXVI. Aliorum vero capitalium criminum reos, puta parricidas, homicidasque proditores vel insidiosos, vel sacrilegos, latrones, viarumque grassatores, incendiarios, ceteros id genus nequissimos clericos Episcopis non licere, statim primo decreto ad degradationem, traditionemque in manus laicas damnare, nisi antea inflixerint gradatim poenas ecclesiasticas depositionis verbalis, et excommunicationis, quibus ipsos reducere ad meliorem frugem, ac resipiscentiam studeant, eosque obduratos in nequitia, et incorrigibiles agnoverint, idem Pontifex tradit ex communiori Doctorum sententia (3), posthabitis aliis contra opinantibus. Nam Coelestinus III. canonicam traditionem secutus Potestati saeculari tunc tradi clericum facinorosum oportere generatim rescripsit, quum in profundum malorum per contumaciam, et duritiem cordis venerit, et Ecclesia nil habeat ultra, quod faciat (4).

CXXVII. Depositis, vel degradatis nulla fere superest spes redeundi ad amissos Ordinum gradus, nisi manifesta, et sincera poenitentia, et evidens emendatio quandoque gratiam dispensationis ab Apostolica Sede promeruerit. S. Augustinus ad Bonifacium scribens, *bene valet*, ait, *sacerdos restitui ad honorem suum post peractam poenitentiam, licet in hoc diversi diversa sentiant, dicentes non posse restitui ad honorem. Sed sic dictum est propter simulatas poenitentias quorumdam, et propter affectatas honorum dignitates* (5). B. Hieronymus re-

vero in usu fori opinio praevaluisset damnandi ad triremes, aut carcerem perpetuum eos, qui sponte confiterentur in iudicio crimen eiusmodi maxime sacrilegum: Benedictus XIV. pontificia usus clementia, indulsit id sponte confessos eo gaudere arbitrio iudicis promeritam poenam degradationis, et traditionis minorante ad triremes, vel carceres, ex eo praesertim, quod Cardinalis Albitius doctrina, et experientia insignis testatum reliquerat, minorationem eiusmodi poenae in Romana Curia consuevisse, velut proemium iis indulgeri, qui ad primam iudicis interrogationem delictum suum integre, aperteque faterentur data ad locorum ordinarios die 2. August. 1757. epistola encyclica, quae incipit *quam grave 69. to. 4. eiusdem Bull.* Eodemque die simul ad eos dedit perpetuam constitutionem, quae incipit *divinarum 70. eod. to. 3.*, qua sanxit sacrilegis absque sacerdotali ordine Missam celebrantibus, vel confessiones poenitentium excipientibus non suffragaturam deinceps confessionem sinceram; quam ii facient statim ac in carceribus detenti coram iudice constituti fuerint, ad evadendam poenam traditionis Curiae saecularis.

(1) Ex Urbani VIII. *const. in suprema to. 4.* Bullarii.

(2) Ex Innocentii XI., et Alexandri VIII. constitutionibus, quas firmavit Benedictus XIV. in *const. ab augustissimo 93. to. 1.* Bullarii sui.

(3) Benedictus XIV. *cit. lib. 7. de Syn. dioec. cap. 33. num. 8., et seq.*

(4) Coelest. III. in *cap. cum non ab homine 10. de iudiciis.* Consonant priscorum canonum sententiae superius exscriptae *num. CXV.*

(5) S. Aug. in *can. bene valet 23. dist. 50.* Idipsum firmat in *seq. can. sacerdos 24., et can. ut constitueretur 25., et can. quamvis caute 62. eod. dist.* tum in *can. subdiaconus 39. C. 23. qu. 1.* Consonat S. Isidorus in *can. Domino 28. dist. 50.*, et Rabanus in *can. 34.*

verti in pristinum gradum post lapsum difficile est, inquit (1): at sacris ex Litteris arguit proficuam Ecclesiae fuisse restitutionem poenitentium (2). Idipsum exemplo B. Petri, *qui postquam fidem se perdidisse deflevit, maiorem gratiam reperit, quam amisit*, firmat S. Ambrosius (3), aliisque testimoniis comprobat S. Gregorius M. (4). Hic ipse tamen Pontifex optimus Mediolanensi Episcopo rescripsit: *si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicae procul dubio frangitur disciplinae* (5). Plures idcirco canones, et Pontifices restitutionem poenitentibus generatim denegant (6). Hinc est, cur depositi, quamvis longa poenitentia correcti, nequeant ab Episcopis unquam ad suos Ordines restitutionem iure postulare, aut ullatenus obtinere: sed eam ex pura Sedis Apostolicae gratia, si consenserit etiam Episcopus dioecesanus eorum sinceram resipiscentiam testificaturus, tantum sperare. Si molestiam pro ea consequenda regiis auribus intulerint vel recursu, vel precibus importunis, eos ab omni spe tunc excidere canones iubent (7).

§. XII. *et ultimus. De poenis corporeis et temporalibus.*

CXXVIII. Quo ex tempore ad spiritalem Episcoporum potestatem accessit iure humano temporalis iurisdictio in profanis clericorum caussis qua civilibus, qua criminalibus (8) cum ea corporis coercitione, quae lenitatem decet ecclesiasticam, incruentis poenis etiam corporeis clericos ipsos Episcopi castigare consueverunt, legum, et canonum auctoritate suffulti. *Octo genera poenarum in legibus esse* tradit ex Tullio S. Augustinus: *damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem* (9). Postremae duae si excipian-

(1) B. Hieron. in *can. quicumque 3o. dist. 5o.*

(2) In *can. purgabit 15., can. cum exaudiero 19, can. Iesus 20. ead. dist.*

(3) Ambros. in *can. fidelior 53. ead. dist.*

(4) S. Greg. M. in *can. quia sanctitatis 16, can. quid est hoc 17., et seq., et can. considerandum 53. dist. 5o.*

(5) Idem in *can. si lapsi 1., can. presbyterorum 4. can. pervenit 9., can. accedens 10., et can. postquam* 11. *ead. dist.*

(6) Hormisdas in *can. si quis diaconus 29.*, Martinus I. in *can. qui semel*, et 2., *can. si post ordinationem* 12., Ioannes VIII. in *can. miror 4.* Nicolaus I. in *can. sacerdotes 33., can. studeat 39., et can. hi, qui arbores 49. dist. 6o.* Inter hos Gratianus commiscet apocryphum *ep.* 2. S. Callixti Papae in *can. ponderet 14. ead. dist.*, et simul genuinos canones plurium Synodorum hunc ipsum rigorem firmantes.

(7) Quos habet Gratianus *C. 31. qu. 5.*

(8) De qua satis dictum superiori *lib. III. tit. de ortu, et progressu iurisdict. eccl., et seqq. tit.*

(9) S. August. *lib.* 21. *de civ. Dei cap.* 11. Poenas istas Iure civili sancitas ad isthaec summatim genera Ulpianus redigit in *l. si quis forte 6., et l. aut damnum 8. D. de poenis*, inquiens: *aut vitam adimunt, aut servitutem iniungunt, aut civitatem auferunt, aut exilium, aut coercitionem corporis continent*, (puta fustibus, flagellis, vinculis), *aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliquam depositionem, aut alicuius actus prohibitionem.*

tur, *mors* capitalium poenarum maxima, et *servitus* mediam capitis deminutionem inferens (1), ad solam potestatem gladii regiam, saeculareraque pertinentes: cunctas alias poenas, instar laici fori in laicos, episcopales Curiae in ecclesiasticas personas iamdudum infligunt. Pro coronide lubet singularum usum in foro ecclesiastico ex veteris, et novae disciplinae iuribus patefacere.

CXXIX. In primis poena *damni* usuvenit, Iure divino, et humano imperata. Is enim finis legum est in poenis constituendis, ut qui malefactis, vel dolo, vel culpa damnum alicui, aut lucri iacturam intulerit, id cogatur ex aequo reficere: iniurias autem, quae nullam aequalis pretii aestimationem admittunt, congruo supplicio compensare ad aequalitatem inter cives, quoad fieri potest servandam (2). Ex lege Moysis in Decretalium textu recitata qui percusserit proximum suum in rixa exinde infirmatum, *operas eius, et impensas in medicos restituat* (3). Pariter ob iumentum in cisternam apertam prolapsum, vel bovem a bove cornupeta non custodito occisum, vel agrum a iumento dimisso vastatum, vineamque corruptam, vel acervos frugum, aut segetes, aut areas in agris consumptas igne aliunde egresso, quivis noxam, culpamque iis in rebus commiserit, dati damni aestimationem reddat (4). Ex generali autem Gregorii IX. definitione, *si culpa tua datum est* damnum, *vel* iniuria *irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut*

(1) Capitalium *poenarum fere isti gradus sunt*, summum supplicium, *idest ad furcam damnatio, et vivi crematio, item capitis amputatio, deinde proxima morti poena, metalli coercitio, post in insulam* deportatio. *Ceterae poenae ad* existimationem, *non ad capitis periculum pertinent, veluti* relegatio *ad tempus, vel in perpetuum, vel in insulam, vel cum in opus quis publicum datur, vel cum fustium ictu subiicitur,* ait Callistratus in *l. capitalium 28. D. de poenis.* Servos poenae fieri, qui damnantur in metallum, vel opus metalli, in sulphurariam, salinas, sodinasque ceteras, vel in ludum venatorium, seu ad bestias, tradit Ulpianus in *l. aut damnum 8. D. de poenis.*

(2) Aristoteles *lib. 5. ethicor. cap. 4. de iure commutativo, et emendativo* totus in eo est, ut ostendat aequalitatem inter cives iniuria, et iniquitate maleficiorum laedi: iudex vero legitimis, et congruis poenis aequare iniurias, et malefacta studeat. *Ius igitur*, Philosophus ait, *emendativum lucri, et damni medium est . . , iudex autem ad aequalitatem redigit.* S. Augustinus *lib. 21. de Civ. Dei cap. 13.* poenas omnes ad emendationem damnorum, iniuriarumque adhiberi ex Platonicorum sententia monet, ita scribens: *Platonici, quamvis impunita nulla velint esse peccata, tamen omnes* emendationi *adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel divinis.* Huc etiam spectat illud Christi Domini effatum Lucae *6. vers. 38. in qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis.*

(3) Exodi *cap. 21. vers. 18.*, et 19., *et cap. si rixati 1. de iniuriis, et damno dato. Operas* videlicet quum omissas tempore curationis, tum futuras, quas nequiverit debilitatus facere ex Ulpiano in *l. qua actione 7. D. ad leg. Aquil.* et Gaio in *l. cum liberi 7., et fin. D. de his, qui offenderint, vel deiecerint*: et Iustinin. in §. 1. *Inst. de oblig. ex quasi delicto.*

(4) Exodi *cit. cap. 21.*, et 22., et Gregorianus textus in *cap. 2., 3., 4., 5., et 6. eod. tit. de iniuriis, et damno dato.* Huc pertinent *noxales actiones, quae non ex contractu, sed ex noxa, atque maleficio servorum adversus nos instituuntur,* Gaius inquit in *l. 1. D. de noxalibus actionibus.*

haec imperitia tua sive negligentia evenerunt: iure *super his satisfacere te oportet* (1). Hinc factum est, ut in utroque foro profano, et sacro ad restitutionem totius damni, et eius quod laesos intersit quomodolibet, damnentur fures, et latrones (2), usurarii (3), quicumque fraudatores (4), temere litigantes (5), homicidae, ceterique.

CXXX. *Vinculis* mancipare idem est, atque in *carcere* detrudere

(1) Greg. IX. in *cap. si culpa tua 9.*, *et ult. eod. tit. de iniuriis.*

(2) *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur: non agitur poenitentia, sed fingitur . . . Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, S. Augustinus ait in *can. si res aliena* 1. *C. 14. qu. 6.* Aliam pro alia re non licet invito domino restituere ex *l. manifesti C. de solutionibus*, dummodo extet eadem restituenda res: nam consumptae rei ablatae pretium recte restituitur. *Si quid inventisti, et non reddidisti, rapuisti*, ait S. Aug. in *can. si quid 6. C. 14. qu. 5.*, quoties reperiatur dominus. Furtum enim committit alienam rem qui reperit, inventoque domino non restituit ex *l. falsus §. qui alienam D. de furtis.* S. Gregorius M. in *can. cum devotissimam 8. C. 12. qu. 2.* ut praedones, et incendiarii rerum Ecclesiae ad restituendam Ecclesiae praedam in quadruplum secundum leges Langobardorum damnarentur, ad Constantiam Galliae reginam scripsit. Idem vero Pontifex ad Augustinum Anglorum Episcopum rescribens, *absit, ut Ecclesia*, inquit, *cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus* ex furto *videtur amittere, et lucra damnis quaerat.*

(3) *Cap. quia in omnibus 3.*, *cap. cum tu manifestos 3.*, *et cap. cum in dioecesi 15. de usuris*, *cap. ad nostram 7. de iureiur.* Haeres etiam usurarii debet usuras per defunctum extortas restituere, *cap. tua nos 9. de usuris.* Et foeneratoris testamentum, nisi ante mortem usuras male acceptas restituerit, nullum ipso iure putatur, quia de rebus non suis disponere praesumitur, *cap. quamquam 2. de usuris in VI.*

(4) *Fraus, et ipsa noxa dicitur* ab Ulpiano in *l. aliud fraus 131. D. de verb. sign.*, damnum scilicet datum dolo malo. Inest enim dolo fraus, *l. 7. §. 10. D. pactis. Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, publicanus poenitens ait Lucae *cap.* 19. Quod laudat contra invasores rerum Ecclesiae Ioannes I. in *can. in antiquis 7. C. 12. qu. 2.* S. Gregorius M. in *can. comperimus 2. C. 14. qu. 6.*, rescripsit, ut Episcopus, qui res alienas temere consecraverat, pretium domino daret. Oblationes defunctorum, qui sibi retinent in fraudem Ecclesiae, quousque reddant, eos a communione segregari decreverunt Concilia Carthaginense IV., Vasense, et Agathense in *can.* 9., 10., et 11. *C. 13., qu. 2.* Nam *amico quidpiam rapere furtum est, Ecclesiam vero fraudare sacrilegium*, ex B. Hieronymi sententia in *can. gloria Episcopi 71. C. 12. qu. 2. et can. qui oblationes 10. C. 13. qu. 2.* Ex Concilio Martini in *can. si quis Episcopus 8. C. 10. qu. 2.*, *res ipsas Ecclesiae restaurare cogitur*, qui eas fraudulenter sine necessitate vendiderit. *Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*, ex sacris Litteris, Ecclesiastici *cap. 34. vers. et can. immolans 2. C. 14. qu. 5*: idest pares in noxa fraudulenta. Omnes itaque fraudatores aeris alieni per inficiationem impudentem, vel dolosam decoctionem, cessionemque bonorum, vel in societate, aliorumque negotiis gestis, vel in administratione magistratus, vel iniquis iudiciis, vel pravis consiliis, vel in ludis, vel contractibus reficere damna coguntur iure naturali, quod leges exequuntur, nedum in civili, sed criminali etiam iudicio ob crimen stellionatus, et quasi furti, de quo Ulpianus in *l. 3. D. de crimine stellionatus.*

(5) Ex Inn. III. in *cap. accedens 23. de accusat.* et huius regni legibus, quas recensui superius hoc *lib. II. num. III.*

vinculis corpori adhibitis (1). Qui nomen Domini blasphemaverat in castris adductus ad Moysen, *in carcerem* missus fertur in sacro Levitici textu (2) : sed laicus, non Levita is fuit. Christus Dominus *carcerem* Principis dumtaxat, in quem debitores instante adversario mittuntur, commemorat (3). Petrum, Paulum, ceteros Apostolos, eorumque proximos successores a tyrannis Principibus in vincula carcerum coniectos legimus ob caussam fidei evangelicae: at ipsorum iudicio vinculis corporeis obstrictum esse neminem explorata res est. Pacata vero Christi Ecclesia Episcopi clericos criminosos consueverunt ad poenam canonicam detrusionis in monasterium, vel carcerem, seu custodiam ecclesiasticam, instar saecularium vinculorum, et carcerum damnare, modo perpetuam, modo temporariam pro qualitate criminum. Detrusio in monasterium, tamquam tuta custodia reorum sancita saepius patet ex Conciliis Galliae antiquis, praesertim Agathensi an. 506. (4), Epaunense an. 517 (5), Cabilonense an. 650, (6), Aurelianense an. 511 (7); tum Hispanis, et praecipue Toletano IV. an 533. (8). Eamque simul Romani Pontifices imperarunt Ioannes II. (9), Siricius (10), S. Leo (11), Gelasius (12), S. Gregorius M. (13), Stephanus II. (14) in veteri disciplina; mox recentiores Alexander III. (15), Innocentius III. (16), ceteri. In carcere insuper ecclesiastico presbyterum a B. Athanasio Alexandrino inclusum quarto saeculo fert Sozomenus (17). Siricius Papa *dete-*

(1) Ex Ulp. in *l. verum est 215. D. de verb. sign.* Videsis dicta superius hoc eodem *lib. tit. V. num. III.* Vincula *vero, et ea sempiterna certe ad singularem poenam nefarii sceleris inventa sunt*, ait M. Tullius *or. 4. in Catilinam.*

(2) Levitici *cap. 24. vers. 12.*

(3) Lucae *cap. 12. vers. ult.*

(4) Conc. Agathense in *can. si Episcopus, dist. 50.*

(5) Epaanense *can. 22.*

(6) Cabilonens. in *can. dictum est 8. dist. 81.*, quem Moguntino male inscribit Gratianus. (7) Aurelian. III. in *can. si quis clericus eod. dist. 81.*

(8) Toletan. IV. in *can. clerici 5. D. 23. qu. 8.*

(9) Ioannes II. *ep. 1.* ad Caesarium Arelatens. *Te ordinante*, ait, *in monasterium dirigatur, ubi delictorum memor in poenitentia lachrymas effundere non omittat.*

(10) Anastasius in *vita Siricii*, fert ab eo statutum, *ut si quis conversus de Manichaeis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicetur, nisi tantum relegatione monasterii diebus vitae suae teneatur obnoxius.* Idipsum Anastasius Papa gessit cum Cataphrygis.

(11) S. Leo in *can. alienum 67. dist. 50.* lapsis clericis, ait, *ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio: ubi illis satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa.*

(12) Gelas. in *can. si evangelica ult. dist. 55.*

(13) S. Greg. M. *in can. de lapsis 5. C. 16. qu. 6., et can. si qua monachorum 28. C. 27. qu. 1.*

(14) Stephanus II. an. 754. *can. 13.* inter responsa ab eo data in Gallia commorante.

(15) Alex. III. in *cap. clerici 4. de excess. Praelator., et cap. sicut dignum 6. §. ult. de homicidio.*

(16) Innoc. III. *cap. tuae discretionis 6. de poenis.*

(17) Sozomenus *lib. 2. hist. eccles. cap. 24.* enarrans gesta in concilio Tyrio

stabiles monachorum, et monacharum personas sacrilega commixtione coinquinatas a monasteriis, Ecclesiisque eliminandas iussit, *quatenus retrusae in suis* ergastulis *tantum facinus lamentatione continua deflentes, purificatorio possint igne poenitudinis decoqui* (1). Tametsi alia huiusmodi exempla mihi non suppetunt ex monumentis IV., et V. saeculi: tamen haec duo satis ostendunt vetustissimum usum carceris ecclesiastici ad episcopalem accessisse iurisdictionem, statim ac eam in foro externo leges christianorum Principum firmarunt, ipsis Principibus, populisque non aversantibus. Nam Iustinianus Imperator VI. saeculo, dum Episcopis tribuit speciatim ius retrudendi in locis, quae *decaneta* dicebantur, executores poenas promeritas daturos, qui constitutionem imperialem pro caussis monachorum, et monialium a proprio Episcopo iudicandis violarent (2) : palam indicat ecclesiasticos carceres iamdudum usum viguisse ante constitutionem suam. Archipresbyteros disciplinam iuniorum omittentes, in cellam retrudendos per mensem decrevit Concilium Turonense II. (3). Tum depositos vel Presbyteros, vel Episcopos in perpetuum ergastulum non raro coniectos a priscis Patribus iam constat ex Concilio Toletano II. (4), Matisconensi I, (5), S. Gregorio M. (6),

contra S. Athanasium ait : *Callinicus* Pelusii *Episcopus, et Ischyrion quidam ex factione Ioannis eum* (h. e. Athanasium Alexandrinum) *accusaverunt, quod. . . ipsum Ischyrionem, qui erat presbyter, saepe in* carcerem *concluserat . . . ipsumque Callinicum* sua Ecclesia abdicatum *a militibus custodiri, verberibus caedi, et in iudicium adduci effecerat. Porro Euplus, Pathomius, Isaac, Achilles, et Hermaeon Episcopi, factionis Ioannis illum insimularunt, quod ab eo* vapularent. . . *Eum autem dedignatum esse caussam suam persuadendo obtinere: sed vi cogendo homines, et in* vincula *conïciendo, suam in sententiam perducere laborasse.*

(1) Siricius in *can. impudicas 11. C. 27. qu. 1.* Hunc canonem Gratianus inscribit Concilio Triburiensi an. 895. Sed Correctores Romani ipsum integrum emendatius recitant ex *ep. 1.* Siricii, eiusque decretis in Codice canonum: solumque fragmentum extare in Conc. Tribur.

(2) Iustin. *Nov. 79. cap. 3. Qui praeter haec aliquid egerint*, ait, *executores. . . . ab ipsis Deo amabilibus Episcopis prohibeantur, et retrudantur in locis, quae* decaneta *nuncupantur, poenas competentes passuri.* Ubi Gothofredus adnotat ea loca a Iuliano *decanica* vocari, *cancellos* a Balsamone, *secretaria* a Conc. Chalcedonensi *act. 1.*

(3) Conc. Turon. II. *can. 40. Illi vero Archipresbyteri, qui talem cautelam super iuniores suos habere noluerint, et non eos habuerint studium distringendi, ab Episcopo suo in civitate* retrudantur in cellam, *ibique* mense *integro panem cum aqua manducent.*

(4) Toletan. II. an. 531 in *can. his, a quibus 3o. C. 23. qu. 8.* Ob agitatum sanguinis iudicium clericus *concessi ordinis honore privetur, et sub* perpetuo *quoque damnationis teneatur* ergastulo *religatus.*

(5) Conc. Matiscon. I. an. 581. *can. 5.: si post hanc definitionem clericus, aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, a senioribus ita coerceatur, ut 3o. dierum* inclusione *detentus, aqua tantum, et pane modico diebus singulis substentetur.* Et *can. 8.* clericus si *iunior fuerit, uno minus 49. ictus accipiat, si honoratior, 3o. dierum* inclusione *mulctetur.*

(6) S. Greg. *lib. 2. ep. 7.* Adrianum Episcopum Thebanum apud Ioannem primae Iustinianae Episcopum arctissima detentum custodia refert.

Gregorio Turonensi (1), Anastasio in vita Stephani IV. (2), Ivone Carnotensi (3). In nova itidem disciplina Honorius III. Turonensi Archiepiscopo rescripsit, quod apostatas obduratos, *si vellet*, *posset sub gravi custodia carcerare, ita quod solummodo sibi vita misera reservaretur, donec a sua nequitia resipiscant* (4). Ut falsarium clericum Episcopus Parisiensis *in perpetuum carcerem ad agendam poenitentiam* includeret, pane doloris, et aqua angustiae substentandum, ab Innocentio III. rescriptum iam diximus (5). Idemque generatim censuit respondens Londonensi Episcopo, quod Praelati *non solum possunt, sed et debent etiam clericos, postquam fuerint de crimine canonice condemnati, sub arcta custodia detinere: qui cum sint incorrigibiles, nec in monasteriis valeant custodiri, ad similia, vel peiora facile laberentur* (6). Pariter Bonifacius VIII. non improbavit, *quamvis ad reorum custodiam, non ad poenam* carcer *specialiter deputatus esse noscatur:* clericos vel confessos, vel convictos de criminibus *in perpetuum, vel ad tempus*, prout videbitur expedire, *carceri ad poenitentiam peragendam* mancipari (7).

CXXXI. *Verberum* poena triplex a a Callistrato exponitur, *fustium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum verberatio* (8). Paulus ex Antonini rescripto tradit *liberos fustibus* caesos, *servos flagellis* (9). Ab Ulpiano fertur Proconsul potuisse *de plano libertum non obsequentem emendare aut verbis, aut* fustium *castigatione* (10). Impuberes autem *terreri tantum consuevisse, et habena, vel ferula caedi* (11). Ex lege Mosayca *si eum, qui peccavit, dignum viderint plagis; prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati, et plagarum modus: ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus* (12). Ex divino

(1) Greg. Turonens. *lib. 5. cap. 27. Rei maiestatis*, inquit, *et patriae proditores . . . ab episcopatu distincti in* basilicam *B. Marcello sub* custodia *detrudantur.*

(2) *Sergius vero in* monasterium *divi Scauri deportatus, et postmodum in* cellarium Lateranense *deductus*, Anastasius inquit.

(3) Ivo Carnotens. *cit. ep. 162.* ad Io. Aurelianens. de presbytero sacrilego, et idolatra scribens, *depositum* perpetuo carcere *damnetis*, ait, *aut in aeternum exilium detrudatis.*

(4) Honor. III. in *cap. a nobis 2. de apostatis* in V. compil. decretal.

(5) Innoc. III. in *cap. novimus 27. de verb. sign.*

(6) Idem in *cap. ut famae, quae 35. de sent. excomm.*

(7) Bonif. VIII. in *cap. quamvis 3. de poenis in VI.*

(8) Callistrat. in *l. veluti 7. De poenis.*

(9) Paul. in *l. Pedius 4. D. de incendio, ruina, naufragio.* Consonat Macer in *l. in servorum 10. D. de poenis.*

(10) Ulp. *l. nec quidquam 9. §. 3. D. de offic. proconsulis.*

(11) Idem in *l. cum aliter 1. §. 33. D. de Sen. Cons. Silaniano.* Vinculorum verberationem a Callistrato dictam pro habena putat Gothofredus in *cit. l. veluti 7. de poenis.*

(12) Deuteronomii *cap. 25. vers. 2., et 3.* Apostolus *2. ad Corinth. cap. 11. vers. 24., a Iudaeis*, inquit, *quinquies quadragenas una minus accepi. Ter (virgis caesus sum.* Actorum *cap. 16. vers. 22., magistratus scissis tunicis*

Salomonis oraculo *percute filium tuum virga, et liberabis animam eius a morte* (1). Profanatores templi flagello funiculorum conterritos, et eiectos a Christo Domino iam novimus (2). Apostolus autem docet Episcopum oportere *non percussorem* esse (3). Canones vulgo Apostolorum *Episcopum, aut presbyterum, aut diaconum, qui vel fideles delinquentes, vel infideles iniuriam inferentes* percusserit, *deponi* praecipiunt (4). Romana Synodus sub S. Silvestro an. 315. ita decrevit: *neminem quisquam peccantem clericum* caede *attingat, non praesbyter, non diaconus, non Episcopus clericum, vel servitorem Ecclesiae ad* caedem *perducat* (5). At vero S. Augustinus ad Marcellinum Comitem scribens de clericis Donatistis capitalium criminum reis, *noli perdere paternam diligentiam*, ait, *quam in ipsa inquisitione servasti: quando tantorum scelerum confessionem, non extendente equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed* virgarum verberibus *eruisti, qui modus coercitionis, et a magistris artium liberalium, et ab is parentibus, et saepe etiam in* iudiciis *solet ab* Episcopis *adhiberi* (6). Gregorius M. Ioanni Constantinopolitano Episcopo scribens, *quid autem de Episcopis*, ait, *qui* verberibus *timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas vestra novit: Pastores etenim facti sumus, non percussores . . . . nova vero, atque inaudita est ista praedicatio, quae* verberibus *exigit fidem* (7). Sed idolorum cultores, aruspices, sortilegos si *quidem servi sunt*, verberibus *cruciatibusve ad emendationem* castigandos; si *vero sunt liberi, inclusione digna, districtaque in poenitentiam* redigendos idem Pontifex Ianuario Episcopo rescripsit (8). Fures etiam alios *damnis*, alios *verberibus* corrigendos censuit (9). *Non liceat Episcopo manibus suis aliquem caedere: hoc enim alienum, a sacerdote esse debet*, a Concilio Agathensi an. 508. decretum fert Gratianus (10), a Bonifacio Papa Burchardus, et Ivo (11). Sed Romani Correctores id in Novellis Iustiniani haberi monent. Imperator quidem sanxit, presbyteros, aut diaconos ob falsum testimonium in caussa pecuniaria *pro verberibus* tres annos separari a sacro ministerio, et monasteriis tradi: in caussa criminali nudatos clericali ordine legitimis subdi poenis; reliquos, qui falsum in quavis caussa dixerint, non solum ecclesiastico officio repelli, sed etiam *verberibus*

eorum idest Pauli, et Silae) *iusserunt eos virgis caedi. Et cum plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem.* (1) Proverbiorum *cap. 23. vers. 14.*

(2) Matthaei *cap. 11. vers. 22.*, et Ioan. *cap. 2. vers. 15.*

(3) I. ab Timoth. *cap. 3.*, et ad Titum *cap. 1.*

(4) *Can. 26.* vulgo Apostolorum in *can. Episcopum 7. dist. 45.*

(5) Romana Synod. in *can. neminem 2. dist. 45.*

(6) S. Aug. in *can. circumcelliones 1. C. 23. qu. 5.* Idemque in *can. et qui 11. dist. 45.* commendat proficuam verberum correptionem, inquiens: *Et qui emendat* verbere, *in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina. . . . misericordiam praestat.* Et *in psalm. 122.* tradit Boetium ob haeresim flagellis damnatum sententia Episcoporum.

(7) S. Greg. in *can. quid autem. 1. dist. 45.*

(8) Idem in *can. contra idolorum 10. C. 26. qu. 5.*

(9) Idem in *can. fraternitas 11. C. 12. qu. 2.*

(10) In *can. non liceat 25. dist. 86.*

(11) Ut notant Romani Correctores in eodem *can. non liceat.*

subdi (1). Tum Concilio Bracarensi III. an. 675. placuit eos, *qui gradus ecclesiasticos meruerunt, idest presbyteri, abbates, et levitae, exceptis gravioribus, et mortalibus culpis, nullis* verberibus *subiacere* (2). Alexander III. Panormitano Archiepiscopo rescripsit, quod Saracenos, qui christianas mulieres, et pueros rapiebant, iisque abutebantur, posset, quum Siciliae Rex ei, aliisque Episcopis puniendos illos mandasset, pecuniaria poena mulctare, *et flagellis etiam afficere*, ea moderatione *adhibita, quod* flagella *in vindictam sanguinis transire* non viderentur (3). Clemens III. vero consultus, an famulus laicus, qui iussu abbatis in clericum monachum, aut conversum violentas manus iniecerat, in excommunicationem incidisset: respondit, quod *nisi caussa regularis disciplinae hoc faciat Abbas in propria persona, vel (si necessitas urgeat) per clericum, vel monachum fieri iubeat*, et imperans verberationem, et verberans excommunicationem incurrant (4). Ex his collige quum canones, tum leges nullam ecclesiasticis Praelatis, tamquam iudicibus facultatem indulsisse puniendi clericos verberibus, aut flagellis: sed instar parentum, ac magistrorum dumtaxat eos virga, aut ferula emendandi extra formam iudicii (5).

CXXXII. *Talionem*, idest par crimini supplicium, reciprocam poenam, similem vindictam imperavit lex Mosayca (6), Romanorum leges adhibuerunt (7), ratio aequandi iuris inter offensores, et offensos commendat, quoties iusta permutatio aequam admittit retributionem ex iure, ut aiunt commutativo. Sed quoniam unius, eiusdemque iniuriae,

(1) Iustin. *Nov. 123. cap. 20.*
(2) Conc. Bracarense III. in *cap. cum beatus 8. dist. 45.*
(3) Alex. III. in *cap. in archiepiscopatu 4. de raptoribus.*
(4) Clem. III. in *cap. universitatis 24. de sent. excom.*
(5) Publicam flagellationem usui non esse in foro ecclesiastico, monent Lopez ad Diaz. in *prax. canon. crim. cap. 232.*, et Clarus *prax. crim. qu. 70. num. 2.*
(6) Exodi *cap. 21. vers. 23., et seq. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem praegnantem. . . si mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Tum Levitici *cap. 24. vers. 17., et seq. Qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddet vicarium, idest animam pro anima. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum: sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet, qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. Æquum iudicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit: quia ego sum Dominus Deus vester.* Deuteronomii *cap. 19. vers. 18., et seq. Cum invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit. . . non misereberis eius, sed animam pro anima etc. exiges.*
(7) Ex XII. tabulis hanc recitat legem Festus *lib. 18. Si membrum ruperit, ni cum eo pacit, talio esto.* Eam cum Sexto Caecilio explicat A. Gellius *lib. 20. cap. 1.* Iustinianus *lib. 4. Inst. de iniuriis §. 7., poena iniuriarum*, ait, *ex lege XII. tab. propter membrum quidem ruptum* talio *erat.* De poena reciproca loquitur *l. 3. C. Th. de exhib. reis, et l. hi, quos C. Th. de accusat. Calumniantes ad vinctam poscit similitudo supplicii*, aiunt Impp. Honor., et Theod. in *l. ult. C. de accusat.*

ac malefacti gravitas varia sit ex diversis, vel conditionibus personarum, vel animi affectationibus, plus enim delinquit quispiam animo deliberato, vel spontaneo, vel doloso, minus autem invito, vel casu, vel culpa, seu negligentia sine dolo: ratio iuris distributivi, et emendativi postulat hinc saepius, ut reus non talem subire poenam reapse debeat, qualem is fecit noxam, vel iniuriam; sed vel maiorem, vel minorem aequo iudicis arbitrio moderandam ex adiunctis personarum, animique affectionum (1). Id quod fuisse in iudicis usu receptum Iustinianus etiam docet (2). Adhaec lenitas legis evangelicae, et canonum ecclesiasticorum poenas legitimas, praesertim cruentas mitigare potius, ac deminuere, quam pares criminibus, aut similes maluit exigere. *Audistis*, Christus Dominus ait, *quia dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam manu, praebe illi et alteram* (3). Cum Clerici quidam Donatistae essent apud Marcellinum comitem confessi caedem Innocentii presbyteri catholici, et oculum ei effossum, digitumque praecisum, oravit Comitem S. Augustinus, *ne eos tanta legum severitate* plecteret, *ut qualia fecissent*, *talia* paterentur (4). Prisca etiam responsa Iureconsultorum molliendas potius poenas, quam exasperandas censuerunt (5).

CXXXIII. In talionis vicem subrogatas multoties fuisse prisco Romanorum iure praesertim praetorio poenas, et mulctas *pecuniarias* (6), a Iustiniano iam audivimus. Nummus enim inventus quum esset ad aequandas rerum differentias in permutationibus, uti *medium*, inquit Aristoteles, *quod metitur omnia*, *excessum etiam*, *et defectum* (7): visus

(1) Aristot. *lib. 5. ethic. cap. 5. Videtur autem nonnullis*, ait, *et retaliatio* ἀντιπεπονθὸς *absolute, et simpliciter ius ipsum esse: quemadmodum Pythagorei dicebant: ius enim absolute esse* retaliationem *definiebant. Verum* retaliatio *neque ad* distributivum ius, *neque ad* emendativum *accomodatur. Volunt tamen ipsi Rhadamanti quoque ius hoc dicere:* Si contra passus fuerit, quod fecerit idem, iudicium plane rectum, vindictaque fiet. *Saepenumero enim dissidet: ut si magistratum quis gerens percusserit, reperculiendus non est. Si autem magistratum gerentem quis percusserit, non solum est perculiendus, sed supplicio insuper afficiendus. Adde quod sponte ne, an inviti fecerimus, multum refert.*

(2) Iustin. *cit. tit. Inst. de iniuriis §. 7.* post memoratam talionis poenam ex XII. tab. haec addit. *Propter os fractum nummariae poenae erant constitutae, quasi in magna veterum paupertate. Sed postea Praetores permittebant ipsis, quasi iniuriam passi sunt, eam aestimare: ut iudex, vel tanti reum condemnet, quanti iniuriam passus aestimaverit, vel minoris, prout visum ei fuerit. Sed poena ex lege XII. tab. introducta in desuetudinem abiit: quam autem Praetores introduxerunt, in iudiciis frequentatur. Nam secundum gradum dignitatis, vitaeque honestatem crescit, aut minuitur aestimatio iniuriae.*

(3) Matthaei *cap. 5. vers. 39.*

(4) S. Aug. in *can. circumcelliones 1. C. 23. qu. 5.*

(5) Hermogen. in *l. interpretatione 42.*, *et* Ulp. in *l. si praeses 32. D. de poenis.*

(6) Pecuniariam *poenam* lege, aliove iure impositam, *mulctam* arbitrio iudicis irrogari, docent Ulpianus in *l. aliud 131.*, et Labeo in *l. si qua poena 244. D. de verb. sign.* (7) Aristot. *cit. lib. 5. ethic. cap. 5.*

etiam est legumlatoribus idoneus ad compensandum iniurias, et maleficia, quae parem in corpore vindictam non recipiunt. *Qui percusserit mulierem praegnantem, et abortivum quidem fecerit, ipsa vixerit: subiacebit* damno, *quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri iudicaverint*, ex divina Moysis lege (1). *Si pretium fuerit ei impositum*, cuius bos cornupeta non reclusus occiderit virum, aut mulierem, *dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus* (2). *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea*: dotabit *eam, et habebit eam uxorem: si pater virginis dare noluerit, reddet* pecuniam *iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt*, ex eadem lege (3). S. Gregorius M. ad Constantiam Galliae reginam scribens collaudat legem Langobardorum, qua praedones manu armata ad malefaciendum irrumpentes solidis nongentis, eorumque asseclae solidis octoginta; incendiarii nonuplo mulctantur (4). Ioannes VIII, et Synodus Triburiensis nono saeculo sacrilegii reos triginta libris argenti purissimi componendos decreverunt (5). Gregorius IX. statuit blasphemos esse poena solidorum 40., vel minus pro qualitate personarum mulctandos *per temporalem potestatem, coactione (si necesse fuerit) Episcopi dioecesani adhibita* (6). Honorius III. refert pecuniarias poenas iure, vel consuetudine institutas ad expiationem criminum fuisse in censum Ecclesiarum, monasteriorum, Praelatorumque conlatas, eorumque redditus inde adauctos (7). Sed Tridentina Synodus, ubi censuit Episcopis licere *in caussis ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscumque etiam laicos per mulctas pecuniarias* procedere, simul decrevit, ut has ipsi *locis piis ibi existentibus eo ipso, quod exactae fuerint*, assignarent (8). S. Congregatio Concilii poenam a mulcta distinguens, postulantibus quibusdam respondit, posse inopem Episcopum suos in usus eas pecuniarias *poenas* convertere, quas canones, vel synodica statuta imposuerint pro certis criminibus, quamquam consultius

(1) Exodi *cap. 21. vers. 22.* (2) Idem *vers. 30.*
(3) Ibidem *cap. 22. vers. 16., et cap. 1. de sponsal., et matr.*
(4) S. Greg. M. in *can. cum devotissimam 8. C. 12. qu. 2.* Hugo Grotius in *prolegom. ad hist. Gothor.* valde commendat leges, moresque Langobardorum, qui reos capitis mulcta pecuniaria saepius, quam ultimo supplicio plectebant, sanguinem raro fundentes in iudiciis capitalibus. Iustinianus vero aliter censuit Nov. 17. *cap 12.*, ita rescribens Triboniano. *Oportet autem te, cum aliquis dignus apparuerit poena, illum quidem punire, res autem eius non contingere, sed sinere eas generi, et legi, et secundum illam ordini. Non enim res sunt, quae delinquunt, sed qui res possident, at illi reciprocant ordinem: eos quidem, qui digni sunt poena, dimittunt, illorum autem auferunt res, alios pro illis punientes, quos lex forte ad illorum vocavit successionem.*
(5) Ioann. VIII. in *can. quisquis 21.*, *et* Syn. Tribur. in *can. omnes 5. C. 17. qu. 4.*
(6) Greg. IV. in *cap. statuimus 2., et ult. de maledicis.*
(7) Honor. III. in *cap. dilectus 18. de officio ordinarii.*
(8) Trid. in *cap. quamvis excommunicationis gladius 3. sess. 25. de ref.* Quod laicos nec pecunia, nec poenis corporeis mulctari ab Episcopis non paciantur laici magistratus, non semel commonui. Mulctas non fisco, sed pauperibus erogandas cautum etiam est *l. 18. C. Th. quorum appel. non recip.*

foret ista per Apostolicam Sedem abrogari : secus *mulctas* iudicis arbitrio indictas, quas oportet locis, operibusque piis omnino applicare (1).

CXXXIV. *Ignominia*, scilicet nota nominis probrosa poenam *infamiae* inexpiabilem ipso iure superaddit reis in iudicio damnatis ob crimina eam inurentia, rapinam puta, iniurias, dolum malum, fraudem, calumniam, lenocinium, artem in scena ludicram (2). *Infames* enim *personae nullis honoribus, qui integrae dignitatis hominibus deferri solent, uti possunt* ex Iure civili (3). Idemque Ius canones exequuntur. Nam Hadrianus Papa *omnes infames esse dixit, quos leges saeculi infames appellant, et omnes, qui culpis exigentibus ad Sacerdotium non possunt provehi* (4). Itaque irregularitatem ad sacros ordines adnexam fert infamia secundum canones.

CXXXV. *Exilium* ex Paullo est aquae, et ignis interdictio, seu deportatio in insulam, per quod eximitur caput de civitate : *nam cetera*, inquit, *non exilia, sed relegationes proprie dicuntur* (5). Ex marcello tamen *exilium triplex est : aut certorum locorum interdictio ; aut lata fuga, ut omnium locorum interdicatur, praeter certum locum ; aut insulae vinculum, idest relegatio in insulam* (6). Nunc exilii vox ample accipitur pro cuiuspiam eiectione *extra solum* huius, illiusve loci, seu provinciae, seu regni, seu dioecesis. In V. Synodo Romana Symmachus Papa constituit an. 503, ut *qui adversa* pontificibus, et decretis eiusdem Synodi *moliuntur (sicut a sanctis Patribus dudum statutum est, et hodie synodali, et apostolica auctoritate fir-*

(1) S. Congr. apud Fagnanum, et Thomasin. *par. 2. lib. 3. cap. 114. num. 12.* Hoc pacto turpis cupiditatis notam effugient Episcopi, si pecunias in pios usus palam vertant. Imitentur Alexandrum magnum, qui Parmenioni restitutionem captivorum pretio recepto suadenti respondit: *Me non mercatorem memini, sed regem. Nihil quidem habeo vendere, sed fortunam meam utique non vendo. Captivos si placet : reddi honestius dono dabimus, quam pretio remittemus.*

(2) Haec Iulianus ex edicto Praetoris enumerat in *l. 1. D. de his, qui notantur infamia*, explicantque Iureconsulti in *seqq. l. eod. tit.*, tum Imperatores in *tit. C. ex quibus caussis irrogatur.*

(3) *L. un. C. de infamibus.*

(4) Hadrianus in *can. omnes vero 2. C. 6. qu. 1.* Idemque inter infames accenset calumniosos accusatores in *can. omnis qui aliis falsa 1. C. 5. qu. 9.* Histriones, ac turpitudinibus subiectas personas, et haereticos, tamquam infames ab accusatione iam depulerat Concilium Carthaginense VII. in *can. diffinimus 1. C. 4. qu. 1.* Plures alios infamia notatos habet suspecta epistola S. Stephani Papae, et martyris ad Hilarium Episcopum in *qu. can. infames 17. C. quaest. 1.* Omnes christianae legis prevaricatores, et apostolicam, ac regularem auctoritatem contemnentes apocrypha item decretalis B. Dionysii ad Severum in *can. alieni erroris 23. C. q. 7.* Apostatas, et iussa Apostolicae Sedis transgressos alia S. Pii in *can. si quis vero 3. C. 3. qu. 4.* Incestuosos, et calumniam Episcopo suo, vel insidias struentes alia S. Callixti in *can. consanguineorum 4. §. quisquis ead. C., et qu., et can. conspirationum 22. C. 11. qu. 1.*

(5) Paul. in *l. publicorum 2. D. de publ. iudic., et l. si quis 38. D. de poenis.* Nam *sive ad tempus, sive in perpetuum quis fuerat relegatus, et civitatem Romanam retinebat, et testamenti factionem*, docet Ulp. in *l. relegatum 7. D. de interdictis.*

(6) Marcellus in *l. exilium 5. D. de interdictis, et relegatis.*

matur) penitus abiiciantur, et exilio *suis omnibus sublatis perpetuo tradantur* (1) : S. Gregorius M. subdiaconum innocentis diaconi criminatorem iussit officio privari , et verberibus publice castigatum in *exilium* deportari (2). S. Isidorus Hispalensis mutationem loci salubrem poenitentibus ostendit (3). Leo VIII. saeculo X. molientem electiones Pontificis , aut cuiuslibet Episcopi sine consensu Imperatoris Othonis , eiusque successorum *excommunicationi subiacere* decrevit, *et nisi resipuerit, irrevocabili exilio puniri, vel ultimis suppliciis affici* (4). Aut carcere perpetuo, aut aeterno exilio damnatum ab Ivone Carnotensi clericum post degradationem paulo ante vidimus. Innocentius II. peregrinationem Hierosolymitanam, vel Hispanicam ad annum incendiariis poenitentibus indixit (5) , quae imaginem exilii refert. Urbanus III. clericos, qui falsaverant sigillum Regis Francorum, iussit degradari, mox charactere aliquo signatos de provincia exules abire (6). Bonifacius VIII. percussores Cardinalium poenis multis affectos ad beneficium absolutionis non recipi sanxit. nisi antea ultra mare profecti poenitentiam tres annos egissent (7). Usus huiusmodi vetustissimus , et vigens adhuc in foro ecclesiastico mittendi clericos delinquentes in exilium, vel peregrinationem , tot canonibus obfirmatus plane refellit eorum opinamenta , qui contendunt Episcopos, et iudices ecclesiasticos territorio, quod Regis est, carentes nullam habere potestatem in poena exilii decernenda : quum aliunde liqueat Episcopos in sua quemque dioecesi, quasi in territorio obtinere iurisdictionem ordinariam (8) , spiritualem scilicet divino , temporalem humano iure.

CXXXVI. *Servitutem* poenae imponebant antiquae leges, adimentes libertatem damnatis perpetuo in metallum , vel opus metalli, in salina, et fodinas , in ludum venatorium , seu ad bestias ; *quasi servitutem* damnatis in ministerium metallicorum , seu ad inserviendum iis , qui opus metalli publicum peragerent: sed ad tempus damnati in opus eiusmodi, aut in perpetua vincula , seu carcerem perpetuum retinebant civi-

(1) Symmachus in *can. accusatoribus 3. C. qu. 4.* Praetermitto apocryphum S. Alexandri I. epistolam in *can. hi , qui Episcopos 9. C. 3. qu. 4.*, ex qua Episcoporum persecutores *perpetua notantur infamia* , et exilio *digni iudicantur finitimo.* Aliamque similis furfuris S. Urbani in *can. attendendum 13. C. 17. qu. 4.*, qua sacrilegus praediorum Ecclesiae invasor *perpetua damnatur infamia, et carceri traditur, aut exilio perpetuae deportationis.*

(2) S. Greg. in *cap. cum fortius 1. de calumniatoribus.*

(3) Isidor. in *can. valet. 9. dist. 81.*

(4) Leo VIII. ab Othone intrusus in *can. in Synodo 24. dist. 63.*

(5) Innoc. II. in *can. pessimam 32. C. 23. qu. 8. Poenitentia ei detur*, ait, *ut Hierosolymis aut in Hispania in servitio Dei per annum integrum permaneat.* Quandoquidem Urbanus II. in Conc. Claramontano *can.* 2. , iamdudum indulserat, *ut quicumque pro sola devotione , non pro honoris , vel pecuniae adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuisset , iter illud pro omni poenitentia ei* reputaretur.

(6) Urban. III. in *cap. ad audientiam 3. de crimine falsi.*

(7) Bonifac. VIII. in *cap. felicis 5. de poenis in VI.*

(8) Idem in *cap. cum Episcopus 7. de officio ordinarii 6.* Videsis dicta superiori *lib. III. tit. III. num. XIII. et seq.*

tatem, libertatemque (1). Mox Iustinianus Imperator, remissa ea legum severitate, *nullum ab initio bene natum ex supplicio* permisit *fieri servum* (2). Exolevit hinc morti proxima servitutis poena in foro etiam laico ex damnatione perpetua in opus aliquod publicum, quod nostri quidem iudices, deficientibus in regno fodinis, destinare, aut in *praesidiis* clausis, aut in regiis *triremibus* consueverunt (3). Has *vincula nautica* vocant, latinique *naves longas*, et *actuarias* (4). Curia Romana exemplum saecularis fori sectata, priusquam pontificiae triremes extruerentur, damnatos inibi transmittere ad regias alicuius Principis catholici triremes instituit ea sub conditione, ut in eis ad arbitrium, nutumque summi Pontificis detinerentur, lapsoque damnationis tempore dimittendi statim essent in libertatem. Suas mox quinque triremes quum habeat Sedes Apostolica in portu Centumcellarum hibernantes, a Xysto V. primum instructas: fit exinde, ut ad ipsas quum Romani iudices, tum Episcopi etiam nostri deportandos fori ecclesiastici reos iubeant. Gregorius XV. sacerdotes ad turpia sollicitantes in sacramentali confessione iussit ab Ordinariis locorum nedum censuris, sed exilio etiam, vel deportatione *ad triremes*, vel perpetuo carcere, aliisve poenis coerceri, vel praevia degradatione, Curiae saeculari puniendos tradi (5). Et Benedictus XIV. in sacrilegos Sacramenta vel Ordinis, vel Poenitentiae sine sacro charactere ministrantes hanc triremium poenam speciatim sanxit (6).

CXXXVII. Sola *mortis* corporeae poena penitus abest a foro ecclesiastico, quamvis eam divina Lex vetus imperaverit in maleficos (7). Nam *sancta Ecclesia Dei gladium non habet, nisi spiritualem; non occidit, sed vivificat*, Nicolaus Pontifex Albino rescripsit (8). Idcirco Episcopi sacris canonibus quum antiquis, tum recentioribus coguntur laicos etiam magistratus rogare pro vita eorum, quos ipsi reos capitis nequiores in manus Curiae saecularis aliquando tradent post degradationem (9). Quique aliquam quomodolibet partem in iudiciis capi-

(1) Ulp. in *l. aut damnum 8. de poenis.*

(2) Iustin. in *Nov. 22. cap. 8.*, unde sumpta est Auth. *sed hodie C. de donat. inter vir., et uxor.*

(3) Poenam triremium hoc in regno subrogatam in vices fodinarum, ac deportationis in insulam, et relegationis commonent Clarus *q. 67. n. 7.*, Capic. *dec. 153.*, Grammat. *dec. 32.*, de Franchis *dec. 140.*, Farinacc. *qu. 19. n. 14.*

(4) Marcell. in *l. navibus longis 2. D. de captivis.*

(5) Greg. XV. in *const. universi dominici gregis*, lata die 30. Aug. 1623., quam Benedictus XIV., firmavit, et adamussim servandam edixit sua *const. Sacramentum Poenitentiae to. 1.* Bullarii.

(6) Benedict. XIV. in *const. quam grave 69., et const. divinarum 70. to. 4.* Bullarii sui. Ut vero pontificiae *triremes bis in anno visitentur a Commissario ad id deputato*, Paullus V. imperavit *const. 71. tit. de carceribus.*

(7) Exodi *cap. 22. Maleficos non patiaris vivere*, Dominus ait ad Moysen. Scimus etiam *Phinees reputatum ad iustitiam, quia sacrilegos interemerat, et ad preces Eliae ignem descendisse de coelo, ut Prophetae vindicaretur iniuria*, S. August. inquit in *can. quod Christus 26. C. 23. qu. 4.*

(8) Nicolaus in *can. inter haec 6. C. 23. qu. 2.*

(9) S. Aug. in *can. poena illorum 2. C. 23. qu. 5.*

talibus, unde mors alicuius, vel mutilatio membrorum obveniet, susceperit vel sententia, vel consilio, vel testimonio, vel quavis ope, aut opera, irregulares ipso facto fiunt (1). Quinimmo clerici prohibentur vel adesse, ubi cruenta supplicia reis dantur (2). Verumtamen in ultimo scelestorum supplicio mater Ecclesia, et perditos luget filios, et suam consolatur moestitiam ex pace, et quiete publica inde obveniente (3).

CXXXVIII. Pares criminibus poenas referre iudices debere iam ostendimus. Nam leges, et canones varias idcirco poenas pro variis criminibus sanxerunt, ut graviora gravioribus, minus gravia minoribus suppliciis comprimantur, instar medicae artis. *Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum*, ait S. Augustinus (4). *Corripiantur itaque a Praepositis suis subditi fratres correptionibus pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus* (5). *Non afferamus stateras dolosas*, monet idem sanctus doctor, *ubi appendamus quod volumus, et quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes:* hoc grave, hoc leve est: *sed afferamus stateram de Scripturis sanctis, et in illa quid sit gravius, appendamus; immo a Domino appensa recognoscamus* (6). *Facti quaestio in arbitrio est iudicantis: poenae vero persecutio non eius voluntati mandatur, sed legis auctoritati*, ex Papiniano insuper Marcianus tradit (7).

CXXXIX. Verum enimvero iudicis aequi, et boni arbitrium late patet in poenis modo exasperandis, modo minuendis ex diversis caussarum adiunctis. Dignitatem aut militiae cingulum habentes, item nobiles, et divites aliter puniendi sunt, quam privati, et ignobiles, et pauperes, ex Liberii Papae (8), et S. Augustini sententia (9). Nam *ex personarum conditione, et rerum qualitate diligenter sunt aestimandae poenae, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam caussa postu-*

(1) Ex traditis *lib. II. tit. X. num. CI.*

(2) Videsis dicta *lib. III. tit. IV. num. XV.*

(3) S. Aug. in *can. quis enim 48. C. 23. qu. 5. Quis enim nostrum*, ait, *velit aliquem illorum non solum perire, verum etiam aliquid perdere? Sed si aliter non meruit pacem habere domus David, nisi Absalon filius eius in bello, quod gerebat contra patrem, fuisset extinctus, quamvis magna cura mandaverat suis, ut eum quantum possent, vivum, salvumque servarent, ut esset, cui poenitenti paternus affectus ignosceret: quid ei restitit, nisi perditum flere; et sui regni pace adquisita, suam moestitiam consolari?*

(4) S. Aug. in *can. ut constitueretur 25. dist. 50.* Sane legumlatoribus non placuit sententia Stoicorum, qui omnia peccata aestimabant aequalia, quod honestatem, ac virtutem simul violarent: excepto Dracone Atheniensium duce, qui cuncta fere crimina, et delicta, quamvis communi hominum sensu imparia uno, eodemque summo supplicio plectebat.

(5) Idem in *can. corripiantur 17. C. 24. qu. 3.*

(6) Idem in *can. non afferamus 21. C. 24. qu. 1.*

(7) Marcian. in *l. 1. §. quorum D. ad Turpillian.* Consonat Ulp. in *l. aliud 131. D. de verb. sign.* inquiens: *poena non irrogatur, nisi quae quaque lege, vel quo alio iure specialiter huic delicto imposita est.*

(8) Liberius in *can. qui contra 32. C. 24. qu. 1.*

(9) S. Aug. in *can. non cogantur 3. dist. 41.*

labit, Antoninus rescripsit (1). *Sane in omnibus criminibus distinctio haec* (num scilicet consulto, an casu aliquid admissum sit) *poenam, aut iustam eligere debet, aut temperamentum admittere*, ex Ulpiani responso (2). In *maleficiis enim voluntas spectatur, non exitus*, ex Hadriani constitutione (3). *Utrum simulato furore facinus quis admisisset, an revera compos mentis non esset*, iudici aestimandum tribuit Ulpianus (4). *Infans etiam sine malignitate animi, et furiosus si hominem occiderit, non tenetur: quia alterum innocentia consilii, alterum infelicitatis casus excusat*, ex lege Friderici (5). At ex Alexandri rescripto *impunitas delicti propter aetatem non datur, si modo in ea quis sit, in quam crimen, quod intenditur, cadere potest* (6). Qui mala perpetrant vi coacti, vel sine culpa ignorantes, eos impunes habet Aristoteles: secus ignaros ex culpa sua, quales sunt ebrii, et diligentiam opportunam negligentes (7). Idemque Philosophus diversitatem poenarum edisserit ex diversis malefactis, quae societatem laedunt, ex ignoratione, ex ira, ex electione, animoque deliberato (8). *Nolite igitur* fortunam *convertere in culpam, neque regis iniuriam huius crimen putare, nec* consilium *ex* necessitate, *nec* voluntatem *ex* vi *interpretari*, cum Tullio inquam (9). Paulus addit, *ut nemo* ope *videatur fecisse, nisi et* consilium *malignum habuerit: nec* consilium *habuisse noceat, nisi et* factum *secutum fuerit* (10). Itaque clerici *prout magis, aut minus peccaverunt, puniantur secundum canonicas sanctiones*, Innocentius III. rescripsit (11). Qui publice delinquit, putans id sibi licere, mitius punitur, quam clandestinus delinquens animo improbo (12).

(1) A Paullo laudatus in *l. Pedius 4. D. de incendio, ruina, naufragio.*
(2) Ulp. in *l. absentem 5. §. fin. D. de poenis.*
(3) Callistratus in *l. divus Hadrianus 14. D. ad leg. Corn. de falsis.*
(4) Ulp. in *l. congruit 14. D. de officio Praesidis.*
(5) Frideric. in regni *const. terminum vitae tit. de homicid. puniend.*
(6) Alex. Imp. in *l. impunitas 7. C. de poenis.*
(7) Aristotel. *lib. 3. ethicor. cap. 5. Legumlatores* (inquit) *eos, qui mala perpetrant, castigant, ac puniunt, si tamen, neque* vi coacti, *neque ex* ignoratione, *cuius ipsi sibi caussam non exhibuerint . . . Nam ob* ignorationem, *etiam punitur, si sibi ipse* ignorationis caussa *quispiam fuisse videatur. Unde* ebriis *duplices poenae institutae sunt. In ipso enim, qui inebriatur, principium est; cum sui quisque in eo dominus sit, ut non inebrietur: id quod* ignorationis *est* caussa. *Eos quoque puniunt, qui aliquod eorum* ignorant, *quae ad* leges *pertinent, quae quidem, et sciri debent, et difficilia non sint. Simili modo etiam in aliis quaecumque* ignorare per negligentiam *videntur: eo quod in ipsis sit non ignorare; quippe qui adhibendae diligentiae domini sint, ac potestatem habeant.*
(8) Idem *lib. 5. ethicor. cap. 8.*
(9) M. Tull. *or. 39.* pro Rabirio Posthumo.
(10) Paul. in *l. saepe 53. D. de verb. sign.*
(11) Innoc. III. in *cap. ut clericorum mores 13. de vit., et hon. cler.*
(12) Ex Conc. Neocaesariensi in *can. presbyter 9. dist. 28.* Et Paullus Iurec. in *l. Iure gentium 68., et ult. D. de ritu nuptiar*, ait: *si quidem* palam *fecerit, levius: si vero* clam *hoc commiserit, gravius puniatur . . .* palam *delinquentes, ut errantes maiori poena excusantur:* clam *committentes, ut contumaces plectuntur.*

Sed propter scandalum occulta peccata levius, manifesta severius punienda tradit S. Augustinus (1).

CXL. Quinimmo *interpretatione legum poenae molliendae sunt potius, quam exasperandae*, ex communi utriusque Iuris regula (2). Huc spectat illud Ecclesiastici, *noli esse nimis iustus: quia est iustus qui perit in iustitia sua* (3). Propter adiunctum delicto bonum deminui poenam, speciatim commonent SS. Augustinus (4), et Ambrosius (5). Quod multitudinem peccantium Ecclesia debeat non punire, sed divinae potius vindictae puniendam flens remittere, S. Augustinus etiam censuit (6). Et S. Ambrosius ostendit, *non semper in eos, qui peccaverunt, vindicandum: quia nonnumquam amplius prodest clementia, tibi ad patientiam, lapso ad correctionem* (7). Praeterea *mitius agendum est*, inquit S. Gregorius, *quia commissum facinus facili dicitur professione confessus* (8). Mos inde invaluit in Curia Romana potissimum deminuendi poenam sponte confessis (9). Eumque morem Benedictus XIV. probavit, praeterquam in sacrilegos Poenitentiae, sacrorumque Ordinum temeratores absque sacro charactere (10).

CXLI. An Episcopi nunc bene utantur arbitrio infligendi corporeas potius, vel pecuniarias, quam spiritales poenas, censurasque ecclesiasticas, eliquandum superest. Hanc enim rem disciplinae mobilis in omnes partes versant, saepe disputantes ex suo quisque animo: et modo has, modo illas versa vice asperiores, aut salubriores pro diversitate locorum, ac temporum putant homines, vario marte plus, vel minus temporalia, quam spiritalia aestimantes. In comitiis Tridentinis oratores Regis catholici quum conquererentur, Episcopos nimia facilitate censuras in laicos fulminare, postularunt prospiciendum fore, ut alias antea poenas ecclesiastici Praelati, et iudices experirentur ad continendos in officio subditos, censurasque, nonnisi in subsidium adhiberent (11). Patres hinc Tridentini pro reformando censurarum abusu decreverunt, ut iudices ecclesiastici, *quandocumque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se a censuris, seu interdicto: sed liceat eis contra quos-*

(1) S. Aug. in *can. cum quisque 19. C. 23. qu. 4.*

(2) Hermogen. in *l. interpretatione 42. D. de poenis*, Gratianus in *can. poenae 18. de poenitentia dist. 1.*, et Bonif. VIII. in *cap. odia restringi* 15. *de reg. Iur. in VI.* Hinc poena iure imposita in uno casu ad alium extendi non debet, ex Greg. IX. in *cap. transmissae 31., et ult. de iurep.*

(3) Ecclesiast. *cap. 7.*

(4) S. Aug. in *can. quidquid inter se 3. C. 32. qu. 2.*

(5) S. Ambros. in *can. dixit Sara 3. C. 32. qu. 4.*

(6) S. Aug. in *can. non potest 32. C. 23. qu. 4.*

(7) S. Ambros. in *can. quod Christus 26. eod. C. et qu.* Ad rem canit Ovidius *lib. 1. tristium. Si quoties peccant homines sua fulmina mittat Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.*

(8) S. Greg. M. in *can. presbyterum 3. dist. 50.*

(9) Ex traditis a Benedicto XIV. in const. quam grave 69. §. *9. to. 4.*

(10) Idem in sequenti *const. divinarum 70. §. 9. eod. to. 4.*

(11) Postulationem eiusmodi liquere ex actis Conc. Trid. in arce S. Angeli in urbe servatis, fert Fagnanus in *cap. licet 6. de poenis num. fin.*

cumque etiam laicos per mulctas pecuniarias... , seu per captionem pignorum , personarumque districtionem per suos proprio , aut alienos executores faciendam , sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque Iuris remedia procedere caussas definire. Quod si executio realis , vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit , sitque erga iudicem contumacia: tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo , praeter alias poenas ferire poterit (1). Hocce decretum videtur ab antiquis canonibus , et communi Decretalium iure non discrepare , ipsum si penitius consideremus. Nam exposita hoc §. iura ostendunt bonos Episcopos, ubi eis licuisset poenas corporeas , et pecuniarias infligere , se quidem a censuris abstinuisse. Dum Ecclesia vero non aliam potestatem valuit ex legibus , moribusque locorum , nisi spiritualem exercere ; ea criminosos quum clericos , tum laicos censuris tantum suis coercebat : in pertinaces autem , quorum emendationi medicinales censurae nil proficerent , brachium laicae potestatis implorabat , ut poenis corporeis eos ista comprimeret (2). Lapsis interea moribus sua quum iurisdictione abuterentur, hinc iudices ecclesiastici, hinc subditi pastoralem disciplinam aegrius ferrent , modo censuras , modo corporeas , et pecuniarias fori ecclesiastici poenas criminando : opportunum utrique malo remedium videntur Tridentini Patres attulisse non novum , sed acceptum ex antiqua Patrum , summorumque Pontificum traditione. At vero huiusce regni leges , et mores , quos in superiori lib. III. iam exposui , Tridentinum eiusmodi decretum in clericos , et personas ecclesiasticas omnem habere vim consentiunt: secus in laicos, quos in caussis, vel civilibus, vel criminalibus in foro episcopali generatim non patiuntur poenis affici, aut corporeis, aut pecuniariis, neque vinculis mancipari. Solos haereticos, poligamos, et sacra Ordinum ministeria, vel sacramentalem confessionem attrectantes laicos excipiunt speciatim Concordata novissima : quippe quos foro dumtaxat episcopali iudicandos, et puniendos dimittunt , nimirum quod ad poenas etiam corporeas , et carceris custodiam , detrusionemque ipsos foro ecclesiastico nominatim subiiciunt. Regiis autem rescriptis posterioribus cautum est , ut Episcopi in tribus eiusmodi caussis criminalibus, perinde in laicos , ac clericos processuri debeant semel ante reorum capturam, iterumque ante diffinitivam sententiam, eiusve executionem ab Rege nostro licentiam expressam postulare , pro eaque obtinenda ad eum acta originalia transmittere , formam iudicii ordinarii ostensura. Haec satis ad prima Iuris Canonici rudimenta , propitio Deo uno , et trino.

(1) Trid. in *cap. quamvis excommunicationis 3. sess. 15. de ref.*
(2) Id quod liquet ex recitata superius decretali Coelestini III. in *cap. cum non ab homine 10. de iudiciis*, aliisque canonibus.

Finis Lib. IV.... et ultimi.

INDEX

TITULORUM ET CAPITUM

LIBRI IV.

Tit. I.	*De iudiciis criminalibus.*	pag.	3
Tit. II.	*De reorum delatione.*		6
Tit. III.	*De informatione criminali.*		16
§. *I.*	*De delicto in genere.*		23
§. *II.*	*De speciali probatione in reum convincendum*		27
§. *III.*	*De probatione plena, semiplena, et coniecturali.*		30
Tit. IV.	*De citatione, et custodia rerum.* . . .		45
§. *I.*	*De contumacia.*		46
§. *II.*	*De reo in iudicium veniente, vel exhibito.*		47
Tit. V.	*De constituto, et examine reorum* . . .		65
Tit. VI.	*De confugii exceptione*		72
§. *I.*	*De sacro asyli iure.*		73
§. *II.*	*De criminibus asylum excludentibus.* . .		74
§. *III.*	*De locis immunibus*		77
§. *IV.*	*De clericatus exceptione.*		id.

Tit. VII. *De relaxatione reorum.* . . . . pag. 117
§. *I.* *De visitatione captivorum* 118
§. *II.* *De compositione, et transactione poenarum.* id.
§. *III.* *De abolitionibus, et indulgentiis criminum.* 120
Tit. VIII. *De confirmanda informatione* 154
§. *I.* *De collatione testium cum reo.* 155
§. *II.* *De flagrante, et notorio crimine.* . . . id.
Tit. IX. *De defensionibus reorum* 175
Tit. X. *De tortura reorum* 194
Tit. XI. *De sententiis definitivis.* 209
Tit. XII. *De appellatione* 218
Tit. XIII. *De criminibus, et delictis.* 229
Additiones: De reatibus in S. Religionis obsequium perpetratis, eorumque poenis Iure Civili novissimo sancitis 232
Tit. XIV. *De haeresi, schismate, et apostasia.* . . 234
§. *I.* *De Iudaeis, Saracenis, aliisque infidelibus.* 236
Tit. XV. *De sortilegiis, et magiis* 268
De purgatione vulgari appendix. 319
Tit. XVI. *De simonia.* 325
Tit. XVII. *De usura* 371
§. *I.* *De titulis, et contractibus in mutuo incidentibus concurrentibus* 373
§. *II.* *De lucro cessante, et damno emergente.* . id.
§. *III.* *An liceat contrahentibus pacto taxare interesse lucri, et damni futurum.* . . 374
§. *IV.* *De mora.* 375
§. *V.* *De pacto securitatis, et susceptionis periculi.* 376
§. *VI.* *De emptione venditione usuraria, et mohatra.* id.
§. *VII.* *De pignore usurario, et antichresi, ac montibus pietatis.* 377
§. *VIII.* *De emptione venditione annuorum introituum, et censibus realibus, et personalibus.* . 378
§. *IX.* *De societate usuraria.* . . . . . id.
§. *X.* *De trino contractu.* 379
§. *XI.* *De cambiis.* . . . . . id.
Additiones: Recentiora S. Poenitentiariae, et S. Congregat. Inquisitionis responsa, quae mutuum respiciunt 445
Tit. XVIII. *De poenis, et censuris ecclesiasticis.* . . 448
§. *I.* *De excommunicatione.* 449
§. *II.* *Qui excommunicationem ipso facto incurrunt* 450

§. III. *De excommunicatione ferendae sententiae.* 450
§. IV. *De monitorio excommunicationis ad finem revelandi.* 451
§. V. *De personis excommunicandis.* 452
§. VI. *De absolutione excommunicatorum* . . . id.
§. VII. *De minori excommunicatione* 453
§. VIII. *De interdicto* . . . . . id.
§. IX. *De cessatione a divinis.* 454
§. X. *De suspensione.* . . . . . id.
§. XI. *De depositione, et degradatione.* . . . 455
§. XII. *De poenis corporeis, et temporalibus.* . . 456

3892